




*Est 30
Ad 12
Vol 50*

*Est 217
Vol 64
no 19*

R. P. F. THOMÆ
MALVENDA
SETABITANI
ORD. PRÆDICATORVM
Sacrae Theologiae Magistri.
DE
ANTICHRISTO.
TOMVS SECVNDVS.

Handwritten notes and scribbles at the top of the page.

REP. THOMAE
MALVENDA
SETA BITANI
ORD. PREDICATORUM

Sacra Theologiae Magister

ANTICHRISTO
TOMVS SECVNDVS

R. P. F. THOMÆ
MALVENDA

SETABITANI

ORD. PRÆDICATORVM

Sacræ Theologiæ Magistri.

DE

ANTICHRISTO.

TOMVS SECVNDVS.

COMPLECTENS ANTICHRISTI VITIA, DOCTRINAM,
*miracula, persecutiones, Iudeorum conuersionem, mundi
solutionem, & ipsius Antichristi mortem.*

Omnia ad scripturæ fidem, sacrorum Interpretum auctoritatem, & Historiæ
veritatem diligentissimè examinata.

*ex del Colegio
Uniuersidad*



*ex Arch.
Cathalina
de Orma*



LVGDVNI,

Sumptibus Societatis Bibliopolarum.

M. DC. XLVII.

Cum Approbatione, & permissu Superiorum.

REPETITOME
MALVENDA

SETABITANI

ORD. PRADICATORVM

Senae Theologiae Magistri

ANTICHRISTO

TOMVS SECVNDVS

COMPLECTENS ANTIQVARIETATVM, DOCTRINAM

miraculorum, prophetiarum, & prophetarum commentum, &c.

solentem & ipse Antichristi notitiam

Omnia ad scripturam fidem, facientes hanc notitiam antichristi, & Historiam
veritatem diligenter examinauit.



LVDVIGVS

Sumptibus Societatis Bibliopolarum.

M. DC. XLVII

Cum Approbatione, & permissu Superiorum.



INDEX

LIBRORVM ET CAPITVM.

Tomi II. De Antichristo.

LIBER SEPTIMVS.

De vitis Antichristi.

CAP. I.	 YPOCRISIS & simulatio Antichristi. pag. 1	
I I.	Fraudulentia & versutia Antichristi.	3
I I I.	Impudentia, audacia, temeritas Antichristi. pagin.	4
I V.	Antichristo ob impudentiam, & importunitatem muscæ caninæ, seu grauissimæ & Beelzebub appellationem è sacris literis rectè conuenire.	6
V.	Magia & artes nefandæ Antichristi.	12
V I.	Enumerantur aliqui ex præstantioribus Magis, quos Antichristus peritia funestæ artis longè superabit.	13
V I I.	Nobiles Magi qui paredris, id est, dæmonibus familiaribus, sunt vsi, quos ea in re nedum imitabitur, sed etiam superabit Antichristus.	19
V I I I.	Iucunda narratio quarundam magicarum & admirandarum effectuum, ad quarum instar multa patrabit Antichristus.	20
I X.	Ferales & horrendi Magiæ apparatus ritusque quales etiam adhibebit Antichristus.	23
X.	Magicas quasuis operationes Crucis signo, Eucharistia, aqua benedicta, & ope aliarum sacrarum rerum facile dispelli & profligari: quibus remediis Christiani Magias Antichristi expugnabunt.	25
X I.	Auaritia, rapacitas, diuitiæ Antichristi.	27
X I I.	Antichristum expilaturum templa & sepulchra.	30
X I I I.	Thesauros absconditos ac deperditos patefaciendos Antichristo.	33
X I V.	Dæmones thesaurorum occultorum esse plerumque præfides ac custodes, quos seruant Antichristo.	35
X V.	Ex auri, argenti que fodinis immanes diuitias eruet Antichristus.	ibid.
X V I.	Dæmones metallis auri & argenti in terræ sinibus interdum incubant: quæ Antichristo custodiunt.	40
X V I I.	Ingens vis thesaurorum Antichristi.	ibid.
X V I I I.	Magnificentiæ ædificiorum & extructionum Antichristi.	41
X I X.	Statuæ & Colossi Antichristi.	45

X X.	Vestes & aulæ, seu peristromata Antichristi.	47
X X I.	Vasa aurea & argentea, & reliquus ex hac materia apparatus Antichristi.	49
X X I I.	Gemmæ, vniones, & pretiosi lapides Antichristi.	51
X X I I I.	Vnguentorum & balnearum Antichristi luxuria.	54
X X I V.	Conuiuia & cœnæ Antichristi.	55
X X V.	Immanes Antichristi sumptus.	58
X X V I.	De libidine Antichristi, è vaticinio Danielis 11. v. 37. Et erit in concupiscentiis seminarum.	60
X X V I I.	Antichristum plurimas habiturum vxores.	63

LIBER V I I I.

De doctrina & miraculis Antichristi.

CAP. I.	Antichristum initio imperij sui obseruaturum ritus Iudaicos, & legem Moysis instauraturum.	ibid.
I I.	Antichristus se verum Messiam & Christum asseret; IESVM verum Filium Dei palam repudiabit, & abnegabit	68
I I I.	Antichristum ablaturum Idola & omnes Deos ac eorum cultum. 50. pro 70. lapsu typographico.	
I V.	Horrenda Antichristi blasphemia, qua & verbis & factis palam iactabit, se verum Deum, vniuersi Dominum ac moderatorem esse.	54
V.	Diuina testimonia de extrema Antichristi blasphemia, se Deum verum constituentis.	56
V I.	Aliud oraculum de eadem insanissima Antichristi blasphemia, se verum Deum iactantis.	58
V I I.	Elucidatur locus Pauli 2. Thessalon. 2. 4. Ita vt in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus.	61
V I I I.	De Abominatione desolationis stante in loco sancto prædicta à Daniele Propheta, & Domino Salvatore nostro, qua mystico	

Index Librorum,

- co & sublimiore sensu significatus est Antichristus. 64
- IX. Alterum oraculum Danielis expenditur de abominatione desolationis. 66
- X. Explicantur verba Domini Matth. 24. 15 *Quum ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta, stantem in loco sancto, qui legit intelligat.* 68
- XI. Sententiæ patrum & recentiorum, Antichristum fore abominationem desolationis prædictam à Christo Domino, Matth. 24. v. 15. 73
- XII. Quodnam Danielis vaticinium de Abominatione desolationis Christus citauerit. 75
- XIII. Delira multorum exempla, qui se Deos credi & adorari voluerunt, consimili Antichristi insania. 77
- XIV. De Deo Maozim quem colet & adorabit Antichristus. 82
- XV. Quidam de se, ac de Deo, aliisque rebus religionis intus in animo crediturus sit Antichristus. 85

LIBRI VIII.

PARS ALTERA.

De Miraculis Antichristi.

- XVI. **A**ntichristum ingentia miracula patratum. 87
- XVII. Antichristum ea potissimum effecturum miracula, quæ magis mirentur homines. 89
- XVIII. Prodigia mira quæ Antichristus vi herbarum, verè vel fide designabit 92
- XIX. Præstigiæ Antichristi. 93
- XX. Metamorphoses, quas edet Antichristus. 94
- XXI. Femina in viros conuersa. 97
- XXII. Mortuorum resurrectiones, quas finger Antichristus. 100
- XXIII. Miracula quæ olim à gentibus facta produntur. 103
- XXIV. Hæreticos quoque miracula iactasse. 106
- XXV. Recentiores hæreticos miracula etiam, sed irritò & contrario euentu tentasse. 120
- XXVI. Antichristi miracula non vera, sed falsa erunt. 112
- XXVII. Natura vel arte multa effici valde miranda, quæ tamen vera miracula non sint. 114
- XXVIII. Quanam ratione vel arte Antichristus sua miracula sit effecturus: & quanam ex iis operibus esse poterunt vera & realia: quanam verò falsa phantastica, vel meræ duntaxat præstigiæ, ac sensuum ludificationes. 120
- XXIX. Elucidatur Pauli locus 2. Thessal. 2. 9. de miraculis Antichristi: *Cuius est aduentus secundum operationem satanae in omni virtute, & signis. & prodigiis mendacibus, & in omni seditione iniquitatis, his qui pereunt.* 123
- XXX. Miraculum Antichristi quo se simulabit mortuum, ac mox resurgere. 125

LIBER IX.

De persecutione Antichristi aduersus Ecclesiam.

- CAP. I. **P**ræcipuæ persecutiones, quibus ad hanc usque diem afflicta est Christi Ecclesia à Tyrannis, Principibus, & Magistratibus. 128
- I I. Reliquæ persecutiones enumerantur. 133.
- III. Explicantur aliquot Danielis oracula de persecutione Antichristi. 137
- I V. Elucidantur alia Danielis loca de persecutione Antichristi 140
- V. Exponuntur reliqua Danielis vaticinia de persecutione Antichristi. 143
- V I. Christi Domini prædictio de tribulatione Ecclesiæ sub Antichristo. 145
- VII. Ioannis in Apocalypsi oracula de persecutione Antichristi. 147
- VIII. Quem humanorum morum statum excipiet persecutio Antichristi. 148
- IX. Quæ patres prodiderint de acerbitate persecutionis Antichristi. 149.
- X. Spiritualis Antichristi aduersus Ecclesiam persecutio. 151
- XI. Tempore Antichristi cessaturum, saltem in publico sacrosanctum Missæ sacrificium, iuxta vaticinium Danielis, & patrum traditionem. 154
- XII. Cruciatu & Martyria, quibus pios fideles Antichristus excercebit. 157
- XIII. Alia tormenta recensentur. 162
- XIV. Enumerantur adhuc alia dira cruciamenta. 166
- XV. Elucidatur locus Gen. 3. 15. *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum, & semen illius. Ipsa conteret caput tuum: & tu insidiaberis calcaneo eius.* Simulque præstantia Martyrum sub Antichristo describitur. 170
- XVI. Quid in funestissimo tempore factura sit Christi Ecclesia, è vaticinio Ioannis in Apocalypsi. 173
- XVII. Perducitur expositio eiusdem vaticinij Apocalypsis. 176
- XVIII. Explicatur locus Danielis 11. 41. *He autem sola saluabuntur de manu eius, Edom, & Moab, & principium filiorum Ammon* 178
- XIX. Elucidatur locus Isaia 6. 3. 4. *Abconde fugientes, & vagos ne prodas. Habitabunt apud te profugi mei. Moab esto latibulum eorum a facie vastatoris: finitus est enim pulvis & consummatu est miser: defecit qui conculcabat terram.* 179
- XX. Prælium sanctorum Angelorum, Michaële imperatore, contra diabolum, eiusque ministros, pro Ecclesia, tempore Antichristi victoria ac triumphus. 181
- XXI. Explicantur verba Ioannis Apoc. 12. de prælio Michaëlis pro Ecclesia, tempore Antichristi. 184
- XXII. An Christiana fides & religio furore Antichristi persecutionis sit penitus in orbe extinguenda: & in quod discrimen redigenda sit tunc Christi Ecclesia. 186
- XXIII.

& Capitem.

- XXIII. De nomine proprio Antichristi è Ioannis Apocalypsi sententiæ Patrum, & posteriorum. 189
- XXIV. Elucidantur verba Apocal. 13. 17. 18. de numero nominis Antichristi. 193
- XXV. Blasphemiæ Nouantium, dissilantur: veriusque in eos nomen, numerumque Antichristi conuenire. 198
- XXVI. De Antichristi caractere. 699
- XXVII. De Antichristi caractere adhuc, & de labaro Christianorum Imperatorum. 121. *pro 201. lapsu typographi.*
- XXVIII. De Antichristi caractere insuper, & de formati literis, seu epistolis. 124
- XXX. Cur Antichristi præcursor compeller omnes accipere in dextera manu, & in fronte caracterem Antichristi. 128
- XXXI. De antiquo ritu stigmatorum diuersi generis non iniucundus excursus. 129
- XXXII. Varia nomina quibus Spiritus sanctus dignè Antichristum traducit. 132
- XXXIII. Exponitur locus Zachariæ 11. v. 15. Adhuc fume tibi vasa pastoris stulti, &c. 134

LIBER DECIMVS.

De Henoch & Elia tempore Antichristi venturis.

- CAP. I. **H**enoch illum septimum ab Adam Patriarcham, nondum adhuc morte defunctum, sed viuum hætenus conseruari. 137
- II. Eliam Thesbitem prophetam nondum fuisse mortuum, sed adhuc in carne mortali viuere. 139
- III. Consensus Christianorum patrum Henoch, & Eliam nondum esse mortuos: sed adhuc viuere mortalem vitam. 142
- IV. Num extet adhuc paradysus voluptatis. 143
- V. In quem locum Henoch & Elias viui translati fuerint, & vbi nunc sint. 144
- VI. Henoch & Eliam viuere nunc in Paradiso voluptatis. 445
- VII. Exponitur locus Ecclesiastici 44. v. 16. *Henoch placuit Deo, & translatus est in Paradysum vt det gentibus pœnitentiam.* 147.
- VIII. Qualem nunc vitam degant Henoch & Elias in paradiso terrestri, & quis sit habitus, & qualitas corporum & animarum eorum. 149
- IX. Eliam Thesbitem venturum tempore Antichristi ex Patrum traditione demonstratur. 151
- X. Malachias Propheta prædixit Eliam venturum in fine sæculi præcursorem secundi aduentus Domini ad Iudicium. 152
- XI. Duo alia oracula de venturo Elia in fine mundi, alterum Ecclesiastici, alterum Christi. 153
- XII. Num Moses mortuus fuerit, aut venturus sit cum Elia tempore Antichristi. 155
- XIII. Ieremiam prophetam verè obiisse, nec venturum cum Elia tempore Antichristi. 156
- XIV. Patrum & posteriorum consensus Henoch, & Eliam venturos tempore Antichristi. 157.
- XV. An simul cum Henoch & Elia sit etiam Ioannes Euangelista venturus in fine mundi aduersus Antichristum. 159
- XVI. Sanctum Ioannem Euangelistam reuera fuisse mortuum: nec tempore Antichristi venturum. 161
- XVII. Quænam acturi sunt Henoch & Elias tempore Antichristi ex oraculo Apocalypsis. 163
- XVIII. Explicatur locus Zachariæ 4. v. 14. Isti sunt duo Filij olei, qui assistunt Dominatori vniuersæ terræ. 165
- XIX. Plagæ quas Henoch, & Elias in Antichristi sectatores immittent. 166
- XX. Clarissimum Henoch & Eliæ martyrium, Resurrectio, & in calos assumptio, ex Apocalypsis 11. v. 7. 167

LIBER VNDECIMVS.

De conuersione Iudæorum ad fidem Christi sub finem sæculi.

- CAP. I. **R**eferuntur diuinæ promissiones, ex quibus malè intellectis Iudæis sperant redituros se in Iudæam, Ierusalem & Templum initauraturos, ac ibi feliciter cum suo venturo Messia regnaturos. 171
- II. Qua ratione intelligantur implenda prefata promissiones. 172
- III. Miserabilis status Iudaici populi, quem à clade Vespasianica, ad finem vsque sæculi in exilio, & dispersione habet. *ibid.*
- IV. Explicatur Verbum Christi lucæ. 21. v. 24. *Et captiui ducentur in omnes gentes: & Ierusalem calcabitur à Gentibus, donec impleantur tempora nationum.* 175
- V. Exponitur vaticinium Danielis 9. v. 27. Et vsque ad consummationem & finem perseverabit desolatio. 176
- VI. Urbem Ierusalem, & Templum, denuò à Iudæis Antichristoque reedificanda prope finem sæculi. 177
- VII. Quanta mole atque amplitudine Iudæi tempore Antichristi urbem Ierusalem sint instauraturi. 178
- VIII. Exponitur situs Vallis cadauerum, cineris, regionis mortis, Torrentis Cedron, Ieremiæ 31. v. 40. 185.
- IX. Ierusalem laxissimo ambitu adificandam à Iudæis tempore Antichristi. 185.
- X. Quænam sacra & augusta, quæ Iudæi futura sperant in suo illo templo, quod denuò instaurandum putant. 186
- XI. De Vrim & Thumin. 188
- XII. Num arca veteris Testamenti tempore Antichristi sit comparitura. 190
- XIII. Explicatur vaticinium Oseæ de conuersione Iudæorum ad Christum in fine mundi. 149
- XIV. Egegius Pauli locus de conuersione Iudæorum ad fidem Christi, extremo mundi tempore. 197
- XV. Ostenditur ex verbo Dei, Iudæos in fine sæculi conuertendos ad Christum prædicatione

Index Librorum, & Capitem.

- catione Eliæ Prophetæ. 198
 XVI. Traditio Patrum ac posteriorum Iudæos circa finem sæculi conuertendos ad fidem Christi, prædicatione Henoch & Eliæ. 200.
 XVII. Numerus Iudæorum qui tunc conuertentur. 202.
 XVIII. De statu decem Tribuum Israel à tempore earum vltimæ per Salmanasarem deportationis ad finem vsque sæculi. 204

L I B E R X I.

*De Regno Christi mille annorum, de solutione
 Diaboli in fine mundi, de Balio
 Gog, & Magog.*

- CAP. I. **E**rror Chiliastarum seu Millenariorum de regno Christi mille annorum in terris post generalem hominum resurrectionem : quorum præcipuus auctor Cerinthus. 209
 I I. Sententiæ plurium Ecclesiæ Patrum de millenario in terris Christi regno. 210
 III. Aliæ Patrum Chiliastarum sententiæ. 213.
 V. Quid intersit inter dogma Cherinthi de millenario regno Christi, & Patrum Chiliastarum opinionem : & quid de vtrisque censendum. 214
 V. Oraculum Apocalypsis obscurissimum de alligatione Diaboli per mille annos, & de solutione eiusdem : item de regno Christi mille annorum : & de resurrectione prima & secunda. 216
 VI. Perducitur explanatio eiusdem oraculi. 119

- VII. Apparatus supremi prælij Antichristi, seu Gog & Magog aduersus Ecclesiam, ex oraculis Ezechielis, & Ioannis. 221
 VIII. De loco Armagedon, in quo congregandi sunt exercitus Gog & Magog, & aliarum gentium in prælium in die magno Omnipotentis Dei. 224
 IX. Exercituum Gog & Magog exitialis strages è vaticiniis Ezechielis & Ioannis. 225

L I B E R XIII. ET POSTREMVVS.

De morte Antichristi.

- CAP. I. **A**ntichristum futurum caput omnium impiorum. 229
 II. Cur permissurus sit Deus Antichristum in mundo. 230
 III. Horrendi quorundam Antichristi præcursorum interitus. 231
 IV. Aliorum impiorum Antichristi anteambulorum horribiles exitus. 233
 V. Quæ Patres & posteriores Theologi de morte Antichristi tradiderunt. 235
 VI. Explicantur loca quædam ex veteri Testamento de morte Antichristi. *ibid.*
 VII. Elucidantur loca alia ex nouo Testamento de nece Antichristi. 237
 VIII. Antichristum tres annos & sex menses regnaturum. 239
 IX. Quæ futura sint post mortem Antichristi. 242
 X. Quantum temporis effluxurum sit à morte Antichristi ad finem sæculi & vniuersale Iudicium. 243



DE



D E ANTICHRISTO, LIBER SEPTIMVS.

D E VITIIS ANTICHRISTI.



OMINIS supra mortales omnes pestilentissimi proiectissimam improbitatem, & immensam peccandi licentiam, integro hoc libro prodemus. Sed initio statim monemus (ne sæpius idem deinceps repetere cogamus) nos ex flagitiis ac sceleribus, immanibusque vitiis eorum omnium, quotquot in orbe vnquam moribus corruptissimis in quauis peccandi libidine exitere famosi, ita veluti efformaturos, atque effincturos ipsum Antichristum: non sanè tanquam inane quoddam ac vmbatile nequitiae simulacrum, cunctaeque collectae simul & conglobatae impietatis spectrum: (vt è contrario Xenophon in Cyro formam optimi Principis expressit: Homerus in Achille fortissimi ducis exemplar decantauit: Maro in Aenea pientissimi viri effigiem animi depinxit: non enim tales, tantique illi viri fuere, quales, quantique à magnis illis auctoribus celebrantur:) sed viuam atque omni ex parte animatam quandam totius iniquitatis & malitiae personam, ex omnium hominum vitiis & flagitiis, qualis reuera futura est, coagmentatam & conformatam, multo antè orbi spectandam proponere, quàm monstrum illud horrendum condatur.

Nec equidem pro magnitudine nequitiae & improbitatis rem ipsam oratione nostra satis posse explicare videbimur: cum multo plura, maioræque Antichristi vitia sint re ipsa futura, quàm vt humana mente vel lingua comprehendi queant. Neque id reuocari in dubium, aut difficile persuasum videri poterit: si attentius consideremus, quàm sit vero consentaneum, vt quemadmodum Christus Dominus, humani generis Monarcha, omnia omnium bona eaque altissimo & heroico cumulo in se habuit: & multò adhuc plura, & longe maiora: ita quoque Antichristum omnia omnium mala & vitia: ac multo etiam plura, longèque maiora complexurum. Vt sicut auctore Paulo in Christo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, omnisque gratiae ac virtutum diuinum Cornucopiae: ita Antichristum futurum omnis improbitatis & impietatis amplissimum conceptaculum: in quo omnis plenitudo nequitiae resideat: cum sit futurus extremum alterum è diametro Christi. Atqui in Antichristum iure illud Senecæ in consolatione ad Heluiam, cap. 9. de C. Caligula usurpari possit: *Quem mihi videtur rerum natura [vel potius Infernus] edidisse, vt ostenderet, quid summa vitia in summa fortuna possent.* Et in consolatione ad Polybium; Cap. 36. *Quem rerum natura in exitium opprobriumque humani generis edidit.*

CAPVT I.

Hypocrisis & simulatio Antichristi.

INSIGNEM hypocritam, ac sanctitatis & probitatis, totiusque iustitiae simulatorem artificiosissimum futurum Antichristum, Patres omnes, ac posteriores summo consensu tradiderunt. Equidem hypocritam Antichristi, qua initio rerum suarum probos

Tom. II. De Antichristo,

& compositos mores mentietur, ex sententiis Patrum S. Hypoliti Martyris, S. Ephraem Syri, S. Cyrilli Ierosolymitani, S. Hieronymi, S. Damasceni, latè descripsimus lib. 6. cap. 8.

Equidem verba illa Iob 34. 30. *Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.* aptè, & concinnè in Antichristum competere non est dubium: de quo mysticè saltem interpretatus est S. Gregorius lib. 25. in Iob, cap. 14. in hunc modum disserens: *In eo ergo quod dicitur; Qui regnare facit hominem hypocritam*

critam propter peccata populi. Potest ipsum omnium hypocritarum caput Antichristus designari. Seducitor quippe ille tunc sanctitatem simulat, ut ad iniquitatem trahat. Quod ergo tunc Antichristus super impios regnat, non est ex iniustitia indicantis: sed ex culpa patientis.] Eandem S. Gregorij interpretationem sectati sunt Strabus & Anselmus Laudunensis. Iam fontem ipsum expendamus, vnde manifestius apparebit, quam commodè verba Antichristo aptentur.

Qui regnare facit. MI MELOCH. Ex verbo, De [a] regnare, vel de [a] regnando. Quidam exponunt negativè. Ne regnet ita Tremellius & Iunnius. Sed notum est, particulam MIN, interdum poni pro, ob, propter, eo quod, propterea quod, exēplis passim in scriptura obuiis, vel hoc præsertim loco quem interpretamur, illis verbis, *propter peccata populi.* Vbi Hebraicè est MIN, De [a] peccatis populi. De vi particulæ MIN consule Sanctem lib. I. Hebraicarum institutionum, Cap. 15. & in Thesaurus, item Forsterum, & Marinum in Lexicis. Annotavit Steuchus verbum M A L A C H, hinc ab omnibus ferè antiquis transitiuè capi: *Eo quod regnare facit.* Ut etiam reddiderunt LXX, & Chaldaeus.

Hominem hypocritam. ADAM CHANEPH. puto emphasim esse in voce Adam, id est, homo consuetudine linguæ significat interdum quemvis hominem etiam de media plebe obscurum, ignobilem, quasi dicas, terreneum, terrenum, terræ filium, ab ADAMAH, id est, humo, cuiuscumque nimirum conditionis hominem. Ut è contra IS virum insignem, atque virtute, aliisque notis illustrem designat, quasi virum nobilem, clarum, celebrem, potentem, patritium, honorabilem, à IES id est, substantia & firmitate. Sic Isaia 2. 9. *Et incurruavit se Adam homo, & humiliatus est IS vir.* hoc est, tam plebeius, quam nobilis adoravit idola. Et Psalm. 48. 2. *quinque terrigena & filij hominum.* Hebraicè: etiam filij Adam hominis: etiam filij IS viri. hoc est, cum plebei, tum optimates. Hæc sunt cunctis notissima. Haud secus hoc loco, *regnare facit hominem.* Adam intelligimus, Deum singulari suo & occulto iudicio interdum admoveere regni gubernaculis homuncionem quendam perditissimum ex facie plebis extrema, obscura, vili, & pudenda natalium origine per infamem, qualis reuera erit Antichristus.

Qui CHANEPH reddiderunt, impium, sceleratum, facinorosum, improbum, ut Sanctes, Steuchus, Stunica, non satis expressere vim vocabuli. Propriè indicat, infectum corruptum, pollutum, impurum, contaminatum, profanum, simulatorem, fallacem, hypocritam, qui intus totus animo corruptus, & depravatus sit malitia, exterius tamen larva se & persona sanctitatis induat, tegat, obnubat, quasi dicas, rectum & obnuptum. Vide Forsterum, Mercerum, Auenarium, Marinum, Buxtorfium in Lexicis, Forerium in 10. Isaia, v. 6. Auenarius putat, Matthæi 6. 16. notionem huius vocis declarari cum dicitur: *Sicut hypocrita tetrici, obscurant enim & obnubunt facies suas.* Hoc genus hominum scitè Christus Dominus sepulchris dealbatis comparavit, Matthæi 23. v. 27.

Propter peccata populi. Totum locum variè varij exposuerunt. Septuaginta in Romana Editione: *Qui regnare facit hominem hypocritam propter peruersitatem populi.* Apud Steuchum verò: *Qui regnare fecit hominem hypocritam, propter difficultates, (acerbitates) populi.* In Catena autem Græca à Paulo Comitolo. *Qui constituit regem hominem hypocritam super morositatem populi.* Dyscolia Græcis propriè est, morositas, difficultas, asperitas, acerbitas, morum importunitas, & diritas, indignitasque. Olympiodorus in hunc lo-

cum: Et id quoque diuina est providentia, eum qui aspectu atque specie eminentur virtutem, permittere, ut Rex declaretur: idque propter populi, cui animaduersione & disciplina opus est, improbitatem: quemadmodum alibi dixit: *dedi eis regem in ira furoris mei.*

Aben Ezra: *Et non regnare faciet hominem improbum nisi propter violentiam populi, ut ulciscatur ea.* Caietanus: *A regnare hominem hypocritam à deceptore populi.* Diectio interpretata, deceptore, ponitur ad supplendum nomen quo caremus, significans eum qui facit impingere. Princeps enim hypocrita decipiendo populum facit eos impingere in opinionem bonam de eo. Legit proculdubio Caietanus singulare MOKES, pro plurali MOKESE. Steuchus: *Facit regnare improbum propter deceptiones, [fraudes, iniurias] populi nimirum, ut castiget, animaduertat in eos qui violarunt humana iura, pauperes, inopesque vexarunt, ut doceat, quo genere peccati Deus commouetur, præficiatque populo principes malos Sanctes: Eo quod regnat homo impius, eo quod sunt laquei populo.* Isidorus Clarius: *Alius vertit, ne regnet homo impius, propter illaqueationes populi.* Alij sic, *Auertit Deus faciem suam propter regem impium & offendicula populi.* Iunxere antecedentibus. Vatablus Editione Santandreana: *Eo quod regnet homo hypocrita, & propter offendicula populi, vel, A. regnando, id est, ne regnet homo hypocrita ab offendiculis populi.* Hypocrita, scelestus. Hypocritam vocat, propterea quod cum sit iniustus & impius, iustitiam tamen & pietatem prætexit. Duabus, inquit, causis mala eueniunt populis omnibus, propter peccata quæ sunt offendicula populi: & ob principum impietatem, iunxit quoque antecedentibus. Eodem modo in Editione Salmaticensi ex præcedenti, versu: *Et super gentes, & super hominem simul subaudi, eueniunt mala, id est, & nationi uni, & singulis eueniunt mala, eo quod regnet hypocrita &c.* Sequenti versu perficitur hic versus, ac si dicat: *Et uni nationi & singulis eueniunt mala duabus de causis, aut propter peccata nostra, quæ sunt offendicula populi: & propter regis iniquitatem.* Eo quod regnet homo hypocrita, & ob offendicula populi] Montanus: *A. regnando hominem hypocritam ab offendiculis populi.*

Verum illud, MI MOKESE AM, ex verbo reddes: De, [ab illaqueationibus, [irretitionibus, laqueis, retibus tendiculis aucupis] populi. Forsterus: propter illaqueationes populi. MOKES S. Hieronymus solet reddere, offendiculum, ruinam. Amos 3. v. 5. *aucupem vertit.* Posset hæc subesse sensus: ex turbulentis & confusis populi consiliis, ex perplexitatibus, & perturbationibus populi non satis explicantis & expedientis rationes suas in rege deligendo, interdum euenire permittere & ordinante Deo, ut impurus aliquis & contaminatus tenebrio regnum inuadat. Sed sequamur communem explanationem: Propter laqueos, scandala, offendicula, ruinas populi. Quod biffariam exponitur, Primò actiuè, propter laqueos & ruinas, seu offendicula, quæ fontes infontibus, diuites pauperibus tendunt, ut ea per regem tyrannum & impium hypocritam Deus vindicet ac poniat. Secundò passiuè, propter laqueos, offendicula, & ruinas populi, nempe ut sub rege impio, tyranno, hypocrita populi illaqueentur, irretiantur, offendant, impingant, ruant, labefactentur, ac pereant: quasi dicat, id exigunt quandoque peccata hominum, ut Deus ijs præficiat Regem, deprauatissimum quempiam hypocritam, ut eos funditus perdat ac destruat, vel intolerandis tributorum exactionibus & oppressiombus, vel cædibus ac rapinis, vel laqueis & retibus prauorum ac peruersorum dogmatum, quod nimirum populi fidem suo regi habentes in laqueos & retia eorum corruant, vnde nunquam se extricare valeant,

leant, sed tandem morte pereant sempiterna. Vide Stronicam & Pinedam. Et hic sensus procudubio germanior est, quem etiam Vulgatus expressit. Tremellius & Iunnius negatiue reddiderunt: *Ne regnet homo hypocrita, ne sint tendicula populi. Id est, ne amplius boni exponantur improborum aucupijs.*] Leo Iudas *Ne regnet homo hypocrita: ne laquei sint quibus populus capiatur.*] Sed vtinam istud tot exemplis non esset expertus tanto suo damno mundus. Præclara in hanc rem sunt verba Plutarchi de Sera Numinis vindicta, cap. 4. *Nimirum enim Deus quibusdam malis tanquam carnificibus usus est ad sumendas de aliis malis penas: quod verum esse de plerisque tyrannis arbitror. Quemadmodum enim fel hyena, & Phoca, aliorumque fædorum animalium coagula aliquid habent ad morbos sanandos utile: sic nonnullis morsu & pœna indigentibus Deus iniiciens Tyranni alicuius scitiam implacabilem, aut magistratus molestam asperitatem, non ante id quod excruciat, aut turbabat, sustulit, quam vitiosos morbo liberasset ac purgasset. Tale medicamentum fuit Agrigentinis Phalaris, Marius Romanis & Sicyonijs Deus disertis verbis prædixit, flagella incutientibus urbem opus habere: quando i. Teletiam puerum ludis Pythiis coronatum tanquam suum ciuem Cleonais auferentes discerpserunt. Et verò Orthagoras tyrannus, ac post eum Myro, & Cleisthenes Sicyonorum lasciuia finem imposuerunt.*]

Mirabile illud quod Cedrenus in Annalibus refert. *Quidam sanctus Monachus, Phoca imperante, Deum ad disceptationem prouocans, quaesivit, cur tam impium Christianis imposuisset Imperatorem? Audiuisset vocem, cum quidem neminem videret, sibi dicentem. Deteriorem illo alium inueniri potuisse nullum: & hoc meruisse Constantinopolitanorum flagitia.*] Hoc ipsum, alio quoque addito exemplo, narrat Anastasius Episcopus Nicænus Quæst. 15. in Sacram Scripturam: *Est euident, quod ex Principibus & Regibus alij quidem à Deo præficiuntur tanquam digni eo honore: alij autem rursus cum sint indigni, Dei permissione aut voluntate præficiuntur populo digno eorum indignitate. De ea re audi aliquas narrationes. Quando Phocas Tyrannus factus fuit Imperator, & per Bonosum lictorem eas cepit facere sanguinis effusiones: quidam monachus in ciuitate Constantinopolitana vir sanctus, & qui ad Deum magnam habebat fiduciam, cum Deo disceptabat, dicens in Simplicitate: Domine, cur cum fecisti Imperatorem? Deinde cum per multis diebus hoc dixisset, vox ad eum venit à Deo dicens: Quoniam non inueni peiorem. Fuit etiam quadam alia ciuitas in Thebaidæ iniqua, & qua multa faciebat scelerata & execranda: in qua vir quidam perniciosissimus ex populo, per falsam quandam compunctionem repente recedens, tonsus fuit, & monasticum induit habitum: minime tamen cessauit à sceleratis actionibus. Accidit ergo ut decederet Episcopus ciuitatis: cuiusdam autem viro apparuit quidam Angelus, dicens: Vade, & fac ut ciuitas Episcopum eligat eum peregrinum, qui illic habitat. Abiens ergo fecit quod iussus fuerat. Ille autem electus ex populo, cepit apud se esse elatus, & sibi valde placere. Accedens autem Angelus Domini, ei dicit: cur superbis, & magnifice tibi places, ô infelix? reuera non tanquam dignus sacerdotio factus es Episcopus: sed quia hæc ciuitas tali digna erat Episcopo. Quamobrem quando videris indignum aliquem & sceleratum regem, aut principem ac magistratum, & Episcopum; ne mireris, neque Dei accusas prouidentiam: sed disce & crede, quod propter nostras iniquitates tradimur eiusmodi Tyrannis, & ne sic quidem à malis abstinemus.*] Hæc Anastasius. Sic præ alijs factum in Mohomete impurissimæ sectæ fundatore, mundus ingemuit: & nouissimè futurum in Antichristo, vtinam non tanto suo malo passurus esset orbis.

CAPUT II.

Fraudulentia, & versutia Antichristi.

FVtutum Antichristum omnium mortalium astutissimum, callidissimum, versutissimum, vaserissimum, omniumque fraudium, dolorum, technarum, deceptionum, imposturatum, peritissimum architectum, Scriptura, & Patres, & omnes affirmant. Loca Scripturæ sunt.

Primus Genes. 49. 17: *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, mordēs ungulas equi, vt cadat ascensor eius retrò.* De virulentissima enim & pestilentissima Antichristi astutia & fraudulentia esse hoc vaticinium, copiose ostendimus lib. 3, cap. 7. vbi totum cum cura elucidauimus.

Secundus, Danielis 11. 21: *& veniet clam, & obtinebit regnum in fraudulentia.* Et hic nimis perspicuus est, quem lib. 6. Cap. 11. luculenter enarrauimus.

Tertius, Danielis 8. 24: *& dirigitur dolus in manus eius: & in copia rerum omnium occidet plurimos.* Hunc satis apertum lib. 9. Cap. 4. explicabimus.

Quartus Daniel. 11. 24: *& contra firmissimas cogitationes inibit.* Quem lib. 9. Cap. 4. exponemus.

Quintus Apocalypsis 13. 1. vbi Antichristus pardo & vrsō assimilatur, bestiis callidissimis & astutissimis, ac plane versipellis. Hunc fusè interpretati sumus lib. 6, Cap. 14.

Sextus locus est Daniel. 7. v. 8. & 20. vbi de cornu illo paruulo Propheta vaticinans, quod ortum fuerat de medio decem cornuum quartæ Bestiæ anonymæ, & in maximam excreuerat magnitudinem, ait: *& ecce oculi hominis erant in cornu isto.* Loqui sacrum vatem de Antichristo, quem cornu appellatione intellexerit, lib. 5, Cap. 24. diffusè demonstraui. Oculus autem Hebraica phrasi aliquando in Scripturis ponitur pro iudicio, vt Deuteronomij 16. v. 19: *Munera excacant oculos sapientum.* Vide Phrases Villavicentij, Passimque videas oculum apud auctores, pro vi, acumine, acie, & perspicacia iudicij, nimirum pro prudentia ac solertia in rebus agendis vel diiudicandis sumi: sic vocamus hominem oculatum, qui omnia cum attentione percipiat ac diiudicat. Hic ergo oculi hominis in Antichristo, procudubio indicant prudentiam, perspicaciam, astutiam humanam, carnalem, mundanam, quam Paulus prudentiam carnis appellat, & mortem, Deoque inimicam esse profitemur, qua Antichristus plures euertet. Theodoretus: *Per oculos verò prudentiam astutiamque designauit, qua ille plures decipiet.*] Iacobus Veldius: *Porro quod oculos hominum habere dicatur hoc cornu, significat prudentiam carnis.*] Maldonatus: *Dicuntur esse oculi hominis in cornu isto. Hieronymus nihil aliud notari putat quam Antichristum non demonem, sed purum hominem futurum. Theodoretus, humanam prudentiam, qua multos seducet. Alij humanitatis, virtutisque simulationem, qua homines alliciet. Ego superbiam, que in oculis potissimum apparet, designari suspicor, vt statim videtur declarari, Et os loquens ingentia quasi dicat, superbe sentiet, atque loquetur.*]

Pierius lib. 33 notat in Hieroglyphicis oculum in solea insculptum, intelligi diuinum contemptorem, impium, & perditum hominem, quod solea calcandi supprimendique indicium sit, Virgilio dicente:

*Atque metus omnes, strepitumque Acherontis auari
Subiecit pedibus.*

Quo circa non alienè oculi in cornu, significabunt, superbiam & arrogantiam, quod & cornu, & oculi sublimis in diuinis litteris superbiam & electionem designent. Petrus Comestor in Historia Danielis, Cap. 6.

Et ecce quasi oculi hominis erant in eo, id est, alta & mirabilis scientia, quia magicè miracula faciet.] Tremellius & Iunnius aliter capiunt: Et ecce oculi similes oculis hominis erant in cornu isto: sed os loquebatur grandia, id est, quamvis humani aliquid præ se ferret, tamen specietenus erat in eo humanitas: nam sermone Deum, & factus homines proscindebat.]

Frigidè Vatablus Daniele ait, per oculos hominis designasse prudentiam Turcicam in rebus agendis. Id idcirco ipse quod crediderit, per cornu illud paruulum à Daniele Turcarum Imperium adumbratum. At quā in eo fallatur cum prudentiam politicam Turcarum nationi tribuit, docet Thomas Bozius de signis Ecclesiæ lib. 12. Cap. 20. & lib. 23. Cap. 12. insulsißimos Barbaræ, ac sordidæ gentis mores, ex bonis auctoribus percensens. Minus absurdè Vatablus prudentiam Turcicam in rebus bellicis commendasset, de qua Paulus Iouius peculiari Commentario ad Carolum Quintum scripsit. Sed nec eam vllò pacto conferendam cum militari peritia Christianorum, tam certum est, quàm quod certissimum, vt eodem loco Iouius, & idem Bozius, lib. 8. Cap. 7. aperte demonstrant. Verum de verutia & vaficie Antichristi sequenti capite adducemus, & elucidabimus vaticinium illud Danielis 8. 23: *Consurget rex impudens facie, & intelligens propositiones.*

Sed enim quantumuis Antichristus antequam regnum & Imperium rapiat, omnibus hypocrisis & astutiæ artibus, quo illud adipiscatur, sit vsurus: at postquam plenam, & absolutam orbis monarchiam consequetur, seque Deum palam & apertè constituet, nullo iam hominum, Deique respectu ac verecundia, in omnia vitia profusissimè ruet: & in oculis omnium spectante mundo publicè scelera omnia & flagitia patrare non verebitur, detracta sibi omni probitatis & modestiæ larua. Id quidem Patres summo consensu tradunt. S. Hippolytus Martyr Oratione de Consummatione Mundi: *Postea, adepto regno, Antichristus extollet animum, & qui prius erat mansuetus, euadet ferox, qui dilectionem amplectebatur, fiet immisericors: qui animum gerebat summissum, superbus atque inhumanus euadet: qui oderat iniustitiam, iustos persequetur.*] Et post alia: *Tunc iniquus ille elato animo demones suos congregabit humana specie: & eos qui illum ad regnum inuitarunt, fastidiet, animasque multas inquinabit: quippe princeps ex eis constituet ex demonibus.* Nec iam velut religiosus, sed planè austerus, seuerus, iracundus plenus excarescentiæ, truculentus, inconstans, terribilis, grauis, odiosus, contemptor, immitis, exiuiosus, nequam, in eo studium & operam collocans, vt vniuersum genus hominum in foveam interitus coniciat.

S. Cyrillus Ieropolymitanus Catechesi 15. *Ac primum quidem tanquam prudens aliquis & intelligens, temperantiam & humanitatem simulabit, signisque & portentis magica impostura decipiet Iudaos, tanquam is esset Christus ab illis expectatus. Deceptos verò, deinceps omnis generis inhumanitatis, & iniquitatis malis omnes circumscribet: ita vt omnes qui ante illum improbi & impij fuerant, excellat malitia. Mentemque habebit homicidiariam, præfactam, immisericordem, & variam, cum contra alios omnes, tum verò maxime contra nos Christianos.*]

S. Ephræm Syrus Sermonem de Antichristo: Deinde adepto regno, supra modum corde exaltabitur, euometque Draco vniuersam suam amaritudinem cum omni sua malitia, propinabitque fraudulenter latens in se lethiferum virus. Orbem terrarum turbabit, ultimos fines terræ commouebit, affliget vniuersa, polluet, perdetque animas multas, non amplius veluti pius ac religiosus, neque amplius vt pauperum amator, neque vri hilaris sicut antea: verum

contra prorsus per omnia austerus, durus, iracundus, & excarescens, sauius, instabilis, terribilis, inflexibilis, ac tenebrosus, odibilis & abominabilis, immitis, improbus, superbus, scelestus, & impudens: qui magna suarabie, atque insania vniuersum genus mortalium in barathrum, impietatis, atque perditionis precipitare studebit.]

S. Damascenus lib. 4 de Fide Orthodoxa, cap. 27. *Atque in regni quidem sui, vel tyrannidis potius preludijs bonitatis speciem præ se feret. Cum autem rerum potitus fuerit, tum verò Ecclesiam Dei persequetur, peruerfitatemque suam omnem depromet.*] Eadem reliqui omnes posteriores summo consensu docuerunt. Et quæ deinceps hoc opere de Antichristo disseremus, abundè fidem facient.

C A P V T III.

*Impudentia, audacia, temeritas
Antichristi.*

PRocacissimam, extremamque Antichristi impudentiam, & perfriçtissimæ frontis summum propudium, amarissimè Danielis 8. 23 fugillat Spiritus Sanctus: *Consurget rex impudens facie, & intelligens propositiones.* Hunc locum historico & litterali sensu S. Hieronymus de Antiocho Epiphane interpretatur, cum ait: *Consurget Antiochus Epiphanes filius (frater habet meliores codices editi à Mariano Victorio. Vide lib. 1. c. 9.) Seleuci, qui & Philopater appellatus est. Qui cum obses fuisset Roma, & nesciente Senatu, per dolum cepisset Imperium, contra Ptolemaum Philometorem dimicauit, &c.*] Theodoretus: *Antiochi versutam malitiam, per hac innuit.*] De Antiocho quoque intellexerunt, Anselmus Laudunensis, Lyranus, Vatablus, Isidorus Clarius, Pintus, Veldius, Pererius, Maldonatus.

Ceterum præcipuo & sublimiori sensu prophetico intelligendum de Antichristo, cuius Antiochus typus fuit & umbra, Patres etiam affirmant. S. Irenæus lib. 5 aduersus Hæreses, cap. 25: *Grabiell Angelus exsoluens eius [Danielis] visionem de hoc ipso Antichristo dicebat: Exurget rex improbus facie valde, & intelligens quaestiones.* Origenes lib. 6 contra Celsum: *Ceterum prophetia designans eum [Antichristum] apud Daniele exat, efficax ad mouendam prudenti ac candido lectori admirationem, cum ibi tam verè predicatur diuinitus de futuris regnis, incipiendo à Danielis temporibus, & deinceps vsque ad mundi interitum: eam licet cuilibet legere.* Verum de Antichristo, vide an non sic loquatur: *Exorietur rex impudens facie, & intelligens problemata.*] S. Gregorius lib. 32 in Iob, cap. 12. hunc ipsum Danielis locum de Antichristo exponit, dicens: *Hinc Daniel sub Antiochi specie contra hanc Draconis caudam [Antichristum] loquitur, dicens: Deiecit de fortitudine, & de stellis, & conculcauit eas: & vsque ad Principem fortitudinis magnificatus est, & ab eo abstulit inge sacrificium, &c.*] Et post alia: *Hinc rursus per eundem Daniele dicitur: Consurget rex impudens facie, & intelligens propositiones, & reborabitur fortitudo eius &c.*] pergit totum locum de Antichristo enarrare. De Antichristo quoque eundem exponit S. Agobardus Lugdunensis Episcopus Sermonem de Trinitate, & de Antichristo, Pagina 333. Ambrosius Ansbertus in 13 Apocalypf. v. 5. Eandem de Antichristo explanationem amplectuntur, Strabus, Anselmus, Laudunensis, Lyranus, Vatablus, Pintus, Veldius, Pererius, Saitem Sanderus lib. 8 de Visibili Ecclesiæ Monarchia, cap. 32. Nec est dubium, Daniele de Antiocho tametsi narrantem historiam, præcipuè mentis obtutus in Antichristum collimasse, & de isto, sub illius typo potissimum verba fecisse, quod verius, aptius in Antichristum, quam in Antiochum

Antiochum illa competere, quæ ibi fundebat oracula. Sed excutiamus Hebræa.

Consurget rex impudens facie. S. Irenæus: *Exurget rex improbus facie valde.* Sanctes, *Stabit rex fortis facie.* Forsterus: *Stabit rex obfirmatus facie.* Tremellius & Iunius, *durus facie.* Montanus, *Stabit rex fortis faciebus.* Proprie, *Stabit rex robustus* [fortis, obfirmatus, durus, condensatus] faciebus, vel facierum, aut facies. Quem verò sensum contineat hic Hebraismus, Obfirmatus facie. Ita exposuit Forsterus: *Est autem hic obseruanda hæc phrasis, obfirmare faciem, quæ si in malam partem sumitur, tum idem Hebræis valet, quod Latinis perficere frontem, & esse impudentem.* Deinde si in bonam partem sumitur, & dicitur de bonis, tum significat certè statuere, seu decernere apud se, pergere in proposito. Sic Christus est vsus Luca 9. v. 51: *Factum est autem dum complerentur dies assumptionis eius, & ipse faciem suam obfirmasset, ut iret Ierosolymam. Vbi Euangelista verbo ègnificæ reddidit.* Eadem ex Forstero descripsit Mercerus.

Sed hæc tantisper illustremus. *Firmare faciem*, est omnino aliquid apud se statuere, & firme in proposito animi persistere, constanter destinata persequi. Lucas 9. v. 51. de Domino: *Et ipse faciem suam firmavit, ut iret in Ierosolymam.* Quem locum ex professo tractans S. Hieronymus Epistola 151. ad Algasia, *Quæstiones*, inquit: *Obfirmatione enim & fortitudine opus est ad passionem sponte properanti. Vnde & Ezechielis 4. 3. Obfirma, inquit, faciem tuam.* Sed communiter Interpretes eo idiotismo denotatum aiunt, firmum animi propositum & constantem mentem, quam etiam exterius ipso vultu præstulerit Christus eundi Ierosolymam. Sumpta metaphora à tauris, qui cum aliquem adoriuntur, faciem oblitatè obfirmant. Theophylactus: *Itaque quod obfirmavit faciem suam hoc declarat, quod stabilierit, & firmaverit sententiam, quod velit ascendere Ierosolymam.* Euthymius: *Obfirmavit faciem suam hoc est, direxit, ut iret Ierosolyma, progrediens ad passionem, nec respiciendo quidem intergum.* Scriptum est enim in libro quoque Psalmorum: *Obfirmabo super te oculos meos, siue insigam, dirigam, indeclinabiliter aspiciam.* Titus Bostrorum Episcopus simpliciter exposuit, *Constituit Ierosolymam ascendere.* Hispanice significanter, *encarò*, sic in Ezechiele 4. 3: *Et obfirmabis faciem tuam ad eam.* Quamvis hic sit verbum C V N, & non A Z A Z, hoc est, pertinaci contentione perista contra eam.

Deinde, *obfirmare faciem*, seu *roborare faciem*, est esse impudentem, procacem, inuerecundum, qui nesciat erubescere: quod phrasi consimili Latini dicunt, *Perficere frontem, & Hominem perficere frontis.* Martialis II.

Aus si perficit frontem, posuitque pudorem.

Et Plinius Præfatione in suam Naturalem Historiam ad Titum Principem: *Perfici frontem, nec tamen profeci.* Sic Proverbiolum 7. 13. de muliere inuerecunda: *& obfirmavit facies suas.* Noster, & *procaci vultu blanditur*, quem sensum omnes sequuntur. Proverbiolum. 21. 29: *Obfirmavit vir improbus in faciebus suis.* Noster: *Vir impius procaciter obfirmat vultum suum.* ne scilicet pudore suffundatur: est graviter impudens. Isaia 56. 11. *canes obfirmati anima.* hoc est, impudentissimi, ut Noster exponit. Tamerli alij interpretentur, obfirmati, Fortes, robusti, animæ, id est, ingluvie, & voracitate, scilicet, inexplebili edacitate potentes; vehementer avidi: famem caninam patientes: nam sequitur, *non novērunt saturitatem.* Ita Forsterus, Leo Iudas, Vatablus, Auenarius, Mercerus, Forerius, Schindlerus, Montanus. Denteronomij 28. 50: *Gentem obfirmatam faciebus,* Noster, *procacissimam.* Leo Iu-

das, Tremellius, Iunius, Auenarius, Schindlerus, *impudentem.* Alij, *barbaram, inhumanam, feram,* vultu rigido, quæ non flectatur, nec benignè aliquem respiciatur sed omnes toruo supercilio & contigata fronte despectet. Hispanice dicimus, *cara de hierro.* Ita Steuchus, Vatablus, Oleastrius, Marinus. Scimus quidè, *obfirmare faciem* contra aliquem, interdum in Scriptura esse, irasci, vlcisci, Leuitici 17. v. 10. & *dura facie*, dici impudentem vel proterum, Ezechielis 2. 4. Sed ea nihil ad institutum, cum illis locis sint alia vocabula Hebraica, quàm in hoc Danielis: vbi dumtaxat elucidamus vim huius Hebraismi E Z P A N I M.

Et quamvis Antichristus à Daniele, obfirmatus, fortis, robustus faciebus dictus existimari possit, propter validam & potentem ipsius immensæ calliditatis & astutiæ vim mutantis se subinde Protei instar, in diuersissimas formas, & ingenio desultorio induentis novas, variasque technas & fraudes: cui intelligentiæ aptè congruit, quod subdit Daniel, & *intelligens propositiones*, seu *enigmata*: Rursumque rectè interpretari possumus, Antichristum appellatum obfirmatum, seu robustum faciebus, propter durum, rigidum, præfractum, obstinatum, inhumanum, crudelem, trucem, durum, sanguinarium animū, præsertim aduersus Christianos: quem etiam in facie quantum poterit, exprimet: quod solitum factitare Caium Principem, Suetonius cap. 50 ita prodit: *Vultum vero natura horridum, ac terrorem, etiam ex industria efferebat, componens ad speculum in omnem terrorem, & formidinem.* At veriore & germaniorem eum sensum arbitramur, quod Antichristus Robustus, obfirmatus facie à Daniele describatur, hoc est Impudens, perficitæ frontis, quem sensum expressere LXX, Noster, Origenes, Theodoretus, & Latini omnes, & recentiores Interpretes, Leo Iudas, Vatablus: *qui habet: Fortis facie est, qui non erubescit, & quem non pudet.*

Sed vnum præcipuum, extremæque Antichristi impudentiæ exemplum nunc indicasse sit satis, quo maius nec esse, nec excogitari possit: nimirum quod se verum Deum palam iactabit. Postquam enim improbissimus homo eò dementiæ se proiecerit, ut se Deum verum, rerum conditorem constituat, palam vociferabitur, sibi omnia & in omnes licere, maiori longe impudentia quam de se Caligula proclamabat: Deum enim pro voluntate omnia gerere: quo maius propudium esse nequit.

Verum ut Fons Hebraicus vberimè semper fluat, possit hic quis illud E Z P A N I M exponere, neglectis punctis: *Stabit rex caper faciebus*, seu *facierum.* Nam & idem Daniel paulo ante hæc verba, Alexandrum Macedonem *Hircum caprarum* appellauerat: non igitur mirum, quod Antichristum hic vocet, *Regem caprum faciebus.* Cuius singularis & raræ nomenclaturæ causas rationesque eruditè perferutandas & meditandas relinquimus. Nos illud excogitauimus, per summum & ignominiosissimum conuicium, nuncupatum à diuino Vate Antichristum, *Regem caprum faciebus.* ut si Hispanice diceremus, *Rey cara de cabron*, quæ est summi dedecoris appellatio. At quæ sint hieroglyphica capri seu hirci apposite Antichristo quadrantia, Pierius lib. 10. abundè docet. Tantum illud addendum quod de Caligula. Suetonius cap. 50. prodit: *Quare transeunte eo, prospicere ex superiore parte, aut omnino quaque de causa Capram nominare, criminofum, & exitiale habebatur.* Sequitur Daniel de Antichristo:

Et intelligens propositiones. DE CHIDAH Reuchlinus: *Chidah enigma seu arcanum problema.* Forsterus: *Chidah, acumen, acutè dictum, enigma, problema, obscure dictum, quod requirit acumen ingenij & declarationem;*

nem: sicut à verbo *SANAN*, acuit, derivatum est nomen *Senina* *sanna*, id est, acerbè seu aculeatum dictum. Psalm. 78. *Eruclabo acumina ab antiquo. Et Christus citans hoc Psalmi dictum Matthæi 13. vocat enigmata, parabolæ, quas populus etsi audiat non tamen audiat, nec intelligat, nisi accedat, qui acuat & exponat: sicut ipse discipulis suis interpretatur.*

Mercerus: Chidab, acumen, acutè & obscurè dictum, quod ingenij acumen, ut exponatur & intelligatur requirat: ut à SANAN acueret, SENINA, sanna, acerbè vel aculeatè dictum. Psalm. 78.2. eruclabo CHIDOTH. Christus hunc locum citans, pro enigmatis dicit parabolæ: nam & utrumque sæpe coniungitur: quod ferè etsi audiamur, non tamen intelligamur, nisi exponantur.]

Auenarius: Chidab, enigma, problema, thesis, positio & questio obscura, acuta questio.] Marinus: Chidab, enigma, problema, cum aliud dicitur, aliud intelligitur.] Schindlerus. Chidab, acutè & obscurè dictum, enigma, problema. griphus questio enigmatica, verbum obscurum, cum unum ex altero intelligitur.] Buxtorfius: Chidab, enigma sermo occultus, unde intelligitur res alia, ut scribit Kimchi. Hoc idem habet Pomarius.

Occurrit hæc vox septemdecim locis scripturæ. Noster Numeror. 12.8.3. Regum. 10.5.1.2 Paralipomen. 9.5.1. Prouerbiorum 1.6. Ezechiel. 17.2. Habacuc 2.6. enigma vertit: Iudicum 14. v. 12. 13. 15. 16. 19. problema: Iudicum 14. v. 14. & 18. Psalm. 48.5. & Psalm. 77. v. 2. Daniel. 8.2. propositionem, At Iudicum 14. v. 17 interpretari omisit. Quibus etiam vocabulis solent exponere significatum vocis CHIDAH, LXX Interpretes. Hoc Danielis loco enigmata reddunt ferè recentiores. LXX, problemata, hoc est, quæstiones difficiles, ambiguas, quæ in utramque partem disputantur. Interpres Græcus Matthæi 13. v. 35. *κατακρυψάμενα*, abscondita, occulta, abstrusadixit. Forstenus, Mercerus, Maldonatus hallucinati sunt, cum aiunt, CHIDOTH in Matthæo reddi parabolæ, nam cæcus nimium fuerit, qui non videat, in Matthæo, quod Psalm. 77.2. est *MASALEX*, exponi parabolæ: CHIDOTH verò abscondita: quæ duæ voces eodem ordine proculdubio in Matthæo explicantur, quo posite sunt in Psalm. Vide franciscum Lucam.

Sensum huius Danielis loci Leo Iudas ita expressit, & astutus. Tremellius & Iunnius, & cautus, vel, & intelligens enigmata. Vatablus: & intelligens enigmata, id est, astutus & cautus.] Et in scholiis Sanctandrea: & intelligens enigmata, pro astuto item & callido] Clarius: intelligens enigmata, adagium erat de his qui ingenij acrimonia alios circumuenerent. Veldius: Intelligens propositiones, id est, ingenio callidus, & astutus, dolis & insidiis excogitandis dexterrimus, propositiones & enigmata facile intelligens, simulandi ac dissimulandi peritissimus, unde quaque dolis & mendaciis occasiones inueniens miseros opprimendi.] Sa: & intelligens propositiones. Hebraicè enigmata. Græcè, problemata. quasi dicat, acutus, & astutus, seque vendicans ut prophetam.] Maldonatus: & intelligens propositiones. CHIDOTH, enigmata, id est, astutus & callidus, sagax, ut Prouerbior. 1.6. animaduertet parabolam & interpretationem, verba sapientum, & enigmata eorum.] His prior Theodoretus: Antiochi versutam malitiam per hæc innuit.] Liranus: Callidus, & alios præueniens calliditate sua.] Qui tamen participium Hebraicum *MEBIN*, coniugationis Hiphil, transitivè exposuit, intelligere faciens enigmata. Quod alienam fanè & difficilem accipit interpretationem: cum potius videatur Prophetæ vsus inflexione Hiphil, quæ significatum intendit, ut indicaret acerrimum acumen, & penè supra humanum captum, quo

præditus erit Antichristus, cui nihil poterit esse tam occultum, difficile, abstrusum, reconditum, quod ipse non penitissime intelligat, & penetret: quauis Sphinge, & Oedipo disertior. Callebit enim plenissimam artem referendi, aperiendique omnia enigmata, dissoluedi omnes quæstiones quantumvis perplexas & intricatas, diuinandi omnia, fallendi, decipiendi alios: quasi dicat, Acutissimus, astutissimus, callidissimus, sagacissimus, versutissimus, ingeniosissimus, sapientissimus, intelligentissimus erit.

CAPVT IV.

Antichristo ob impudentiam & importunitatem Muscæ Canina, seu grauisima, & Beelzebub appellationem è Sacris Litteris, rectè conuenire.

EQuidem aptissimo vocabulo posse nos Antichristum Cynomyiam nuncupare, hoc est, Muscam caninam, importunissimam, & impudentissimam, vnam ex grauioribus Egypti plagis, facile assensuros omnes existimamus. Multo enim grauior & importunior humano generi pestis erit Antichristus, quam Egyptiis Musca canina fuit. Descriptam feralem plagam habes Exodi 8.21. *Ecce ego immittam in te, & in populum tuum, & in domos tuas omne genus muscarum: & implebuntur domus Egyptiorum muscis diuersi generis, & vniuersa terra in qua fuerint. Et versu 24. Et venit musca grauisima in domos Pharaonis, & seruorum eius, & in omnem terram Egypti: corruptaque est terra ab huiusmodi muscis. Psalm. 77.45. Misit in eos cynomyiam [coenomyiam,] & comedit eos. Psalm. 104.31. Dixit, ut venit cynomyia.] Quibus locis pro, omne genus muscarum, seu Musca grauisima, aut, Cynomyia, vel coenomyia. Hebraicè est *AROB* vox, quam variè erodant.*

Lyranus in Exod.8. ad vers.21. *Omne genus muscarum. Quarum aliqua habebant aculeos venenosos. In Hebræo habetur, commistionem. Et dicunt Hebræi, & Iosephus, quod per istam Commistionem non intelligitur multitudo muscarum, sed multitudo animalium diuersorum generum, quæ erant terribilia aspectu, & nocua ita quod homines, & animalia domestica interficiebant.]*

Renchlinus: *Arob, musca venenosa secundum nostram translationem, Exodi 8. Rabbi Salomon ordinarius enarrator sacra Scriptura exponit sic, omnis speciei animalia nocua, ut serpentes & scorpiones.]*

Caietanus in 8. Exodi. *Vbiunque in hac quarta plaga legis omne genus muscarum, seu muscas diuersi generis, seu musca grauisima, & breuiter, muscas, ex officina Interpretum scito legi: nam in Hebræo textu nulum animal nominatur, sed dumtaxat, mixtura. Aitne Septuaginta Interpretes introduxisse genus muscarum, & vitio scriptorum introductas cynomyias, hoc est, muscas caninas. Quorum autem animalium mixtura fuerit, non est certum. Hebræi Doctores putant fuisse mixturam animalium siluestrium gressibilium: nos autem in expositione Psalmorum secuti sumus Græcos & Latinos: nunc autem perferutando ex proposito textum proprium, ex his quæ in littera dicuntur, neutram sequimur sententiam. Duo namque de hac mixtura in littera annotauimus. Alterum, quod domus Pharaonis & Egyptiorum implebuntur hac mixtura. Et hinc apparet, quod non fuit mixtura animalium magnorum. Vnus enim leo sufficit ad euertendam domum vnam. Alterum, quod terra habitata ab Egyptiis fuit comesta ab ista mixtura, & hinc apparet, quod*

non

non fuerunt musca, quae principaliter molesta sunt personis hominum: nulla enim hominum lesio in personis, sed tantum modo in domibus, seu terra quam habitabant. Aegyptij, significatur. Dixi autem Comeſta, quoniam ibi Editio Vulgata habet corruptaque est terra, iuxta Hebraum habetur dictio significans in genere destructionem, ruinam, & huiusmodi, quam ideo ad speciem comeſtionis traximus, quia Dauid in Psalm. 78. sic exposuit, dicendo: Mittet in eos mixturam, & comedit eos Ex quibus omnibus probabilius apparet, quod fuerit mixtura animalium agrestium quidem, sed paruorum: ut propterea dictum sit in textu Hebraico, & etiam terram, quam ipsi super eam, ubi vulgata Editio habet, & vniuersa terra in qua fuerint. Ex agrestibus igitur locis interram habitata ab Aegyptijs, mixtura animalium paruorum (de quibus aptè dicitur, quod mixtura eorum implebit domos:) comedendo destruentium ea quae erant in domibus & ciuitate, venit. Nec propterea excluduntur ab hac mixtura agrestia volatilia: sed agrestia venenosa, quae personis hominum nocent.] Hæc Caietanus. In quibus quod ab hac mixtura muscas excludat, exulat ipse procul à regione veritatis: nam calcata Vulgati auctoritate, quid potest esse verum? Deinde leuia illa sunt & vana, læsionem ab ijs animaculis non hominibus, sed terræ illatam.

Complutense Lexicon: AROB, id est, commixtio muscarum diuersi generis. Hebraei tamen dicunt, quod significat commixtionem animalium & serpentium venenosorum, aspectuque terribilium.]

Stenchus in 8. Exodi. Arob, alij muscam in vniuersum interpretantur: alij verò muscam caninam, & etiam Septuaginta, qui & ipsi Cynomyiam, hoc est, muscam caninam: à quibus nec Philo dissentit. At Rabbi Salomon de hac ipsa voce ait: Arob, hoc est, omne genus bestiarum noxiarum, serpentes quoque ac scorpiones. Aduertendus verò error in Græcorum codicibus, siquidem ut scribit Hieronymus, Septuaginta interpretati sunt, non muscam caninam, sed cænomyiam, id est, generalem muscam: & quoniam maxima est similitudo inter cynomyiam, hoc est, muscam caninam, & cænomyiam, hoc est communem muscam, ex eo factum est, ut à Scripſtoribus alterum in alterum deprauatum sit. Optimè igitur reddiderunt Septuaginta, sed corruptus locus est ab imperitis.]

Sanctes: Arob, quod est mixtio diuersorum animalium seu bestiarum.] Exodi 8. vertit semper, omne ferarum genus.

Fosterus: Arob nomen collectivum: & ut Ereb de mixtura populorum, seu de turba populorum dicitur, quae alijs tanquam principalioribus admixta est: ita hoc de commixtione dicitur diuersi generis insectorum, ut sunt musca, vespa, crabrones, fuci, locusta, cicade, scarabai, & alia plura, quae cum hominibus, tum animantibus, molesta sunt, & infesta. Exodi 8. Mittam in te, & in seruos tuos mixturam, id est, turbam, seu examen insectorum. Græcus textus habet corrupte Cynomyiam, hoc est, muscam caninam: nam Septuaginta, testimonio etiam Sancti Hieronymi, vertierunt cænomyiam, id est, communem seu generalem muscam. Psalm. 78. Misti in eos mixturam, id est, diuersi generis insecta.]

Varabius in Annotationibus Sanctandeanis, Exodi 8. ubicumque ponitur Arob, vertit, Omne insectorum noxiarum genus: ait quæ: Vox ista Arob, turbam, siue misturam collectivam ex varijs, & multiplicibus speciebus bestiarum, seu insectorum significat, sicut testatur & Doctus inter Hebraeos, ita Scribēs Arob collecta animalia sunt ex speciebus multis. Alij

intelligunt etiam serpentes, & scorpiones, atque alia, venenata animalia, ut & quidam Hebraeorum sentit. Nonnulli dicunt fuisse incursionem leonum, pardorum, luporum, serpentium, & similitum noxiarum bestiarum, Hieronymus dicit, LXX. vertisse cænomyiam, id est, generalem muscam: non Cynomyiam, caninam muscam: unde apparet, corruptos esse Græcorum codices.] Et in Psalm. 77. 45. vertit, omne genus muscarum. Miscellam, id est, turbam missellaneam ferarum, vel muscarum venenatarum.] Et Psalm. 104. v. 31. Congregatio mixta bestiarum. Fera omnis generis, vel turba miscellanea ferarum. Alij, insectum, Alij mistura, subaudi insectorum.] Et in Scholijs Salmanticensibus, Exodi 8. v. 21. Misturam, siue turbam ferarum noxiarum. Vox Hebraea Arob, significat misturam collectivam ex varijs & multis speciebus bestiarum seu insectorū. Alij intelligunt etiam serpentes & scorpiones, atque alia venenata animalia. Nonnulli dicunt fuisse incursionem leonum, pardorum, luporum serpentium, Et similitum noxiarum bestiarum.] Et toto illo Capite Arob reddit, Misturam, miscellaneam, turbam, multitudinem ferarum noxiarum. Et Psalm. 77. 45. turbam miscellaneam ferarum, vel muscarum venenatarum. Et Psalm. 104 31. fera omnis generis, vel turba miscellanea ferarum,

Leo Iudas Exodi 8. 21. Varij generis insecta. Psalm. 77. 45. turbam insectorum. Psalm. 104. 31. omnis generis insecta Isidorus Clarius in 8. Exodi, v. 21. Omne genus muscarum, vel muscas diuersi generis. Alij vertunt, omne ferarum genus, vel insecta. Sed vocabulum Hebraum propriè significat mixturam collectivam ex varijs & multis speciebus bestiarum, seu insectorum. Quidam Hebraeorum intelligunt etiam serpentes & scorpiones, atque alia venenata animalia: feruntque fuisse etiam incursionem leonum, pardorum, luporum, serpentium, & similitum noxiarum bestiarum.]

Franciscus Iunius, & Tremellius Emanuel in 8. Exodi, v. 21. colluuiem ferocium animalium, quæ damnum afferunt: illis enim corrumpebatur terra.]

Oleastrus in 8. Exodi: Arob hic significat multitudinem seu coniunctionem diuersarum bestiarum, aut certam speciem commixtam ex diuersis coloribus.] Ipseque Mixtionem vertit.

Titelmanus in Psalm. 77. v. 50. Quantum verò ad dictionem Hebraicam quæ hoc loco ponitur, Arob, sciendum est, quod à diuersis diuersimodè redditur. Beatus enim Hieronymus & hoc in loco, & in Exodi historia, sapius vertit omne genus muscarum, vel muscam omnis generis. Felix in textus simpliciter muscam vertit: ad marginem autem dicit, omne genus muscarum, & volatilium pessimorum commixtam. Alius turbam insectorum reddidit: alius, mixtionem ferarum siluestrium: alij verò muscam venenatam dicunt significari. Alij verò dicunt vocabulum Hebraicum prædictum significare mixtionem. Unde Ereb, per zere in prima & segol in secunda significat diuersorum populorum commixtionem. ut Exodi 12. Sed & vulgus promiscuum innumerabile descendit cum eis. Omnes omnium sententias recensimus, ut videat lector, neutram lectionem esse prorsus contemnendam: tamen quod dicit Hieronymus de omnimoda musca, videatur probabilius.

Mercerus: Arob mistio ferarum diuersi generis: alij, Insectorum hominibus infectorum sicut & LXX. teste Hieronymo reddiderunt, cænomyiam, communem, seu generalem muscam: etsi vulgo exemplaria habeant cynomyiam, muscam caninam. Ut Ereb populorum, mixturam qui alij præcipue sunt admixti

notat. Sic *Arob*, insectorum commixtionem diuersi generis.]

Auenarius: *Arob*, commistio diuersi generis insectorum, ut sunt vespa, crabrones, locustæ, scarabæi. Exodi 8. Ecce ego mitto in te, & in seruos tuos &c. mixturam Vermium noxiorum.]

Pomarius: *Arob* musca venenosa, mixto muscarum. Kimchi exponit pro collectione multorum insectorum.]

Martinus: *Arob*, nomen collectiuum, masculinum genere, sine plurali. Commixtio, mixtura. Moses hoc nomine usus est pro commixtione animantium diuersi generis: sed non est satis manifestum, an insectorum, ut sunt musca, vespa, crabrones, & huiusmodi: vel potius ferarum ut lupi, vulpes, canes, & id generis. Ego generaliter mixtionem animalium siue quadrupedum siue volucrum, siue insectorum intelligerem.]

Genebrardus in Psalm. 77. v. 51. *Harob*, omne muscarum genus designat, quasi mixtionem, seu mixturam. Exodi 8. Quare Hieronymus ad Suniam & Fretellam, Cœnomyiam legendum tradit, per æ, cœnomyia communis & promiscua musca: qua de causa Aquila Pammyiam verterat, id est omnimodam muscam. Alij alij, mixtionem ferarum siluestrium: alij, mixturam insectorum collectam è variis bestiolis venenatis,

Montanus versum 45. Psalmi 77. ita carmine expressit ex Hebræo.

Misit apem, vespam, muscas, insectaque miscens. Et in Naturæ Historia pag. 306. Bestiolarum huiusmodi volatiliū, importuna & frequens natura, multis quidem formis variata, vno tamen communicat nomine *Arob*, quod miscere & dulcescere significat vocatur. Namque genus hoc vniuersum dulcibus gaudet, alitūque: amari verò sensu & gustu perit: deinde quod promiscua volat in suisque versetur locis, idem obinet nomen: esseque solet frequentissimum, & adeo multiplex, ut quotidie noua forma variis figuris, coloribusque visantur. Hac vel ex proprio semine procreantur, vel ex corrupto & faculento pingui liquore, ac terra calore: unde prodire solent densissima, atque huiusmodi quæ sunt omnia inter molestas hominibus, & aliis animantibus plagas computantur: nullam, uti videmus, opportunitatem afferentes præterquam quod auriculis nonnullis, & aliis etiam bestiis pro cibo usurpantur.

Sa in Exodi 8. ad vers. 21. Omne genus muscarum, id est, misturam, seu miscellaneam. Quidam putant fuisse varia serpentum & ferarum genera. Hebraicè solum legitur, mistionem, nulla muscarum facta mentione, scilicet, varia erant animalia noxia. Caldeus, mistionem bestiarum LXX. Cynomyiam, id est, muscam caninam.]

Petrus Galestinus in Notis ad lib. 1. Historiæ Sacræ Seueri: Hebræi hanc quartam Egypti cladem hac voce *Arob* expresserunt: quod si Latine interpretamur, turbam insectorum, bestiolarumque multiplicem & variam significat: id quod Latinus Interpres omne muscarum genus dixit. Alij, eo nomine serpentes, scorpiones, atque eiusmodi venenatas bestias interpretantur: aliqui luporum, leonum ac similibus ferarum incursionem fuisse opinantur.]

Schindlerus: *Arob*, mixtura bestiarum, ex multis speciebus. Exodi 8 v. 21. & implebantur domus Egyptiorum mixtura, diuersi generis bestiis, lupis, vulpibus, &c. qui deuorabant victualia ipsorum in adibus, & in agro pecora.]

Buxtorfius: *Arob*, collunies, mixtura insectorum, vel variorum animalium, Exodi 8. 24.]

Iansenius in Psalm. 77. ad vers. 50. Pro nomine cynomyia, apud Hebræos est *Arob*, quod interpretatur Hieronymus, & hoc loco, & in Exodo omnis generis muscas. Alij omnis generis feras. Proinde Hieronymus Suniam & Fretellam existimat corruptè legi cynomyiam, nam cynomyia Græcis est musca canina: cœnomyia verò communis musca: nisi velimus omnem muscam dictam cynomyiam, ob eius impudentiam.]

Folengius in Psalm. 77. ad vers. 45. Misit in eos cynomyiam. Porro cynomyia vox, etsi hic quadrare videatur, ut pote quæ sit muscarum omnium molestissima: ea tamen dictio *Arob* Hebræis nescio quid efficacius præse fert, nampe omne genus muscarum & volatiliū seu insectorum commistum. Quare ex Hebræo sic quidam vertunt: Misit in eos mistionem.] Et in Psalm. 104. ad vers. 31. Cynomyia, quam vocem, cum muscam caninam interpretentur, Hebræis tamen omne genus volatiliū, insectorumque venenatorum significat.]

Agellius in Psalm. 77. ad vers. 48. Cynomyiam beatus Hieronymus in Exodo transtulit, omne genus muscarum: itaque legendum censet cynomyiam. In Epistola verò ad Suniam, dicit scribendum hoc nomen in priore cum diphthongo æ, cœnomyiam: sed exemplaria Græca omnia, tam in hoc loco, quam in Exodo habent per y cynomyiam. Et Græcus auctor quidam testatur à cane deductum nomen. Cynomyiam, inquit, Hebræi interpretantur multitudinem permixtam ferarum, & carniuorum bestiarum. At Græci appellant cynomyiam canis latrantis muscam. Aquilam interpretatum Pammyiam muscam omnifariam, idem Beatus Hieronymus est auctor. Hebræi quidam serpentum ac venenatorum animalium omne genus: alij, belluarum mixtam multitudinem, ut leonum, vrforum, pardorum.] Sed in auctore Græco quem laudat, priore loco proculdubio legendum cœnomyia.

Augustinus Iustinianus Psalm. 77. 45. & Psalm. 104. 31. & Montanus vbique in Scriptura *Arob* mixtionem vertunt. Flaminius in Psalmis, Multiplicem turbam insectorum. Bochiū in Psalm. 77. v. 45. muscam venenatam hoc versu exposuit.

Muscarumque lueni celo demisit, eorum

Tabida letifero pascentem corpora morsu.

Drusius in Notis ad lib. 1. Historiæ sacre Seueri, pag. 91. *Arob*, mixtio insectorum.

Ergo qui *Arob* interpretati sunt mixtionem seu miscellaneam insectorum, seu bestiolarum noxiarum proculdubio acceperunt à Iosepho, qui de plaga ista quarta Egyptiorum singulariter ait lib. 2. Antiquitatum, cap. 5. Varias ergo & multiformes bestiolarum species immittit, quales nemo ante eam diem umquam viderat, tanta copia, ut malo hoc tota regio repletur: præ quarum frequentia & homines plurimi exstinguebantur, & terra nullo pacto coli poterat: & qui presentaneum exitum euadebant, insecti tamen eorum veneno, à morbis corripiebantur.] Vide de his Ioannem Lorinum in Sapientiæ 11., ad vers. 16. & in Psalm. 77. ad vers. 45. Cornelium à Lapide, & Ioannem Marianam in Exodi 8. ad vers. 21. Exillimant nonnulli, Sapientiæ 11. vers. 16. vim vocis *AROB*, & quartæ Egyptiorum plagæ expressam illis verbis: Quod quidam errantes colebant mutos serpentes, & bestias supernacuas, immisisti eis multitudinem mutorum animalium in vindictam: ut scirent, quia per qua peccat quis, per hac & torquetur. Græcè, bestias supernacuas habetur bestias viles, seu bestiolas viliores ut sunt ranæ, sciniphe, mûscæ, locustæ, & insecta eiusmodi. Neque enim restringenda arbitror verba Sapientis ad quartam plagam seu *AROB*, sed

sed ad sciniphes, & ranas etiam. Illud tamen pro comperto habeo, nomine AROB, nullo pacto comprehendendi, leones, aut vrsos, aut huiusmodi maiores belluas, disertè enim istæ excluduntur à plagis Aegyptiacis, Sapientia 11. v. 18. vt rectè Agellius annotauit. Vnde perspicuè falluntur Hebræi, qui existimant, Arob incurSIONem fuisse, leonum, pardorum, luporum &c. Propriè ergo includit, muscas, vespas, crabrones, fucos, locustas, cicadas, scarabæos, & id genus insecta, & bestiolas, hominibus, & terris infestas. Quasi dicas, in secta promiscua.

Nostræ Vulgatæ in Exodo, omne genus muscarum dixit. Quasi dicas, mixtionem muscarum muscam promiscuam. In Psalmis verò cynomyiam, vel cœnomyiam. Dubium enim est, vtro modo legendum sit. Et rectè quidem musca dicta est Hebraicè *Arob* à verbo *Arab*, quod & miscere & dulcescere significat: nimirum musca summa importunitate omnibus se se immiscet, in omnia involat, dulcibus gaudet. LXX. *Arob* ubique reddiderunt, *κυνομύϊαν*, vel *κοινομύϊαν*, nam cum tanta sit similitudo vocum, & facilis sit ex vna in alteram, scribentis lapsus, & ipsa LXX. Interpretum exemplaria, non omnino incorrupta nunc habeantur, data est occasio dubitandi vtro modo LXX. posuerint cynomyiam, vel cœnomyiam. S. Hieronymus Epistola 135. ad Suniam & Fretellam, extrema, existimat LXX. Hebraico Fonti consentaneè scripsisse semper cœnomyiam, id est, omnimodam, vel communem muscam, non cynomyiam, id est muscam caninam: sic enim ait Cœnomyia, non vt Latini interpretati sunt musca canina dicitur per y Græcam litteram: sed iuxta Hebraicam intelligentiā, per oe diphthongon debet scribi. vt sit cœnomyia, id est, omne genus muscarum. Sed Aquila *παραμύϊαν* *Paramyiam*, id est, omnimodam muscam interpretatus est. S. Hieronymo assensu sunt, Scheuchus, Forsterus, Vatablus, Mercerus, Iansenius, Genebrardus, Galesinius. Atqui omnimodam muscam, magis conuenire cum AROB, quàm muscam caninam, vt doctissimus Hieronymus affirmat, certi certius est.

Verum Græca omnia LXX. Interpretum exemplaria, tam in Exodo, quàm in Psalmis, constantissime cynomyiam per y psilon habent, vti obseruatum est à Titelmano in Psalm. 77. ad vers. 50. Garfia à Loayfa in Notis ad Concilium Toletanum XV. Nobilis Flaminio in notis ad Editionem LXX. Interpretum Exodi 8. & in Psalm. 77. Agellius in Psalm. 77. v. 48. & aliis Origenes Homilia 4. in Exodum. S. Augustinus Quæstione 26. in Exodum, Theodoretus Quæstione 20. in Exodum, in quarta plaga Exodi 8. cynomyiam, id est, muscam caninam, apertissime legunt. Eodem omnino modo legit Philo lib. 1. de vita Mosis, plagam illam quartam Aegyptiacam, à muscis illatam in hunc modum graphicè describens: *Superfunt tria inflata ab ipso Deo sine vilo humano ministerio, quæ singula indicabo quantum potero. Primum, per animal omnium audacissimum cynomyiam, cui veram appellationem imposuerunt periti nominum, vt erant sapientissimi, compositam è duobus impudentissimis animantibus, musca & cane, altero vincente omnes volucres temeritate, altero omnes terrestres quadrupedes. Accurrunt enim inrepedè, & si quis arceat, non cedunt peruicacia, donec satientur carnibus & sanguine. Ac cynomyia particeps amborum audacia, mordax & incidiosum est animal. Nam è longinquo cum stridore in teli morem magno impetu aduolat, infixaque cuti hæret pertinaciter. Tunc vero diris agitate multo molestiores erant, ultra nativam sitim sanguinis armata ad vitionem diuinis contra homines impios.*

S. Gregorius Nyssenus in vita Mosis etiam in Exodo cynomyiam legit, percrensens enim plagas Aegyptiacas, inquit: *Similiter cetera quoque omnia se habebant, grando scilicet, ignis, sciniphes, musca canina* [Græcè *cynomyia*] *locustarum nubes: hæc aduersus Aegyptios omnia, vt natura sua fert, perniciosissima erant.*

Solia Græca in 8. Exodi referente Nobilio, annotant, Samariticis codices in Exodo pro cynomyia, reddidisse *coruum*. Nec sanè levis fuisset hæc coruorum plaga. Sed error in Samariticis codicibus perspicuè inde acceptus est, quod Hebraicè pro AROB, legerint eisdem litteris, sed aliis motionibus, AREB, id est, coruus.

Cæterum in vtroque Psalmorum loco, cynomyiam disertè legunt & muscam caninam interpretantur Patres, S. Basilus, S. Augustinus, Theodoretus, Euthymius, & ante hos Apollinarius in Metaphrasi Græca Psalmorum, Psalm. 77. v. 41.

Primum quidem cynomyia inuasit omniura terram. Et Psalm. 104. v. 31.

Dixit verò, & [cynomyia] musca canina inuasit domos regis. Auctor commentariorum in Psalmos nomine S. Hieronymi, etiam in vtroque Psalmo cynomyiam legit, & muscam caninam exponit. Hoc argumento conatus est Xistus Senensis lib. 4. Bibliothecæ Sanctæ ostendere Auctorem eorum commentariorum non esse S. Hieronymum, cum certum sit S. Hieronymum Epistola ad Suniam, improbasse lectionem cynomyiam, quam tamen Auctor ille probat. Sed ei vendicant Marianus Victorius, Antonius Posseuinus, Robertus Bellarminus. Equidem in dubio rem esse semper, existimauerim.

Psalterium Romanum vetustum, quo Ecclesia Romana olim ante tempora S. Hieronymi utebatur. Psalm. 77. v. 47. legit: Immisit in eos muscam caninam. Et Psalm. 104. v. 27. Dixit, & venit cynomyia. Et sic hodie publicè legitur in Ecclesia S. Petri Romæ in Vaticano.

Ecclesias quoque Hispaniarum eodem prorsus modo quondam legisse manifestum est ex Concilio Toletano XV. cui interfuit S. Iulianus Archiepiscopus Toletanus, in quo sic legitur: Scriptum inuenimus de flagellatione Aegypti in Psalmis: *Immisit in eis muscam caninam*. Psalterium Arabicum & Illyricianum, teste Lorino plurali numero muscas caninas habent.

Sed quod attinet ad Editionem Vulgatam, Strabus, Anselmus Laudunensis, Lytanus, Titelmanus, Iansenius, Genebrardus, & plures alij in Psalmos, Pierius Valerianus lib. 26. Hieroglyphicorum, folio 191. D. Garfia Loayfa in Notis ad Concilium Toletanum XV. legunt in Psalmis cynomyiam, per primam y psilon, & exponunt muscam caninam. Sane Christophorus Plantinus Regius Architypographus accuratissimus, cum ex vetustissimis exemplaribus vulgatam ipsam editionem typis quàm emaculatissime expressisset, animaduertens lectionem quæ habet cynomyiam, frequentiorè & vulgatiorem proculdubio esse, eam in textu ipso reposuit, & cœnomyiam, per oe diphthongon, id est, communem muscam, ad marginem adscripsit, sine vlla annotatione codicum, qui eam lectionem præferant. Hoc idem iam antea fecerat Ioannes Hentenius ex auctoritate & decreto Academiæ Louanienfis. Nec est dubium, fere omnes Latine Editionis Vulgatæ codices manuscriptos & impressos cynomyiam legisse olim.

Cæterum in nouissima Vulgatæ Editionis Romana impressione quæ iussu Xysti V. & Clementis

mentis VIII. quam emendatissime facta est, iudicio S. Hieronymi, exclusa voce *cynomyia*, id est, musca canina, reposita est vox *cœnomyia*, id est, communis, vel omnimoda musca: quod esse Hebræo fonti conformius, nimium cæcus fuerit, qui non videat. Atque *cœnomyia* exinde capit in cunctis editionibus, quæ ad instar Romanæ fieri iubentur, sepulta prorsus & oblitterata *cynomyia*, reponi. Quæ lectio sola iam præferenda est: ita tamen ut *cynomyia* propter consensum Græcorum & Latinorum codicum; propter Patrum auctoritatem non sit omnino repudianda.

Equidem non adeo magna est diuersitas notionis & sensus, ut nec vocum in *cynomyia* & *cœnomyia*, cum *Cœnomyia*, id est, omnimoda musca, *Cynomyia* rectè dici queat, id est, canina musca, quod nimirum omnis musca sit canina & impudens. Et verò quidam qui *cynomyiam* teneant, existimant esse peculiare quoddam muscæ genus quod inter cætera muscarum genera, est & maximum, & importunissimum, & impudentissimum, & sanguinis audissimum, quod Græci dicunt *Oestrum*, Latini *Asilum*, Hispani, *Tauano*. Philo lib. 1. de Vita Moysi, agens de *cynomyia*: *Nam è longinquo cum stridore, in teli morem magno impetu aduolat, infixaque cuti hæret pertinaciter.* Euthymius; *Cynomyia autem Siluestris muscæ genus est, quod inter cætera muscarum genera est impudentissimum.* Virgilius 3. Georgicorum, de *Oestro*,

Volitans, cui nomen Asilo

Romanum est: Oestron Græci vertere vocantes.

Asper, acerba sonans, quo tota exterrita Siluis

Diffugiunt armenta: furit mugitibus æther,

Concussus, siluæque & sicci ripa Tanagri.

Hoc quondam monstro horribiles exercuit iras

Inachia luno pestem meditata inuence.

Plinius lib. 11. c. 28. *Reliquorum insectorum quibusdam aculeus in ore, ut asilo, siue tabanum dici placet.* Seneca Epistola 88. *Hunc quem Græci Oestrum vocant pecora peragentem, & totis saltibus dissipantem, asilum nostri vocabant. Hoc Virgilio licet credas.* Atque asilus qui *cynomyia* id est canina musca intelligitur, rectè dici possit Hebræis *AROB*, vel à Sono quem edit seu bombo: vel *Cœnomyia* omnimoda musca, quod & magnitudinem, & vim omnium muscarum in se contineat: & est aptissimus plagæ, vel pesti inferendæ, qualis illa fuit Aegyptiua.

De *cynomyia* verò hæc habet S. Ildorus lib. 12. originum cap. 8. *Cynomyia Græcè vocatur, id est, musca canina. Nam cynon Græcis canis vocatur.* Vide Lexicon Ecclesiasticum Didaci Ximenij. Muscam quidem importunitatis, impudentiæ, pertiniaciæque Symbolum esse, nimis est peruulgatum, vel illis Homeri Versibus 17. Iliados.

Et ei musca audaciam in pectoribus immisit.

Quæ quamuis depulsa frequenter à corpore humano,

Appetit mordere, dulcisque illi sanguis hominis est.

Canem etiam petulantiae, impuritatis, impudentiæque esse hieroglyphicum, nemo ignorat. Vnde peritè Philo in nomine *Cynomyia* philosophatur, nempe, compositum id è duobus impudentissimis animalibus, musca & cane. Cælius Lætionum Antiquarum lib. 17. cap. 27. *Sicut cynomyia, pro impudentissime dicitur, compacta dictione à cane, qui impudens est, ac myia musca, qua nihil fere est audacius, Homero quoque ad stipulante.* Henricus Stephanus in Thesaurò annotat, *Cynomyiam* pro impudente & audaci metaphoricè accipi, tum alibi, tum in Græcis Epigrammatis. Et Homerus inducit Mattem coniugia in Mineruam iacentem, 21. Iliados.

Et probrosum dixit verbum:

Cur rursus è [cynomyia] aut cynomyia] canina musca

deos pralio committis,

Audaciam insatiabilem habens? —

Quidam *cynomyiam*, ricinum, intelligunt, qui canum aures exedit & exulcerat. De quo vide Notas nostras Exodi 8. v. 16. Ut iam ex his omnibus facile perspicias quàm verè aprèque in Antichristi impudentiam, audaciam, temeritatem competant significata *Cynomyia*, ut is *cynomyia* maxima dici possit, quem Daniel Impudentem facie infamè elogiò nuncupauit.

Iam & muscæ appellatio inducit nos in aliud nomen, non minus Antichristo conueniens, nempe Beelzebub deum Acharon. Huius primùm fit mentio. 4. Regum 1. 2. *Beel-zebub deum Accaron.* Vbi Hebraicè dicitur בעל זבוב BAALZEBUB, & in Euangelis frequentius nominatur. De quo S. Hieronymus in Matthæi 10. vers. 25. *Beel-zebub, idolum est Accaron, quod vocatur in Regum volumine idolum muscæ. Beel, ipse est Bel, siue Baal: zebub autem musca dicitur. Principem ergo damoniorum ex spurcissimi idoli appellabant vocabulo, qui musca dicitur propter immunditiam quæ exterminat suauitatem olei.* Ecclesiastæ 10. 1.

Sanctes: *Baal-zebub, hoc est, Dominus aut possessor muscæ pro, muscarum.* Forsterus: *Baal-zebub, Dominus, seu princeps muscarum.* Mercerus: *Baal-zebub, Dominum muscæ, quod muscæ speciem haberet; & si alij aliud putent: quod idola non eam vim haberent à sacrificijs quæ sibi immolabantur, muscas abigendi, ut fiebat in sacrificijs Domini.* De hoc miraculo, quod musca nunquam visa fuerit in Templo, dicemus lib. 11. cap. 10.

Vatablus in 4. Regum. 1. v. 2. *Baal-zebub, id est, Dominus muscæ, Deus amolians lethales & perniciosissimas muscas, quæ incolæ agri Accaronitici infestabant. Ita doctiores. Alij rationem nominis sumunt à copia muscarum, quam hostiarum copiosissimus sanguis gignebat.* Angelus Caninius de vocibus Hebraicis Noui Testamenti. cap. 11. *Baal-zebub, id est Magister muscæ. Ut Nicander Myagron vocat quendam serpentem.*

Sa in 4. Regum. 1. v. 2. *Baal-zebub, id est, Dominum muscæ: scilicet ita dictus ob muscarum copiam orientium ex sanguine hostiarum. Vel ut quidam volunt, quod perniciosus aliquando muscis regionem liberasset. Sunt qui dicant Baal-zebub appellatum, quasi idolum muscam: Accaronitas enim muscam coluisse.*

Auenarius: *E Kronite vocarunt deum suum Baal-zebub, id est principem, seu dominum muscarum, amolientem lethales & perniciosissimas muscas, quæ incolæ agri Accaronitici infestabant. Vel quia Satan in forma muscæ magna ab incantatoribus adiuratus dabat oracula de valetudine hominum.*

Maldonatus in Matthæi 10. ad vers. 25. *Beel-zebub, id est, Dominus muscæ appellatus, siue, ut plerique arbitrantur, quia propter victimarum sanguinem, quo erat aspersum, muscis plenum erat: siue ut alij volunt, & ego magis credo, quia aduersus muscarum pestem potissimum inuocabatur. Constat enim apud Græcos simile quoddam fuisse, quod eadem ratione & simili, sed Græca etymologia Myiagros, quasi muscarum venator, aut interemptor appellabatur Auctor Plinius lib. 10. cap. 28.*

Reineccius 1. Parte Heroici Syntagmatis in Monarchia Assyriorum. pag. 52. *Sunt etiam qui Beel-zebub inde vocatum velint, quod nulla in templo eius musca fuit: quemadmodum hodie in Palatio Veneto itidem nullum, in Toletano unicam conspici aiunt.*

Franciscus Lucas in Matthæi 10. vers. 25. *Beel-zebub, ita legendum ex Hebræo & Syro, non ut Græcè*

in plerisque codicibus legitur Beel-zebul. Idolum erat Accaronitarum. 4. Regum. 1.2. sic dictum, Dominus musca siue muscarum: siue quod propter victimarum copiam, muscarum examinibus ipsius templum scateret. siue quod incola opem ab illo postulare soliti fuerint aduersus muscas quæ loco infestæ essent.]

Erasmus: Beelzebul. Mirum cur Græci perpetuo mutant. b. in l. in hac dictione, Beelzebul scribentes, pro Beelzebul, cum neutrum elementum apud illos finale sit β. & λ. Alioqui hæc videri poterat causa: præsertim cum neque vocum, neque figurarum vlla sit affinitas, ut aurium, aut scribarum errore factum videri possit.]

Drusius in Matthæi 10. v. 25. Beelzebul non est nomen corruptum à Græcis librariis: sed ita immutauerunt illud Iudei in opprobrium & ignominiam idoli. Quod faciendum esse præcipiunt eorum sapientes. Vide librum, qui vocatur Sepher Misvoth Gadol, folio 98. colum. 3. ergo ex Beelzebul, fecerunt Beelzebul vnius tantum litteræ immutatione. Id sonat Iupiter Stercoreus. Nam zebul, stercus. Quod autem in libris Latinis Beel-zebul à Hieronymo est, qui existimauit Scripturam Græcam in hoc nomine corruptam esse: quod & alij viri docti cum illo existimant.] Et ad finem Operis: Beelzebul Iupiter Stercoreus. Nam zebul.] Et verò Zebel Rabbini esse stercus, ex Syra & Arabica lingua notum est.

Iosephus Scaliger in Elencho Trihæresij Nicolai Serarij cap. 1. carpens quæ S. Philastrius lib. de Hæresibus. cap. 13. de Cultoribus muscæ scripserat, hæc ait: Musciolas, id est, Myolatrias. à Musca Accaronis, inquit Philastrius, ad quam misit Ochozias Rex in 2. Regum. 1. 2. legitur. Ite consulti Beelzebul deum Accaron. Hic nulla est musca Accaronis sed Beelzebul Accaronis, à quo Beelzebubba dici debebant. Sic illud Accaronitarum idolum, quod meo iudicio, dicebatur Baal-zebahim, Deus victimarum, immolationum, sacrificiorum, ioculari vocabulo Scriptura vocauit Deum muscæ, quod in templo Ierosolymitano muscæ carnes victimarum non liguriebant cum tamen gentium Fana à muscis infestarentur propter nidorem victimarum. Ideo in Arcadia Heroi cuidam Myagrio, antequam hostia caderentur, res diuina fiebat, ne muscæ ad eas adnolarent. Pausanias.] Subiicit verba Pausaniæ, quæ inferius describemus.]

Fungerus in Etymologico: Baal-zebul, id est, Patronus ridiculus, abominabilis, res nihili dictus est. Hæc nos docuit Scaliger ad Fragmenta Berosi.

Valentinus Schindlerus in Pentaglotto: Beelzebul. LXX. Baal-Musca. Deum Ekron. 2. Regum. 1. 2. & 6. Erat idolum, quod incola vrbis Ekron in Palestina colebant: illudque imperium in muscas perniciosas habere, & has ex sua regione abigere credebant. Erat autem Iupiter Ethnicis dictus Myias, aut Myiodes, Muscarius: item Apomyos, & Apomyias, muscarum depulsor: & Myiagros, & Myiothiras, muscas capiens. Eadem habet in radice, ZABAB.

Franciscus Iunius & Tremellius Emanuel, Beelzebul, deum abactorem muscarum, quem Græci dicunt Myodem, seu Myagron, vel Apomyon interpretantur. 4. Regum. 1. v. 2. Vnde in recentiori editione anni 1617. hæc habent: Baal-zebulum, id est Sminibium, seu Myothem deum, ut est legendum apud Plinium lib. 29. cap. 6. quo significatur muscarius Deus, vel muscas abigens. Hunc verò Musca figuram habuisse testis est Nazianzenus Inuocatio. 2. in Iulianum.] De his Plinius lib. 1. cap. 28. Inuocant & Elei Myiagron Deum, muscarum multitudine pestilentiam adferente: quæ protinus intereunt, qua litatum est illi die.] Notat Dalecampius vetustos Plinij co-

dices habere: Inuocant Cyrenæici Achorem deum muscarum multitudine &c. quæ sanè lectio non est aspernanda ut Achor positum sit pro Accaron. Addit Dalecampius, esse codices qui legant, & Elirini Sacerem, ex quibus fecerim, & Palæstini Achorem. Idem Plinius lib. 29. cap. 6. Nullum animal musca minus docile existimatur, minorisq; intellectus: eo mirabilius est, olympia sacro certamine, nubes earum immolatio tauro, Deo quem Myiodem vocant, extra territorium id abire.] Solinus cap. 2. Sacellum Herculis in foro Boario est, in quo argumenta conuulsi læta maiestatis ipsius remanent. Nam diuinitus illo neque canibus, neque muscis ingressus est. Etenim cum viscerationem sacrificij libaret, Myiagrum deum dicitur imprecatus: clauam verò in aditu reliquisse, cuius & factu refugerent canes: id usque nunc durat. Ita hunc locum viri eruditi restituerunt, cum antea legeretur, muscarum deum, pro, Myiagrum deum. Pausanias in Arcadicis lib. 8. Numero 258. de nundinis prope Alipheram Arcadiæ urbem celebrari solitis: In his nundinis vni ante omnes Myiagro rem diuinam faciunt, heroemque super hostis precati, & Myiagri nomine implorato, securitatem sibi fore inter immolandum ab omni muscarum proteruitate pro certo habent.] At de diis muscarum abactotibus, vide plura apud Cælium Lætionum Antiquarium, lib. 23. cap. 30. Lilius Gyraldus Syntagmate 1. de Diis Gentium, in Myiagro, & Syntagmate 2. in Ioue Apomyio, & Libello, Hercules, Dalecampium in Notis ad Plinij lib. 29. cap. 6. Casaubonum in Animaduersionibus ad Athenæum, lib. 1. cap. 5. Iacobum Billium in Notis ad Orationem 4. S. Gregorij Nazianeni, numero 43.

Ergo Beel-zebul esse Myiagron, seu Myiodem, seu Apomyium Deum muscarum abactorem, existimantur uti vidimus, Mercerus, Varablus, Sa, Auenarius, Maldonatus, Reineccius, Franciscus Lucas, Schindlerus, Iunius, & Tremellius: item Lilius Gyraldus in Myiagro, Pierius lib. 26. Hieroglyphicorum, Bozius lib. 2. de signis Ecclesiæ, cap. 10. Serarius in Minetuali lib. 3. cap. 4. Gentianus Heruerus in commentario ad Adhortatoriam Clementis Alexandrini ad Gentes, Ximenius in Lexico Ecclesiastico. Et hæc est receptior explanatio. Nec eam ipse repudio: sed reor, dictum Baal-zebul, id est Dominum Muscam, quod equidem in forma & idolo ingentis muscæ coleretur, ut etiam Mercerus, Sa, Auenarius existimantur. Id quidem inde satis firmatur, quod LXX. Interpretes 4. Regum, 1. in quatuor locis ubi ponitur Baalzebul Deum Accaron, ipsi semper reddiderunt, Baal Muscam, Deum Accaron. Iosephus lib. 9. Antiquitat. cap. 1. Ad Accaronem, Deum Muscam. hoc enim nomen Deo, Oraculum sciscitaturus de incolunitate mitteret.] Cedrenus quoque disertè habet, Baal Muscam Deum Accaron. S. Gregorius Nazianzenus Oratione IV. quæ est 2. in Iulianum: Nec muscam quærent Deum Accaron: aut si quid ea magis est ridiculum.] S. Philastrius de Hæresibus, cap. 13. Musca-Accaronita: alij sunt qui Muscam colunt in ciuitate Accaron dicta, ut in Regiorum libro Scriptum est: sicut rex Ozias [Ochozias] potius Iudeorum languens miserat ad muscam Accaron: quia non à Deo salutem Iudeorum rex sperare maluit, sed à Musca potius.]

Pulchrè Theodoretus Quæstione 3. in lib. 4. Regum de nomine Beelzebul: Non solum enim in Deos referebant maxima animalia, sed etiam minima, & vilissima & odiosa. Quid enim est musca odiosus? sed tamen & eius simulacrum Deum dixerunt: & Deo, qui verè est Deus, relicto, musca simulacrum de vitæ sciscitabantur: & quam vinentem flabellis expellunt, eius

eius figuram Deum appellant.] Ergo credemus hisce omnibus magis, quam Scaligero asserenti in Beelzebub nullam esse muscam Accaronis? Hic homo vanitate & superbia sæpè bona eruditionis & iudicij corrumpit, quæ illi immerenti contulit Deus. At de his vide latè Serarium in Mineruali lib. 3. cap. 4. Nec mirum Muscam ab Accaronitis pro deo cultam, cum eiusmodi vilia & absurda Gentiles pro diis habuisse, nimis sit exploratum, vti Clemens Alexandrinus Exhortatione ad Gentes & alij Patres passim affirmant, sed de Muscis Clemens: *Heraclides autem dicit in adificationibus templorum in Acarnania, ubi est Altum promontorium, & templum Actij Apollinis, bouem prius sacrificari muscis.*

Nec probo quod Lilius Gyraldus Syntagmate 6. de diis gentium, pag. 190. ita Scribit Beelzebub ab Hebrais & Chaldeis Pluto dicitur eadem pene quæ Latini ratione Iouem Stygium, & Infernum Iouem appellant.] Hoc enim non subsistit, nisi quatenus Beelzebub pro Principe demoniorum accipitur, quæ sanè non est natiua nominis ratio, sed translatio. Sed vnde factum sit, vt nomen idoli Accaronitarum transferretur ad Principem demoniorum, communi more loquendi Hebræorum, vt in Euangelio patet, ex ipsis interpretibus Euangeliorum discas: nec illa ratio contemnenda est, quam Schindlerus in Pentaglotto his verbis reddidit: *Syriacè Beelzebub, principem demoniorum, qui potestatem habeat in demonia, & hæc ex obsessis discere iubet, cogatque. Ac ita vocant eum, qui quod demoniorum examina, muscarum instar, cum principe suo in aère, & quidem huius regionibus media, & suprema tenebrosos circumuolitet, quemadmodum & Paulus dicit Ephesior. 6. v. 12. Mundi dominos, rectores tenebrarum sæculi huius & spirituales malitias in caelestibus.* Eadem habet in Radice ZABAB. Nec omiserim, ZVB, & ZVBVB Arabicè esse pudenda humana maris & famiæ: vt forsan Beelzebub, fuerit Priapus, idem cum Beel-phegor. Sed id in medio relinquo. Quam verò aptè, rectèque Antichristo vocabulum Beelzebub conueniat, non est opus multis verbis edocere.

CAPVT V.

Magia & artes nefandæ Antichristi.

MAgia in vniuersum duo consensu omnium genera traduntur: Alterum enim est Naturale, quod aliud equidem non censetur, quam totius Philosophiæ Naturalis, Mathematicarum, & Medicinæ apex, seu fastigium: quodque rerum naturalium consensum, quem Græci sympathiam nuncupant, solerti indagine rimatur, virtutes ac potestates herbarum, lapidum animantium, aliarumque rerum occultiores accuratè perferuntur easque inter se coniungendo mirandos effectus designat, quæ tamen non arte sinistra, sed potenti naturæ vi & efficacia mirabili patrantur, cui excellens ipsa & recondita arcanorum naturæ cognitio, quæ vera magia dicitur administrata subseruit. Alterum verò Magiæ genus est infame ac detestandum, feralibus quibusdam ritibus atque deprauatis cæremoniis inauspicatum, immun-dorum spirituum vel occultis, vel expressis fæderibus ac commerciis contaminatum, quo varij & horrendi effectus, ad humanam omnes fermè perniciem comparati, conficiuntur. Hoc Græci Goetiam, seu Ca-courgiam vocant.

De cuius speciebus hæc vniuersè Plinius lib. 30. cap. 2. *Vt narravit Hosthanes, species magia plures sunt: nam & ex aqua, & ex spheris, & ex aère, &*

stellis, & lucernis ac peluibus, securibusque, & multis aliis modis diuina promittit: præterea umbrarum, inferorumque colloquia: quæ omnia etate nostra Princeps Nero vana, falsaque comperit. Tertullianus Apologetici cap. 23. *Porro si & Magi phantasmata edunt & iam defunctorum inclamant animas: si pueros in eloquium oraculi elidunt: si multa miracula circulatorijs prestigijs ludunt: si & somnia immittunt habentes semel inuitatorum angelorum & demonum assistentem sibi potestatem, per quos & capra, & mensa diuinare consueuerunt.* &c.] Clemens Alexandrinus Exhortatoria ad Gentem: *Impia ergo adyta ne inuestigetur, nec barathrorum ora prestigijs plena aut Lebetem Thesproteum, aut Tripodem Cirrhaum, aut Æs Dodonaum. Gerandryon autem arenis desertis honoratum, & quod illic est oraculum, quod cum ipsa quercu emarcuit, anilibus fabulis relinquamus. Silentio quidem certè mandatus est fons Castalius, & alius fons Colophonis, & alia similiter perierunt fluentia diuinatoria: quæ certè fastu plena, sero quidem, tandem tamen conuicta sunt, vt quæ vna cum suis effluxere fabulis. Narrat nobis alius quoque diuinationis, vel insana potius vanitatis oracula, Clarium, Pythium Didimaum, Amphianum, Apollinem, Amphilocum. Quod si velis & monstrorum inspectores, augures, & aruspices, & somniorum coniectores vnà cum eis consecra: ad Pythium autem adductos simul statu Aleuromantes & Crihomantes & eos qui adhuc apud multos sunt in honore, ventriloquos. Iam verò adyta Egyptiorum & necromantia Etrusco-rum demandantur tenebris. Sunt hæc verè insana infidelium hominum commenta. Harum prestigiæ mercatura sociæ sunt capra, quæ sunt ad diuinationem exercitata: & corui qui ab hominibus docentur dare responsa.* Eadem ad verbum ex Clemente Alexandrino descriptis Eusebius lib. 1. Præparationis Euangelicæ, cap. 5.

Caterum inter innumera detestandæ Magiæ genera hæc peculiariter notantur, & improbantur ab Ecclesia, Geomantia, Hydromantia, Aeromantia, Pytomantia, Onomantia, Cheiromantia, Necromantia, Sortilegia, Veneficia, Auguria, Auspicia, Incantationes Artis Magiæ, Astrologia Iudiciaria. De quibus omnibus, aliisque nefariæ artis experimentis innumeri scripsere, sed imprimis Cælius Rhodinus lib. 8. Lætionum Antiquarum, cap. 23. Polydorus Virgilius lib. 1. de Inuentoribus rerum, cap. 22, 23, 24. Ludouicus. Viues in lib. 7. de Ciuit Dei, cap. 35. Ioannes Bodinus de Demonomagia, Michael Medina lib. 2. de Recta in Deum Fide, cap. 7. atque omnium copiosissimè & vberissimè Martinus Delrius integro opere Magicarum Disquisitionum. Sed vide cum primis Ioannis Filesi de Idololatria Magica dissertationem. Infaultæ & horrendæ artis vanitatem & scripturæ diuinæ, & Sacræ Ecclesiæ, Concilio-rumque Sanctiones, Patrum Scripta, Imperatoriæ leges, ethnici Scriptores probi, & mundi cōsensus per-tuò condemnarunt: aduersus quam præclari Scripto-ris Plinij nunc testimonio sumus contenti, eo vel magis quod etiam impius & atheus auctor feralem artem proscripserit: sic enim lib. 30. cap. 1. disserit: *Magicas vanitates sapius quidem antecedentis operis parte, ubicumque causæ, locusque poscebant, coarguimus: detegimusque etiamnum: in paucis tamen digna res est, de qua plura dicantur, vel eo ipso quod fraudulentissima artium plurimum in toto terrarum orbe, plurimisque sæculis valuit. Auctoritatem ei maximam fuisse nemo miretur, quandoquidem sola artium tres alias imperio-sissimas humana mentis complexa in vnâ se redegit. Natam primum è Medicina nemo dubitat, ac specie saluari irrepsisse velut altiore, sanctiorémque quàm Medicinam*

Medicinam: ita blandissimis, desideratissimisque promissis addidisse vires religionis, ad quas maximè etiamnum caligat humanum genus. Atque ut hoc quoque suggererit miscuisse artes Mathematicas, nullo non audio futura de se se sciendi, atque ea è calo verissimè peti credente. Ita possessis hominum sensibus triplici vinculo, intantum fastigij adoleuit, ut hodieque etiam in magna parte gentium praualeat, & in Oriente Regum regibus imperet.] Et vbiq; Plinius in Magiam acerrimè inuehitur, ac eodem præsertim lib. 30. c. 2. cõcludit: Proinde ita persuasum sit, intestabilem, irritam, inanem esse artem.] Videndi etiam peculiariter Clemens Alexandrinus Adhortatoria ad Gentes, Tertullianus de Idololatria, cap. 9. & lib. de Anima, cap. 57. Lactantius lib. 2. c. 16. 17. S. Augustinus lib. 7. de Ciuitate Dei, c. 35. & lib. 8. cap. 19.

Antichristum verò in Naturali, & in diabolica & funesta Magia, superaturum omnes quotquot ante se fuere Magos, Patres & Posteriores omnes summo consensu docent. S. Irenæus lib. 5. aduersus Hæreses, c. 28. de miraculis Antichristi: *[Hæc ne quis cum diuina virtute putet signa facere, sed Magica operatione: Et non est mirandum si demoniis & apostaticis spiritibus ministrantibus ei, per eos faciat signa, in quibus seducat habitantes super terram.]* S. Hypolytus Oratione de Consummatione Mundi: *Tunc iniquus ille elato animo, demones suos congregabit humana specie, animasque multas inquinabit, quippe principes eis constituet ex demonibus.]* Ac post alia: *Inde impurus ille mandata muret per vniuersam prouinciam operatum demonum, tum sensibilibus hominum.]* S. Cyrillus Catechesi 15. *Inducet diabolus quendam magnum hominem [Antichristum] veneficiis & incantationibus, & malis artibus instructissimum.]* Et paulo inferius: *Signisque & portentis, magica impostura decipiet Iudeos.]* S. Ephræ Syrus Sermone de Antichristo: *Assumpta enim potestate tunc impudentissimus ille demones ablegabit ad vniuersos terra fines, qui cunctis prædicent magnum iam regem cum gloria apparuisse, omnesque ad occurrendum ei, visendumque ipsius decorem inuisent.]* Et post alia: *Turbabit tamen terram, exterrebique simul vniuersa fallacibus prodigiis, & magicis signis.]* Et post multa: *Mundum magicis suis portentis decipiet.]*

Andreas in 11. Apocalypsis: *Cum enim Antichristus in omnibus prodigiis, signisque mendacibus, veneficorum omnium princeps, omniumque præstigatorum coryphaeus futurus sit, ut pote vniuersa Dei fraude, & inergia perfectè imbutus.]* Aretas enim in 11. Apocalypsis: *Postquam enim Antichristus in omnibus signis ac prodigiis falsis vniuersos veneficos superauerit, eisque opera & efficacia satana longè clarior factus fuerit, &c.]* Rabbanus opusculo de Antichristo: *Hæc autem omnia miracula omnibus modis falsa erunt per incantationes diabolicas.]* Strabus in 13. Apocalypsis: *Arte magica ascendet in aëra ferentibus eum demonibus.]* Eadem omnino de Magicis Antichristi artibus docet omnes Orthodoxi: & nos etiam plura cum de falsis Antichristi miraculis differemus, & locum Pauli 2. Thessalonicens. 2. 9. cuius est aduentus secundum operationem satana, in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacibus &c. Elucidabimus, l. 8. c. 26. & 29. Confule de his Sanderū l. 8. de visibili Ecclesiæ Monarchia, c. 30. Bellarm. l. 3. de Romano Pontifice c. 15. Suarez tomo 2. in 3. part. disp. 54. sect. 3.

Ioannes Viguerius in Institutionibus Theologicis, cap. 21. §. 3. vers. 4. Pererius lib. 14. in Daniele, ad magicas Antichristi artes reducunt Danielis locum, Cap. 8. v. 23. & intelligens propositiones, CHIDOTH,

abscondita, occulta, abstrusa, vt indicentur magicæ artes, seu imposturæ, quæ sunt abstrusissimæ, vt potè à lucifuga spiritu, & tenebrarum incola in mundum introductæ, rarissimis hominibus, iiisque prauissimis cognitæ: quæ non nisi in locis occultis, & speluncis, antris, arcanis quibusdam & nefariis mysterijs 11. 38. de Antichristo: *Deum autem Maorum in loco suo venerabitur.* Forsitan enim significauit, diabolum ab Antichristo occultè pro Deo colendum, & adorandū, tanquam auctorem & magistrū vniuersæ suæ Magiæ. Sed hunc locum lib. 8. c. 14. plenius elucidabimus.

Illud verò in Christiana religione semper fuit exploratissimum, Magos & Incantatores quæcumque edunt miranda, supra facultatem humanarum virium cacodæmonum familiarium, ac sibi adstantium potestate, & adiutrice virtute patrare. S. Iustinus Martyr Dialogo cum Thryphone Iudæo: *Magi, malis artibus, magicisque excantationibus atque præstigiis sibi demones conciliant, quibus addicti penitus sunt.]* Tertullianus lib. de Anima, cap. 28: *Scimus etiam Magos elicere explorandis occultis procatabolicos, & paredros, & Pythonicos spiritus.]* Origenes lib. 3. Periarchon, cap. 3: *Quid autem dicendum est de his etiam quos diuinos appellant, à quibus per incorporationem demonum eorum, qui eis præsumt, versibus arte modulatis responsa proferuntur? Sed & hi quos magos, vel maleficos dicunt, aliquoties demonibus innocatis, supra pueros adhuc parue ætatis, versis eos dicere poemata admiranda omnibus, & stupenda fecerunt.]* S. Cyprianus de Idolorū Vanit. *Hoc & Poëta demones norant, & Socrates instrui se & regi ad arbitrium demonis prædicat: & Magis inde est ad perniciofa, vel ludrica potentatus: quorū tamen præcipuus Osthanes &c.*

Minutius Felix in Octauio: *Eos spiritus demones esse, Poëta sciunt Philosophi differunt, Socrates nouit, qui ad nutum & arbitrium assidentis sibi demonis vel declinabat negotia, vel petebat. Magi quoque non tantum sciunt demones, sed etiam quidquid miraculiludunt, per demones faciunt: illis aspirantibus & infundentibus, præstigiis edunt. Vel quæ non sunt videri, vel quæ sunt, non videri Eorum & Magorum eloquio & negotio primus Osthanes, &c.]* Lactantius lib. 2. cap. 15: *Philosophi quoque de his [dæmonibus] dixerunt. Nam Plato etiam naturas eorum in Symposio exponere conatus est. Et Socrates esse circa se assiduam damona loquebatur, qui sibi puero adhaesisset, cuius arbitrio, & nutu sua vita regeretur. Magorum quoque ars omnis ac potentia horum aspirationibus constat: à quibus innocati, visus hominum præstigiis obsecantibus fallunt, ut non videant ea quæ sunt, & videre se putent illa quæ non sunt.]* Ioannes Sarrisberienensis lib. 1. Polycratici, cap. 9. *Eos autem qui nocentiora præstigia, artesque Magicas & varias species Mathematica reprobata exercent, iam pridem sancti Patres ab aula iusserunt exire, eo quod omnia hæc artificia, vel potius maleficia, pestifera quadam familiaritate demonum & hominum nouerunt profluxisse.]* Innumeræ eadem de re sunt aliæ sententiæ Patrum.

CAPVT IV.

Enumerantur aliqui ex præstantioribus Magis, quos Antichristus peritia funeste artis longe superabit.

Primus occurrit Zoroastres de quo Plinius, l. 30. c. 1. *Sine dubio illic orta in Perside [Magia] a Zoroastre, ut inter auctores cõuenit. Sed unus hic fuerit, an postea & alius, non satis constat. Eudoxus, qui inter sapientiæ sectas clarissimæ, vtilissimæque eam intelligi voluit Zoroastrem hunc sex millibus ann. ante Platonis mortē prodidit: sic & Aristoteles. Hermippus qui de tota ea arte diligentissimè scripsit, & vices centū millia versū à Zoroastre condita,*

indicibus quoque voluminum eius positis, explanavit, præceptorem, à quo institutum diceret, tradidit Azonacem: ipsum verò quinque millibus annorū ante Platonis mortē fuisse. Mirum hoc in primis durasse memoriam, artemque tam longo aeo, commentariis non intercedentibus: præterea, nec claris, nec continuis successionebus custoditam.

Diogenes Laërtius in Proemio de vitiis Philosophorum: à Magis autem, quorum Zoroaster Perses princeps fuerit, ad captam Troiam quinque millia annorum intercessisse Hermodorus Platonicius ait in Libro de Disciplinis. Xanthus autem Lydus à Zoroastre ad Xerxis traiectionem sexcentos numerat.] Iulianus lib. 1. Histor. Postremum Nino bellū cum Zoroastre rege Bactrianorū fuit, qui primus dicitur artes magicas inuenisse, & mundi principia, siderumque motus diligentissimè spectasse. Hoc occiso, & ipse decessit, relicto impubere adhuc filio Nino.]

Eusebius l. 10. Præparationis Euāgelicæ, c. 3. de Nino aeo, Eo tēpore Zoroastres Magus apud Bactrios regnabat. Nino autē uxor Semiramis successit. Nino ergo atque Semiramidos, Zoroastresque temporibus Abraham fuisse constat.] Et in Chronico, Ann. 49. Nini hæc habet: Zoroastres Magnus rex Bactrianorum clarus habetur: Aduersus quem Ninus dimicauit.] Orosius li. 2. c. 4. Nouissime Ninus Zoroastrem Bactrianorum regē, eundemque Magicā, ut ferunt, artis repertorē pugna oppressum interfecit.] Arnob. lib. 2. aduersus Gētes: ut inter Assyrios & Bactrianos, Nino quondam, Zoroastreque ductoribus, nō tantum ferro dimicaretur & viribus, verū etiā magicis, & Chaldeorū ex recōditis disciplinis, inuidia nostra hæc fuit

S. August. lib. 2. 1. de Ciuitate Dei, c. 14. Solum quando natus est, ferunt risisse Zoroastrem: nec ei boni aliquid monstrosus risus ille portendit. Nam magicarum artium fuisse perhibetur inuentor: quæ quidem illi nec ad præsentis uitæ vanam felicitatem contra suos inimicos prodesse potuerunt. A Nino quippe rege Assyriorum, cum esset ipse Bactrianorum rex, bello superatus est.] S. Hieronymus in 2. Osee, ad vers. 16. Ninus aduersus Zoroastrem Magum regem Bactrianorū forti certamine dimicauit.] Diodorus Siculus lib. 1. num. 66. Bactrianorum regem cum quo bellum gessit Ninus, non Zoroastrem; sed Oxyartem ex Ctesia vocat.

Ammianus Marcellinus lib. 23. c. 22. Magiam opinionum insignium auctor amplissimus Plato Machagistiam esse verbo mystico docet, diuinorum incorruptissimum cultum: cui scientia seculis præcis multa ex Chaldeorum arcanis Bactrianus addidit Zoroastres: deinde Hydaspes rex prudentissimus Darij pater, qui cum superioris India secreta fidentius penetraret, ad nemorosam quandam uenerat solitudinē, cuius tranquillis silentiis præcelsa Brachmanorum ingenia potiuntur: eorumque monitiones mundani motus & siderum, purōsque sacrorum ritus, quantum colligere potuit, eruditus ex his quæ didicit, aliqua sensibus Magorū insudit: quæ illi cū disciplinis præsentendi futura, per suam quisque progeniem, posteris atatibus tradunt.]

S. Epiphanius sub initium Panarij, agens de Nemrod gigante post diluuiū: Hunc dicunt esse Græci Zoroastrem, qui vltra progressus ad Orientales partes, Bactra inhabitauit. Hinc iniquitates in terra distributæ sunt. Inuentor enim hic fuit male doctrina, Astrologia, & Magia, velut quidā de hoc Zoroastre tradūt. Verū ut rei veritas habet, hoc tempus ipsius Nebroth gigantis erat: non longè autem inter se ambo distant tempore, Nebroth & Zoroastres.]

S. Gregorius Turonicus lib. 1. Historiæ Francorum, cap. 5. Primogenitus vero Cham, Chus. Hic fuit totius artis magicæ, imbuente diabolo & primus idololatria inuentor. Hic primus statuiculam adorandam diaboli instigatione constituit: qui & stellas, & ignem de celo cadere, falsa uirtute hominibus ostendebat. Hic ad Persas transiit. Hunc Persæ vocitauerunt Zoroastrem, id est, uiuentem stellam. Ab hoc etiam ignem adorare consueti: ipsum di-

uinitus igne consumptum, ut Deum colunt.]

Agathias lib. 2. cap. 1. Sed huius tēporis Persæ præcos mores omnes ferè omiserunt, & perinde iam euerterunt, alienisque legibus tanquam adulterinis utuntur, ex Zoroastri desumptis Orimæ dei disciplinis. Is autē Zoroaster siue Zarades, nam duplici vocitatur cognomine, quo tempore in principatu floruerit, & tulerit leges, satis clarè internosci non potest. Persæ namque huius nostræ atatis, Hydaspis temporibus, simpliciter tamen hunc fuisse affirmant: ita ut in ambiguo sit, nec planè satis dignosci queat, utrum Darij pater, an alius quispiam is fuerit Hydaspes. Sed quoniam ille floruerit tempore, magister tamen & Persis fuit, & Magici sceleris adinuentor, qui præcos sacrorum ritu mutato, promiscuas quasdam & varias opiniones induxit.]

Suidas: Zoroastres Personædus, sapiētia superior Astro-nomis, primus auctor recepti apud illos Magorū nominis. Bellum Trojanum antecessit annis quingenis. Circumferuntur eius libri 4. de Natura. De Gemmis, vnus. Prædictionum ex inspectione stellarum libri 5. Zoastres Astro-nomus sub Nino Rege Assyriorum, precatus est, ut igne celesti absumeretur: ac monuit Assyrios, ut suos cineres cōseruarent. Sic enim regnum eis semper esse permanens. Et quidem etiam nunc ab eis asseruatur.] Et alibi: Astro-nomia, astorū distributio. Primi Babylonij hanc per Zoroastrem inuenerunt, quem secutus est Hosthanos.

Cedrenus in Annalibus, pag. 13. Ex huius [Nini] genere etiam Zoroastres nobilis ille apud Persas Astronomus exiit: qui se fulmine ictum ac consumptum iri prædixit, mandauitque Persis, ut ossa sua ex incendio legerent, ac custodirent, atque venerarentur: promittens regnū ex ipsorum natione ablatum non iri, quamdiu ea colerent. Eo itaque fulmine in cineres redacto, reliquias eius Persæ coluerunt: donec ipsi neglectis, regnum etiam amiserunt.

Dio Chrysostomus oratione Borysthenica: Fortem autem & perfectum Iouis currum nemo laudibus extulit dignè hoc modo, neque Homerus, neque Hesiodus; sed Zoroastres, magnorumque discipuli canunt ab illis docti, quem Persæ dicunt amore sapientiæ, iustitiæque secessisse ab aliis seorsum, & in monte quodam vixisse: deinde relicto monte, igne supernè multo immisso implicatum assidue arsisse. Regem igitur cum Persarum præstantissimis, propè accessisse, volentem Deo supplicare, & virum ex igne egressum illis, apparuisseque illis propitium, confidere iubentem, & victimas offerre quasdam, tanquam veniente eum in locum Deo. Conuersatum autem esse post hæc non cum iis qui bellissimè ad veritatem essent natura idonei, Deumque possent intelligere, quos Persæ Magos vocarunt, Dei culturam scientes: non ut Græci, nominis ignoratione sic nominant, pro veneficis habentes.]

Mira sunt etiam quæ de Zoroastre scribit Clemens Alexandrinus lib. 5. Stromatum in hunc modum. Idem Plauto autem in decimo de Republica meminit Heri Armenij, genere Pamphylij, qui est Zoroaster. Ipse quidem certe Zoroaster hæc scribit: Conscripsit Zoroaster Heri Armenij filius, genere Pamphylij: In bello mortuus, cum essem apud inferos, à Diis didici. Hunc Zoroastrem cum duodecimo die post mortem, in rogo fuisset positus, Plato dixit reuixisse.] Platonis verba sunt: Equidem tibi non Alcini Apologum, sed præstantissimi viri Eris Armenij, genere Pamphylij referabo. Qui cum occubisset in pralio, sublati decimo die cadaveribus cæteris iam corruptis, integer quidem incorrupto corpore repertus fuit: domūque delatus, ut sepeliretur, duodecima iam ab obitu die, dum pyre impositus esset reuixit: & quæ interim viderat, retulit.] Sequitur Plato narrare admiranda quæ vidit Erus de statu animarum, post mortem. Sed Platone vnum verbum, quod Erus fuerit Zoroastres: ut nec Eusebius lib. 1. 1. Præparationis

rionis Euangelicæ, cap. 18. dum eadē Platonis verba describeret. Sed de Zoroastre alia nonnulla addamus.

Plato in Alcibiade, de quatuor pædagogis filij regis Persarum: *Quorum primum Magicam Zoroastri Oromansij filij docet: est autem illa deorum cultus.*

Plinius lib. 7. c. 16. *Risisse eodem die quo genitus esset, unum hominē accepimus Zoroastrem. Eidem cerebrū ita palpitasse, ut impositam repelleret manū, futura præagio scientiæ.* Et lib. 11. c. 42. *Tradunt Zoroastrem in desertis calesco vixisse annos 20. ita temperato, ut vetustatē non sentiret.*

Plutarchus de Iside & Osiride: *Existimant enim alij duos esse Deos quasi contrariis deditos artibus, ut bona alter, alter mala opera conficiat. Alij eum qui est melior, Deum: qui deterior, demonem dicunt. In qua sententia fuit Zoroastres magus, quem narrant quinque mille annis antiquiorem bello Trojano extitisse. Is ergo Zoroastres melioris nomen Oromazan, peioris Arcimanium perhibuit.* Meminit eiusdem in Numa.

Apuleius Apologia 1. *Auditisne Magiam, qui eam temerē accusatis, artem esse diis immortalibus acceptam, colendi eos ac venerandi pergnaram, piā, scilicet, & diuini scientem: iam inde à Zoroastro & Oromazo auctoribus suis nobilem, scilicet antistitem? quippe inter prima regalia docetur: nec ulli temere inter Persas concessum est Magum esse, haud magis quā regnare.* Et mox: *Cur mihi nosse non liceat vel Zamolxi bona verba, vel Zoroastri sacerdotia?* Et lib. 2. Floridorum: *Zoroastrem omnis diuini arcanum antistitem.*

Iosephus Scaliger in Eusebianis ad numerū 7. *Merito dubitat Plinius lib. 30. c. 1. an Zoroastres Magus sit idem cum rege Bactrianorum. Mihi Magus saculis posterior videtur, à quo ad Diabasm, id est, transitum Xerxis, annos putat sexcentos vetustissimus scriptor Xanthus Lydius, ut eius tempora concurrerint cū Troianis. Laërtius: Xanthus autem Lydius à Zoroastre ad Xerxis traiectionem sexcentos annos numerat.* Sed quot quantosque auctores protulimus, qui Bactrianorum regem Magum produnt? Forfan fuerint duo Zoroastri, & vterque Magus. Nec desunt qui quatuor constituent eius nominis Magos. Vide Cæsarem Bulergetum in Eclogis ad Arnobium lib. 2. cap. 5.

De nomine Zoroastri Laërtius in Proœmio ad vitas Philosophorum, inquit: *Dinon in Quinto Historiarum, ex nominis vi Zoroastrem dicit astrorum cultorem fuisse.* Addit his Scaliger: *Vult Zoroastrem lingua Persica significare astrorum sacrificulum. Nos scimus de posteriore verbo verissimum esse Ster Persicē astron aut astra, unde Esther dicta fuerit. De priore membro querant peritiores Persica lingue. Non enim simus ij quos pudet non omnia scire.* Gregorius Turonensis ex lib. 4. Recognitionum Clementis, Zoroastrem stellam viuentem interpretatus est, ut antea vidimus.

Equidem Zoroastrem fuisse ipsum Cham filiū Noë, ex suo Pseudo Beroso opinatus est Annius in Cōmentariis ad lib. 3. & 5. eiusdem Berosi. Petrus Comestor in Scholastica Historia Genesis cap. 39. inquit: *Minus videtur Cham, qui adhuc vinebat & regnabat in Bactria, & dicebatur Zoroastres inuentor magicæ artis: qui & septem liberales artes in quatuordecim columnis scripsit, septem æneis, & septem lateritiis contra vtrumque diluuium. Nixus verò libros eius combussit.* Genebrardus lib. 1. Chronographiæ, pag. 53. Cham fuisse Zoroastrem etiam existimauit. Ex Apochryphis vero Clementis 4. Recognitionum, arbitrati sunt alij, Zoroastrem fuisse filiū Cham, & Nepotē Noë, illum nimirū, quem Scriptura vocat Misraim Genes. 10. v. 6. ita Franciscus Georgius in Harmonia Mundi Cant. 1. Tomo 1. cap. 8. ex Didymi auctoritate, & Pierius Valerianus lib. 46. Hieroglyphicorū. De Zoroastre vide Gyraldū, dial. 2. de Poëtis.

Sed enim Cham insignem fuisse magum, magicæ-

que artis conditorem, Ioannes Cassianus Collatione 8. c. 21. his verbis prodit: *Hanc ergo scientiam omnium naturarum per successiones generationum semen Seth paterna traditione suscipiens, donec diuisum à sacrilega propagine perdurauit, quemadmodum sanctē perceperat, ita etiam vel ad Dei cultum, vel ad utilitatem vitæ communis exercuit. Cum verò impia generationi fuisset admixtum, ad res profanas ac noxias, quæ pie didicerat, infinctu quoque demonum deriuauit, curiosasque ex ea maleficiorū artes atque prestigias, ac magicas superstitiones audacter instituit: docens posteros suos, ut sacro illo cultu diuini nominis derelicto, vel elementa hæc, vel ignē, vel demones venerarentur & colerent. Hæc igitur quam diximus curiosarum rerum notitia, quomodo in diluuiū non perierit, ac superuenientibus saculis innotuerit, licet hoc minime absolutio propositæ quæstionis exposcat, tamē quia nos occasio huius expositionis admonuit, perstringendum breuiter puto. Quantum itaque antiquæ traditiones ferūt, Cham filius Noë, qui superstitionibus istis, & sacrilegis ac profanis fuerat artibus institutus, sciens, nullum se posse super his memorialem librum in arcam prorsus inferre, in quam erat unā cum patre iusto ac sanctis fratribus ingressurus, scelestas artes ac profana commenta diuersorum metallorum laminis, quæ scilicet aquarum corrumpi inundatione non possent, & durissimis insculpsit lapidibus. Quæ peractō diluuiū, eadē qua calauerat curiositate perquirens sacrilegiorū ac perpetua nequitia seminariū trāsmisit in posteros. Hæc itaque ratione illa opinio vulgi, quæ credunt Angelos vel maleficia, vel diuersas artes hominibus tradidisse, in veritate completa est.* Hæc Cassianus.

Iam Magos alios percenseamus. Plinius lib. 10. c. 1. *Quotus enim quisque auditu saltem cognitos habet, qui soli cognominantur, Apuscorum, & Zaratum Medos, Babyloniumque Marmaridum, & Arabem Hippocum, Assyrium verò Zarmocenedam, quorum nulla extant monumenta.* Et Paulo inferius: *Primus extat, ut equidem inuenio commentatus de ea Osthānes, Xerxem regem Persarum bello, quod is Græcia intulit comitatus: ac veluti semina artis portentosa sparsisse, obiter infecto, quacumque commeauerat, mundo. Diligentiores paulo antè hunc ponunt Zoroastrem alium Proconnesium. Quod certum est, hic maxime Osthānes ad rabiem, non aniditatem modo scientiæ eius, Græcorum populos egit. Quancumque animaduertit, summam litterarum claritatem, gloriamque ex ea scientia antiquitus & penè semper petitam. Certe Pythagoras, Empedocles, Democritus, Plato ad hanc discendam nauigauere, exiliis verius, quam peregrinationibus, susceptis. Hanc reuersi predicauere: hanc in arcanis habuere. Democritus Apollanicem Captidinem, & Dardanum è Phœnice illustrauit, volaminibus Dardani è sepulchro eius petitis, suis verò è disciplina eorum editis.* Et post alia: *Non leuem & Alexandri magni temporibus auctoritatem addidit professioni secundus Osthānes, comitatu eius exornatus, planèque quod nemo dubitet, orbem terrarum peragravit.*

Laërtius Proœmio: *Post Zoroastrem vero multos quosdam Magos, Osthānas, Altraphycos, Gobryas, & Pazaras tandiu extitisse, donec Persarum regnum ab Alexandro deletum est.*

Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatū: *Præscientia autē Pythagoras quoque Magnus sēper mentē adhibuit, & Abaris Hyperboreus, & Aristæus Proconnesius, & Epimenides Cretensis, qui venit Spartam, & Zoroaster Medus, & Empedocles Agrigentinus, & Phormio Lacō quin etiā Polyaratus Thasius, & Empedorimus Syracusanus & post hos maxime Socrates Atheniensis. Est enim mihi, inquit, in Theage, quod ab inēte ætate diuina sorte accidit signum demonis. Id autem est vox, quæ ubi fuerit edita, retinet, ne faciam quod sum facturus, hortatur autem nunquam. Et Excestus Phocensium tyrannus*

duos gestans incantatos annulos, qui inter se inuicem ab eis cadebatur sonitu, sciebat tempus rerum gerendarum: mortuus tamen est dolo interfectus.]

Tertullianus de Anima, cap. 57. nobiles magos recensens, ait: *Osthanes, & Typhon, & Dardanus, & Damigeron, & Nectabis, & Berenice.* publica iam literatura est, quæ animas etiam iusta ætate sopitas, etiam proba morte disunctas, etiam prompta humatione disunctas euocaturam se ab inferâ incolatu pollicetur.] Vide Iunium & Pamelium in notis. Iunius: *Nectabis & Berenice* feminarum videntur nomina, quæ de *Necromantia* scripta ediderunt.] Ignorantur penitus quæ fuerint. Forfan *Nectabis*, est *Nectanabus* Ægypti rex, de quo multa diximus, lib. 3. cap. 4.

Arnobius lib. 1. aduersus Gentes: *Age nunc veniat quis super igneam zonam magus interiore ab orbe Zoroastres Hermippo ut assentiamur auctori. Bactrianus & ille conueniat, cuius Ctesias res gestas Historiarum exponit in primo. Armenius Zostrianus nepos, & familiaris Pamphylus Cyri, Apollonius, Damigero, & Dardanus, Velus, Iulianus, & Babulus, & si quis est alius, qui principatum & nomen fertur in talibus habuisse præstigiis.*] Desiderius Heraldus putat hunc locum corruptum, neque intelligit, quid illud sit, *super igneam zonam.* aitque sic esse restituendum: *Age nunc veniat quis Azonaces magus interiore ab orbe. Hermippo, ut assentiamur auctori. Bactrianus & ille conueniat, &c.* siquidem *Hermippus* apud *Plinium*, *Azonacem Zoroastri* præceptorem fuisse tradit. At *Dio Chrysostomus*, *Suidas*, *Cedrenus*, quorum verba supra posuimus, potuissent Heraldum docere, quid illud esset, *super igneam zonam.* Videtur Arnobius duos Zoroastres innuere Persam vnum, alterum Bactrianum.

De Pythagora Plutarchus in Numa: *Fertur ille ita mansuesecisse aquilam, ut certis vocibus sisteret, & deuocaret superuolantem. Iam in conuentu Olympiaco traſeuntem femur aureum protulisse, aliâque commemorant monſtrificas eius artes & facta. Quare scripsit Timon Philiasius:*

*Pythagoram technis captantem nominis auram
Kita & multentem blandis sermonibus aurea.]*
Laërtius lib. 8. *Fama etiam est ipsius aliquando nudati crur aureum apparuisse, multisque erat sermo cum Nefsum flumen traiceret ab eo appellatum fuisse.]* Origenes lib. 5. contra *Celsum*: *Quid memorem Pythagoram, de quo multa prodigiosa feruntur, quod in conuentu Græcorum nudauerit femur eburneum: quodque agnouerit clypeum gestamen suum cum olim esset Euphorbus: conspectusque sit eadem die in duabus urbibus.]* Apollonius in Historiis mirabilibus, cap. 6. *Pythagoras Mnesarchi filius, principio Mathematicis ac numeris animum intendit: postea verò Pherecydis etiam præstigiis non abstinnit. Nam Pontij naue adueniente mercibus onusta, & his qui aderant, optantibus ut salua portum intraret propter merces, adstans ipse: Ergo, inquit, exiguum vobis apparebit corpus hanc ducens nauim. In Etruria serpentem qui morsu necabat, iste mordens interfecit. Metapontum transit nemini visus. Et fluiuium qui infra Samum est, transiens, vocem humanâ maiorem audiuit: Salue Pythagora. Vnde summus comitibus incidit pauor. Visus est aliquando Crotone & Metaponti eadem die atque hora. Aliquando in theatro sedens, ut Aristoteles refert, surrexit, & sessoribus demonstrauit femur suum aureum. Feruntur de eo etiam alia mirabilia.]*

De Abati Hyperboreo Herodotus lib. 4. num. 36. *De fabula Abaris qui fertur esse hyperboreus, nihil dico, qui sagittam dicitur per vniuersam terram circumtulisse nihil comedens.]* Plato in Charmide: *Si inest tibi, ut ait Critias, temperantia, & sufficienter es temperans, neque Zamolxidis, neque Abaridis Hyperborei incantationibus*

indiges.] Apollonius in Mirabilibus Historiis, cap. 4. *Abaris ex Hyperboreis, ipse quoque Theologus fuit. Scripsit oracula regionibus quas peragravit, quæ hodièque extant: prædixit iis quoque terremotus, pestes, & similia, ac caelestia. Ferunt eum cum Spartâ aduenisset, Lacones monuisse de Sacris mala auercentibus, quibus peractis, nulla postmodum Lacedamone pestis fuerit.]* Origenes lib. 3. contra *Celsum*: *Aut in eis quos Celsus enumerat dicens, à nemine coli Abarim Hyperboreum, cuius tanta vis erat, ut cum sagitta ei aculata ferretur per aerem. Quid enim sibi voluit Abaridis diuinitas, per quam consecutus est velocitatem sagittæ parem?] Suidas: Abaris Scythæ, Scythæ filius oracula scripsit, quæ Scythica dicuntur: Nuptias Hebræi stuuji, Lustrationes, & Deorum originem, soluta oratione: Apollinis aduentum ad Hyperboreos versu. Venit è Scythia in Græciam. Huius est fabulosa illa sagitta, quæ è Græcia usque ad Scythas Hyperboreos transuolat, eique ab Apolline data fuerit. Huius etiam Gregorius Theologus in Funebris Oratione in Magnum Basilium mentionem fecit. Aiunt autem cum pestilentia toto terrarum orbe grassaretur, Apollinem in Barbaris, quam Græcis consuletibz oraculum, respondisse: Opportere à populo Atheniensium vota fieri pro omnibus. Multarum igitur gentium legatis ad eos proficiscentibus, etiam Abaridæ, Hyperboreorum nomine, legatum venisse aiunt. Tempus aduentus illius controuersum est. Nam Hippostratus eum tertio Olympiade aduenisse dicit: Pindarus tẽpore Cressi Lydorum regis, alij vigesima prima Olympiade.] Agunt de Abaride Diodorus Siculus lib. 2. n. 92. Strabo lib. 7. pag. 208. Pausanias in Laconicis, num. 94. Eusebius in Chronico numero M. CXLIII. & MDLXVIII. S. Gregorius Nazianzenus oratione 20. quæ est de Laudibus S. Basilij, & Epistola 6. Iulius Firmicus de Errore Profanarum Religionum, cap. 16. De quo etiam vide Erasmus in Adagio Abaridis sagitta, Lilius Gyraldus Dialogo 3. de Poëris, Iosephum Scaligerum, & Arnaldum Ponticum in Notis ad Chronicum Eusebij, Billium in Notis ad Orationem 20. S. Gregorij Nazianzeni, num. 33.*

De Aristæo Proconnesio Herodotus lib. 4. num. 13. *Alia quoque fertur communis Græcorum, Barbarorumque narratio: Aristæus quidam Proconnesius, versificator, Castrobij filius, memorauit se Phæbo instinctum venisse ad Issedonas: & supra hos incolere Arimaspos, viros vnoeuolos: & item supra hos esse Gryppas, qui aurum asseruent: ac super hos esse Hyperboreos, id est, superaquilonares, ad mare pertingentes. Hos autem omnes præter Hyperboreos, Arimaspos auctoribus, assidue finitimis bellum inferre, & ab Arimaspiis exterminari Issedones, ab Issedonibus Scythas, à Scythis autem vexatos Cimmericos, qui ad Australe mare incolebant, regionem relinquere. Itaque ne Aristæus, quidem cum Scythis de ea regione consentit. Qui vnde fuerit, qui hac retulit dictum est à me: sed à me dicitur item quenam de eodem viro in Proconneso & Cyzico audierim. Aristæum aiunt, cum nullo sue ciuitatis esset inferior genere ingressum in Proconneso fullonicam officinam, decessisse: fullonemque oclusa officina, abiisse denunciata rem propinquis defuncti. Dissipatioque per urbem rumore Aristæum esse vita functum, superuenisse sermoni de hac re disputantium, quendam Cyzicenum, ex urbe Artacia profectum, qui diceret se fuisse congressum cum Aristæo apud Cyzicum, atque collocutum. Et Cum id iste contendendo asserueret, propinquos mortui ad fullonicam præsto fuisse, habentes quæ ad efferendos homines expediunt: sed aperta domo, Aristæum nec viuum apparuisse nec mortuum: septimoque deinde anno, quum in Proconneso comparuisset, eos versum fecisse qui nunc à Græcis Arimaspei vocantur: quibus conditus, rursus euauisse. Hoc istæ ciuitates commemorant, quod scio congruisse cum Metapontinis qui sunt in Italia, trecentis & quadraginta annis postquam*

postquam iterum euauit Aristeus, quemadmodum conciens & in Proconneso, & apud Metapontinos inueni. Metapontini enim aiunt; Aristeam, cum apud seipos apparuisset, iussisse aram Apollini extrui, & iuxta eam erigi statuam quæ cognomen Aristei Proconnesij haberet: quod diceret Apollinem ad eos solos ex Italiis in ipsorum terram venisse, se illum affectante: & qui nunc Aristeus esset, tum fuisse coruum quum Deum affectaretur. Et hac locutum euauisse. Eoque aiunt Metapontini se Delphos ad Deum misisse sciscitatum quodnam illud hominis esset proloquium: sibi que iussisse Pythiam ut dicto audientes essent: melius enim cum ipsis actum iri, se parerent. Se igitur hæc admittentes perfecisse. Et nunc statua extat cognomine Aristei iuxta aram ipsam Apollinis, in foro extructam, circumstantibus vtrinque lauris. Hæc de Aristeo hætenus.]

Strabo lib. 13. pag. 405. Proconnesus fuit Aristæas auctor Carminum, quæ Arimaspea dicuntur, prædigiis nemini secundus.] Plutarchus in Numa: Aristeam Proconnesum in fullonis taberna vitam perhibent finisse, corpusque eius cum necessarij adessent ad id auferendum, ex conspectu raptum: ac quosdam qui modo peregrè veniebant, affirmasse Aristæa se occurrisse Crotonem tendenti.] Plinius lib. 7. cap. 52. Aristei etiam animam visam euolantem ex ore in Proconneso, corui effigie, magna quæ sequitur fabulositate. Suidas: Aristæas Democharidis aut Castrobij filius, Proconnesus, qui Arimasporum Hyperboreorum historiam libris tribus heroico versu descripsit, qui Arimaspij dicuntur. Huius animam tradunt, cum vellet, exiisse, & remeasse. Scripsit & soluta oratione Theogoniam, id est, ortum Deorum, versibus mille. Vixit Cræsi & Cyri temporibus, Olimpiade quinquagesima.]

Apollonius in Mirabilibus Historiis, cap. 2. Aristæas Proconnesus, ut historia fertur, cum esset in fullonis cuiusdam officina in Proconneso mortuus: eadem die atque hora à multis in Sicilia visus est litteris docens. Quod cum eis sapius euenisset, & per multos annos innotuisset, ac crebrius in Sicilia se eius imago offerret, Siculi aram ipsi posuerunt, atque ut heroi sacrificarunt.]

Origenes lib. 3. contra Celsum: Videamus porrò quæ Celsus affert ex historiis non admodum verisimilia, ipsi tamen credita, quantum ex verbis eius apparet: & primum de Aristeo Proconnesio, de quo sic scribit: Ergo Aristeam Proconnesum, qui tam diuinè rebus humanis exemplus est, rursusque manifestè conspiciendum se præbuit: & post multum temporis alio atque alio loco orbis peragrato, miranda quedam renuntiavit, etiam post interminationem Apollinis qui eum pro Deo coli à Metapontinis iussit, nemo iam Deum existimat? Hanc historiam videtur desumpsisse à Pindaro, & Herodoto: nobis nunc sufficient quæ in Quarto narrat Herodotus his verbis: Aristæus qui hæc retulit, unde fuerit, &c.] Pergit referre verba Herodoti de Aristeo, quæ superius posuimus.

Maximus Tyrius Oratione 22. Proconnesus Philosophum habuit Aristeam nomine: hic cum ab initio nullam apud Proconnesios sapientie opinionem haberet, idcirco quod in ea comparanda nullis magistris usus videretur, ad incredulitatem illorum submouendam huiusmodi sermonem inuenit: animum videlicet suum aiebat relicto corpore sublato confestim in aëra, uniuersam tam Græcam, quam Barbaram terram peragrasse: insulas præterea cunctas, amnes, montes, neque alicubi peregrinationem ante cohibitam, quam Hyperboreos fines adisset. Interea ubique gentium leges, & politicos mores inspexisse, naturas itidem cunctas regionum, mutationes aeris, alluiones maris, fluminum emissiones: quin etiam & cælum suspexisse, cuius spectaculum propter sublimitatem volatus, clariùs longè quam qui spectant è terra, consequi

posset.] Meminit Aristæa Aulus Gellius lib. 9. cap. 4. Vide de eodè Lilius Gyraldum Dialogo 2. de Poëtis.

De Epimenide Cretenfi, Laërtius lib. 1. Is aliquando à patre ad gregem armentorum in agrum missus, cum de via ad meridiem deflexisset, in spelunca quadam annis septem & quinquaginta dormiuit. Expergefactus autem pecudum gregem postea requirebat, paululum se dormiuisse putans. Quem cum non inuenisset, in agrum venit: cumque ibi mutata omnia & rei Dominum aliū offendisset, in urbem rursus inops consilij reuersus est. Ibi verò domum propriam ingressus, in eos incidit, qui se, quis esset interrogarent: donec iuniore fratre reperto, qui eo iam tempore senex erat, omnem ab eo rei veritatem edidit.]

Plinius lib. 7. cap. 52. Quam equidem fabulositatem & in Gnosio Epimenide simili modo accipio. Puerum ætate & itinere fessum in specu, septem & quinquaginta dormisse annis: rerum faciem, mutationemque mirantem, velut postero experrectum die: hinc pari numero dierum senio ingruente, ut tamen in septimum & quinquagesimum atque centesimum vita durauerit annum.] Plutarchus, An seni sit geranda respublica: Sicut Epimenidem dicunt, cum adolescens obdormiisset, post quinquaginta annos euigilasse iam senem.] Paulianias Atticorum lib. 2. num. 13. Ibidem sedentem videas Epimenidem Gnosium, quem cum in agrum exisset, in spelunca somno oppressum memorant, neque prius experrectum, quam annos quadraginta obdormiisset: postea vero & Heroicos versus fecisse, & cum aliis urbes, tum Athenas lustrasse.] Lucianus in Timone: Nam Epimenidem quoque dormiendo vicisti.]

Suidas: Epimenides Cretenfis, Gnosius, versificator, Cuius animam ferunt, quo ad vellet, & excessisse è corpore, & in id esse reuersam. Eius defuncti cutem longo tempore post, litteris distinctam, reperiã esse tradunt. Vnde in Proverbium, Epimenidea curis. De rebus arcanis. Hic lustrauit Athenas iam senex. Versibus multa scripsit: Initia, Lustrationes, & alia obscura. Vixit annos centum quinquaginta, quorum quinquaginta septem dormiuit.]

Apollonius in Mirabilibus Historiis, cap. 1. Epimenides Boli filius, Cretenfis à patre & fratribus in agrum missus, cuius in urbem adducenda causa, fertur cum eum nox obrueret, à semita deflexisse, ac dormiuisse per quinquaginta septem annos. Quod cum alij memoria prodiderunt, tum Theopompus in Historiis, percurrens quæ singulis locis Mirabilia eueniunt. Inter ea verò temporis propinquos Epimenidis, vitam cum morte commutasse: ipsum somno solutum, Copinatum autem fuisse, eadem se die euigilasse, quæ obdormiisset) ouem, cuius gratia missus fuerat, quesuisse: quam cum non inueniret, rus profectum, prædium reperisse venditum, & instrumenta mutata: itaque in urbem abiisse, domumque ut venerit, ibi de omnibus rebus cognouisse, inter quæ etiam de tempore suæ absentie. Et perhibent Cretenfes, ut est apud Theopompum, mortuum eum esse natum annos centum quinquaginta. Ferunturque de hoc viro alia etiam haud pauca mirabilia.]

Hesychius Milesius, de viris claris. Epimenides Cretenfis: huius anima narratur corpore solere excedere quum vellet, & quamdiu luberet, rursusque regredi: mortui quoque pellem litteratam, notisque compunctam repertam fama est.] Plato lib. de Legibus: Forasse nanque audisti Epimenidem virum fuisse diuinum, qui ex familia nostra fuit, ac decem annis ante Persicum bellum Dei oraculo monitus, ad vos peruenit, & sacrificia quadam Dei oraculo edita fecit: Atheniensibusque Persicam formidabilem classem, prædixit, decensio Persas nequaquam venturos, &c.] sed de Epimenide plura vide apud Lilius Gyraldum Dialog. 2. de Poëtis. De Adagiis Epimenidis somnus. Et Epimenidis Corium, adito Chiliadas Erasmi.

Somnus Epimenidis reuocat nobis in memoriam quæ Ecclesiasticis historiis prodita extant de Septem Dormientibus, apud Ephesum, cunctis nota, de quibus Romanum Martyrologium, & Vsuarii 27. Iulij, & Græcorum Menologium 4. Augusti, & 11. Octobris, Simeon Metaphrastes apud Surium Tomo 4. Iulij 27. Nicephorus lib. 14. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 45. Cedrenus in Annalibus, anno 23. Theodosij Iunioris, Photius in Bibliotheca, Numero ccliii. Sanctus Gregorius Turonensis de Gloria Martyrum lib. 1. cap. 95. Sigebertus in Chronico, anno 447. Sed & Alredus Monachus in vita S. Eduardi regis Anglorum, apud Surium Tomo 1. Ianuarij 5. mirum quiddam de eisdem refert. De aliis quoque Septem Dormientibus in Germania admiranda prodit Paulus Diaconus lib. 1. Historiæ Longobardorum, cap. 3. ex quo Olaus Magnus lib. 1. Gentium Septentrionalium, cap. 3. descripsit. Vide de his quoque Gyraldum Dialogo 2. de Poëtis in Epimenide. Baronius in Notis ad Romanum Martyrologium, verum & diuturnissimum somnum Septem Dormientium Ephesinorum strenuè in dubium reuocat: sed ut mihi videatur, immerito: quod tamen latius excutere instituti ratio non patitur.

De Hermotimo Clazomenio Plinius lib. 7. cap. 52. Reperimus inter exempla, Hermotimi Clazomenij animam relicto corpore errare solitam, vagantemque à longinquo multa annuntiare, quæ nisi à presenti nosse non possent, corpore interim semianimi: donec cremato eo inimici, qui Cantharida vocabantur, remeanti anima velut vaginam ademerint.

Plutarchus de Socratis Genio: *Qualis fuit Hermodori Clazomenij anima, quam audiisti, nimirum corpore omnino deserto, noctes, diesque multa per vagantem loca, rursus in corpus rediisse, cum præsens multis in longinquo dictis ac factis interuenisset: Donec inimici corpus anima vacuum prodente vxore nacti, domi combusserunt. Hoc quidem verum non est, non enim egressa est à corpore anima: sed identidem concedens & laxans genio compagem, circumcirculationem admisit, ut is multa foris audita & visa, intro annuntiaret. Qui verò dormientis corpus cremauerunt, etiamnum in tartaro supplicium pendunt.* Lucianus in Mulcæ Encomio, Et verificat de Hermotimo Clazomenio fabulam, quod sæpè cum reliquisset eum anima, per se ipsam ibi peregrè, deinde reuersa implebat iterum corpus, & suscitabat Hermotimum.]

In Fragmentis Apollonij Grammatici de Mirabilibus Historiis, cap. 3. De Hermotimo Clazomenio huiusmodi fabule narrantur. Animam eius extra corpus euagatam, per multos annos peregrinatam, variis in locis futura prædixisse: ut imbres magnos, siccitatis terramotus, pestilentias, aliæque id genus, iacente interim corpusculum eam longo temporis intervallo corpus veluti exuium quoddam intrasse, idque excitasse. Id cum sæpè numero egisset, vxorique mandasset, ut à suo discessu nemo neque cuius, neque alius homo corpusculum attingeret: quidam domum ingressi, à muliere precibus impetrarunt, ut nudum, immobilēque humi iacentem spectarent Hermotimum quem igne factum cremarunt: existimantes, anima reuersa, & quò se reciperet, non inueniente, ipsum prorsus moriturum, quod & accidit. Ceterum Clazomenij Hermotimum in hunc usque diem venerantur, fanumque ei dedicarunt, in quod mulieribus ingredi non licet, ob causam expositam.]

De Empedocle Agrigentino Laërtius lib. 8. Hunc Apollodorum Satyrus affirmare dicit, se Empedoclis præstigiis interfuisse. quas quidem & alia complura ipsam etiam in Poëmæ polliceri, in quo ait:

Pharmaca quæcumque sunt malorum, senectæque

auxilium

Audies, quoniam tibi soli perficiam hæc omnia.

Sedabis autem indefessorum ventorum iram, qui supra terram

Ruentes, flatibus occidunt agros.

Atque iterum, si voles, retrocedentes flatus adduces,

Dabisque ex imbre caruleo opportunam siccitatem

Hominibus, dabisque ex siccitate æstiuam

Imbres arbores alentes, æstate autem spirantia:

Educesque ex orco mortui vim viri.]

Et post alia: *Heracledes, posteaquam Empedocles femina mortua ad vitam reuocata summam sit gloriam consecutus, in agro Pisanactis sacrificium instituisse tradit, &c.]* Eadem habet Hefychius Illustris de Claris vitis: quod etiam pertinent illa Plinij lib. 7. cap. 52. *Huc pertinet nobile illud apud Græcos volumen Heracledis, septem diebus femina exanimis ad vitam reuocata.]* De quo volumine videndus omnino Laërtius in Empedocle. Vide etiam infra lib. 8. cap. 22.

Numam etiam Pompilium magicis artibus fuisse infectum, & congressus Ageriæ, de quo cap. sequenti dicemus, & verba M. Varronis ostendunt, de quibus S. Augustinus lib. 7. de Ciuitate Dei, cap. 35. *Nam & ipse Numa, ad quem nullus Dei propheta, nullus sanctus Angelus mittebatur, hydromantiam facere compulsus est: ut in qua videret imagines deorum, vel potius ludificationes demonum, à quibus audiret, quid in sacris constituere, aut obseruare deberet. Quod genus diuinationis idem Varro à Persis dicit allatum, quo & ipsum Numam, & postea Pythagoram Philosophum usum fuisse commemorat: ubi adhibito sanguine etiam inferos perhibet sciscitari, & Necromantiam Græcè dicit vacari: quæ siue Hydromantia, siue Necromantia dicatur, id ipsum est, ubi videntur mortui diuinare.]*

De Attio Nauio insigni Romano Augure Cicero lib. 1. de Diuinatione: *Quis veterum scriptorum non loquitur quæ sit ab Attio Nauio per lituum regionum facta descriptio? qui propter paupertatem suæ puer pasceret, una ex iis amissa, vouisse dicitur si recuperasset, vnam se Deo daturum quæ maxima esset in vinea: itaque sue inuenta, ad meridiem spectans, in vinea media dicitur constitisse: cumque in quatuor partes vineam diuideret, tresque partes aues abdidissent, quartam parte quæ erat reliqua, in regiones distributa, mirabili magnitudine vnam, ut scriptum videmus, inuenit. Quæ re celebrata, cum vicini omnes ad vnum de rebus suis referrent, erat in magno nomine & gloria. Ex quo factum est, ut eum ad se rex Priscus accerferet. Cuius cum tentaret scientiam augurarius, dixit ei, se cogitare quiddam, id possetne fieri consuluit. Ille augurio capto, posse respondit. Tarquinius autem dixit, se cogitasse cotem nouacula posse præcidi. Tum Attium iussisse experiri: ita cotem in comitium illatam, inspectante & rege, & populo, nouaculam esse discissam. Ex eo euenit, ut & Tarquinius Augure Attio Nauio videretur, & populus de suis rebus ad eum referret. Cotem autem illam & nouaculam defossam in comitio, supraque impositum Puteal accepimus. Negemus omnia, comburamus Annales, ficta hæc esse dicamus: quiduis denique potius, quam deos res humanas curare fateamur.]* Eadem fusè referunt Dionysius Halicarnassensis lib. 3. Lilius lib. 1. Festus, verbo Nauia Laërtius lib. 2. cap. 8. At iam sat Magorum: Nam de Apollonio Thyaneo diximus abundè lib. 1. cap. 17. de Simone Mago cap. 14. Sospitæ vxoris Eustachij Philosophi magæ atque incantatrici famosæ Eunapius Sardianus in Vitis Philosophorum, vitam & res gestas accuratè conscripsit. Alexandri quoque Magi & impostoris teterrimi acta Lucianus habet in Alexandro, seu Pseudomante,

CAPVT

CAPVT VII.

Nobiles Magi qui Paredris, id est, demonibus familiaribus, sunt vsi: quos ea in re nedum imitabitur, sed etiam superabit Antichristus.

Non est dubium, insigniores Magos vim omnem & efficacitatem nefandæ suæ artis opera cumprimis & efficientia prauorum dæmonum patrare consueuisse, vti cap. 5. extremo notabamus: Atque commercio & disciplina impiæ facultatis, praua & detestanda familiaritate cum quibusdam cacodæmonum implicari & innecti. Et vetustiores quidem solebant societates eiusmodi cum lucifugis geniis specioso deorum congressus nomine, quo pudenda & horrenda magicæ peritiæ obtegerent, induere.

De Minoe rege Cretensium Plato in Minoe: *Homerus inquit, Est Genosus ampla ciuitas, in qua Minos regnauit, nouem annos magno cum Ioue collocutus. Minocem annos nouem cum Ioue collocutum inquit, ad eumque disciplina gratia proficisci solitum, quasi Iupiter sophista sit. Quod autem tanto munere, hoc est, ab Ioue eruditum esse, alium heros nullum Homerus affecit, mira quadam laus existimanda est. Minocem videlicet cum Ioue annos nouem in sermonibus congressum. Minos itaque annos nouem Iouis antrum erudiendus accessit.*] Strabo lib. 10. pag. 328. *Minocem cum per annos nouem in anatro Iouis esset commoratus, conscripta quadam præcepta attulisse, quorum auctorem Iouem faceret: itaque & Homerum de eo sic Scripsisse.*

— ibi Minos

Regnauit, ter tres qui discipulus fuit annos.

Supremi Iouis. —

Et lib. 16. pag. 524 Minos, qui &

Ter ternos Iouis auditor Minos fuit annos.

idest, per nouennium, & ut Plato dicit, in Iouis antrum descendit, & ab illo præcepta accepit, quæ ad homines afferret.]

Vide Notas Casauboni ad Strabonem, qui in Homero & in Platone reddendum vult, nono quoque anno, non, annos nouem. Plutarchus in libello, Maximè cum Principibus viris Philosopho esse disputandum: *Homerum audimus, qui Minocem Iouis Oaristam appellat: hoc est Platone interprete familiarem atque discipulum.*] Valerius Maximus lib. 1. cap. 2. *Minos Cretensium rex nono quoque anno in quoddam prælatum, & vetusta religione consecratum specus secedere solebat: & in eo moratus, tanquam à Ioue, quo se ortum ferebat, traditas sibi leges prærogabat.*] Dyonisius Halicarnassensis lib. 2. *Minos Cretensis quidem simulabat sibi esse cum Ioue congressum: quare montem Dictæum frequentans, in sacrum antrum descendebat, & leges ibi conditas in urbem afferebat, quas se ab Ioue accipere affirmabat.*] Lactantius lib. 1. c. 22. *Minos se in antrum Iouis recondebat, & ibi diu moratus, leges tanquam sibi à Ioue traditas afferebat.*] Similia habet Maximus Tyrius Sermonem 22.

De Numa Pompilio Romanorum Rege Dionysius lib. 2. *Multa autem, eaque admiranda de eo dicuntur, referentes humanam eius sapientiam ad deorum monita. Fabulosè enim dicunt illi congressum fuisse cum quadam Nympha Egeria, quæ illum assidue regiam sapientiam doceret. Alij verò eam non Nympham fuisse, sed vnam Musarum. Atque hoc omnibus manifestum factum fuisse dicunt. Cum enim homines, ut verisimile est, initio fidem illi non haberent, & existimarent illum de numine sermonem fictum esse:*

ferunt ipsum, quum vellet ostendere incredulis hominibus apertum aliquod indicium suæ cum dea consuetudinis, ut se ab illa edoctum hac facere probaret, Romanorum multos, probosque viros in ades ubi egebat vocasse: deinde iis qui eò venerant, suppellectilem vilem, & domum omni alio apparatu male instructam, quin etiam rebus omnibus ad conuiuium extemporaneum necessariis carentem ostendisset, iussisse tunc quidem discedere, sub vesperam verò eos ad cenam inuitasse: ipsis verò ad horam conditam reuersis, ostendisse & lectos splendidos & mensas poculis multis, & elegantibus onustas ipsique iussis decumbere, omnigenas epulas & cibos apposuisse, quos nullus illius seculi homo tempore quantumvis longo facile parasset. Tunc autem Romanos & valde obstupuisse ob varietatem rerum quas videbant, & ab illo tempore sine ullo dubio existimasse, deam aliquam cum eo consuetudinem habere. Sed qui res omnes fabulosas ex historia tollunt, Numam hac quæ de Egeria dicebat, finxisse dicunt, ut qui numen diuinum metuerent, facilius animum ad se aduerterent, & leges quas esset laturus, libenter ut à diis latas acciperent.] Eadem de Numæ & Egeriæ congressu produnt Liuius lib. 1. Valerius Maximus lib. 1. cap. 2. Cicero lib. 1. de legibus, sub initium, Florus lib. 1. cap. 2. Plutarchus in Numa, Auctor de Viris Illustribus, cap. 2. Lactantius lib. 1. cap. 22. S. Augustinus 7. de ciuitate Dei, cap. 35. Vnde Ouidius 3. Fastorum.

Egeria est quæ præbet aquas dea grata Camenis

Ille Numæ coniunx, consiliūque fuit.

Socratis dæmonium mirè apud Auctores celebratur, de quo ipse in Platonis Theage: *Adest mihi diuina quadam sorte dæmonium quoddam à prima pueritia me secutum: hoc enim vox est quadam, quæ cum sit, semper eius rei quam facturus sum dissuasionem innuit, prouocat verò numquam.*]

Diogenes lib. 2. *dæmonium quoque futura sibi ante significare dicebat.*] Scripsere Plutarchus, & Apulejus peculiaria volumina de dæmone, seu Genio, aut Deo Socratis. Fuit quoque dæmonium Socratis Christianorum Patrum sententiis infamatum, Clementis Alexandrini 1. Stromate, Tertulliani Apologetici cap. 22. & lib. de Anima, cap. 1. S. Cypriani de Idolorum vanitate, Lactantij lib. 2. cap. 15. S. Augustini lib. 8. de ciuitate Dei, cap. 27.

De Marco hæresiarcha Valentini discipulo S. Irenæus lib. 1. aduersus hæreses, cap. 9. *Datur autem intelligi eum & dæmonem quendam paredrum habere, per quem ipse quoque Prophetare videtur. Et quotquot dignas putat fieri participes suis gratiæ, prophetari facit.*] S. Epiphanius Hæresi 34. eadem verba S. Irenæi mutuatus, de eodem Marco ait: *Verisimile est autem, ipsum etiam dæmonem quendam asseforem habere, per quem & ipse prophetare ac vaticinari videtur: & quas dignas putat, ut participes fiant gratiæ eius, vaticinari facit.*]

De Plotino magni nominis Philosopho Porphyrius in eius vita hæc refert: *Egyptius quidam sacerdos Romam profectus per amicum quendam Plotino subito notus, cum exoptaret & suam Romæ sapientiam ostentare, suasisit Plotino ut secum accederet familiarem sibi dæmonem, eo advocante, proinus inspecturus. Cui facile Plotinus est obsecutus. Acta verò est in ade Isidis dæmonis inuocatio: solum namque hunc locum Romæ purum ait, Egyptius in inuenisse. Sed cum in aspectum proprium ipse dæmon accerseretur, pro dæmone Deus accessit, qui sane non esset in genere dæmonum. Sic ergo repente Egyptius exclamauit: Beatus es ô Plotine, qui habes pro dæmone Deum, neque ex*

inferiore genere sit Deum fortitus familiarem. Narrat verò non licuisse tunc quidquam interrogare, neque diutius videre presentem: quippe cum communis quidam ibi contemplator amicas aures quas manu tenebat custodia gratia, suffocasset, sine invidia ductus sine timore perterritus. Hæc Porphyrius.

Iulianus impius ille Apostata vsus quoque est familiaritatis demonio: nec mirum nam inter peritissimos magos profiteri concupiuit, de quo in vitis Patrum recentioris editionis, lib. 6. libello 2. cap. 12. *Temporibus Iuliani Apostata, cum descenderet in Perside, missus est demon ab eodem Iuliano, ut velocius vadens in occidentem, afferret ei responsum aliquod inde. Cum autem pervenisset ille demon in quendam locum, ubi quidam monachus habitabat, stetit ibidem per dies decem immobilis, eo quod non poterat ultra progredi, quia monachus ille non cessabat orando, neque nocte neque die. Et regressus est sine effectu, ad eum qui miserat illum. Dixit autem ei Iulianus. Quare tardasti? Respondit ei demon, & dixit: Et moram feci, & sine actione reversus sum: sustinui enim decem dies Publium Monachum, si forte cessasset ab oratione, ut transirem & non cessavit, & prohibitus sum transire, & redi nihil agens. Tunc impiissimus Iulianus indignatus, dixit: quum regressus fuero, faciam in eum vindictam. Et intra paucos dies interemptus est à providentia Dei. Et continuo unus ex Prefectis qui cum eo erat vadens, vendidit omnia quæ habebat, & dedit pauperibus: & veniens ad senem illum factus est monachus magnus, & sic quiescit in Domino.* Eadem omnino referunt Glycas 4. Parte Annalium, Cedrenus in Annalibus, pag. 247. Anno 18. Constantij.

Haud aliter affirmamus, Antichristum, non vnum aut alterum demonem pædrem & assessorem habiturum, sed plurimos sanè, eosque nequissimos, cum quibus intimam vitæ consuetudinem obibat, quique ei ad cuncta prava & detestanda præsto semper aderunt, etiam visibili & corporea specie, tanquam administri rerum. S. Hippolytus Martyr oratione de consummatione Mundi: *Iniquus ille elato animo demones suos congregabit humana specie, animasque multas inquinabit, quippe principes eis constituet ex demonibus.* S. Ephræm Syrus Sermone de Antichristo: *Impudentissimus ille demones ablegabit ad universos terre fines, qui cunctis predicent, magnum iam regem cum gloria apparuisse.* Rabbanus Opusculo de Antichristo: *Et maligni spiritus erunt duces eius, & socij semper, & comites indivisi.* Hoc ipsum docent quicumque res Antichristi stilo profecuti sunt. Sed Vide Viguerium, aliosque.

Estque rationi valde consentaneum, quemadmodum Christo Domino inter homines versanti non vnus aut alter, sed innumeri propemodum sancti Angeli adstitebant, tanquam ministri ad iussa parati, uti Theologi docent, quasi illud propriè ad Christum pertinuerit, Psalm 90. v. 11. *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum:* Ita quoque Antichristus semper

adhæsurus enumerabiles cacodæmones,
quorum examinibus, etiam ad-
spectabili & humana specie
conspicuis, succinctus
incedat.

* *

CAPVT VIII.

Iucunda narratio quarundam magicarum & admirandarum effectuum, ad quarum instar multa patrabat Antichristus.

Mirabile primum illud occurrit quod de Philippo Alexandri patre valerius lib. 1. cap. 8. ita refert: Eodem Delphico oraculo Macedonum rex Philippus admonitus, ut à quadriga violentia salutem suam custodiret, toto regno disjungit currus iussit: eumque locum qui in Bæotia Quadriga vocatur, semper vitavit. Nec tamen denunciatum periculi genus effugit: nam Pausanias in capulo gladij, quo eum occidit, quadrigam habuit Celatam.] Alianus de Varia Historia lib. 3. cap. 45. Philippum in Bæotia ferunt in ade Trophonijs responsum accepisse, ut caveret sibi à curru. Illum igitur metu oraculi, numquam ascendere currum voluisse perhibent. Hinc iam duplex fama vulgata est. Nam alij dicunt Pausania gladium, quo Philippum peremit, in capulo currum ex ebore sculptum habuisse. Alij verò, cum circumiret Thebaicam paludem, cui currus nomen erat, trucidatum esse. Atque prior sermo vulgaris est, posterior vero non ita frequens.] Cicero sub initium libri de Fato: Aut Philippus hæc in capulo quadrigulas vitare monebatur? quasi verò capulo sit occisus?]

De Thrasylllo insigni Mathematico Tacitus Annali 6. cum agit de peritiis magicæ Tiberij Cæsaris: *Scientia Chaldaeorum artis, cuius adipiscenda, otium apud Rhodum, magistrum Thrasyllum habuit, peritiam eius hoc modo expertus. Quoties super negotio consultaret, edita domus parte, ac liberti vnus conscientia utebatur. Is litterarum ignarus, corpore valido, per ania ac derupta (nam saxi domus imminet) præibat eum, cuius, artem experiri Tiberius statuisset: & regredientem, si vanitatis aut fraudum suspicio inceserat in subiectam mare præcipitabat, ne index arcani existeret. Igitur Thrasyllus iisdem rupibus inductus, postquam percontantem commoverat, Imperium ipsi & futura, folleter patefaciens: interrogatur, an suam quoque genitalem horam comperisset, quem tum annum, qualem diem haberet. Ille positus siderum, ac spatia dimensus, barere primò, dein pauescere: & quantum introspiceret, magis ac magis trepidus admirationis & metus: postremò exclamat, ambiguum sibi ac propè ultimum discrimen instare. Tum complexus eum Tiberius, præcium periculorum, & incolumem fore gratatur: quaque dixerat, oraculi vice accipiens, inter intimos amicorum tenet.*]

Dio lib. 55. Tiberius erat eius diuinationis, quæ ex astris ducitur, cum ipse peritissimus, tum Astrologia omni præstantissimum secum habebat virum, Thrasyllum nomine, vnde & suum, & suorum factum omne compertum habebat. Ferunt eum aliquando, cum esset in Rhodo, Thrasylli de muro præcipitandi consilia animo agitasse, quòd is solus omnium suarum cogitationum conscius esset: inde cum tristem videret, percontatum, quid ita vultum contraxisset: eumque respondisse, periculum se aliquod suum vereri, admirationeque motum Tiberium propositum abiectisse.] Hoc idem innuit Tranquillus in Tiberio, cap. 14. egeruntque ea de re antiquus Iuuenalis Scoliastes ad Satyræ 6. & Cedrenus in Annalibus pag. 161. qui etiam Plutarchum auctorem laudat.

Mirabilis illud est quòd Tranquillus in Domitiano, cap. 15. in hunc modum narrat: *Nulla tamen re perindè commotus est Domitianus, quam res-*
ponso

ponso, casuque Ascleptarionis Mathematici. Huic delatum, nec inficiantem iactasse se quæ prouidisset ex arte, sciscitatus est quis ipsum maneret exitus: & affirmantem fore, ut breuiter laceraretur à canibus, interfici quidem sine mora, sed ad coarguendam temeritatem artis, sepeliri quoque accuratissime imperauit. Quod cum fieret, euenit, ut repentina tempestate dejecto funere, semiustum cadaver discernerent canes: idque ei canenti à mmo Latino, qui prateriens fortè animaduertens, inter ceteras diei fabulas refertur.] Græcuti, Constantinus Manasses, Georgius cedrenus, Michael Glycas, Ioannes Zonaras, suo quisque modo, & à Suetonio diuerso casum Ascleptarionis referunt, sed fusius Manasses quos tu, si libuerit, consules.

Rara sunt magiæ experimenta quæ Lucianus refert in Philo pseude: quæ tamen ipse ut vana & conficta, more suo irrideat: at non est dubium, arte nefanda potuisse fieri. De Babylonio Chadæo quodam mago ista refert: At idem iste Babylonius alia præterea diuina planè fecit. Nempe in agrum profectus mane, cum pronuntiasset sacra quadam ex vetusto codice septem nomina, sulphure ac face lustrato loco, in orbem terræ obambulans, serpentes omnes inuitos exciuit quicumque intra eam regionem erant. Veniebant ergo tanquam ad incantationem tracti serpentes multi, atque aspides, & vipera, & cerasæ, & iaculi, phiyrique, ac phisali: relinquebatur autem vnus draco annosus, prorepere, ut opinor, ob senectam non valens, qui fuerat audiens dicto. At magus, Non adsunt omnes, inquit. Tum vnum quendam ex serpentibus eum videlicet, qui natu minimus erat, selectum legatum mittere ad draconem: ac paulo post venit etiam ille. At postquam iam collecti constitissent, Babylonius in eos insibilauit. Atque illi repenti admodum omnes ab eius statu incensi sunt, nobis interim admirantibus.]

Et post alia: Illud ergo de statua, inquit Eucrates, quæ omnibus qui in domo sunt singulis noctibus apparet, tum pueris, tum adolescentibus, tum senibus, hoc, inquam, non à me duntaxat audieris, verumetiam à nostris omnibus. De qua statua, inquam ego? Tu verò, inquit an non ad aquam illam quæ instat, quampiam vidisti ventre prominulo, caluam seminudatam vultis quibusdam barba pilis, insignibus venis vero homini simillimam? Pelichus dux Atheniensis esse videtur. Cum primum nox est, inquit, hæc à base descendens, in qua steterat, in orbem totam domum circumit: & omnes occurrunt ei interdum etiam canenti: Nec quisquam est quem nunquam laeserit: diuertere enim tantum oportet. Illa verò præterit, nihil inuolans infestans: quin & lauat sapes, & tota nocte ludit, ut ex ipso aqua strepitu licet audire. Noui quidem ego quid illi eueniret, qui obolos surripuit, quos ei nonilunio quoque suspendimus. Multi ad pedes eius oboli iacebant, aliaque item numismata quadam argentea ad cruris eius affixa cera, ac lamina quoque argentea, vota cuiusque, aut merces oblationem eius qui ab eo liberatus esset, quum febre detineretur. At erat nobis seruus quidam Libycus sceleratus, equorum curator. Hic noctu aggressus est ea auferre omnia: abstulitque, digressam iam cum obseruasset statuam. At cum primum reuersus intellexit sacrilegio se compilatum Philichus, vide quo pacto sese vltius est, atque furti prodidit Libycum. Tota nocte atrium obambulabat in orbem miser, exire non valens, tanquam in Labyrinthum incidisset, quoad orta die iam deprehensus est ea tenens quæ furto abstulerat: ac tum quidem comprehensus, plagas non paucas recepit, nec temporis multum superstes malus male perijt, vapulans, ut dicebat, singulis noctibus: adeo ut vibices postredie apparerent in corpore,

Nec minus ridiculum est, quod postea subdit de præstigiis Pancratis Memphictici magi: Cum in diuersorum quodpiam veniremus, homo accepto pistillo, scobinare, aut pessulo, vestibus triplicans cum in id carmen quoddam dixisset, effecit, ut ambularet, utque aliis omnibus homo videretur. Illud ergo abiès, & aquam hauriebat, & canam parabat, instruebatque, atque in omnibus commodè subseruebat, ministrabatque nobis. Deinde postquam iam satis huius ministerij fuit, scobinam rursus scobinam ac pessulum pessulum aliud recitans carmen, reddebat. Hoc ego vehementer conatus non reperiēbam, quo pacto ab illo expiscarer. Nam id mihi inuidebat, quamquam in aliis esset facilissimum. At quadam die in angulo quodam tenebricoso clam illo delitescens, subauscultauit propius incantationem illam. Erat autem trisyllaba. Tum ille cum pistillo mandasset quæ curanda erant, abiit in forum. At ego postredie, illo apud forum occupato, acceptum pistillum cum ornasse syllabas illas simili modo pronuntians, aquam iussi ut hauriret. Tum impletam amphoram cum tulisset: desiste, inquam, neque aquam amplius haurito, sed rursus esto pistillum. At illud mihi baud amplius obtemperare volebat, sed aquam hauriebat continue, quoad hauriendo totam domum nobis impleverat. At ego cum resistere huic rei non valerem: timebam autem ne Pancrates reuersus, ad quod etiam eueniret, transferretur: correctâ securi pistillum in duas partes disseci. At utraque pars amphoram sumens hauriebat aquam, iamque vnius loco, duo mihi ministri esse ceperunt. Interea Pancrates superuenit, ac re intellectâ, illas quidem in ligna rursus quemadmodum ante carmen erant, mutauit.]

Illud quoque admirandum quod de Menippo Lycio adolescente Philostratus in Vita Apollonij lib. 4. cap. 8. prodit: agens enim de his qui disciplinæ causa Apollonionem sectabantur, ait: Inter quos fuit Menippus Lycius annos natus circiter viginti & quinque, ingenio satis potens, corpore verò egregiè exercitatus, ita ut formosi athleta liberalisque speciem præ se ferret. Hunc à peregrina muliercula plerique amari putabant. Mulier verò satis pulchra, mollisque apparebat, & diuitiis supra modum abundans: quæ artificiosè, & ostentationis tantum causa simulabantur. Fuerat autem eius familiaritatem hoc modo consecutus Menippus. Cum aliquando solus Corintho ad Cenchreas proficisceretur, phantasma quoddam illi occurrit, quod se in mulieris speciem formauerat, atque manu apprehendens. Menippum, Iam dudum, inquit, se illius amore teneri: esse autem genere Phenissam, & in suburbano quodam iuxta Corinthum habitare: idque etiam digito monstrauit: dixitque: Si vesperi eò ad me veneris, me cantantem audies, & vinum bibes, quale ante nunquam bibisti: neque te riualis turbabit vllus. Pulchra enim pulchro contenta viuam & moriar. His blanditiis allectus adolescens, in reliqua Philosophia satis validus, amoribus tamen resistere impotens, vesperi ad mulierem venit: ac frequenter deinceps tanquam ad suas delicias veniebat ad mulierem, nondum quale id esset phantasma cognoscens. Hæc vero animaduertens Apollonius, primo statuarij instar Menippum intuius, diligenter ipsum designabat, & contemplabatur: ubi verò illum satis agnouisse visus est: O pulcher, inquit, & à pulchris mulieribus experite, serpentem foues, & te serpens fouet. Cum talia verba Menippus admiraretur: Hoc propterea dixi, Apollonius inquit, quoniam mulierem habes, quæ uxor tua non est, quid verò ante te amari ab illa putas? certè per Iouem, inquit, quandoquidem, me vehementer amat, An igitur, inquit Apollonius, eam tibi connubio iunges? Iungam, respondit ille: gratissimum est enim amantem ducere. Quando igitur, inquit Apollonius, futura nuptiæ sunt? Ille autem, cito, inquit,

imò verò cras fortasse. Observans igitur convivi tempus Apollonius, cum iam qui invitati fuerant, convenissent, & ipse eodem accedens, Vbinam, inquit, mulier est, cuius causa convivium celebraturi convenistis? Tunc Menippus: prope abest, inquit. Atque hæc dicens, cum paululum erubisset, surrexit, Tunc Apollonius, Argentum hoc, inquit, & aurum, ceteraque domus huius ornamenta, tuane, an mulieris sunt? Mulieris inquit ille. Et semilaceram, crassamque vestem ostendens, Talia quaedam mea sunt, inquit, ornamenta. Tunc ad eos qui aderant, conversus Apollonius, Tantali, inquit, hortos vidistis: qui apparent aliquid esse, cum non sint. Apud Homerum sanè dixerunt, non enim in infernum descendimus. Talem cerè, inquit hunc omnem ornatum existimetis oportet. Neque enim quæ apparet materia vlla subest, sed materia dumtaxat opimo est & imago. Ut autem verum esse cognoscatis quod dico, bona hæc sponsa una est ex numero Larvarum, quas aliqui larvas, aliqui lemures appellant. Sunt autem ad amorem & Venerem prona, & humanas carnes vehementer expetunt: Venerorum cupidine agitant eos, quos cupiunt postea deuorare. Illa hæc audiens, Age, inquit, meliora loquere. Seque eius dictis offensam, ac perturbatam demonstrans, in Philosophos paulo mordacius iniecta est, quasi semper nugarentur. Vbi verò aurea pocula, & quod videbatur argentum, inania, ventosque & ostensa, ab oculis evanuerunt, pincernaque & coqui, ac reliqua familia ab Apollonio coniecta disparuit: lamia lacrymantis similis rogabat Apollonium, ne se torqueret, neuè quid esset, fateri cogeret. Cumque ille acriter instaret, neque eam se dimissurum assereret tandem sese lamiam confessa est, & voluisse Menippum voluptatibus exple-re, ut eius postea corpus deuoraret. Consuevisse enim pulchrorum & iuuenum hominum corporibus vesci, ubi ad summam sanguinis abundantiam peruenissent. Hanc ego de lamia narrationem, inter Apollonii gesta maxime notam necessario longiorem feci. Multi enim quod factum fuit, cognouere, ut potè quod in media Græcia celebratum est. Hactenus Philostratus.

Aliud quoque amatoriarum præstigiarum exemplum promittit Lucianus in Philossæde, in hunc modum. Quin ego vobis referam quæ ab eo fieri conspexi in Glaucia Alexidis filio. Glaucias hic cum patris nuper defuncti substantiam suscepisset, Chrysidem amabat Demaneti filiam. Amore tamen victus mihi rem omnem significat. Ego verò quemadmodum par erat, quippe qui præceptor eram, Hyperboreum illum magum ad eum duco, conductum quatuor illico minis in manum datis, (opportebat enim præparari quiddam ad sacrificia) tum sedecim præterea, si Chryside potitur. Ille verò crescentem observans lunam (nam tunc ut plurimum huiusmodi sacra peraguntur) fossam cum effodisset in aperto quodam loco domus sub dio, circa mediam noctem euocavit nobis primum quidem Anaxiclem Glaucia patrem, ante septem menses vita defunctum. Succensebat autem ob amorem senex atque indignabatur: tandem tamen permisit ei ut amaret. Postea verò Hecatē quoque eduxit, asserentem vna Cerberum: tum lunam detraxit, multiforme quoddam spectaculum, & quod aliàs aliud apparebat. Primum quidem muliebrem formam referebat: deinde in vaccam formosam vertebatur: postremò verò catula videbatur. Hyperboreus ille tandem cum sinxisset quemdam è luto cupidinem: Abi, inquit, atque huc perducas Chrysidem. Ac lutum quidem protinus evolebat: paulo post autem affusi illa, pulsans ostium. Tum ingressa Glauciam complectitur, eum quàm insanissimè deperiens: & cum eo versata est, quod gallos canentes audimus. Tum verò luna subvolavit in celum, atque Hecate subiit terram, ceteraque spectra disparuerunt: & Chry-

sidem tandem emisimus circa ipsum ferme diluculum.]

Illud quoque admiratione plenum quod de Iamblichio Philosopho Eunapius Sardianus in eius vita perscribit in hunc modum: Aliquanto post tempore placuit cunctis stato anni tempore accedere Gadara, qui locus est thermarum in Syria, secundas à Bais in Romano Imperio obtinens, quibus nulla balnea calidè comparari possunt. Isthic cum lauaret Iamblichus, riterque ceteri darent operam lauationi, nata d. oal-neis disceptatione, subridens Iamblichus: Tamei si religione inquit, impediar, quo minus ista aperiam, vestra tamen causa id fiet. Simulque iussit discipulos sciscitari à popularibus indigenis, quibus iam olim nominibus donati fuissent duo è calidis fonticulis minores, sed ceteris elegantiores, venustioresque. Illi postquam imperata fecissent, negarunt, se causam nominum posse rescire, vni tamen Amori nomen esse, alteri Anteroti deo amantium injuria vindici. Confestim ipse contacta manu aqua, (sedebat enim forte in crepidine fontis, ubi depletur, ac superfunditur aluenus) paucis admurmuratis verbulis, de fontis imo pusionem exciuit candidum, comoda statura, capillitio in fulvum aurum tincto, dorsi cute nitida, qui totus lauanti, aut loto assimilis erat. Attonitis rei novitate comitibus, Transeamus, inquit, ad proximum fonticulum: simulque exurgens præcedebat in cogitatione defixus, ac suspensio vultu. Ibi-que eadem quæ prius peragens, alterum Amorem euocavit, prioris per omnia similem, extra comas nigrantes huic magis & rutias, & per collum sparsas. Ambo pueruli circumfusi artus complexibus Iamblichio velut naturali patri inherebant: quos ille in proprias suas sedes è vestigio restituit, lotusque excessit, obstupefacto comitum & familiarium cœtu.]

De tempestate oborta in classe Xerxis regis Persarum, Herodotus lib. 7. numero 190. Triduo enim tempestas perstitit: quarto tandem die magi incisiones faciendæ, & veneficiis incantando ventum, tempestatem compescuerunt.] De incisionibus vide quæ notauimus lib. 1. cap. 18. Laertius lib. 8. hæc de Empedocle: Timeus etiam in XVIII. Historiarum, hominem multis modis admirabilem fuisse narrat. Nam cum aliquando Etesie vehementer flarent, sic ut fructibus perniciem asferrent, asinis detrabi pelles. atque ex iis vires confici cum iussisset, eos collibus & montium fastigiis ad excipiendos status apposuit: deficienteque vento, Colisaneman à prohibendis ventis appellatum fuisse.] Eadem Suidas in voce Apnus. Huc etiam spectant, quæ Olaus Magnus lib. 3. Gentium Septentrionalium, cap. 16. scribit: Solebant aliquando Finni inter ceteros gentilitatis errores negotiatoribus in eorum littoribus contraria ventorum tempestate impeditis ventum venalem exhibere, mercedeque oblata, tres nodos magicos non cassiosicos, loro constrictos eisdem reddere, eo servato moderamine, ut ubi primum dissoluerint, ventos haberent placidos: ubi alterum, vehementiores: at ubi tertium laxauerint, ita sauas tempestates se passuros, &c.]

Marcus Paulus lib. 1. de Regionibus Orientalibus, cap. 65. Habet magnus Cham magos, qui demonum arte obtenebrant, & in caliginem conuertunt aerem, luce super palatium regis clara permanente.] Eiusmodi fuit illa subito coorta tempestat ad Capræ paludem, cum magno fragore, tonitribusque ac densissimis tenebris, qua Romæ conditor Romulus è conspectu hominum est ablati, & nunquam postea inter homines visus: de qua Dyonisius lib. 2. Lilius lib. 1. Plutarchus in Romulo, & alij. Aliam sæuissimam tempestatem è montibus excitatam, qua Solymani Turcarum Principis exercitus in Perside penè deletus est, à Persarum Magis diro carmine, & notis genti

contaminibus fuisse à cælo euocatam, Iouius lib. 33. Historiarum fusè memorat.

Dio lib. 60. de Claudij Principis temporibus: Anno insequenti Mauri iterum bellum mouentes, oppressi sunt: Suetonio Paulino viro Prætorio regionem eorum usque ad Atlantem vicissim populante. Eandem ob causam Cn. Sidius Geta post eum expeditione facta, recta aduersus Salabum ducem eorum contēdit, eumque semel atque iterum vicit. Qui cum relictis quibusdā ad limites, qui insequentibus arcerent, ad arenosa confugerent, ausus est Sidius insectari eum, ac parte exercitus posita in subsidio, processit: aqua secum quantam potuit, portata. Verum ea absumpta, cum nulla alia suppeteret, in summa hæsit difficultate, Barbaris durantibus, eo quod sitim diutissime tolerare aduenissent, ac peritia locorum aquam inuenirent. Romanis vero neque progredi iam neque regredi integrum erat: quum quidam indigenarum confederatorum Sidio auctor fuit, ut incantationibus & arte magica vteretur: affirmans, sapius eo se modo plurimam aquam eliciisse. Cum paruisset, tanta confestim aqua vis calitis fluxit, ut & sitim exercitus restingeret, & hostes perterrefaceret, diuinum auxilium Romanis, adesse opinante. Itaque vltro pacis conditiones acceperunt.]

Reuocant hæc nobis in memoriam celebre illud miraculum, quo cum exercitus M. Aurelij Imperatoris, aduersus Quados & Marcomannos pugnans, in summum discrimē adductus esset, pluuia opportuna in Romanos siti confectos delapsa, hostes diris fulminibus disiecti & dissipati sunt. Quod etsi Scriptores Ethnici magicis artibus, vel virtuti Marci Imperatoris tribuerint: at concors auctorum Ecclesiasticorum consensio, ut rei veritas habet, potius Christianorum militum qui eo in exercitu erant, precibus adscripserunt. Non vacat de his nunc accuratius agere: de quibus plenissime Baronius Annali 2. Anno Christi 176. Onuphrius lib. 2. commentariorum in Fastos, Scaliger ad Numerum Eusebianum M.M.C.LXXXIX. qui tamen pluribus ostendit, Græcam Epistolam Marci Imperatoris ad Senatum quæ habetur ad finem Apologiæ 2. S. Iuliani Martyris haud esse genuinam Marci, sed à Græculo quopiam post tempora Iustiniani Imperatoris compositam: cum tamen non sit dubium Marcum ea de re ad Senatum scripsisse, uti Tertullianus, Eusebius, Orosius, & alij affirmant: sed litteras ipsas Marci non extare. Mirum nouissimum annotatorem Iustini Lansselium ne verbum de his fecisse. Sed Iacobus Gordonus in Chronographia, anno Christi 176. indignatur Scaligero quod eam Epistolam nescio quo iure impugnaverit.

Illud quoque cum primis admirandum, quod ex Olympiodoro Historico Agyptio Ethnico Photius in Bibliotheca, numero 80. descripsit in hunc modum: Regium metropolim esse Brutiorum, è qua refert Historicus, Alarichum, dum in Siciliam traicere parat, retentum fuisse. Statua enim inquit, inaugurata ibi stans, traiectum vetabat. Fuerat verò hæc, ut fabulatur, ab antiquis inaugurata, cum ut Ethna montis ignes auerteret, tum ut maris transitu Barbaros prohiberet. Altero enim pede perpetuum ignem, altero verò perennem aquam gestabat. Ea igitur statua confracta, tandem ex Ethna igne, & à Barbaris detrimentum Siciliam cepisse. Eversam verò statuam ab Esculapio, qui in Sicilia possessionum Constantij & placidia curator erat.] Et post alia: Refert hic Scriptor, audisse se è Valerio Clarissimo viro, de argenteis statuæ ad Barbaros arcendos inauguratis. Nam Constantij, inquit Imperatoris temporibus, Præfecto in Tracia Valerio, indicium factum thesauri reperiundi. Valerius verò ad lo-

cum accedens, sacrum illum esse religione, ex incolis cognouit, & antiquo ritu statuas ibi consecratas. Retulit hæc ad Imperatorem, rescriptumque accepit, quo iubebatur indicata bona illa tollere. Igitur effoso loco, tres solida ex argento fabricata reperia sunt statua, specie Barbarica sita, & utroque brachio ansato, vestis præterea variegata barbarico ritu induta, & comam capite gestantes, atque Septentrionem, qua Barbarorum regio est, obuersa. Quæ simul atque statuæ sublatae sunt, paucos post dies, Gothorum primum gens vniuersam incurrit Thraciam, futuraeque post paulo erant Hunnorum, & Sarmatarum incursiones in Illyricum & ipsam Thraciam: uti Thraciam inter & Illyricum sita sunt hæc consecrationis loca, & trium statuarum numerus aduersus omnes gentes Barbaras inauguratus videbatur.

CAPVT IX.

Ferales & horrendi Magiæ apparatus, ritusque, quales etiam adhibebit Antichristus.

DE his Plinius prodens lib. 30. cap. 1. inquit: DCLVII. demum anno Urbis, Cn. Cornelio Lentulo P. Licinio Crasso Senatus Consilium factum est, ne homo immolaretur, palamque in tempus illud sacra prodigiosa celebrata. Non satis estimari potest, quantum Romanis debeatur, qui sustulere monstra, in quibus hominem occidere religiosissimum erat, mandis verò etiam saluberrimum.] Horribilem magiæ apparatus describit Heliodorus lib. 6. Ethiopicon, cap. 17. in hunc modum: Anus enim vacationem se, ut à nullo neque interturbari, neque videri posset noctem esse existimans, primum quidem scrobem fodit, postea rogam ex utraque parte succendit, & medium inter utrumque cadaver filij collocans, & craterem fictilem ex quodam tripode, qui iuxta aderat, promens, mel in fossam infundebat, rursus autem ex altero lac, ex tertio porrò tanquam libationem faciebat: denique pistam quandam farinae massam, ad viri similitudinem effictam, lauro & marathrosue bdellio coronatam, in fossam iniecit. Deinde gladio inter scuta sublato, tanquam furore quodam percita, multa ad lunam peregrinis auditu nominibus precata, brachium incidit, & lauri surculo sanguine absterso, rogam conspergebat: aliaque multa portentis similia præter hæc faciens, tandem ad cadaver filij inclinata, & quadam illi ad aurem accinens, excitauit, & subito consistere præstigiærum vi coëgit.]

Cicero in Pisonē: Quis tantus furor, ut cum inaudita ac nefaria sacra susceperis, cum inferorū animas elicere, cum puerorum extis Diis manibus mactare soleas.] Et 1. Tusculana: Inde ea, quam meus amicus Appius Necromantia faciebat: unde in vicinia nostra Auerni lacus.

Vnde anima excitantur obscura umbra, aperto ostio Alii Acherontis, falso sanguine, imagines mortuorū.] Falso sanguine dixit, id est, impio ac nefario humanarum victimarum.

De Hadriano Imperatore Dio lib. 69: Hic Antinous cum in delitiis eius fuisset, in Agypto mortuus est, siue quod in Nilum ceciderit. ut Hadrianus scribit, siue quod immolatus, id quod verum est, fuerit. Nam cum Hadrianus maxime curiosus esset, tum verò diuinationibus utebatur, & magicis artibus cuiusvis generis. Itaque Antinum, qui vel ob amorem ipsius, vel ob aliam causam voluntariam mortem obierat (nam Hadriano ad ea quæ parabat, opus erat anima voluntaria) tanto honore affectus, ut urbem in eo loco, in quo obisset, colonis additis conditam, ex eo nominari voluerit.] Aurelius Victor de

de Cæsaribus : *Hadriano capiente factum producere cum voluntarium ad vicem magi poposcissent, cunctis retractantibus, Antinuum obieciisse se referunt.* Spartianus in Hadriano, de Antinoo, cap. 14. *De quo varia fama est, aliis eum deuotum pro Hadriano asserentibus, &c.* De hoc catamito si quis plura scire auct, adeat Casaubonum in Notis ad Spartianum, Baronium Annali 2. anno Christi 132. Numero 8. & seqq. Scaligerum ad Numerum Eusebianum M. MCXLV.

De Didio Iuliano Imperatore Dio lib. 73 : *Complures etiam pueros occidit causa magicarum artium.* Spartianus: *Fuit præterea in Iuliano hæc amentia, ut per magos pleraque faceret, quibus putaret vel odium populi deliniri, vel militum arma compesci : nam & quasdam non conuenientes Romanis sacris hostias immolauerunt, & carmina profana incantauerunt, & ea quæ ad speculum dicunt fieri in quo pueri præligatis oculis incantato vertice respicere dicuntur, Iulianus fecit.*

De Valerino Imperatore S. Dionysius Alexandrinus Episcopus, Epistola ad Hermammonem, apud Eusebium lib. 7 Historiæ, cap. 9. *Verum doctor quidam & princeps magorum Egypti, illum tandem perditio consilio deprauauit, & impulit, ut impuras ceremonias obiret, profanas exerceret præstigias, execranda mysteria exequeretur, mactaret pueros misellos prolem infelicium parentum exsacrificaret, tenera infantium dissecaret viscera, Dei denique creaturas discinderet discerneretque.*

De Maxentio Tyranno Eusebius lib. 1. De Vita constantini, cap. 30. *Ad extremum verò Tyranni scelera ad magicæ artis delabebantur præstigias. Quippe interdum mulieres grauidas dissecuit : nonnumquam teneorum infantium viscera perscrutatus est, aliquando mactauit leones : sæpe infandas adiurationes ad damones excitandos, usurpauit.* Eadem habet lib. 8 Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 26. Nicephorus lib. 7. cap. 21. Paulus Diaconus lib. 11. Miscellæ cap. 6. De Iuliano Imperatore Theodoretus lib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 21. *cum stolidus ille per Charras urbem, quæ etiam adhuc multas reliquias retinet, iter faceret, ingressus in delubrum, quod apud impios in maximo honore erat, inbet portas, postquam in eo nefanda quadam mysteria cum sceleris sui sociis obisset, non obserari solum, verum etiam obsignari, & milites quosdam eas assidue obseruare, ne quisquam donec ipse reuenteretur, intraret. At postquam nuntiatum erat, eum esse mortuum, & pium Imperatorem impio successisse, quidam in illud delubrum introeuntes, admirabilem huius Imperatoris fortitudinem, sapientiam, addo etiam pietatem perspicue deprehendunt. Nam vident mulierculam capillo suspensam, manibus extensis, cuius ventre dissecto sceleratus iste, forsitan ex eius icore diuinavit, se victoriam à Persis reportaturum. Atque hoc quidem scelus Charras deprehensum est. Porro Antiochea dicitur multas capsas in palatio refertas hominum capitibus, multosque puteos cadaveribus humanis repletos. Eiusmodi enim facinora, execrabiliū deorum poscebat disciplina.* Eadem Paulus Diaconus lib. 11. Miscellæ, cap. 43. Cedrenus pag. 247.

De Pergamenis captis à Masalma Saracenorum Principe, sub Leone Isaulo Paulus Diaconus in Miscella lib. 20. cap. 32 hæc prodit : *Veniens Masalmas Pargamam, hanc obsedit, & indulgentia Dei, per diabolicam operationem accepit ex magisterio quippe magi eiusdem, adductam viri ciuitatis illius mulierem incinctam, iamque pariturā inciderunt, & adsumpto paruulo, in cacabo hunc coxerunt, atque in huiusmodi Deo detestabile sacrificium omnes qui bellare volebant, dextera manus sue manicas intingebant : & idcirco inimici sunt traditi.* Eadem totidem ferè verbis Cedrenus in Annalibus, pag. 370. Huic nefario ritui ille consimilis est, quo se Striges, seu Lamia, maleficio ini-

tiant, de quo Ioannes Nider in Formicatio lib. 5. cap. 3. inquit : *Antefato Inquisitore Eduensi mihi referente hoc anno percepi, quod in Lausanensi ducatu quidam malefici proprios natos infantes coxerant & comederant. Fuit insuper fama communis, dicto Petro Iudice mihi referente, quod in terra Bernensium tredecim infantes deuorati essent intra pauca tempora à maleficis. Cum autem Petrus quassuisset à quadam capta malefica, per quem modum infantes comederint : illa respondit : Modus iste est : Nan infantibus nondum Baptisatis insidiamur, vel etiam baptizatis, præsertim si signo Crucis non muniantur & orationibus : hos in cunabulis, vel ad latera iacentes parentum, ceremoniis nostris occidimus : quos postquam putantur oppressi esse, vel aliunde mortui, de tumulis clam furto recipimus, in caldari decoquimus, quousque euulsis ossibus, tota penè caro efficiatur sorbilis & potabilis. De solidiori huius materia vnguentum facimus nostris voluntatibus & artibus, ac transmutationibus accommodatum : de liquidiori verò humore flascam, aut virem replemus, de quo is qui potatus fuerit, additis ceremoniis, statim conscius efficitur & magister nostræ sectæ.*

Iouianus Pontanus lib. 5 Belli Neapolitani stupendam planè historiam orditur in hunc modum : *Ferdinandus Neapolitanorum Rex Marcos oppidum, arcu Montis Draconis ad Massicorum montium exitum sita, subiectum, Andegauensium factioni fauens, acta obsidione premebat, & defectu aquarum propè ad deditionem compulerat : cum quidam impij sacerdotes magicis artibus imbres elicere ausi sunt. Inuenti enim ex oppidanis atque obfessis sunt, qui nocturnis tenebris deceptis castrorum vigiliis, per asperissimas rupes furtim profecti ad litus, trahentes secum imaginem affixi ad Crucem Christi, maledictis illam prius ac diro persecuti carmine, post in mare execrabiundi immiserint : calo, mari, terrisque tempestatè imprecari. Quo etiam tempore sacerdotes quidam mortaliū omnium scelestissimi, dum satisfacere profanis militum artibus student, ritum nefarium secuti, quo ut dictum est, in huiusmodi elici imbres putantur) asino pro adis foribus constituto, tanquam agenti animam, cecinere funestum carmen : post diuina Eucharistia in illius os, palatumque iniecta, conclamatum asinum funereis cantibus vinum tandem ibidem pro templi foribus humare. Hic verò vix dum perfectō Sacro, obnubescere aër, ac mare agitari ventis cum cepisset, Diesque medius offundi tenebris, ac nunc calum micaret ignibus, nunc lux omnino eriperetur, tonitru cælum, terraque horrescerent, volitarent euulsa ventis arbores, discissaque fulminibus saxa complerent auras fragoribus, prorupit tanta è nimbia pluuia, imbresque tam validi, ut non cisternæ modo colligendis aquis satis non essent, sed arentia saxa rupeque exusta solibus, torrentes undequaque prolapsos diffunderent. Itarex qui sola in siti potiundi oppidi spera collocauerat, frustra ab ea habitus, ad Saonem vetera in castra rediit.* Hoc tam horrendum & infandum dictu facinus idcirco visum est hic inferere, ut admirabilem Dei patientiam ostenderemus, qui occulto suæ prouidentia iudicio talia fieri permittit. Neque pauca tam immanium rituum exempla in auctoribus reperientur : sed abstinemus, quod in suis adeo nefariis commemorandis non libenter stylus versetur.

Hæc & alia etiam atrociora in suas magias inducitur Antichristum, nemo plane dubitauit.

CAPVT X.

Magicas quasuis operationes Crucis signo, Eucharistia; Aqua Benedicta, & ope aliarum sacrarum rerum facile dispelli & profligari: quibus remediis Christiani Magias Antichristi expugnabunt.

CRuce ipsa Dominica, eiusque imagine, aut signo, diuina Eucharistia, Aqua Benedicta, Sanctorum Reliquiis, Agnis Dei, sacris Exorcismis, & precibus, aliisque eiusmodi rebus sanctificatis, & probatis ab Ecclesia omnem vim magicam eludi & propulsari ac prorsus euanescere, innumera, & antiqua & recentia suppetunt exempla. Lactantius Firmianus lib. 4. cap. 27. hæc scribit: *Nam quum diis suis immolant, si adstet aliquis signatam frontem gerens, sacra nullo modo litant: nec responsa potest consultus reddere vates. Cum enim quidam ministrorum nostri sacrificantibus Dominis adstiterent, imposito frontibus signo, Deos illorum fugauerunt, ne possent in visceribus hostiarum futura depingere.]*

De Iuda quodam adolescente, Iudæorum Patriarcha Christianam faminam depereunte, & quibusvis magicis artibus ea potiri cupiente: quæ tamen Crucis signo munita omnes magicos apparatus & incantationes vitauerit, mirabilem historiam narrat S. Epiphanius Hæresi 10.

Notissima est historia S. Cypriani & Iustinae virginis, quæ ipsum Cyprianum, cum esset magus, & prauis artibus eam euertere niteretur, disiectis ope diuina illius præstigiis, ad fidem Christi perduxit. De qua Romanum Martyrologium 26. Septembris, & Græcorum Menologium 1. Octobris, & Acta eorundem Martyrum apud Surium Tomo 5. item Aldelmus lib. de Virginitate

Nec absimile multum iis est quod S. Gregorius lib. 1. Dialogorum, cap. 4. refert de Basilio pestilenti mago, qui sacram quandam virginem arte nefaria in scelus pertrahere conatus est: quam S. Equitius liberauerit.

De Iuliano Apostata S. Gregorius Nazianzenus, oratione 3. quæ est Prior inuectiua in Iulianum hæc scribit: *Quod autem à pluribus commemoratur, nec à fide alienum est, oratione persequar. Descendebat in quoddam adytum plerisque inaccessum, & horrendum (quemadmodum vinam in infernum quoque, priusquam in huiusmodi scelera prorumperet) comitem eum habens, qui multis adytis dignus erat, hoc est, hominem in huiusmodi rebus sapientem, vel potius soporiferam. Nam hoc quoque apud ipsos diuinationis genus est, ut in caliginoso quodam specu cum subterraneis demonibus ob res futuras congregiantur: siue quia tenebris magis oblectantur, (ut qui ipsi tenebrae quoque sint, ac tenebrarum vity artifices) siue quia piorum hominum, qui in terra sunt, societatem & congressum fugiunt, ex iisque infirmiores redduntur. Ut autem egregium virum progredientem terrores odoriri cœperunt, ac subinde plures & formidabiliores, (sonos quosdam insuetos, aut, tetrofque odores, atque ignea spectra, & nescio quas nugas & deliramenta) rei nouitate perculsus, (harum enim rerum studium serò amplexus fuerat) ad Crucem, verusque remedium confugit, hocque se aduersus terrores consignat eumque quem persequabatur, opulatore adscit. Ac quæ sequuntur magis tremenda. Valuit signaculum, cedunt demones, pelluntur timores. Quid deinde? Respirat malum: rursus audaciam concipit, rursus aggreditur:*

Tom. II. De Antichristo,

rursus iidem terrores urgent, rursus signum crucis adhibetur, ac demones conuiescunt. Atque consilij inopia laborat discipulus: ac sacrarum antistes ipsius lateri hærens, veritatem sinistrè interpretatur, Abominationi illis fuimus, dicens, non terrori: vincit quod peius est. His enim verbis discipulum permoet, ac permotum ad exitu voraginem ducit.] Eadem omninò habent Theodoretus lib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 3. Sozomenus lib. 5. cap. 2. Freculphus Lexouientis Tomo 2. Chronici lib. 4. cap. 9. Nicephorus lib. 10. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 3. Elias Cretensis in Commentariis ad Orationem 3. S. Gregorij Nazianzeni. Præclare huc faciunt verba Arnobij, lib. 1. aduersus Gentes: *Christi nomen auditum fugat noxios spiritus, imponit, silentium vatibus, aruspices inconsultos reddit, arrogantium magorum frustrari efficit actiones: non horrore, ut dicitis, nominis, sed maioris licentia potestatis.]*

At quid eidem Iuliano contigerit, impia & scelerata sacra peragenti, magicæque diuinationes ceptanti, cum ibi fortè præsens adesset Christianus quispiam adolescens, Baptismate lotus, & Chrismate confirmationis obunctus, ac sacro Crucis signo impressus & consignatus in fronte & in pectore, Aurelius Prudentius in Apotheosi pulchre hinc carminibus decantauit:

*Cum subito exclamans media inter sacra sacerdos
Pallidus: En quid ago? manus rex optime maius
Nescio quod numen nostris interuenit aris.
Quàm sufferre queant spumantia cymbia lacte,
Cessarunt sanguis pecudum, verbena, corona,
Accitas video longè dispergier umbras:
Territa Persephone vertit vestigia retro,
Extinctis facibus tracto fugiuna flagello:
Nihil agi arcanum murmur, nihil Thessala pro-*

*sum
Carmina, turbatos reuocat nulla hostia Manes.
Nonne vides ut cluribus frigentibus ignis
Marceat, ut canis pigrescat pruna fauulis?
Ecce palatinus pateram retinere minister
Non valet, elisa distillant balsama dextra:
Flamen & ipse suas miratur vertice lauros
Cedere, & incertum frustratur victima ferrum.
Nescio quis certe subrepsit Christicolarum
Huc iuuenum: genus hoc hominum tremuit insula
& omne*

*Pulvinar Deum. Lotus procul absit, & unctus:
Pulchra reformatis redeat Proserpina sacris.
Dixit, & exanguis collabitur: at velut ipsum
Cerneret exerto minitantem fulmine Christum
Ipse quoque exanimis posito diademate Princeps
Pallet, & adstantes circumspicit, ecquis alum-*

*nus
Chrismatis inscripto signaret tempora signo,
Qui Zoroastreos turbasset fronte susurros.
Armiger è cuneo puerorum flauicomantum
Purpurei custos lateris deprehenditur vnus:
Nec negat, & gemino gemmata hastilia ferro
Proicit, ac signum Christi se ferre fateatur.
Prosiluit pauidus deiecto Antistite Princeps,
Marmoreum fugiens nullo comit ante sacellum:
Dum tremefacta cohors, Dominique oblita, su-*

*pinas
Erigit ad calum facies, atque innocat Iesum.*

Quòd verò nefandi ritus antistes exclamasse dicitur, *Lotus procul absit, & unctus*: quibus verbis Christianus baptizatus, & Confirmationis Sacramento obunctus, significatur: erat hæc olim vsurpari solita

C denun

denuntiatio, à Gentilium sacerdotibus, cum nefaria sacra, & paganas superstitiones essent peracturi, Ne ullus Christianus interesset, quo præsente litare nullo modo possent: quod nimirum ad præsentiam sacrorum signaculorum Christianæ religionis, omnes demonum afflatus & operationes languescerent, ac penitus disflarentur. Sic impostor ille Alexander tempore Antonini Pij confecto Æsculapij oraculo, responsa dabat, de quo Lucianus in Pseudomante: *Primo quidem die Atheniensium ritu denuntiatio fiebat huiusmodi: Si quis impius, aut Christianus, aut Epicureus mysteriorum explorator accessit, discedat. Caterum qui Deo credunt, & parent, sacris feliciter iniunguntur. Sub hac proinus exigebantur, illo præunte, dicenteque, Foras pellantur Christiani.*

Illustre miraculum quo S. Marcellus Apameæ in Syria Episcopus, virtute Aquæ benedictæ, infestum dæmonem, qui non sinebat templum Iouis à Christianis exscindi, potenter abegerit, Theodoretus lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 21. Nicephorus, lib. 12. cap. 27. narrant. S. Macarium aquæ benedictæ vi magicas præstigias, quibus scemina quædam equa videbatur, dissipasse Palladius in Lausiaca cap. 19. refert.

S. Hilarionem gentilis aurigæ magicas incantationes aquæ sanctificatæ potentia disjecisse, S. Hieronymus in eius vita memorat.

Insigne aliud miraculum quo S. Germanus Antisiodorensis Episcopus sæuissimam tempestatem in Oceano à dæmonibus excitatam oleo benedicto, & sacris precibus compescuit, Constantius Presbyter in eius vita lib. 1. cap. 19. apud Surium, Tomo 4. describit.

S. Gregorium Thaumaturgum Neocæsariensem Episcopum signo Crucis, & Christi nominis inuocatione fugasse dæmones ex quodam idolorum delubro, aëremque expiasse, & oraculum idoli mutum omnino reddidisse, S. Gregorius Nyssenus in vita illius pluribus testatur.

Insuper eiusdem Templi Æditiuum ab eodem Thaumaturgo ad fidem conuerlum, & Diaconum ordinatum, aliquando noctu signo Crucis munitum exiisse incolumem ex balneis inter innumera dæmonum spectra, ex quibus balneis nemo vnquam viuus exierat, qui noctu intrasset, idem S. Gregorius Nyssenus est auctor.

S. Antonium Magnum signo Crucis sæpius diabolicas præstigias profligasse, S. Athanasius in eius vita, & S. Hieronymus in vita S. Pauli fidem abundè faciunt.

Iosephum Comitum Tiberiensem nondum christianum Christi tamè virtutem, experiri cupientem, aqua signaculo Crucis signata, & in nomine Domini Iesu super dæmoniacum effusa Dæmonem ex obseffo corpore abegisse, S. Epiphanius Hæresi. 30. accuratè describit. Vbi etiam ingens aliud miraculum refert, quo idem ipse Iosephus iam Christianus effectus, aqua per signum Crucis sanctificata, præstigias & incantationes magicas Iudæorum, quibus ignem ligauerant, ne fornacem ad calcem Ecclesiæ conficiendam lapides exureret.

Iudæum quendam, qui nocte in templo idolorum dormiens, se signo Crucis munierat tutum à Dæmonum impressione fuisse, Mirificam sanè historiam S. Gregorius lib. 3. Dialogorum, cap. 7. recitat.

S. Vedastum Atrebatensem Episcopum vascula ceruicia plena, Et dæmoniacis incantationibus infecta Crucis Dominicæ impersso signo mirabiliter confregisse, & magica deliramenta disturbasse Albinus Flaccus in Actis eiusdem apud Surium Tomo 1. memorat.

Reliquias S. Babylæ Episcopi Antiocheni & Martyris, Mutum prorsus reddidisse Apollinis Daphnitici oraculum, nec nisi causam silentij sui, nimirum potentiam Martyris effarij permisisse, Multis describunt, S. Chrysostomus Oratione in S. Babylam, Rufinus lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 35. Theodoretus lib. 3. cap. 9. Socrates lib. 3. cap. 16. Sozomenus lib. 5. cap. 18. Euagrius lib. 1. cap. 16. Nicephorus lib. 10. cap. 28. Sed & ingens miraculum, quo mirabili virtute Reliquiarum eiusdem S. Babylæ, templum Daphniticum Apollinis de cælo tactum, sædo incendio conflagrauerit, iidem auctores disertè produnt.

Reliquias quoque SS. Martyrum Cyri & Ioannis trāsatas in Canopum Ægyptij, ab eo loco fugasse dæmonum horredas infestationes, quæ ibidem dire grassabantur, atque coëgisse dæmones sedes mutare, Acta eorundem Martyrum apud Surium Tomo 1. testantur.

Præclarum sanè illud miraculum quo, vnguento ex S. Glyceriæ corpore manante, patefactum est, quàm exhorreant Sanctorum Reliquiæ nefandas Magicarum artium effectiones, Theophylactus Simocatta lib. 1. de Rebus Mauricij Imperatoris, cap. 11. in hunc modum narrat: *Eodem anno [nempe sub initia Imperij Mauricij] Paulinus quidam, cuius haud obscurus, & doctrina liberali instructissimus, qui animam suam in barathrum præstigiarum, incantationumque demerferat, deprehenditur. Modus quo sceleris huius compertus est, plurimum admirationis habet, quem exponemus. Erat venefico huic peluicula ex argento, ea hostiarum quas dæmonibus sacrificabat, sanguinem excipere solebat, quoties eorum colloquio vii liberet. Hanc pretio vendidit argentariis: emptam illi præ foribus domunculæ suæ venalem proponunt. Eo ipso tempore Antistiti Heraclea, quæ olim dicta est Perinthus, Byzantijs commorari necesse erat. Is venditionis causa fortè suspensam malefici peluim conspicatus, eam percupidè mercatur, & ad sedem suam reuertitur. Quia verò diuinitus stillans vnguentum, siue oleum de ossibus sanctæ Glyceriæ martyris anea peluis etiamnum excipiebat, Episcopus rei tam venerandæ reuerentia contactus, vascula commutat, & à cultu sacratissimo aneam remouens, argenteum celesti stillicidio supponit. Ex eo operum mirandorum ritus desinit, fons gratia euanesce, non prodit publicitus vim suam martyr, beneficium retrahit, donum aufert, sibi que legem indicit, propter detestandum excipulum vnguento in posterum non secuturire. Sanè quod purum est, non debet impurum contingere, ut aliquid externæ eruditionis narrationi commodè inseram. Hoc cum diebus compluribus euenisset, calamitatēque rumor per ciuitatem dissipasset, Episcopus se se in luctum dat, & quod fiebat, lamentatur: effectorum supra naturam interruptionem deplorat, donum reposcit, detrimentum non sustinet, causam indagat, dedecus indignatur: Ecclesiæque re tam admirabili viduata, vitam sibi vitalem non putat. Igitur ieiunia, & comprecationes instituuntur, profunduntur lacrymæ, ducuntur gemitus, totæ noctes in Deo suppliciter rogando ponuntur: coniungunturque omnia quæ iram eius conuerrere in misericordiam possunt. Cum itaque Deus & execrandum illud scelus iure auersaretur, & ignorantiam iustè miseraretur, Episcopum de abominandis sacris in pelui illa factitatis per quietem monet. Ille nihil moratus, peluim argenteam templo subducit, illatamque in medium aneam, perinde ut castam & antiquam famulam, & virginem aliquam incorruptam pro execranda præstigiatrice venerabili monumento rursum subijcit. Statim se se miracula denuo effundunt, oleum depluit, beneficium scatuit, donum profluit, lacrymæ inhibentur, luctus præciditur, tristitia fugatur, piaculumque detestabile perinde ut in columna incisum cognoscitur ab omnibus, & peluis anea postliminio gloriam suam*

suam recuperat. Paratus est enim Deus tribuere misericordiam piè supplicantibus. Episcopus in urbem Imperialem reuersus, venditorque pelvis illius ab argentariis exquisito & inuento, ad Ioannem Patriarcham adit, rem totam à capite arcescens, ei commemorat. Patriarcha exclamare indignum facinus, auresque auertere, è vestigio in palatium abire, & sibi cognita Imperatori nuntiare. Mauricius ad fontes capite putiendos aliquanto languidior erat, cum eos respicientia, quam supplicio sanari aequius arbitraretur. Sed Patriarcha admouere stimulos, & libertate Apostolica postulare ad regem, qui à fide defecisset: proferreque illam Pauli sententiam ad verbum, impossibile est enim eos, qui semel sunt illuminati, qui gustauerunt etiam donum celeste, & participes facti sunt Spiritus sancti, gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque saculi venturi, rursus renouari ad poenitentiam, &c. Hac oratione Ioannes voluntatem Imperatoris inflexit. Die proximè sequenti Iudices coguntur: praestigiatore legibus interrogati, sententia irrenocabili ad penas deduntur. Paulinus in palum, seu stipitem robustum tollitur, cuius summa pars diffusa hiabat. In eum hiatum collo inserto, strangulatus expirat. Sic ille vitam impiam finiuit, cum prius filio caput rescindi aspexisset, quem sibi in nefariis, & impiis imposturis, carminibusque magicis discipulum, atque socium asciuerat.] Eadem prorsus Nicephorus, lib. 18. cap. 32.

Sed de vi & efficacia sacrosanctæ Eucharistiæ aduersus dæmonum praestigias cum sint innumera exépla, vnum tantum sanè insignè hic intexemus, quod Franciscus Picus Mirandulae Princeps lib. de Strigibus his verbis refert: Fuit in Alpibus Rhetis sacerdos quidam probus, ante annos duodecim, cui cum foret opus ad agrotum quendam graui oppressum morbo Eucharistiam deferre, cum longius ille obesset, videretque se non ita, ut oportebat, celeriter ad eum pedibus posse peruenire, ascendit equum, colloque sanctissimum Christi corpus pixinde inclusum, obuium habuit quendam, qui ut equo descendens secum pergeret ad spectaculum quoddam mirabilissimum inuitauit. Imprudens homo, & cupiditate rei tam stupendæ ductus paruit. Vix equo se dimiserat, cum sensit se per aëra vna cum comite deferri, & breui tempore in altissimo montis cacumine statui: ibi amplissima & amantissima planities erat, arboribus undique excelssimis obsepta, rupibusque horrendis circumcincta. In medio choros innumeros, ac varios ludos cuiusvis generis, mensas lautis ac diuersis ferculis instructas erat videre. Audiebantur etiam concentus quilibet omni suauitate affluentes. Denique aderat quacumque animos hominum iucundissimis delinimentis tenere possent, & dulcedine perfusos inima, demulcere solent. Obstupefactus impulsus a re simplex bonusque sacerdos, neque eloqui præ admiratione, aut hiscere audens, penè extra se positus, attonitusque hærebat. Tum socius, qui illum adduxerat, petiit ab eo, vellentne Reginam, quæ ibi aderat supplex venerari, & manus illi aliquod offerre. In alto quodam solio Regina adsidebat effigie formosissima, regio cultu, & ornamentis mirificis ornata. Accedebant ad eam prosternentes se humi cuncti, qui aderant, bini, quaterniue ordine pulcherrimo, & humi se prosternentes eam colebant, varia munera offerentes. Ad mentionem Regina homo, cum videret eam sic fulgentem, & ministris plurimis cinctam, putauit esse matrem Christi, celique & terra reginam: neque enim suspicabatur vllas praestigias, dæmonumque spectra, alioquin eò non appropinquasset. Reputans igitur, secum, quid illi dono daret, existimauit, nihil ei gratius aut incundius futurum munus, quam Filij corpus, Accessit, & ad pedes accidens in modum supplicis, arculam, in qua erat augustissimum sacramentum, è collo detractam in gremio mulieris illius

posuit. Mira res, omnia continuè euanescere. Percussus eiusmodi nouitate homo rudis, & praestigiis irretitum se videns, & in horribus densissimis, & lustris destitutum conspiciens, opem diuinam tremens implorare, ut è tantis ipsum anfractibus expediret. Cumque diu per loca inuia, siluasque vastissimas errasset, vix tandem pastorem reperit, à quo in viam ductus, didicit se millia centum à loco abesse, quò Eucharistiam deferre cupiebat. Ad suas tandem sedes reuersus, totam rem detulit ad magistratum. Contigit hoc imperante Maximiliano Primo.] Haec Picus.

Auctores rerum Noui orbis occidui, miro consensu produnt, antequam illò Hispani victricia arma, & fidem Christianam intulissent, dæmonem familiarissimè externa & adspectabili specie versari cum hominibus solitum: magicisque superstitionibus, & oraculis omnia implere: Quamprimum verò expulsa idololatria, sacra Eucharistia in templis reponi & asseruari cœpit, effugisse dæmones, ac ferè nunquam visos, oracula conticuisse, & magica omnia machinamenta euanuisse.

CAPVT XI.

*Auaritia, rapacitas, diuitiae,
Antichristi.*

NEfarium furem ac prædonem futurum Antichristum, terraque ac mari immensa rapacitate cuncta corrasurum, vnde sibi incredibiles diuitias, atque immanes pecuniarum, auri, & argenti, gemmarum, ac rerum pretiosissimarum thesauros accumulet, & verbum Dei, & consensus Patrum, ac posteriorum Theologorum, & perspicuæ rationes demonstrant.

Daniel cap. 11. v. 24. hæc habet: *Et abundantes & vberes vrbes ingreditur: & faciet quæ non fecerunt patres patrum eius: rapinas, & prædam, & diuitias eorum dissipabit.* Istud oraculum, ut etiam præcedentia verba de Antiocho Epiphane, historico & litterali sensu esse intelligendum, S. Hieronymus, Theodoretus, & posteriores omnes obseruant: nihilominus iidem omnes interpretes, consentiunt, primario, & sublimiori sensu, Daniele de Antichristo vaticinari, & res Antichristi describere sub typo & figura Antiochi, atque in Antichristum præcipue ac potissimum oculos mentis intendere. Vide quæ de his annotauimus lib. 6. cap. 11. Vnde prudenter Maldonatus: *Rem mihi videntur Hieronymus & Theodoretus attigisse, omnesque posteriores interpretes, qui hunc locum partim de Antiocho tanquam de figura partim de Antichristo tanquam de re significata intelligendum esse consueverunt.* Et S. Hieronymus quidem hæc habet: *Nostri autem hæc omnia de Antichristo prophetari arbitrantur, qui ultimo tempore futurus est.* Et postea: *Nostri autem & melius interpretantur & rectius, quod in fine mundi hæc sit facturus Antichristus.* Jam expendamus vaticinij verba:

Et abundantes, & vberes vrbes ingreditur. Variè hunc locum, sed fere in eundem sensum Interpretes reddunt. LXX in Romana editione: *In prosperitatem & in pingues regiones veniet.* Apud Theodoretum: *Et in abundantia & in pinguibus regionibus veniet.* In complutensi & Regia: *Et in abundantia & in pluribus regionibus veniet.* Sanctes: *Quietam & pinguem prouinciam ingreditur.* Varablus: *In otio, & contra pingues regionis veniet.* Pingues vocat ditiores. Leo Iudas: *Peruenietque ad opes, & vbera loca regionis.* Tremellius &

& Iunius : Tranquillè etiam opima loca prouincia inuadet. Montanus : In quietem & pingua in prouincia ingredietur. Alij : Quum fuerit prouincia in felicitate & delitiis, intrabit in eam. Marinus : In tranquillitate & in pinguedinibus prouincia veniet. Maldonatus : in pace & pinguedinibus prouincia veniet. Vox SALVAH, quæ hîc à nostro redditur, abundantes, fusè enucleata est à nobis, lib. 6. cap. 11. propriè hîc significat fortunas, & opulentiam, fœlicitatem : ad verbum, In fortunas & pingua regionis veniet. Forsan est Hispanismus, *entrarse à en lo rico y grasso delas prouincias*, id est, invadet, occupabit. MISMANIM, pinguedines, significat eximia, opima, vberissima. Hispanicè, *lanata*.

Et faciet, quæ non fecerunt patres eius, &c. id est, maior & violentior prædo erit, quàm ullus vnquam antè se princeps. Rapinas, & prædam, & diuitias eorum dissipabit. LXX. in Romana editione : Direptionem, & spolia, & substantiam eis dissipabit. In Complutensi & Regia : prædam, & spolia, & substantiam eis disperget. Apud Theodoretum : prædam & substantiam, & spolia ipsis disperget. Sanctes : prædam : & spolia, & substantiam eis disperget. Forsterus : direptionem [prædam] & spoliū, & substantiam inter ipsos distrahet. Vatablus : prædam, & spolia, & substantiam illis disperget, vel distribuet illis, id est, suis militibus. Leo Iudas : prædas, & spolia, & diuitias sparget inter eos. Tremellus & Iunius, prædam, spoliūque, & facultates illis disperget. Marinus : prædam, & spoliū, & substantiam [supellectilem] illis distribuet, vel disperget. Vox RECVS, quam noster reddit diuitias, propriè significat, res, fortunas, opum facultatem, substantialem collectam in vnum in rebus mobilibus, quasi comportatam & comparatam. Vnde proculdubio accepta est Hispanica vox *Riquessa*, vt & Italica quoque & Gallica *Richesse*. Sensus vulgati bifariam concipi potest. Primò, Rapinas, & prædam, & diuitias eorum dissipabit, id est, cuncta quæ Antichristus ex prouinciis opulentis rapiet, profunda prodigalitate & immanibus sumptibus mox dissipabit & consumet, perdèturque. Secundò, Raptas prouinciarum opes, dissipabit inter suos, id est, distribuet, sparget, distrahet : qui sensus Hebræis consonat. LAHEM, LXX. Vatablus, Forsterus, Leo Iudas, Mercerus, Marinus, Montanus, eis, vel inter eos, exponunt, vt dicat Daniel, Antichristum spoliaturum ditissimas quasque prouincias, vt milites suos, & omnes qui ei adhæserint, ditet. Nihilominus LAHEM rectè expositum à vulgato, eorum, & Lamed interdum notam esse genitiui casus, notius est, quam vt probatione indigeat. Adice nunc animum, quam immensis diuitiarum acervis, Antichristus sit exundaturus, expilatis quibuscumque prouinciis locupletissimis, & earum opibus in se translatis.

Pergit Daniel vers. 28. Et reuertetur in terram suam cum opibus multis. Hebræa ad verbum : in substantia magna. Est enim hîc quoque vox RECVS. Hanc etiam partem de Antichristo potissimum, quamuis sub typo & vmbra Antiochi, intelligendam esse, consensus est veterum ac recentiorum explanatorum : quare cum S. Hieronymus hæc verba de Antiocho commodè ad veritatem historiæ adaptare non posset, adiecit : Vnde voluit Nostri hæc omnia ad Antichristum referri. Quod vero ait, in terram suam : Iudæam & Ierosolymam intelligit, vbi figet, vt prædiximus, Imperij ac Monarchiæ sedem : nam illò conuehet raptas ex omnibus gentibus opes.

Et vers. 38. Et Deum quem ignorauerunt patres eius, colet auro, & argento, & lapide pretioso, rebûsque pretio-

sis. Et faciet vt muniat Maazim cum Deo alieno. Hunc locum insigni difficultate plenum explicabimus lib. 8. cap. 14. Quod vero huius est instituti, illud apertè diuinus Vates edicit, Antichristum in munitissimis arcibus, habiturum incredibilem vim auri, argenti, gemmarum, & rerum omnium pretiosissimarum.

Et vers. 39. Et multiplicabit gloriam, & dabit eis potestatem in multis : & terram diuidet gratuito. Istum latius exponemus, lib. 9. cap. 10.

Et vers. 43. Et dominabitur thesaurorum auri & argenti, & in omnibus pretiosis Egypti. Hunc accuratè enarrauimus, lib. 6. cap. 16.

Danielis 8. vers. 25. & in copia rerum omnium occidet plurimos. Istum elucidabimus, lib. 9. cap. 4. & 10.

Potest quoque hoc reduci saltem sublimiori & mystico sensu illud Iob 41. 21. de Leuiatan : Sternet sibi aurum quasi lutum : nam liquet inter eruditos, Leuiathan, & Diaboli & Antichristi typum & imaginem esse : quocirca quod de Leuiathan dicitur, in Diabolum & in Antichristum rectè posse competere non est dubium. Græcorum Patrum Catena à Paulo Comitolo conuersa ex LXX. Interpretum editione ita legit : Omne aurum maris super eum sicut lutum indicibile. Vel inenarrabile. Vbi Euagrius : Maris promundo positum est. Ac licet Dominus dicat Aggai 2. Meum est argentum, & meum est aurum, nihilominus hic mentitur, ac sua illa esse confirmat. Ita Saluatori quasi totius orbis terra auro onustus, dixit : Hæc omnia tibi dabo. Et quidem animal quasi lutum aurum ducit, quia eius minime indiget. Si verò de Antichristo interpretemur, erit sanè singularis hyperbolæ ; quod totum orbis aurum possessurus sit Antichristus, tanta copia & abundantia, ac si esset lutum, quod equidem verbis edici ac explicari nequeat. LXX, aurum maris dixerunt, non sine emphasi, ac si dicat, si aurum quod latet in profundo maris comparatu adedò difficile, omne tamen in potestatem rediget, tanta copia & vilitate ac si lutum esset : multo facilius omne aurum terrarum adipiscetur. Forsan rectè innuit Antichristo reuelandum ac patefaciendum omne aurum quod ex naufragiis demersum latet in fundo maris, vt cap. 3. & capite 17. dicemus. Vide Stunicam & Pine-

Sed locum ex Fonte variè deriuant recentiores. Caietanus, Pauimentabit acutum super lutum. Sanctes, & Schindlerus : Sternet acutum super lutum. In Thesauro vero : Sternet aurum super lutum. Forsterus in CHARATZ : Sternet aurum iuxta lutum. In RAPHAD vero, vt etiam Schindlerus : Cubat super asperis velut in luto. Leo Iudas : luto in sternit rem acutam. Vatablus : Sternit [Sibi] rem acutam in luto : quasi dicat : cutis eius dura est admodum : nam ubi iacet, innititur rei acuta, & tamen non perforatur aut leditur. Steuchus : Sternet sibi acutum [acuminatum, dentatum] super lutum. Isque erit sensus : Sternet sibi petras acutas, dentatas super lutum, in profundo scilicet pelago, sub altissimis arenis : vt sit etiam descriptio cubilis. Si verò CHARVITZ, (quoniam significat etiam aurum) pro auro accipi placeat, erit sensus : (latet enim in profundo maris vena auri) Sub se sternet arenas aureas. Isidorus clarius : Sternet sibi asperum locum quasi lutum. Tam durum, inquit, ac forte habet corpus, vt tam suauiter cubet super asperas, & præacutas testas, ac sic cubaret in luto. Iunius & Tremellius : Sternet acutum super lutum, quasi dicat : omnia dura & ferrea iacta in ipsum comminuet, ac sibi quasi lutum sternet. In recentiori vero editione anni 1617. Substernit excisum in luto, id est ferrum comminutum in profundum maris

maris deiecit, ubi lutum est.] Auenarius in CHARATZ: Sternetur rastrum, id est, res dentata, super lutum. Et in RAPHAD: Sternet sibi rem acutam in luto. quasi dicat, cutis eius admodum dura est, nam ubi iacet innititur rei acuta, & tamen non leditur. Martinus: Conculcabit aurum [rem acutam] super luto. Stunica: Sternet sibi tribulam [aut rem acutam] tanquam lutum. quasi dicat, dura, ei lenia sunt tanquam lutum. quasi dicat, dura, ei lenia sunt tanquam lutum.

Buxtorfius: Substernit excisum, vel exacutum quodque in luto. Nempe in abyſſo & profundo maris, ubi lutum est. Vult dicere, exacuta petra sunt balenis ut recta, acuminata sunt ipsis ut obtusa, substernunt ea sibi, & securè illis in profundo maris incumbunt, ut Aben Ezra & Rabbi Leui enarrant.

Sanctes in Thesauro exseribit varias huius loci Hebraeorum Interpretationes, in hunc modum: Rabbi Abraham: Sternet, id est expandet rem incidentem, super lutum, quod est infra abyſſum, aut voraginem. Rabbi Leui: Sternet, dormiet super illud. CHARVTZ est res acuta scindens. Targum: Humiliare faciet aurum ut lutum super sedem suam. Rabbi Moſeh: Sternet tribulam (traham) qua fruges teruntur, super lutum. & dormiet super illam quemadmodum dormit quissiam super stratum suum, quia ob duritiam carnis ac cutis eius (sua) non sentit acuta. Rabbi Abraham Perisfol: Sternet [prosternet vi corporis sui] rem acutam incidentem.]

CHARVTZ propriè Hebraeis significat acutum, acre, decisum, præcisum. Et quod ad institutum attingit, duo peculiariter, possit indicare, alterum, instrumentum quoddam de quo Reuchlinus: CHARVTZ, claua dentata, serra, vel flagellum, virga, tribula, seu baculus quo demesse segetes excutuntur.] Forsterus: CHARVTZ, de instrumento dicitur fabrilis & rustico, ab acredine, quod nos rastrum, seu tribulam vocamus, qua concidit terram] Sanctes & Mercerus: CHARVTZ instrumentum quo fruges trituntur, seu conciduntur: aut etiam terra, ut quidam existimant. Alij rastrum, alij tribulam serratam à terendo: vel Clauam dentatam: alij plaustrum a plodendo, iuxta varios mores excutiendi frumenti in diuersis regionibus. Kimchi ita describit, quod sit tabula lignea, cui subtus infixi sunt tenues lapilli ad incidendum paleam, & educendum fruges è folliculo. Ipsius quidem instrumenti, inquit nomen est MORAG, sed appellatur CHARVTZ ab actione sua, quasi incisoriā dicas, &c.] Auenarius CHARVTZ significat rastrum, tribulam dentatam, instrumentum habens multas incisiones seu tesseras, quo frumenta in arca inciduntur, & excutuntur.] Schindlerus: CHARVTZ significat tribulam, plauſtri genus, quod rotis subter ferreis, atque dentatis voluitur, ut excussis frumentis, stipulam in areis conterat, & in cibos iumentorum, propter feni sterilitatem paleas comminuat, teste Hieronymo.] Buxtorfius: Generale est MORAG, speciale CHARVTZ à casuris. Fuit enim tribula, ut scribit Rabbi Salomon Iarchi Iesaiæ 41. 15. CHARITZIM CHARITZIM, id est, plena casuris siue incisionibus, instar instrumenti fabricorum ferrariorum, quod dicitur Lima, & trahebatur super trituram, donec absunderentur spicae, ac stramen eius fieret palea. Apud Talmudicos legitur, fuisse instrumentum ligneum ex tigillis factum, plenum clauis siue dentibus, infernè obrusis, cui imponebatur massa ferrea, grauandi causa: trahebatur à bobus super trituram, atque ita frumentum excutiebatur, stramenque redigebatur in paleam, codice Menachoth, cap. 3, fol. 22. & codice Sebbachim, cap. 14,

fol. 116.] Hispani vocant Trillo. Huius fit mentio Iesaiæ 28. 27. & cap. 41. 15. ubi Nolter priori loco exposuit, Serram, posteriori, trituran.

Alterum quod CHARVTZ significat est aurum. De quo Forsterus: CHARVTZ significat item aurum concisum, seu contusum.] Eadem omninò Mercerus, & Scindlerus. At Pomarius: CHARVTZ, aurum pretiosum.] Auenarius: CHARVTZ, aurum concretum & concisum, aurum purum, quod nihil alterius materiae habet admixtum.] Martinus putat aurum dictum Charutz, quod homines acutos, solertes, & sollicitos reddat. Ponitur hæc vox pro auro Prouerb. 3. 14. & cap. 8. v. 10. & 19. Zachariæ 9. 3. & alibi. Forſan est illud, quod Hispanicè dicimus, Oro en puluis. id est auri pulueres. Equidem hoc loco Iob aurum sunt interpretati, LXX. Chaldaeus Paraphrastes, Vulgatus, & omnes ferè Græci & Latini Patres, & ex Recentioribus Steuchus, Sanctes, Forsterus, Martinus. Quo sensu locus mirè Antichristo conuenit: qui tanta abundaturus est auri copia, ut id sibi sternat tanquam lutum: nec nisi aurum calcet, aut per aurum incedat, vel in auro instar porci velut in cano volutetur, ut Caium & Heliogabalum facere solitos, dicemus postea. Non pluri ei aurum erit præ tanta copia, quam si lutum esset. Nos Hispanicè sciè id exprimimus: lleuà a el oro como todo entre pres.

Nec ab hac phraſi multum abludit illa 3. Regum, 10. v. 21. & 27. Non erat argentum, nec alius pretij putabatur in diebus Salomonis. Fecitque Salomon, ut tanta esset abundantia argenti in Ierusalem, quanta & lapidum. Quis enim dubitet, Salomone longè ditiores Antichristum futurum? Quamuis sanè, ut à Genebrardo lib. 1. Chronographiæ annotatum est, opulencia illa Salomonis ita sit accipienda, quod nimirum ipse quidem Salomon præ exuberanti sua auri & argenti copia, nihili faceret argentum, minus fortasse etiam quàm lapides, quòd magnificus nimis & sumptuosus ac penè prodigus esset: non tamen quòd aliis, præsertim populo non esset charissimum: quoniam in nimia illa Regis opulencia, luxu, sumptibus, largitionibus populus egebat, haud dubiè oppressus regiis exactionibus ac tributis, quæ idem Salomon cogeatur augere, ut tantis profusionibus sufficeret, quemadmodum ex historia Roboam eius filij constat. Haud sanè aliter tempore Antichristi eueniet: nam ipse, sui que auro & argento, rebusque aliis pretiosis plus nimio redundabunt, & inter pedes instar luti versabunt: aliis præsertim Christianis, expilatis, emunctis, expressis, exhaustis. Atqui de prodigiis opibus & diuitiis Antichristi plura adhuc dicemus lib. 9. cap. 10. interim videri poterunt Rabbanus Opusculo de Antichristo, S. Anselmus in Elucidario, Suarez Tom 2. in 3. Partem, disputatione 54. Sectione 5. Tantas hæc Antichristi diuitias ratio quoque manifesta confirmat. Nam & maximam omnium quæ vnquam fuerunt, monarchiam eius, & Magiam exquisitissimam, qua pollebit, atque arctissimam cum dæmonibus familiaritatem, quis non videt incredibilem diuitias comparaturus? Denique vna ex efficacissimis artibus, quibus homines ad se alliciet, erunt immodicæ & profusissimæ largitiones, quibus miseros inescabit, quod sane facere non poterit, nisi in immensa opum vi: vti lib. 9. cap. 10. videbimus.

CAPVT XII.

*Antichristum expilaturum templa,
ac sepulchra.*

NVnc modos, artésque quibus Antichristus maximas diuitias congesturus est, exequamur. Primum quidem suppetunt ex antiquitate detestanda exempla multorum qui templa, vel sepulchra in pio sacrilegio expilarunt. Iustinus lib. 2. Historiarum, mirabilem hanc orditur narrationem. *Tectosagi autem cum in antiquam patriam Tolosam venissent, comprehensaque pestifera lue essent, non prius sanitatem recuperare, quam aruspicum responsis moniti, aurum, argentumque bello, sacrilegiisque quasitum, in Tolosanum lacum mergerent. Quod omne magno post tempore Cæpio Romanus Consul abstulit. Fuere auri pondo centum decem millia, argenti pondo quinquies dies centum millia. Quod sacrilegium causa excidii Cæpioni, exercitusque eius postea fuit. Romanos quoque Cimbrici belli tumultus, velut ultor sacra pecunia insequutus est.* Gellius lib. 3. cap. 9. Eadem sententia est illius quoque veteris proverbi quod ita dictum accepimus: *Aurum Tolosanum. Nam cum oppidum Tolosanum in terra Gallia Q. Cæpio Consul diripisset, multumque auri in eius oppidi templis fuisset, quisquis ex ea direptione aurum attigit, misero, cruciabilique exitu perit.*

At Strabo lib. 4. pag. 130. *Tectosages quidem traditum est interfuisse Delphica expeditioni, & thesauros quos Tolose (ea urbs est Tectosagum) Cæpio Romanorum dux inuenit, partem fuisse pecuniarum, Delphis ablatarum, quibus illi de suis facultatibus additione facta, eas placandi numinis gratia consecrauerint. Itaque Cæpionem qui conrectasset eas, vitam in calamitatibus finivisse, tanquam sacrilegum, patria ciectum, relictis heredibus filiabus, quas Timogenes scribit constupratas turpiter perisse. Probabilior autem est Possidonij narratio. Is inuentas Tolosa pecunias ait quindecim millium circiter fuisse talentum partim in sacrariis repositas, partim in sacris lacubus, neque signatas, sed aurum, argentumque infectum fuisse. Ergo quod cum aliis multis tradit, regio illa auri dives cum esset, hominesque eam tenerent superstitione, ac in vitam degendam non sumptuosi, factum est, ut multis in locis Gallia thesauros haberet: maxime autem paludes eos tutos præstabant, in quas argenti, aut etiam auri pondera demittebant. Romani itaque potius ea ditio, paludes publice vendiderunt: multique eorum, qui emerunt, molas ex argento ductas repererunt. Tolose porro templum fuit sacrosanctum quod valde venerabantur vicini, ideoque abundabat thesauris, multis donaria dedicantibus, & nemine attingere auso.* Mirabilem Q. Cæpionis exitium describunt Epitomes Liviana 67. Valerius lib. 6. cap. 9. exemplo 13. quamvis lib. 4. cap. 7. exemplo 3. aliter referat. Auri Tolosani meminit Cicero 3. de Natura Deorum.

De Dionysio Sicilia Tyranno Cicero lib. 3. de Natura Deorum hæc habet: *Dionysius cum sanum Proserpina Locris expilavisset, navigabat Syracusas: isque cum secundissimum cursum teneret: Videtisne, inquit, amici quam bona à diis immortalibus navigatio sacrilegis detur? Atque homo acutus, cum bene planèque percepisset, in eadem sententia perseverabat. Qui cum ad Peloponnesum classem appulisset, & in sanum venisset Iouis Olympi, aureum ei detraxit amiculum grandi pondere, quo Iovem ornavat ex ma-*

nubis Carthaginensium tyrannus Gelo, atque in eo etiam cavillatus est, astare graue esse aureum amiculum, hieme frigidum: eique lanenum pallium iniecit, cum id esse aptum ad omne anni tempus diceret. Idemque Esculapij Epidaurij barbam auream demi iussit: neque enim convenire barbatum esse filium, cum in omnibus fanis pater imberbis esset. Iam mensas argenteas de omnibus delubris iussit auferri, in quibus quod more veteris Græcia inscriptum esset, BONORVM DEORVM, vii se eorum bonitate velle dicebat. Idem Victoriolas aureas, & pateras, coronasque quæ simulachrorum porrectis manibus sustinebantur, sine dubitatione tollebat, eaque accipere, non auferre dicebat: esse enim stultitiam, à quibus bona precaremur, ab iis porrigentibus & dantibus nolle sumere. Eundemque ferunt hæc quæ dixi, sublata de fanis in forum protulisse, & per præconem vendidisse: exactaque pecunia edixisse, ut quod quisque à sacris haberet, id ante diem certam in suum quisque sanum referret: ita ad impietatem in Deos, in homines adiunxit iniuriam.] Eadem omnino habet Valerius Maximus lib. 1. cap. 1. Alianus de varia Historia lib. 1. cap. 20. Dionysius ex omnibus Syracusarum templis & delubris per sacrilegium pecuniam abstulit. Statuam Iouis vestitu & omnibus ornamentis spoliavit, quæ octogintaquinque auri talenta aestimabantur. Et cum statuam operariis publicis attingere religiosum esset, ipse primus manum intecit. Depradatus est etiam simulachrum Apollinis, aureis cincinnis præditum, quos abradere aliquem iussit. Inde navigans in Troezen, universas Apollinis & Lencorthea pecunias nefario scelere abripuit. Mensam etiam argenteam astantem Apollini iussit auferri, super quam bonus Genius Deo propinabat.]

De Iulio Cæsare Suetonius cap. 54. *In Gallia fana, templaque Deum donis referta expilavit, vrbes diruit, sapius ob prædam, quam ob delictum: unde factum, ut auro abundaret. In primo Consulatu tria millia pondo auri furatus est à Capiolio, & tantundem inaurati æris reposuit.] De eodem Cæsare Plutarchus: Cum Tribunus plebis Metellus argentum depromere ex templo Saturni veraret ei, ac certas leges allegaret, dixit, non idem armorum ac legum tempus esse. Quod si hæc, inquit, quæ ago, offendunt te, facesse in præsentia. Ferocia verba bellum non admittit. Vbi patefacta arma deposuero, tunc age populariter. Atque hæc dico de iure meo remittens: nam & tu, & omnes alij, quos ex aduersariis meis cepi, in arbitrio es tui meo. Sic ad Metellum factus, profectus est ad fores Atrarij. Non comparentibus clanibus fabros acciuit, rumpi iubens eas. Intercedenti iterum Metello, laudantibusque eum quibusdam, intenta voce mortem ei, ni desisteret ab importunitate sua, minitatus est. Atque hoc, inquit, haud te latet adolescens, dictum mihi quam factum esse difficilius. Hæc verba effecerunt, ut tum Metellus in præsentia metu attonitus abscederet, tum reliqua facillè & expedite ei subministrarentur ad bellum.]*

De Nerone Suetonius cap. 32. *Ultimo templis compluribus dona detraxit, simulachraque ex auro, vel argento fabricata conflagavit, in iis Penatium deorum, quæ mox Galba restituit.]*

Atque hæc quidem damna illata fuere inanum deorum templis, quæ non sacra, sed profana erant & execranda, unde sacrilegia nullo pacto erant, quamvis ita reputarentur à Gentilibus: illa tamen pro veris & impiis sacrilegiis habenda sunt, quæ adversus veri Dei templum, & sacras Christianorum Ecclesias admissa sunt.

De M. Crasso Iosephus 14. Antiquit. cap. 12. hæc Memorat: Crassus autem expeditionem contra Parthos parans, in Iudæam pervenit, & pecuniam sacram, quam Pompejus non attigerat, duo millia talentorum abstulit, totoque reliquo auro, cuius summa accedebat ad octo talentorum millia, templum spoliavit. Tulit etiam trabem ex auro solidam, trecentas minas pendentem Mina autem apud nos constat duabus libris cum dimidia. Hanc trabem ei tradidit Sacerdos sacri Thesauri custos Eleazarus, non præ malitia, (nam erat vir bonus & iustus) sed cum concreditam haberet auleorum templi custodiam, ex hac trabe pendentium, quorum admiranda pulchritudo erat, & apparatus pretiosissimus: videratque Crassum totum esse in colligendo auro, timens omnibus templi ornamentis, trabem hanc redemptionem pro omnibus ei dedit: cum prius eum iure iurando obstrinxisset, nihil aliud loco moturum, contentum eo quod ipse traderet, æstimatum plurimum aureorum millibus. Hæc trabs inserta erat trabi caue lignæ, quod ceteris omnibus ignotum solus sciebat Eleazarus. Crassus tamen & hanc pro reliquo templi auro accepit, & mox violato iureiurando totum quantum intus erat, egressit. Nec est mirandum tantas divitias in nostro templo fuisse, cuius Deum cum omnes ubique terrarum Iudæi venerentur, ac colant, tam ex Europa quam ex Asia longo tempore huc eas contulerant.]

De Iuliano avunculo Iuliani Imperatoris Præfecto Orientis, & de Felice regij Thesauri Quæstore Theodoretus lib. 3. Ecclesiasticæ Historiæ cap. 11. hæc narrat. Tyrannus item [Iulianus] sacra vasa in ararium regium inferre, & portas Ecclesiæ, quam Constantinus edificaverat, obserari mandat, quos nullus aditus illis, qui in ea conventus agere solebant omnino pateret. Hanc Ecclesiæ id temporis occupabant Arianæ. In sacrosanctum autem templum ad vasa sacra auferenda simul ingrediuntur Iulianus Præfectus Orientis, Felix regij thesauri Quæstor, & Elpidius priuata pecunia & facultatum Imperatoris procurator, quem Romani comitem Priuatum appellare consueverunt. Felicem verò & Elpidium, cum essent Christiani, quo impio Imperatori gratificarentur, à vera religione ac pietate descivisse ferunt. Iulianus autem, cum esset in templo aduersus sacram mensam minxisse dicitur: atque Euzoio eum prohibere conanti colaphum infregisse, dixisseque, res Christianorum diuina cura, ac providentia prorsus destitutas esse. Felix sacrorum vasorum magnificentiam conspicatus, (Constantinus enim & Constantius splendide & ample ea conficienda curarant.) Ecce inquit, quàm sumptuosus vasis Filio Maria ministratur.] Eadem habent Sozomenus lib. 5. cap. 7. Nicephorus lib. 14. cap. 29. & alij.

Sed & S. Chrysostomus Oratione in S. Babylam: Ceterum ex his qui tum cum ipso erant, paucius, cum licentiosius insaniam suam contra nos prodidisset, ausus impuris manibus sacra vasa contingere: hoc etiam scelerare non contentus, sed contumelia ulterius progressus, (vasis enim iis inuersis, & super pavimentum collocatis atque extensis, ita super ea desedit) è vestigio illegitima huiusce sessionis panas luit. Illius enim verenda corrupta vermiculos generarunt: ita ut morbum diuinitus illatum constaret: ad quem curandum medici aues pingues, easque peregrinas interficiebant, quibus ad putrefacta membra admotis, vermiculos euocabant: illi verò loco cum non mouerentur, mordicus putridis partibus inhærebant: atque illum ita demum multis diebus absumptum perdiderunt.] At de diuina vindicta quæ impios sacrilegos est consecuta, pluribus agunt iidem Theodoretus, Sozomenus, Nicephorus. Acta hæc sunt in Ecclesia Antiochena, cui tunc præerat, Episcopus Euzoius Arianus.

De Isaacio Angelo Imperatore Nicetas Choniata Annali 3. Ea quoque fuit audaciâ, nequid dicam grauius, ut sacra vasa profanaret, & templis auulsa mensis suis adhiberet. In comessationibus quoque ex gemmis pretiosis & solido auro calicem instar facta donaria, quæ supra Imperatorum monumenta pendebant, manibus versabat, & peluibus insuperabilis elegantie, quibus se leuitæ & sacerdotes, quum sacra mysteria tractant, mundare solent, pro malluuiis utebatur. Auferebat particulas de venerandis crucibus: item ornatum maximi pretij de immortalibus Christi oraculis: iisque pro monilibus & torquibus utebatur.]

Iam de sepulchrorum spoliationibus quædam annotemus. In more fuisse prisco, ut in sepulchris & monumentis nobiliora, aut regum ingentem vim auri & argenti, aliarumque pretiosissimarum rerum recondent, notissimum est: vnde postea avari homines magnas diuitias egressere. Plutarchus in Apophthegmatis: Semiramis cum ipsa sibi sepulchrum condidisset, inscripsit hæc: Si quis rex pecunia indiguert in recluso hoc monumento, sumat quantum volet. Darius aperto eo, nullam inuenit pecuniam, sed in aliam incidit inscriptionem, cuius hic erat sensus: Nisi malus fuisses homo, & pecunia insatiabilis, numquam sanè loculos mortuorum inuasisses.] Eadem habet Stobæus in Eclogis Sermone 10.

Sepulchrum Osymandue Regis Egypti sumptuosissimum, describit Diodorus Siculus lib. 1. Numero 30. 31. 32. ac inter alia, inquit: Aureus est circulus in ipso monumento trecentorum sexaginta cubitorum ambitu, crassitie cubitali, inscriptique & diuisi in singulos cubitos anni dies, cum notatione ortus, & occasus stellarum naturales, & significationum quas Egyptij Astrologi ab illis effici docent. Hic, aiunt, circulus à Cambyse & Persis abreptus est, quando in eius potestatem Egyptus peruenit.]

De Nitocri Babylonis regina Herodotus lib. 1. Numero 187. scribit: Eadem autem regina hunc etiam machinata est dolum: Supra portas urbis celeberrimas loco edito atque conspicuo sepulchrum sibi extruxit, atque his litteris inscripsit: Si cui Regum Babylonis post me futurorum, fuerit pecunia penuria, aperto sepulchro, sumito quantumcumque libuerit pecunie. Ne tamen, nisi indiguerit, alioqui aperto: non enim in rem eius fuerit. Hoc sepulchrum tandiu fuit immotum, dum regnum peruenit ad Darium. Is indignum esse ratus se neque uti quippiam his portis, (ideo autem non utebatur, quod transiens habiturus esset cadaver supra caput suum situm) neque sumere pecunias repositas & eas quidem ipsum prouocantes, reuerant monumentum: in quo non quidem pecunias inuenit, sed litteras ita dicentes: Nisi pecunie esses inexpectabilis, & turpis lucri cupidus, defunctorum sepulchra non appermisses. Talis extitisse hæc regina memoratur.] Hæc de Semiramide retulere Plutarchus & Stobæus, uti antea vidimus.

Q. Curtius lib. 10. Rerum Alexandri: Fortè enim sepulchrum Cyri Alexander iussit aperiri, in quo erat conditum eius corpus, cui dare volebat inferias: argentoque repletum esse crediderat: quippe ita fama Persæ vulgauerant. Sed præter clypeum eius putrem, & arcus duos Scyricos, & acinacem, nihil reperit. Ceterum corona aurea imposita, amiculo cui assueverat ipse, solum in quo corpus jacebat, velauit: miratus tanti nominis regem, tantis præditum opibus, haud pretiosius sepultum esse, quàm si fuisset è plebe. Proximus erat spado Bageas, qui regem intuens, Quid mirum, inquit, est inania sepulchra esse Regum, cum Satraparum domus aurum inde egestum capere non possunt? Quod ad me attinet, ipse hoc bustum antea

non videram : sed ex Dario ita accepi, tria millia talentum condita esse cum Cyro.]

Diuerfa ab his sunt quæ Arrianus lib. 6. de Rebus Alexandri extremo in hunc modum narrat: Egerrimè verò ferebat Alexander scelus in Cyri Cambyse filij sepulchrum admissum : quod quidem perfractum spoliatumque reperit, ut auctor est Aristobolus. Esse enim apud Pasargadas in hortis regis Cyri illius sepulchrum, & circum id, lucum omnis generis arboribus confutum, aquisque irriguum atque alto gramine hortum ipsum refertum esse : sepulchrum ipsum ab ima parte saxo quadrato structum quadrangularem formam præ se ferre. In editiore parte adiculam esse lapideo fornice contectam, portulamque habere, quæ in eam ducat, ita angustam, ut egerrimè aliquis, neque is magna statura, ingredi possit. In adicula urnam auream esse positam in qua Cyri corpus conditum scruaretur : lecticam urna adstare, cuius pedes ex solido auro fabrefacti sunt : hanc tapetis Babiloniis stratum, stragulis purpureis substratis : lectica candym regiam, aliasque vestes Babylonij operis impositas esse. Femorata etiam Medica : stolas quoque hyacinthino colore tinctas ibi positas fuisse scribit atque has quidem purpurei, alias varij coloris : torques quoque & armillas ac gladios, & inanes, aliaque ornamenta ex auro & gemmis composita. Mensa præterea ibi posita erat : in medio verò lectica urna corpus Cyri continens. Esse præterea intra ambitum in ipso ad sepulchrum ascensu exiguam quandam adiculam, Magis extructam, qui quidem sepulchrum custodiebant, iam inde à Cambyse Cyri filio custodia munere à patribus in filios transmissa. Atque his quidem onis in singulos dies ab rege dabatur, vinique & farina certus modus : singulis etiam mensibus equus unus, quem Cyro sacrificarent. Titulus sepulchri Persicis litteris inscriptus, hoc significabat : O Mortalis, Cyrus ego sum Cambyse filius, qui Persis regnum constitui, Asiaque imperavi. Itaque ne meo monumento inuideas. Alexander, (incefferat enim eum cupido iam tum quum Persas vicisset, adeundi istius sepulchri) reliqua omnia furto sublata, præter urnam & lectum reperit. Nonnulli ne ipsius quidem corpori pepercerant. Sublato enim urnæ operculo, corpus eiecerant : ipsam verò urnam imminuere conati fuerant, ut commodius auferri posset : partim præcidentes, partim conuidentes, atque confringentes : Cumque opus non succederet ex sententia, relicta tandem urna abierunt. Post hac Alexander Magos sepulchri custodes comprehensos in quaestionem dare iubet, uti auctores facinoris indicent qui quidem tori, neque de se, neque de aliis quicquam confessi sunt, neque ullius rei sibi conscij esse sunt deprehensi : quia propter ab Alexandro dimissi. Inde in Regiam Persarum profectus est. Ibi multa Orxini, qui Persas post Pharsaortis obitum rexerat, crimina obiecta sunt : quod templa & sepulchra regia spoliasset. Atque hunc quidem iussu Alexandri in crucem sustulerunt.] Atqui de sepulchro Cyri plura Strabo lib. 15. pag. 502. Plutarchus in Alexandro, quæ tu vises.

Mira planè sunt quæ Iosephus de diuitiis sepulchro Davidis & Salomonis illatis refert : lib. enim 7. Antiquitatum. cap. 12. ita scribit : Sepeliuit autem eum [Davidem filius Salomon Ierosolimis magnificè, præter solemnia illa in Regum funeribus, illatis etiam in monumentum eius maximis diuitiis, quarum magnitudinem facile sit coniectare ex hoc quod dicemus. Nam post annos mille trecentos Hyrcanus Pontifex oppugnatus ab Antiocho cognomento Pio, Demetrii filio, volens pecuniam ei dare, ut abducto exercitu, obsidionem solueret, nec valens aliundè sumere, aperta cella monumenti Davidis, & prolatis inde tribus talen-

torum millibus, eorumque parte Antiocho numerata, oppugnationis periculo se exemit, sicut alibi indicauimus. Ac rursus post multos annos elapsos Herodes rex alia cella aperta, magnam pecuniam sustulit. Ad loculos tamen qui regum cineres continent, neuter eorum peruenit singulari enim arte ita erant sub terram conditi, ut ab ingredientibus monumentum inueniri nequirent.]

Et lib. 13. cap. 16. Caterum Hyrcanus aperto monumento Davidis, qui olim regum omnium fuerat ditissimus, tria millia talentorum inde protulit : quibus pecunis fretus, primus omnium capit externum militem alere : & inito cum Rege federe, exceptum in urbe cum exercitu tractauit liberalissimè : quin & profectum in expeditionem Parthicam secutus est una cum auxiliis.]

Et lib. 16. cap. 11. Herodes multum pecuniarum domi, forisque profundens, audito quod Hyrcanus qui ante eum regnavit, recluso Davidis sepulchro tria millia talentorum argenti extulisset, superesseque multò plura, quæ possint quantumvis magnis sumptibus sufficere multo tempore animum habuit idem aggredi. Tunc verò noctu apertum sepulchrum ingreditur, cum prius accuratè cauisset, ne hoc resciret populus, assumptis tantum amicorum fidiis : depositas tamen pecunias non inuenit, sicut Hyrcanus : sed mundi pretiosi, & aureorum ornamentorum vim magnam inde sustulit. His inuitatus ad diligentius scrutandum interius processit usque ad conditoria corporum Salomonis ac Davidis, ubi duos satellites amisit, erumpente, ut fertur, ex adytis flamma contra progressos temere : quo casu territus exiit, & tactus religione, ad expiandum se, in aditu sepulchri monumentum è candido marmore condidit, sumptuosissimis impensis.] Et quidem de Hyrcano eadem quæ Iosephus tradit quoque Hegefippus lib. 1. Excidij Ierosolymitani, cap. 1.

Theodoricus Italiae Rex Annæ comiti mandat inquisitionem in Presbyterum qui aurum in sepulchris scrutabatur, apud Cassiodorum lib. 4. Variarum, Epistola 18. sic dicens : Dudum siquidem ad nos multorum suggestionem peruenit, Laurentium Presbyterum effosis, cineribus funestas diuitias inter hominum cadauera perscrutatum : concussionemque mortuis intulisse, quem oportet viuentibus quietam predicare. Non abstinuisse perhibetur tam crudeli contagio piis dicata consecrationibus manus, aurum execrabili quasisse fertur affectu, quem suam decuit egenibus dare substantiam, vel sub æquitate collectam. Quod te diligenti examinatione precipimus indagare. Ut si veritate dicta perspexeris conuenire, hominis ambitum eo tantum sine conclusas, ne possit suppressere quod eum non licuit inuenire. Scelus enim quod nos pro sacerdotali honore relinquimus impunitum, maiori pondere credimus vindicandum.]

Et Epistola 34. idem Theodoricus Dudæ Saioni rescribit : Prudentia mos est in humanos usus terras abolita talenta reuocare, commerciumque viuentium non dicere mortuorum : quia & nobis in fossa pereunt, & illis in nulla parte profutura locantur. Metallorum quippe ambitus solatia sunt hominum. Nam diuitis auri vena similis est reliquæ terræ si jaceat : usu crescit ad pretium : quando & apud viros sepulta sunt, quæ tenacium manibus includuntur. Atque idè moderata iussione decernimus, ut ad illum locum in quo latere plurima suggeruntur, sub publica testificatione conuenias : & si aurum, ut dicitur, vel argentum fuerit tua indagatione detectum, compendio publico fideliter vindicabis : ita tamen ut abstineatis manus à cineribus mortuorum. Quia nolumus lucra quari, quæ per funesta possunt scelera reperiri. Edificia tegant cineres, colum-

na vel marmora ornent sepulchra, talenta non teneant, qui viuendi commercia reliquerunt. Aurum enim sepulchris iuste detrahatur, ubi Dominus non habetur: imo culpa genus est inuiciter abditis relinquere mortuorum, unde se vita potest sustentare viuentium. Non est enim cupiditas eripere, qua nullus se dominus ingemiscat amisisse.]

De Alarici Gothorū regis qui Romam cepit, sepulchro, Paulus Diaconus lib. 13. Miscellæ cap. 28. ita narrat: Inter hæc Alaricus dū deliberaret, quid agere apud Consentiam subita morte defunctus est. Gothi Basentium annem de alueo suo captiuorum labore deriuantes, Alaricum in medio alueo cum multis opibus sepeliunt, annemque meatui proprio reddentes, ne quis locum scire posset captiuos qui interfuerant, extinguunt.]

At de veteri more pecunias, aurumque cum mortuis condendi, plura ex antiquitate collegit Ioannes Kirchmannus Lubecenſis lib. 3. de Funeribus Romanorum cap. 24.

Sed & Imperatores Mexicanos, ac Ingas Peruanos, aliosque istarum gentium regulos magnis Cryptis & fornicibus sepeliri solitos, simulque cum ipsis in monumenta quantam possent auri, argenti, gemmarumque vim recondere consueuisse, qui res Noui Orbis describere, abundè docent: præsertim Franciscus Gomara in Generali Indiarum Historia, cap. 123. & 124. Iosephus Acosta lib. 5. Indicæ Historiæ, cap. 8. Quin & idem Gomara auctor est, Hispanum quendam gregarium militem, busta perscrutantem incidisse in monumentum argento adeo oppletum, ut minimo æstimatum sit summa sexaginta propemodum millium aureorum: & cum plura alia reposita fuisse ingentibus infarta diuitiis.

CAP V T XIII.

Thesauros absconditos ac deperditos patefaciendos Antichristo.

S Anselmus in Elucidario: Vno modo nobiles sibi diuitis adſciſcet, qua sibi maxima affluent, quia omnis abscondita pecunia erit ei manifesta.] Petrus Comestor in Historia Scholastica Danielis cap. 6. Antichristus inueniet thesauros absconditos.] Hugo Eterianus de Regressu Animarum ab inferis, cap. 23. Ipse verò Antichristus, ut pessima generationi satisfaciatur, opes malorum irritamenta effodiet & exponet.] Atque eadem est sententia omnium quotquot scripserunt de Antichristo. Vide Florimundum Remundum lib. de Antichristo cap. 20. Non fuerit abs re, nonnulla ex vetustate exempla referre ingentium Thesaurorum absconditorum, quos vel refodisse, vel refodere conatos homines memoria proditum est. De Nerone Suetonius cap. 31. Ad hunc impendiorum furorē super fiduciam Imperij, etiam spe quadam repentina immensarum & reconditarum opum impulsus est: ex inditio equitis Romani, pro comperto pollicentis, thesauros antiquissima gaza, quos Dido regina fugiens Tyro secum extulisset, esse in Africa vastissimis specubus abditos, ac posse erui parua molientium opera. Verum, ut spes sefellit, destitutus, atque ita iam exhaustus & egens, calumniis & rapinis intendit animum.] Tacitus Annali 16. initio: Illuſit dehinc Neroni fortuna per vanitatem ipsius, & promissa Cesellij Bassi, qui origine Pœnus mente turbida, nocturna quietis imaginem ad spem haud dubiam retraxit. Pœtusque Romam, Principis aditum emeratus, expromit repertum in agro suo specum altitudine im-

mensa, quo magna vis auri contineretur, non in formam pecunie, sed rudi & antiquo pondere. Lateres quippe pragraues, jacere à stantibus parte alia columnis, qua per tantum aui oculata, augendis presentibus bonis. Cæterum, ut coniectura demonstrat, Didonem Phœnissam Tyro profugam, condita Carthagine, illas opes abdidisse, ne nouus populus nimia pecunia lasciuiret: aut reges Numidarum & alias infensi, cupidine auri ad bellum accenderentur. Igitur Nero non auctoris, non ipsius negotij fide satis spectata, nec missis visoribus per quos nosceret, an vera assererentur, auget ultro rumorem: mittitque qui velut partam prædam adueherent. Dantur triremes & delectum nauigium iuuanda festinationi, nec aliud per illos dies populus credulitate prodentis diuersa fama tulerat. Ac forte quinquennale ludicum secundo lustro celebrabatur, oratoribusque præcipua materia in laudem Principis assumpta est. Non enim tantum solitas fruges, nec metallis confusum aurum gigni, sed noua vbertate prouenire terras, & obuias opes deferre deos, queque alia summa facundia, nec minore adulatione seruilis fingebant, securi de facilitate credentis. Gliscebant interim luxuria spe inani, consumebantur veteres opes, quasi oblatas quas multos per annos prodigerent. Quin & inde iam largiebatur. Et diuitiarum expectatio inter causas paupertatis publica erat. Nam Bassus effosso agro suo, latiusque circum aruis, dum hunc vel illum locum promissi specus adfuerat, sequunturque non modo milites, sed populus agrestium efficiendo operi assumptus, tandem posita vecordia, non falsa ante somnia sua, seque tunc primum elusum admirans, pudorem, & metum morte voluntaria effugit. Quidam vinctum ac mox dimissum tradidere, ademptis bonis in locum regia gaza.]

De Pompeio bellum in Africa gerente Plutarchus in eius vita Habebat ipse sub signis sex completas legiones. Ibi ei proditum est memoria rem accidisse ridiculam. Inciderant milites aliquot, ut fertur, in thesauros, ac magna vi argenti erant potiti: Re vulgata, locum eum alij omnes existimauerunt argenti plenum esse, per superiores Panorum clades ibi reconditi. Nihil igitur uti Pompeius militibus potuit, per multos dies thesauros scrutantibus: Sed obambulauit ridens cum contemplaretur tot millia in fodiendo, & vertendo, campum occupata: quoad deposita spe, dixerunt Pompeio, duceret, quò liberet, satis se panarum dedisse stultitiæ sue.]

De Tiberio Christianissimo Imperatore S. Gregorius Turonensis lib. 5. Historiæ Francorum, cap. 19. hæc prodit: Cum autem Iustinus Imperator amisso sensu amen: effectus esset, & per solam Sophiam Augustam eius Imperium reueretur, populi, ut in superiori libro iam diximus, Tiberium Cæsarem elegerunt, virilem, strenuum, atque sapientem, eleemosynarium, inopumque optimum defensorem. Qui cum multa de thesauro quos Iustinus adgregauit, pauperibus erogaret, & Augusta illa eum frequentius increparet, quod rem publicam redeſſet in paupertatem, diceretque: Quod ego multis annis congregaui, tu infra paucum tempus prodigè dispergis. Aiebat ille: Non deerit fisco nostro: tantum pauperes eleemoſynam accipiant, aut captiui redimantur. Hic est enim magnus thesaurus, dicente Domino, Thesaurizate vobis thesauros in calo, ubi neque arugo, neque tinea corrumpit: & ubi fures non effodiunt nec furantur. Ergo de quo Deus dedit, congregemus per pauperes in calo, ut Dominus nobis augere dignetur in secula. Et quia, ut diximus, Tiberius magnus & verus Christianus erat, dum hilari distributione pauperibus opem præstat, magis ac magis Dominus ei subministrat: nam deambulans per palatium, vidit in pavimento domus tabulam marmoream, in qua Crux

Dominica

Dominica erat sculpta, & ait: Cruce tua Domine frontem nostram munimus & pectora: & ecce crucem sub pedibus conculcamus. Et dicto citius, iussit eam auferri, defossaque tabula atque erecta, inueniunt subter, & aliam hoc signum habentem: nuntiantesque iussit & illam auferre. Qua amota, reperiunt & tertiam: iussuque eius, & hac aufertur. Qua ablata, inueniunt magnum thesaurum, habentem supra mille auri centenaria. Sublatumque aurum, pauperibus adhuc abundantius, ut consueuerat, subministrat: nec ei Dominus aliquid deficere permittebat pro bona voluntate sua.

Quid ei in posterum Dominus transmiserit, non Omittam: Narses ille dux Italiae, cum in quadam ciuitate domum magnam haberet, in Italiam cum multis thesauris egressus, ad supramemoratam urbem aduenit: ibique in domo sua occultè cisternam magnam fodit, in qua multa millia centenariorum auri argentique reposit: ibique interfectis consciis, vni tantum modo seni per iuramentum condita commendauit. Defunctoque Narsete, hac sub terra latebant. Cumque supradictus senex, huius elemosinas assidue cerneret, pergit ad eum dicens: Si, inquit, mihi aliquid prodest, magnam rem tibi Caesar edicam. Cui ille: Dic, ait, quod volueris. Proderit enim tibi si quiddam nobis profuturum esse narraueris. Thesaurum, inquit, Narsetus reconditum habeo, quod in extremo vita positus celare non possum. Tunc Caesar Tiberius gauisus, mittit vsque ad locum pueros suos. Præcedente vero sene, ij sequuntur attoniti. Peruenientesque ad cisternam, deopertamque ingrediuntur: in qua tantum aurum, argentumque reperiunt, ut per multos dies vix euacuaretur à deportantibus. Ex hoc ille amplius hilari erogatione dispensauit egenis.] Hactenus S. Gregorius, qui eo tempore, quo hæc Tiberio contigerunt, Turonicæ Ecclesiæ præerat Episcopus.

Eadem de utroque inuento à Tiberio thesauro referuntur in Miscella lib. 17. cap. 1. 2. & 3. & à Paulo Diacono Historiæ Longobardorum lib. 3. cap. 11. & 12. & ab aliis recentioribus. Annalium Ecclesiasticorum conditor historiam de thesauro à Narsete recondito tanquam incertam & fide nutantem coarguere conatus est: sed hæc ad viuum rescare alterius temporis & orti est: non tamen putamus hac in re auctoritatem S. Gregorij tunc viuentis, & aliorum prorsus minuendam.

De Guntramno Francorum rege Paulus Diaconus lib. 3. Historiæ Longobardorum, cap. 35. mira hæc narrat: Erat autem Guntramnus iste, de quo diximus, rex pacificus, & omni bonitate conspicuus: cuius vnum factum satis admirabile libet nos huc nostræ historiæ breuiter inferere, præsertim cum hoc Francorum historia nouerimus minime contineri. Is cum venatum quodam tempore in siluam iisset, & ut solet fieri, hac illacque discurrentibus sociis, ipse cum vno fidelissimo tantum suo remansisset, grauiissimo somno depressus, caput in genibus eiusdem fidelis sui reclinans, obdormiuit: de cuius ore paruum animal in modum reptilis egressum, tenuem riuium qui propè discurrerat, ut transire posset, satagere capit. Tunc isdem in cuius gremio quiescebat, spatham suam vagina exemptam, super eundem riuium posuit, super quam illud reptile, de quo diximus, ad partem aliam transmeauit. Quod cum non longe exinde in quoddam foramen montis ingressum fuisset, & post aliquantulum spatij regressum, super eandem spatham præfatum riuium transmeasset, rursum in os Gunthramni de quo exierat, introiuit. Gunthramnus post hac expergefactus, mirificam se visionem vidisse narrauit: Retulit enim apparuisse sibi in somnis, quod fluiuium quendam per pontem ferreum

transisset, & sub monte quodam introisset, ubi multis auripondera aspexisset. Is vero in cuius gremio caput tenuerat, quum dormisset, quid de eo viderat, ei per ordinem retulit. Quid plura effusus est locus ille, & inestimabiles thesauri qui ibidem antiquitus positi fuerant, sunt reperti. De quo auro ipse rex postmodum ciborium solidum mira magnitudinis, & magni ponderis fecit, multisque illud pretiosissimis gemmis decoratum, ad sepulchrum Domini Ierosolymam transmittere voluit: sed cum minimè potuisset, idem supra corpus beati Marcelli martyris, quod in ciuitate Caballonno sepultum est, ubi sedes regni illius erat, poni fecit: & est ibi vsque in presentem diem: nec est usquam vllum opus ex auro effectum, quod ei valeat comparari.] Eadem habet Sigebertus in chronico, anno Christi 585.

Idem Sigebertus Anno Domini 1038. hæc habet: In Apulia erat quadam statua marmorea, circa caput suum arcum habens circum, in quo erat scriptum: Kalendis Maij oriente sole habebit caput aureum. Quod quidam Sarracenus à Roberto Viscardo Duce Normannorum captus quid portenderet, intelligens, in Kalendis Maij oriente sole, diligenter notato termino umbra illius statua, infinitum thesaurum effossa ibidem humo, reperit, quem pro sua redemptione eidem duci obrulit.] Eadem habet Martinus Polonus lib. 4. Chronici. Reuocant nobis hæc in memoriam ea, quæ Maximus Planudes in Æsopi vita perscribit in hunc modum: Ac post dies rursum aliquot Xanthus sequente Æsopo, ad monimenta accessit. Et que in arcis erant epigrammata legens, se ipsum delectabat. At Æsopo in quadam ex ipsis insculptas litteras has vidente, α, β, δ, ο, ε, θ, χ, ostendensque Xantho, atque rogante, an hæc nouisset, diligenter ille scrutatus, non potuit harum inuenire declarationem, ac fassus dubitare omnino. Tum Æsopus, si per hanc columnulam, d. here, thesaurum ostendam tibi, qua re me remunerabis? Et is, Confide: accipies enim libertatem tuam, atque dimidium auri. Tunc Æsopus, distans à cippo passus quatuor, & fodiens, accepitque thesaurum & tulit hero, dicens: Da mihi promissum, per quod inuenisti thesaurum. Et Xanthus: Non, si & ego sapiam: nisi & sensum litterarum mihi dixeris, nam scire hoc, multo re inuenta mihi pretiosius. Et Æsopus: Qui thesaurum infodit, hic ut vir eruditus litteras insculpsit has, quæ & inquirunt, α, ἀπόδος, recedens, β, βήματα, passus, δ, τεσσαρά, quatuor ο, ὀφύζας, fodiens, ε, εὕρησα, inuenies, θ, θησαυρόν thesaurum, χ, χεύσις, aureum. Et Xanthus, qui ita solers es, & astutus, non accipies tuam libertatem. Et Æsopus: Renunciabo dandum aurum d. domine, regi Byzantinorum: illi enim reconditum est. Et Xanthus: Vnde hoc nosti? Et ille: Ex litteris: hoc enim inquirunt: α, ἀπόδος, redde, β, βασιλεῖ, regi, δ, Διονύσω, ὄν, quem ε, εὕρες, inuenisti θ, thesaurum, χ, χεύσις, auri. Et Xanthus audiens regis esse aurum, Æsopo ait: Accepto dimidio lucri, taceto. Et ille: Non tu mihi nunc hoc præbes, sed qui aurum hic infodit. Ac quemadmodum, audi: hoc enim dicunt litteræ, α, ἀνελόμενος, acceptum, β, βεδίκατες, vadentes, δ, δίσκοδε, diuidite, ο, ὄν, quem, ε, εὕρετε, inuenistis, θ, χ, χεύσις, auri. Et Xanthus, venias, inquit, in domum ut & thesaurum diuidamus, & tu libertatem accipias.] Sed de thesauris abditis iam satis.

CAPVT XIV.

Dæmones thesaurorum occultorum esse plerumque præfides ac custodes, quos seruant Antichristo.

Nec pauca, nec vulgaria huiusce rei exempla dabimus. Georgius Cedrenus in Annalibus pag. 297. in Anastasio 1. Imperatore: Castrum est in Persarum atque Indorum confinio nomine Tzudader, in quo multum pecunie, margaritarum, & lapidum pretiosorum repositum à demonibus asseruabatur. Cabades [Persarum rex] ea re percepta, castrum occupare est annexus: cumque ei à demonibus obfisteretur, omnibus & Magorum, & mox Iudeorum tentatis artibus, impositi propositi fuit. Ergo cum ei persuasum esset, Christianorum ad Deum precibus eo se potiri posse: hoc à quodam Episcopo Christianorum in Perside agentium contendit. Is synaxi coacta, cum diuinis mysteriis communicasset, ad locum accedens, dæmonas ibi morantes exegit, castrumque Cabade nullo labore occupandum tradidit. Quo miraculo Cabades attonitus, primum in confessu locum Episcopo ei tribuit, quem hactenus Manichæi & Iudæi tenuerant: liberam quoque potestatem fecit eis qui baptizari vellent. Eadem habet Michael Glycas Annalium 4. Parte in Anastasio. Ioannes Stumphius in Chronicis Heluetiæ hæc habet: Circa annum Christi 1520. B. si ea quidam sartor ingenio simplex, voce balbus, incertum qua arte cryptam illam, qua Augusta Rauracorum patet, ingressus, & ulterius quam ulli alij unquam potuerant, progressus, miranda quadam spectra referebat. Cereò consecrato accenso in cryptam descendens, primo per ferream portam se transiisse aiebat: inde ex una concameratione in aliam, atque etiam in hortos pulcherrime virentes. In medio aulam magnifice ornata spectari, & Virginem formosissimam puberulam, aureo diademate caput cinctam, crinibus solutis, inferne in horridam serpentem desinentem, à qua manu ad scrinium ferreum deductus fuerit: scrinio duos molossos nigros incubare, & terribili larratu accedentes arcere. At virginem mirabunda similem eos compescere. Tum clauium fæscæ, quem collo alligatum gestaret, soluto, arcam recludere, & omnis generis numismata, aurea, argentea, arca depromere. Quorum non pauca liberalitate Virginis ex ipsa crypta se retulisse ostendebat. Addebat Virginem narrare solitam, diis imprecationibus sese cum regio esset orta stemmate, iam olim deuotam in tale monstrum mutatam fuisse, neque aliam salutis recuperanda rationem superesse, quam si ab illibati pudoris adulescente ter deosculata fuisset: tunc enim formam pristinam sibi restitutum iri, & dotis nomine thesaurum omnem qui eo loci lateret, liberatori cessurum. Affirmabat quin etiam bis sese virginem deosculatum, bis tam horribiles gestus in ea præ gaudio sperata liberationis obseruasse, ut sibi ne viuis ab ea discerperetur, metuendum fuerit. A quibusdam nepotibus inganeum deductus, nunquam postea aditum ad cryptam inuenire potuit, nedum ingredi. Quis non videat eiusmodi omnia præstigia dæmonum fuisse qui forte thesauro ibidem defosso incubarent?

Martinus Delrius lib. 2. Magicarum disquisitionum Quæstione 12. inquit: Paucos antè annos quidam Prior Margullinæ cum duobus sociis fossam quandam in spelunca Regis Salai propè Puteolos, thesaurorum causa ingressus, miserè interit, nec amplius visus, ut narrat Villamontius lib. 1. Itinerarij sui, cap. 23.] Andreas Cæsalpinus in Dæmonum Inuestigatione, cap. 12. ait: Thesaurorum quidem indagatores per ma-

gicas facultates multos nouimus: sed qui affectui fuerint, compertum non habeo. Pisis reuenerunt quidam nostris temporibus effodere, sed rei difficultate victi ab opere cessarunt. Tandem anno elapso locum in quo Neronis ædificia extitisse ferunt, hodie autem sacris virginibus dicatum effodere caperunt, ubi erat ingens pini arbor; sed à demonibus adeò infestati sunt, ut præ timore ab incepto desistere coacti fuerint: quo tempore multa ex virginibus locum habitantibus à dæmone obfessa sunt.] Pergit Delrius Quæstione 27. Sectione 2. extrema: Nota etiam historia magi Germanici, qui cum specum ingressus esset, ubi thesaurus reconditus, socio in vestibulo manente, vidissetque incubantem arca nigerri-mum canem, nihilominus cupiditate metum pellente porro progressus, ruente terra, in specu fuit tumulatus.] Vide ea de re Nicolaum Remigium lib. 1. Dæmonolatriæ, c. 4. Laurentius Ananias lib. 4. de Natura Dæmonum, scribit: Quo circa res non suspitione caret, quod omnes thesauri, aut humo, aut aqua, aut aliqua ruina obruti, Antichristo à demonibus custodiantur. Telchines dæmones in Theauris custodiendis occupatos nominant.] Et mox: Namque si animæ ibi vinculis constrictæ potius quam dæmones essent, haud malefici tot visiones, quæ non nisi dæmonum esse possunt, apud thesauros experirentur: cum alij hanc stultitiam sectantes, quorum numerus est non exiguus, dæmonum dolis sic circumventi, ex salicis virga præsertim, cui banc à natura ineptè assignant facultatem, diabolo oblatis sacrificiis, terram tremere, montes ruinam minari, aliasque etiam illusiones sentiant, qui ut plurimum spe lactati inani vitam in extrema paupertate degunt, crebrius quam si his infelicibus diuitiis potiti fuissent: cum à malis spiritibus nihil nisi malum proficisci possit. Quæ vero execranda scelera hoc diabolici cupiditatibus alleclum genus hominum intentata relinquunt diuitiarum potiundarum ergo, cum Sacramenta ipsa occlusa in delubris violare non dubitant? dæmonibus, is ad hanc rem opus esse secundum quietem, vel in vigilia ipsis persuadentibus: infelicissimi omnium, animæ salutem tam turpiter ob vanam spem exigui lacelli prostituunt: ut haud ita pridem sacerdoti cuidam Norimbergensi euenit, qui sollicito studio huic rei incumbens, à diabolo sub canis forma in arca interemptus est. Simile quoddam & nuper Neapoli auditum: nonnulli enim inbian-tes eiusmodi falsis diuitiis, à necromante alleclti, qui dæmonem mortui cranio, ut thesaurum demonstraret, se inuitasse fabulatus est: ubi tandem ad locum destinatum venissent omnes, cum quatuor eorum esset numerus, vitam cum morte commutare coacti sunt.] Et Delrius eodem lib. 2. Quæstione 12. hæc habet: Laurentius Ananias cur nolit demon magis diuitias dare, causam reddit aliam: malos genios esse deditos auaritia, & thesauros ac pecunias huiusmodi asseruare Antichristo filio perditionis, ut ei ad sumptum sufficiant: idque dæmonem ariolo cuidam respondisse. Quamuis autem demoni, ut mendaci minimè credendum, res tamen à vero parum abhorret.] Vide plura de his apud Florimundum libro de Antichristo, cap. 20.

CAPVT XV.

Ex auri, argentique fodinis immanes diuitias eruet Antichristus.

Illud quoque pro comperto habemus, Antichristum immensam auri, argentique vim, montium, ac terræ intimis visceribus perfossis infatigabili hominum, dæmonumque labore ex mineris extracturum. Mira planè sunt atque humanum captum propemodum superantia, quæ auctores de auri, argentique venis, abditissimis terræ sinibus immeris prodidere

Agatharchides Gnidius lib. 5. de Mari Rubro, cap. 11. apud Photium in Bibliotheca, agens de aurifodinis Ægypti hæc narrat: Extremos illic & abiecta fortis homines in aurifodinarum seruitutem acerbissimam tyrannis abducit: quorum alij etiam absque illis, ærumnas tolerant. Quas cum tragicè exaggeravit auctor, quod ad summam calamitatem nihil reliqui sibi faciant: modum exponit, quo aurum illud elaborent. Montium illorum, ubi aurum reperitur, quæ prærupta sunt, & asperam omninò naturam habent, lignis incendunt: cumque igni laxos & molles fecerunt, experimentum illis demum admonent. Tum quæ in petra emollita sunt, ferro latomico in frustra scindunt. Præstetque aliis artifex, qui lapidem diuidit: qui postquam vias metalli indagatoribus ostendit, totum opus miscellorum necessitati dispertit. Ad hunc modum robore & ætate integri malleis ex ferro incisoriis lotum marmore grauidum perfringunt, idusque non arte sed viribus administratur, & plures per rupem cuniculos agunt, non quidem rectos: nam quandoque sursum, quandoque deorsum: nunc ad latus sinistrum, nunc in obliquum & transversum, perinde ut arborum radices, lapis auro prægna deurgit. Illi igitur lychnis ad frontes alligatis lapidem cadunt candore eius ut vena deducti. Et ubi variis modis posita illis corpora efformarunt, in terram fragmenta deiciunt, non pro sui roboris habitu, sed ad oculum præfecti, qui verbera ab increpatione non sciungit. Pueri autem impuberes, in cuniculos ab illis effoscos irreptantes, etiam lapillos de proiectis multo collectos labore, intra ostium deportant.

Ab iis porro senes & hominum inualidorum turba lapidem transferunt: & translatum inspectoribus, qui Epoptei vocantur, exhibent. Nam qui sunt intra triginta annos & robore spectabiles, mortarius è saxo acceptis, pistillo subigunt & pinsunt, ut maximum inde frustulum non excedat eruant. Tum eadem hora admetiuntur alius. Labor hic est faminarum, quæ unâ cum maritis aut parentibus in ergastula sunt abductæ. Plures enim ordine mole agitantur, quibus pistum illum lapidem subiiciunt, & terna utrinque ad unum contusionis ictum adstantes, tam fædo succinctu, ut sola corporis pudenda contegant, molendo incumbunt, & eo usque molunt, dum tradita ipsis mensura, similaginis ad modum redacta fuerit. His igitur vniuersis, qui eam fortune sortem tolerant, mors vita est optabilior. A femineo sexu puluerem ita subactum excipiunt alij, quos Selangeos nominant. Artifices sunt illi, quorum in facultate est hoc regie utilitatis opus ad finem perducere. Operatio ita se habet. Marmor ita commolitur in tabula effundunt, lata quidem & ad rectam sectionem polita, quæ tamen non recto incumbit loco, sed exiguam declinationem habet. In hac puluerem affusa aqua, manibus terunt initio leuiter, deinde pressius. Vnde opinor, terrestria eliquantur, & ad tabulatum nutum defluunt. Id autem quod validum est, & aliquid pollet, in ligno subsistit immobile. Cum igitur crebro aquis materiam eluit Selangeus, spongiis molibus & densis marmor leniter attrectat, & aliquando premens quod leue est, & laxum, fungositati implicatum è caeuerna extrahit, & abiicit: quod vero graue est, & splendet, in tabula secretum relinquit, quia propter grauitatem, natura haud facile mobilis ei subest. Hoc igitur modo Selangeus postquam auri ramenta expurgauit, coctoribus transmittit: qui simul ac coactum illud ad mensuram & libram acceperunt, in vas immittunt fistile, & ad multitudinis proportionem bolum plumbi & salis grumos, paucillumque stanni & fursurem hordeaceum admiscunt. Hinc imposito quod bene tegat operculo, & undique circumlito, in fornace coquunt, dies quinque & totidem noctes sine intermissione. Sequenti deinceps die iusta materia ustulata refrigeratione adhibita, in vasculum

aliud extrahunt, nihilque rerum simul iniectionum inueniunt, præter eandem auri massam iam conflam, quæ à scobe pristina non multum deficit. Hæc itaque ad fodinas illas corporum multorum perditio, ad eum quem dixi, finem, exitum fortitur, ipsa prope natura demonstrante, & generationem auri laboriosam, & custodiam lubricam, & sedulitatem maximam esse, usumque in medio voluptatis & ægritudinis consistere. Elaboratio autem huius generis quodammodo antiquissima est. Nam à primis loci regibus inuenta est ea metalli natura. Desitque in actu esse tum quando Æthiopum olim agmen Ægyptum incursum, & multis annis vrbes custodias præsidij suis tenuit, à quibus etiam Memnonia esse perfecta memorant, tum quando Medi & Persæ rerum potiebantur. Et reperiuntur etiam tempestate nostra in aurifodinis illorum manufactis, mallei incisori ex ære, quia temporibus illis ferri usus admodum exiguus erat, & ossa hominum incredibili multitudine: proptereaque non pauci in cuniculis illis laxis & crustaceis, ut fieri probabile est, opprimebantur. Tanta fodinarum magnitudo est: & obliqua profunditate ad mare ipsum pertingunt.] Hæc Agatharchidis Excerpta apud Photium. Eadem penè ad verbum ex Agatharchide Gnidio, & Artemidoro Ephesio exscripsit Diodorus Siculus lib. 3. Numero 105. 106.

De argenti, aurique fodinis Hispaniæ Aristoteles, seu Theophrastus libro de Mirabilibus auscultationibus: In Iberia aiunt, combustis aliquando à pastoribus siluis, calenteque ex ignibus terra, manifestum argentum defluxisse. Cumque postmodum terramotus superuenissent, è ruptis hiatis magnam copiam argenti simul collectam: atque inde etiam Massiliensibus proueniens non vulgares obtigisse.] Et postea: Primo Phænices ferunt, cum Tartessum nauigassent, tantam argenti vim oleo, aliisque nauticis sordibus commutatam esse, ut nec capere naues, nec ferre possent: quocirca coactos sub discessum, cum cætera quibus utebantur, tum anchoras etiam ex argento conflarent.] Sed & Siculus Diodorus lib. 5. nu. 216. ita scribit: Apud hos [Ibero] enim maxima ferè ac pulcherrimi argenti copia effoditur: unde magnum qui rei metallica ibi operam dant, quantum faciunt. Et de Pyrenæis quidem Iberiæ montibus etiâ superiori libro, ubi de Hercule egimus, facta mentio est. Hi & celsitate & magnitudine supererminent alios. Nam ab Australi pelago ad Oceanum ferè Arcticum Galliam ab Iberia & Celtiberia dispartientes, ad ter mille stadia pertingunt. Cumque crebra in his locis silua, arboribusque opacæ existerent, totam hanc regionem montanæ, igni à pastoribus iniecto, penitus conflagrasse præscis temporibus memorant. Per multos igitur dies incendio continuè grassante, terra superficiem exustam, (à quo casu montes illi Pyrenæis vocati) magnam argenti copiam exsudasse, adeo ut liquefacta materie unde argentum conficitur, riui passim argenti puri dimanarent. Cuius usus cum incomperitus esset incolis, Phæniciæ mercatores re cognita, exigua permutatione mercedis illud redemisse, eiusque in Græciam, Asiæque & cunctas gentes alias transportatione magnas sibi opes comparasse: eò quantum studio prouectos, ut cum refertis nauibus multum adhuc argenti superesset, plumbo in anchoris exciso, argento eius usum explerent.

Ex hac igitur negotiatione per multum inde temporis opulentiores facti Phænices, colonias non paucas in Siciliam, & vicinis ei insulas, in Africam, & Sardiniam, & in Iberiam denique miserunt. Post longum tandem intervallum Iberi de natura metalli huius edocti, memorabiles instituerunt fodinas. Vnde cum vberissimam, ut alibi ferè nusquam, argenti pulcherrimi copiam eruerent, magnis ditati vectigalibus fuerunt. Ratio autem metallici operis apud Hispanos est talis. Cum mirifica sint

sint aris, & auri, argenticque illic fodina, qui in officinis arariis opus exercent, quartam puri aris ex terra effossa portionem capiunt. Argenti verò elaboratores plebei intra triduum Euboicum talentum eliquant. Tota enim gleba concreti, & lucidi ramenti plena est. Merito quis ergo & regionis naturam & operariorum industriam admiretur. Primitus sanè quilibet è vulgo rei metallica incumbebat: & quia terra argentaria copia in promptu erat, magnas hinc dinitias reportabant. Sed posteaquam Romanorum in potestatem Iberia deuenit, Italorum turba metalla frequentia sunt: quibus lucri cupiditas opes ingentes accumulauit. Mancipia enim magno numero coempta operum metallicorum praefectis tradunt. Ab iis ostia pluribus in locis aperiuntur, terraeque altè effossa, massa illa auro & argento exuberantes indagantur. Atque in descensu non in longum modo, sed profundum quoque ad multa stadia fodinas producunt: actisque variis in transuersum & obliquum fibrarum meatibus, glebam, unde lucrum illis prouenit, ab imis terra visceribus egerunt. Quod si metalla hac cum Atticis conferas, inscrutantur, gens reperies discrimen. Qui enim illic metalla praeter labores, magnas faciunt impensas: nec raroque se adepturos sperabant, non adipiscuntur, & quae possidebant, insuper amittunt. Itaque ad anigmatis Homerici modum infelices videntur esse.

At qui in Hispania metallica rei operam nauant magnas ex laboribus istis pro spe sua coacervant. Post felicem enim primi operis successum, propter singularem terra in hoc genere bonitatem, venas subinde magis splendidas, argentoque & auro refertas inueniunt. Tota enim in propinquo tellus venarum anfractibus multifariam intertexta est. Quandoque in fluuios etiam terram subter labentes in profundo incidunt: quorum vim arte exuperant. Nam undas sibi occurrentes fossis oblique ductis intercipiunt. Dum enim non fallaci lucri expectatione attinentur, id quod aggressi sunt, ad finem quoque perducunt. Et quod ante omnia admireris, illos aquarum profluxus cochleis quae Aegyptia vocantur, exhauriunt. Inuentor harum fuit Archimedes in sua ad Aegyptios peregrinatione. Per has ergo continua successione vicibus, aquam ad ostium usque promouentes, fodina locum exsiccant, habilemque ad operis sui tractationem hac arte reddunt. Cum enim instrumentum hoc ingeniosissimè fabricatum sit, labore non ita magno, vis aqua immensa mirabili ratione protruditur, totusque amnis fluor ex imo ad summum uia haustus euacuatur. Ingenium artificis merito quis admiretur, non in hisce solum, sed in aliis etiam multis, & quidem maioribus, quae per totum orbem celebrantur. De quibus pro horum parte, ad Archimedis aetatem progressi, accuratam texemus narrationem.

Ceterum qui in ergastulis hisce metallicis commorantur, incredibilem quidem dominis suis copiam emolumentorum acquirunt: verum dum sua terra in fodinis diebusque noctesque corpora horum affliguntur, multi sub nimia laborum mole extinguuntur. Nec enim remissio, nec quies ab opere illis est: sed magistri verberibus ad grauissimam quaque perferenda eos cogunt: quo fit, ut misere vitam tandem exhalent. Nonnulli qui robore corporum animarumque vigore onus sustinere possunt, ad longum tempus in erumnis illis haerent. Quibus tamen ob miseriarum excessum, mors vitæ exoptatior. Cum verò multa haec metallorum officina admiranda exhibeant, non minima dignum admiratione est, quod nullius harum recens apparet initium: sed omnes Carthaginiensium auaritia, quo tempore Iberiam tenebat, aperuit. Hinc enim opes, viresque ipsorum creuerunt: hinc milites for-

tissimos conducere: quorum operâ multa & grauissima ab illis bella sunt confecta. Nam perpetuo ita beligerarunt Carthaginienses, ut neque ex ciuium classibus, neque ex sociorum municipiis coactio militie considerent. Sed & Romanos, & Siculos & Afros magnis inuoluerunt periculis, hoc uno, quod opibus è re metallica collectis omnes debellarent.] Hæc Diodorus.

De eisdem auri argenticque fodinis Hispaniensibus Strabo lib. 3. pag. 100. Cum autem Turditanis tot bona suppeditent, non leuiter, sed vel apprimè obseruet, mireturque aliquis, quòd ita ferax metallorum est. Etenim metallis quidem plena est tota Hispania: at non omnes regiones ita frugiferae sunt ac felices, minimumque ea quae metallis abundant. Rarum nimirum est, cum metallorum habere copiam, tum frugum: rarum etiam in exigua regione opes omnis generis metallorum habere. At Turdania, eique congrua regio ita viraque re abundat, ut nulla satis digna laudatio praestantia eorum institui possit. Nondum enim adhuc compertum est vllibi terrarum, aurum, argentum, æs, aut ferrum tanta cum copia, tum bonitate inueniri, atque hic. Aurum non effoditur modo, sed & flumina & torrentes auro permixtam arenam voluunt: multis etiam in locis aqua expertibus arena talis reperitur: verum ibi aurum non apparet: in locis autem irriguis ramenta auri fulgent: quamquam & arenas nulla aqua madentes, illata aqua humectant: itaque ramenta auri ut splendeant, efficiunt. Quin & puteis actis, aliisque excogitatis artibus abluenda arena, aurum excipiunt: pleraque nunc sunt loca, in quibus elauetur, quam in quibus effodiatur aurum.

Ceterum inter auri ramenta aiunt inuentas aliquando selibres glebas, quas ipsi palas nominant, exigua purgatione indigentes. Ferunt etiam lapidibus fissi, inueniri glebulas vberibus similes. Porro auro cocto, & purgato aluminosa quadam terra, electrumque esse id quod purgando reiciunt: quod cum habeat argenti, aurique mixturam, eo cocto, argentum quidem comburi, aurum autem permanere: nam forma est fusilis & lapidea. Itaque etiam palea facilius liquefit aurum, quia flamma mollis cum sit, proportionem habet temperatam ad id quod cedit, & facile funditur: carbo autem multum absorbit, nimis colliquans sua vehementia & eleuans. In Erythris terra hauritur, & ponè laeitur in scaphis, aut puteo acto, terra inde egesta lauatur. Argenti autem caminos faciunt sublimes, ita ut fuligo è glebis in altum efferatur, est enim grauis ea ac pestilens.

Possidonius verò multitudinem metallorum laudans & praestantiam, non abstinere solita sibi sermonis exornatione, sed nimis amplificationibus, quasi instinctu quodam poetico rapitur: ait enim se fidem huic fabulae non derogare, quod nemoribus aliquando inflammatis, terra liquefacta, cum esset aurea & argentea materia, in superficiem ea metalla effervescentia eiecerit: itaque omnis mons & omnis collis locupletissima cuiusdam fortune dono sit nominatis materia cumulatus: omninoque, ait, videns aliquis ista loca, dixerit, thesauros esse, perennis natura, aut principatus ararium perpetui: non enim diues, modo inquit, terra illa est, sed & infra se opes habet conditas: & reuera apud istos homines, non Ades, sed Pluto habitat. Hæc illè oratione speciosa, & quasi ex metallis repetita illa prolixè retulit. Diligentiam porro fodientium indicans, Phaleri dictum adducit, qui de Atticis metallis dixerat, tanta assiduitate homines ibi fodere, ac si sperarent se ipsum Plutonem eruturos. Atque nunc Turditanorum similem demonstrari industriam,

sperarent se ipsum Plurionem eruturos. Atque nunc Turditanorum similem demonstrari industriam, laborandique studium, qui profundos, obliquosque agant cuniculos. Præterea fluuios qui sæpe in istis cuniculis & fossis occurrant, cochleis Egyptiacis machinis exhauriunt. Neque verò idem usu venire istis, quod quondam Atticis metallis.] Et post alia:

Polybius autem mentionem argenteorum metallorum faciens, quæ sunt ad Carthaginem nouam, ea ait esse maxima, ab urbe ad viginti stadia distita, circulo quadringentorum stadiorum contenta: ibi quadraginta millia hominum in labore versari, atque in singulos dies populo Romano tunc temporis viginti quinque millia drachmarum ab iis tributa fuisse. Quo modo conficiatur argentum, quia longum est, omitto narrare. Glebam autem quæ amnis deuehitur argentariam contundi ait, & cribris in aqua suspendi: ac rursum quæ subsidunt contundi ac percolari aliquoties id repeti, quod quinto subsedit, id liquari, itaque plumbo defuso, purum argentum produci. Extant etiam num officinae, in quibus argentum conficitur.] Hactenus Strabo.

Sed pulcherrimè Plinius lib. 33. cap. 4. de eisdem in hunc modum differit: Aurum inuenitur in nostro orbe, ut omitamus Indicum, atque à formicis, aut gryphibus apud Scythas erutum. Apud nos tribus modis, fluminum ramentis, ut in Tago Hispania, Pado Italia, Hebro Thracia, Pactolo Asia, Gange India. Nec ullum absolutius aurum est, cursu ipso, irruente perpolitum. Alio modo puteorum scrobibus effoditur, aut in ruina montium. Quare utraque ratio dicitur. Aurum qui quarunt ante omnia segillum tollunt: ita vocatur indicium: aluenus, ubi id est, arenæque lauantur, atque ex eo quod resedit, coniectura capitur, ut inueniatur aliquando in summa tellure protinus rara felicitate: ut nuper in Dalmatia principatu Neronis, singulis diebus etiam quinquagenas libras fundens, cum iam inuentum in summo cespite. Autationem vocant, si & auro ea tellus subest. Ceterum montes Hispania aridi, sterilesque & in quibus nihil aliud gignatur, huic bono coguntur fertiles esse. Quod puteis foditur, canaliolum vocant, alij conalientes, marmoris glarea inhaerens, non illo modo, quo in Oriente Sapphiro, atque Thebaico, aliisque in gemmis scintillant, sed micæ amplexum marmoris. Hi venarum canales per marmor vagantur, & latera puteorum, & huc illuc inde nomine inuento: tellusque lignis columnis suspenditur. Quod effossum est, tunditur, lauitur, vritur, molitur in farinam. Nam quod ad pilas cadunt, apilascudem vocant: Argentum quod exit a fornacis sudore. Quæ è catino iactatur spurcitia, in omni metallo vocatur scoria. Hac in auro coquitur iterum & tunditur. Catini sunt ex tasconio: hæc est terra alba similis argilla. Neque enim alia afflatum, ignemque & ardentem materiam tolerat. Tertia ratio opera vicerit gigantum, cuniculis per magna spatia actis cauantur montes ad lucernarum lumina. Eadem mensura vigiliarum est, multisque mensibus non cernitur dies. Arrugias id genus vocant: siduntque rima subito, & opprimunt operarios, ut iam minus temerarium videatur è profundo maris petere margaritas: tanto nocentiores fecimus terras. Relinquuntur itaque fornices crebri montibus sustinentis. Occurrant in utroque genere silices. Hos igni & aceto rumpunt.

Sapius verò quoniam in cuniculis vapor & fumus strangulat, cadunt fracturis centum quinquaginta libras ferri terram agentibus: egeruntque humeris noctibus ac diebus per tenebras proximis tradentibus: lucem nouissimi cernunt. Si longior videtur silex, latus sequitur: fossam ambit quiete: tamen in silice facilius existimatur opera. Est namque terra ex quodam argilla genere glarea mista, (candidam vocant) prope inex-

pugnabilis. Cuneis eam ferreis aggrediuntur, & iisdem malleis: nihilque durius putant, nisi quod inter omnia auri fames durissima est. Peracto opere, cernices fornicum ab ultimo cadunt, dantque signum ruine, eamque solus intelligit in cacumine montis eius perugil. Hic voce, ictuque repente operarios reuocari iubet, pariterque ipse deuolat. Mons fractus cadit à se se longo fragore, qui concipi humana mente non possit, & statu incredibili. Spectant victores ruinam naturæ. Nec tamen adhuc aurum est: nec scire esse, cum fodere. Tantaque ad pericula euincenda fuit satis causa, sperare quod cuperent. Alius par est labor, vel hoc maioris impendij, flumina ad lauandum hanc ruinam ingis montium ducere obiter à centesimo plerumque lapide. Corrugos vocant, à corruatio, credo: nimirum & hic labor est. Præcepisse libramento oportet, ut fruarius quando influat: itaque altissimis partibus ducitur conuallis, & interualla substructis canalibus iunguntur. Alibi rupes innia caduntur, sedemque trabibus cauata præbere coguntur. Is qui cadit, funibus pender, ut procul intuentibus species nefaria quidem, sed alium fiat. Pendentes maiore ex parte librant, & lineas itineri præfigunt. Itaque insistentis vestigiis hominis locus non est. Manes trabuntur ad homines, ut vitium importent. Id genus terra vrior vocant. Ergo per silices calcenlosve ducuntur, & vrior eunt.

Ad capua deiecti in superciliis montium piscine cauantur, ducenos pedes in quasque partes, & in altitudinem denos. Emissaria in his quina pedum quadratorum ternum ferè linguuntur. & repleto stagno excussis obturamentis erumpit torrens tanta vi, ut saxa peruoluat. Alius etiamnum in plano labor. Fossa in quas profluat, cauantur: agogas vocant: ea sternuntur gradatim. Frutex est vlex roris marinis similis, asper, aurumque retinens. Latera clauduntur tabulis, ac per prærupta suspenduntur, canali ita profluente de terra in mare. His de causis iam promouit Hispania in priore genere: quæ exhauriuntur immenso labore, ne occupent puteos, in hoc rigantur. Aurum arrugia quæsitum non coquitur, statim suum est. Inueniuntur ita massa. Nec non in puteis etiam denas excedentes libras. Palacras Hispani, alij palacranas: iidem quod minutum est, balucem vocant. Vlex siccatu vritur, & cinis eius lauatur substrato cespite herbofo, ut sidat aurum. Vicena millia pondo ad hunc modum annis singulis Asturiam atque Galleciam & Lusitaniam præstare quidem tradiderunt, ita ut plurimum Asturia gignat. Neque in alia parte terrarum tot sæculis hæc fertilitas. Italia paritum est vetere interdito Patrum, ut diximus: alioquin nulla facundior metallorum quoque erat tellus. Extat lex censoria Iulii mulorum aurifodina, qua in Percellenfi agro cauebatur, ne plus quinque millia hominum in opere publicani haberent.] Huc usque Plinius. Sed ingentia monumenta fractorum cuniculis montium, nostra quoque ætate cerni apud Ruccones propè Galleciam, Ambrosius Morales, nostræ gentis Historicus, qui ea vidit, affirmat in descriptione Hispaniæ.

Iam de argentifodinis Hispaniæ idem Plinius lib. 33. cap. 6. Argentum reperitur in omnibus præter præuinciis, sed in Hispania pulcherrimum, id quoque in sterili solo, atque etiam in montibus: & ubicumque una inuenta vena est, non procul inuenitur alia. Hoc quidem & in omni ferè materia, unde metalla Græci videntur dixisse. Mirum adhuc per Hispanias ab Annibale inchoatos puteos durare, sua ab inuentoribus nomina habentes. Ex quibus Bebelo appellatur hodièque, qui trecenta pondo Annibali subministravit in dies,

ad

ad mille quingentos iam passus cauato monte, per quod spatium Aquitani stantes, diebus, noctibusque egerunt aquas, lucernarum mensura, annemque faciunt.] Hæc Plinius, qui cuncta hæc de auri, argentique fodinis Hispaniæ rectè & nosse & vidisse potuit, cum aliquando in Hispania procurauerit, vt auctor est alter Plinius nepos lib. 3. Epistola 6. ad Macrum, seu Marcum.

Et quamuis fidem propemodum exceßerint, quæ hæcenus ex magnis auctoribus de auri, argentique metallis in terræ visceribus reconditis; indeque herculeis hominum laboribus in lucem extractis, exposuimus: ac multo sunt sanè maiora & penè incredibilia, quæ intra octoginta retrò annos in memorabili Potosensi argenti fodina in Prouincia Peruana gesta referuntur à permultis rerum noui Orbis Occidui scriptoribus. Eorum summa tantum capita attingemus: nam omnia persequi integrum ac peculiare opus postuleret. Absit Potosium ab Æquatore versus Austrinum axem vngintiduos fermè gradus in Prouincia Characarum regionis Peruanæ. Eius ditissimæ fodinæ certa apertio statuitur consensu omnium anno Salutis MDXLV. Aprilis XXI: inuentionis præcipua laus deferretur Gualpæ Indo extracto Cuzcano: cuius nomen auaritia in æternum propagabit. Tanta argenti copia inde refossa dicitur, vt vix humano ingenio concipi possit. Ex argento puro puto, illo tantum cuius quinta pars in regia infertur æraria, ab anno Christi MDLXXV, reperta est in publicis rationum Bieuariis summa centum & vndecim millionum ponderum probatorum. Vnum quodque autem pondus probatum habet tredecim drachmas Hispanicas, & quadrantem. Ab anno verò MDLXXXV, ad præsentem quo hæc nostra scribimus MDCCX, cunctis affirmantibus traditur, longè adhuc maiorem argenti vim erutam esse. At præter argentum purissimum, supersunt adhuc rudis massæ cum scoria immensi acerui: item magna copia eiusdem argenti puri, quæ non sunt in regias rationes illata: vt planè cunctis exactè perpenfis, summa inhausti metalli omnem rationem superare videatur.

Insunt Argenti fodinæ Potosensi quatuor præcipuæ venæ, his insignes nominibus. Diues, Centenus, Stannum, Mendieta. Diues habet centum octoginta ramos: Centenus viginti quatuor: reliquæ verò in plures quoque diffunduntur. Excauatus est iam mons in profunditatem horribilem, alicubi ad centum septuaginta humanæ stature mensuras. Nouem sunt iam absoluti cuniculi terebrato monte: vnus perfectus est annis vndetriginta. Huius longitudo excurrit ad ducentas quinquaginta vlnas. Fodiunt ad lucernarum & candelarum lumina; innumera operæ, quæ potius Maniam quam hominum effigiem referunt: vbi perpetuò nox atra, rigor intolerabilis, aër crassior, quàm vt vitali respirationi sit aptus, plurima ac expressa inferorum imago. Nec noctu, nec interdiu miseris mercenariis vlla quies: dum alij dormiunt alij opere insistant alterno labore. Ex ima profunditate scalis ex bubulo corio retorto compactis erepunt, & ad lucem ascendunt: metallum sacco, ponderèque in terga librato, secum euehunt sursum: dux agminis cereo pollici alligato subeuntibus præluet. Et mens, & sermo deficit, quo tam funestus inferorum apparatus ad extrahendum in lucem pretiosum metallum exprimi possit.

At cruciatus, vt sic dicam, ac planè tormenta quibus infelicem materiam dirè torquent, tundunt, molliunt, vt poliant, puramque reddant, & absolutam nulla oratione satis edici queant: vt equidem sit mirè dolendum, quanto hominum sudore, &

impendio, quanta humani sanguinis iactura, diuitiarum rabies constet: scilicet, vt nullibi magis natura rerum, vel potius dixerim execrandus habendi furor hominum ingenia exercuisse, atque fatigasse videatur: iusto auaritiæ supplicio. Sed cum sciamus hæc omnia cunctis esse nimis nota & pervagata, cessamus plura addere. At sunt non pauci de his nostrorum commentarij, eos per otium adeat, qui his delectatur. Videndus in primis Iosephus Acofta Indicæ Historiæ lib. 4. integro. Sic autem de vna tantum argenti fodina Potosensi diximus, vt complures alias aurarias, & argentarias omittamus: nempe Mexicanas, Mexiacanas, Persicas, Æthiopicas, Sophalenas, Arabicas, Indicas, & alias innumerabiles: quas exequi immensum esset opus. Tantum addam, Ferdinandum Pintum in sua Peregrinatione, cap. 39. narrare ex certa incolarum asseueratione, aurifodinam Xincaleu in regno Quitirvano Indiæ Orientalis, singulis annis reddere vigintiduos auri milliones. Et cap. 132. de vrbē Quangeparo regni Cuachinchinæ refert ex argenti fodinis eius vrbis capere regem in singulos annos quatuor millia talentum argenti. Hispanicè, Quintales.

Sugillat egregiè Plinius inexplebilem hominum cupiditatem viscera terræ scrutantium, lib. 2. cap. 63. *Penetramus in viscera terræ, auri, argentique venas, & aris, ac plumbi metalla fodientes, gemmas etiam & quosdam paruos quarimus lapides, scrobibus in profundum actis. Viscera eius extrahimus, vt digito gestetur gemma, quam petimus. Quot manus atteruntur, vt vnus niteat articulus? Si ulli essent inferi, iam profecto illos auaritia, atque luxuriæ cuniculi refodissent.*] Et in Proemio lib. 33. *Tellurem intus inquirente cura, multiplici modo: quippe alibi diuitis foditur, quærente vita aurum, argentum, electrum, æs, alibi delictis gemmas, & parietum, digitorumque pigmenta: alibi temeritati ferrum, auro etiam gratius inter bella cadésque. Persequimur omnes eius fibras, vniuersisque super excauatam, mirantes delibescere aliquando, aut intremiscere illam, cœu verò non hoc etiam indignatione sacra parentis exprimi possit. Imus in viscera eius, & in sede Manium opes quarimus, tantum parum benigna fertilique quæqua calcatur.*]

Præclare quoque Seneca Epist. 93. *Aurum & argentum, & propter ista nunquam pacem agens ferrum, quasi malè nobis committeremur, natura abscondit: nos in lucem, propter quæ pugnaremus, extulimus: nos & causas periculorum nostrorum, & instrumenta, disiecto terrarum pondere eruimus: nos fortuna mala nostra tradidimus: nec erubescimus summa apud nos haberi, quæ fuerant ima terrarum. Vis scire quam falsus oculos tuos decipit fulgor? Nihil est istis, quamdiu immersa & inuoluta ceno suo iacent, fadus, nihil obscurius: quidni? quando per longissimorum cuniculorum tenebras extrahuntur: nihil est illis dum sunt, & à facie sua separantur, informis. Denique ipsos opifices intueri, per quorum manus sterile terre genus & informe perpurgatur: videbis quanta fuligine oblinantur. Atque ista magis inclinant animos, quam corpora: & in possessore eorum, quàm in artifice plus est sordium.*]

Sed quæ de pretiosis auri argentique metallis in Hispania nascentibus Possidonius, Diodorus, Strabo, Plinius; aliique prodiderunt, reducant nobis in memoriam quæ diuinus auctor 1. Machabæor. 8. v. 3. de eisdem affirmat, his verbis: *Et quanta fecerunt Ramani in regione Hispania, & quod in potestatem redegerunt metalla argenti & auri quæ illic sunt. Miramur Nicolaum Strarium ad hunc locum hæc annotasse: Hispanienses argenti, aurique fodinæ, de*

quibus Strabo lib. 3. deserunt: vel in nouum certe orbem translato, multis magnisque classibus iam reuebuntur.] Deserunt quidem exerceri regis legibus: at vigere amplissimas & fertilissimas sciunt bene quibus res Hispanice innotuerunt. Iosephus lib. 2. Belli Iudaici, cap. 16. *Hispanis nascens in agris aurum*]

CAPVT XVI.

Dæmones metallis auri & argenti in terris sinibus interdum incubant: quæ Antichristo custodiunt.

Georgius Agricola lib. de Animantibus subterraneis hæc scribit. In metallicis fodinis inueniuntur & truculenti quidem vel solo aspectu terribiles, plerumque metallicis infecti atque inimici sunt. Talis fuit Annebergius dæmon, qui operarios amplius duodecim flatu interfecit in specu qui corona Rosacea appellatur, eo nomine relictus, quantumvis argento diues esset. Flatum verò emittebat ex rictu, cum equi specie habentis procerum collum & truces oculos, appareret. Eiusmodi etiam fuit Snebergius, nigro cucullo vestitus, qui in fodina Georgiana operarium è terra sublatum, in superiori loco maxima ciuitatis, quondam feracis argenti collocauit, non sine corporis attritu. Quætuosam admodum fodinam deserere apud Turcas cogebatur Iudæus à dæmone metallico, hominibus frequenter in forma capra aurea cornua gerentis, apparense. At sedatos illos, Germanorum alii, ut etiam Græci, Cobalos vocant, quod hominum sint imitatores. Nam quasi lætitia gestientes, rident, & multa videntur facere, nihil interim efficientes. Alii virunculos montanos vocant, quia plerumque apparent nani, tres dodrantes longi. Videntur autem esse seneciones, & vestiti more metallicorum, id est, vitteto, indusio, & corio circum lumbos dependente. Innoxii sunt hi metallicis, & si interdum glareis operarios laceſſunt, rarissime tamen eos laedunt, nisi cachinno, vel maledicto laceſſiti. Potissimum opus facere videntur in iis specubus in quibus metalla iam effodiuntur, vel ea effodi posse spes est.] Hæc ille: qui tamen perpetram dæmones animalia vocat Platonicè, vel abusiue.

Munsterus lib. 1. Cosmographiæ, cap. 25. Comperitur est quoque genus dæmonum in nonnullis fodinis versari, quorum quidam nihil damni metallicis inferunt, sed in puteis vagantur, laboribus, cum nihil agant, videntur se exercere, nunc cauando venam, nunc ingerendo in modulos id quod effossum est, nunc machinam versando tractoriam, nunc irruendo operarios, idque potissimum faciunt in specubus, è quibus multum argenti effoditur, vel magna eius inueniendi spes est. Alii verò noxii admodum sunt, ut ille qui ante aliquot annos Annebergi fodinam, cui nomen corona Rosacea est, adeo infestam habebat, ut metallicos duodecim necaret: ac ea de re fodina, quantumvis argento diues esset, relictæ fuit. Hæc omnia habeo ex Georgio Agricola.]

Laurentius Ananias lib. 4. de Natura dæmonum: Caterum restant & alii dæmones, qui sæpenumero argenti fodinis conspiciuntur quemadmodum paucis ab hinc Anneberge in Germania factum, ubi horum quidam crebrius opus ibi facientibus visus, tandem eorum duodecim venenato halitu interemit: perinde ut Enebergii, in cuius fodinis, pluribus aliis occisis, habitu cuiusdam cucullati arreptum hominem in earum profundum precipitauit. Neque silentio prætereundum duxi diuersa dæmonum genera passim in his fodinis reperiri, quorum aliqui saxa confringunt, cauantesque, urnis ac situlis ingerunt, rotulas & cochleas, quibus tractoria machina sursum

elevantur, sepe movent, ac cœlestes radii micantes è moto reflectuntur speculo, quolibet in fodinarum loco se se ostendunt. Sunt & qui risu, cachinnisque operas solummodo perterrent: alii autem tantum videri cupiunt, cetera omnia exterius otiosi. Verum enim verò non possum satis non mirari dæmones adeo frequenter in iis fodinis versari, ubi hisce in rebus haud quasi Ophanim, ut Hebræi aiunt, consistere possunt: nisi quod Deus Optim. Maxim. ubi dæmones auro plus mortales & argento fallere soleant, infinita providentia sua vult, ut vel in hac in sensus incurrente imagine frequentius in terra abditis thesauris, quam alibi appareant.] Verum de hisce metallicis dæmonibus plura Martinus Delrius Magicarum Disquisitionum lib. 2. Quæstione 27. Sectione 2. Petrus Tyræus de Locis Infestis, Parte 1. Cap. 1. & 14. Nec est dubitandum opera & efficientia dæmonum, innumeras diuitias ex auri, argenti que fodinis eraturum Antichristum.

CAPVT XVII.

Ingens vis thesaurorum Antichristi.

Nimis est compertum, plures variis temporibus in orbe reges immensas opes congeſſisse, quos omnes certissimum est diuitiis superaturum Antichristum. De Remphi Ægypti rege Diodorus Siculus lib. 1. Numero 39. *Maximos pecuniarum cumulos, quantos Regum superiorum nemo reliquit. Argenti enim & auri talenta Quadringentes mille coëgisse fertur.*] De thesauris quos ex Persarum regibus sibi comparauit Alexander Magnus, Strabo lib. 15. pag. 502. hæc prodit: *Traditum est, præter ea quæ Babylonē & in castis erant, & in hanc summam non venere, in Persia & Susis inuenta fuisse talentorum sexaginta millia. Sunt qui dicunt quinquaginta. Nonnulli omnia undique Ecbatana comportata dicunt fuisse centum & octoginta millia talentorum: octomillia vero, quæ cum Dario è Media fugiente exportata, ab iis direpta fuerunt, qui eum necauerunt.*] Plutarchus in Alexandro: *Alexander Susi patris quadraginta millia talentum argenti signati inuenit: præterea instrumentum regium aliud, & res præciosas innumerabiles: ubi etiam purpure Hermionice quinque millia talentum narrat inuenta, annos seruata decem minus ducentos.*] Et paulo inferius: *Argenti reperit [ibi in Perside] parem ac Susi summam. Reliquum instrumentum regium, & opes decem milibus ingorum mularum, & quinque millibus camelorum egesta.*] Arrianus lib. 3. Expeditionum Alexandri. *Susas vigesimo die peruenit, urbemque ingressus, pecuniam omnem, argenti millia quinquaginta, reliquumque apparatus regium accepit.*] Et post alia: *Cepit & apud Pasargades pecunias, quæ in thesauris Cyri prioris fuerant.*] Q. Curtius lib. 5. Rerum Alexandri: *Ut verò urbem Susam intrauit, incredibilem ex thesauris summam pecunia egressit quinquaginta millia talentum argenti non signati forma, sed rudi pondere. Multi reges tantas opes longa ætate cumulauerant liberis posterisque.*] Et lib. 8. Hermolaus Alexandro exprobat: *At tibi triginta millia mularum captium aurum vehunt.*]

Sed his omnibus vetustior Diodorus Siculus lib. 17. numero 597. *Alexander itaque oppido Susa, & thesauris in regia positus auri & argenti forma non signati plus quadraginta millia talentum inuenit. Has opes longa ætate intactas conseruauerant reges, ut ad inopinato fortuna casus, quo resurgerent, in promptu foret. Præter hæc etiam nonnulla millia talentum Darico signo notati*

notati aderant.] Et numero 599. de Persepoli : *Tunc arcem ingressus Alexander, thesauros inibi accepit. Qui congestis à primo rege Persarum Cyro, ad praesens usque tempus redditibus, magnam auri & argenti vim complectebatur. Nam centum & viginti millia talentum, auro ad argenti rationem reducto, illic sunt inuenta.*] De Basilio Porphyrogenito Imperatore Zonaras Tomo 3. Annalium hæc scribit : *Sed & fiscum obstructis foribus pecunia referat. Fertur enim ducenta millia talentum auri in thesauris habuisse. Nam alterius pecunie nullus iniri numerus potest, adeo ut conclauibus repletis, eam terræ mandatis, anfractibus instar labyrinthorum effossis : sed & cistella plena erant gemmis cum aliis, tunc candidis illis, qua peculiari nomine margarita dicuntur. Neque verò his utebatur, paucis exceptis, ad insignia purpure exornanda : qua, cum prodibat, aut legatis respondebat, aut alias publicas festiuitates celebrabat, utebatur. Reliqua in conclauibus inutile pondus iacebant.*] Reddunt illa ducenta millia talentum auri, ut eruditi annotant, mille & ducentos miliones auri nostrates.

Beniamin Tudelensis in itinerario, de Constantinopoli : *Sunt praterea res alia eodem loco innumerabiles, narratque incredibiles, deseruntque in illud palatium quotannis tributa, quibus turres implentur coccinea, purpureaque veste & auro, ita ut nullibi terrarum par structura, atque diuitiarum exemplum inueniri possit. Affirmatur autem ipsius solius ciuitatis vestigal, ex foris, portu, ac mercatorum tributo collectum, ad viginti millia aureorum in singulos dies accedere.*] Peregrinus est hic Benjamin, & non semel alias diximus, temporibus Alexandri III. Romani Pontificis & Friderici Imperatoris Aencobarbi.

De thesauro Assimbei Vilmcaassani Persarum regis mira prodit Iosephus Barbarus Patritius Venetus in Persico Itinerario, qui anno Salutis 1471. legatus missus fuit à Senatu Veneto, ad eundem Assimbeium. Ferdinandus Mendez Pintus in sua Peregrinatione, cap. 20. agens de regno Campar in ora Samatrae, continenti Autae Chersonnesi opposita, ait : *Affirmant indigenae ex gentis annalibus, quondam in hoc regno habuisse Reginam Sabba ades commercij : unde ferunt quendam eius procuratorem nomine Nausem misisse ad illam ingentem auri summam : quam regina postmodum ad Salomonem derulerit in sumptus & ornatum Templi.*] Et cap. 148. describit thesaurum regis Chaubainhae in vrbe Martabano Orientalis orae magni Sinus Gangetici, ex ore Pauli Sexias Lusitani, qui vidit : nempe erat ingens domus in modum templi plena lateribus & frustris auri solidi usque ad summum fastigium seu tectum : ut duae magnae operariae vix totum illud aurum capere possent. Ad hæc erant viginti arcae, in quibus erant thesauri regij, centum triginta mille bicæ, hoc est, auri sexaginta quinque miliones. Argenti verò tanta copia, ut quatuor vastae onerariae, non possent totam deuehere. Insuper erat statua Quia Frigan idoli tota ex auro solido, gemmis innumeris operata, cui vix similis pretij in toto orbe reperiri posset. Addit, regem Bramaa aduexisse ex vrbe Martabano capta ex præda plusquam centum auri miliones. Et cap. 158. refert, regem Calaminam habuisse in suo regno diuersis locis viginti quatuor thesauros argenti : in singulis fuisse sex millia Candins argenti, id est, viginti quatuor millia talentum, seu Hispanicè *Quintales*, id est, per omnia, quingenta & septuaginta sex millia talentum argenti, id est, Quintales. Et cap. 165. scribit, eundem regem Calaminam capere ex annuis redditibus viginti miliones. Sed vide quæ de his fusius diximus lib. 4. cap. 36.

De Rege Sinarum Maffei lib. 6. Rerum Indicarum prodit : *Iam de thesauris, & coaceruatis auri & argenti laminis admiranda narrantur. Nec desunt qui ad nostræ monetæ supputationem, aureorum annua millies ferme ac ducenties centena millia [id est, centum viginti miliones] regem capere pro certo perhibeant : quantum vix moriens Imperator Vespasianus, & quidem pecunia diligentissimus in arario Romano reliquit. Ingens omnino summa, & in cuius contemplatione haud immerito laboret fides : verum tamen satis constat in vno Cantonis emporio, quod aliis eius plage multis & celebritate & diuitiis inferius est, ex annona salaria vestigali, centum circiter, & octoginta millia coronatorum : & in mediocri quodam oppido eiusdem orae Cantonia è decimis orizæ dumtaxat, amplius centum millia percipi : ut minime dubitandum sit, quin ad fiscum perueniant immanes pecuniarum acerui quotannis : Imperij magnitudinem frequentiam populorum, exactiones capitum & ostiorum, portoria mercium, frugum omnium decimas, fructus metallorum, & cetera vestigalia reputantibus.] Et miranda planè sunt quæ Ioannes Gonzalez, Mendoza lib. 3. de Rebus Sinarum, cap. 4. refert de redditibus & thesauris Regis Sinarum. Sed & Nicolaus Trigautius lib. 1. de Christiana Expeditione apud Sinas, cap. 6. hæc habet : *Vestigalium redditus, atque tributorum, qui sine dubio centum quinquaginta miliones, ut vulgus vocat, excedunt in singulos annos, &c.*] Ioannes Barrus in Asiaticis Decadibus palam affirmat, annuos redditus Regis Sinarum superare totius Europæ diuitias. At de his multa annotarunt Abraham Ortelius in Theatro, & Gerardus Mercator in Atlante in Tabula regni Sinarum.*

Iam ut vel leuem vmbra diuitiarum, opumue Antichristi disertus quisque concipiat, ponat sibi ante oculos. Primo, quantum vim auri & argenti, margaritarum, gemmarum, lapidum pretiosorum naufragiis per tot sæcula absorpserit mare : Secundo quot, quantique thesauri rerum pretiosissimarum deperditi, absconditi, occulti in terra, lateant, locis abditis & obscuris reconditi : Tertio, quàm vastæ & ingentes auri, argentique venæ in terræ visceribus diffundantur : Quarto, quot sint gemmarum genera à multis, sed à Plinio præsertim libro 37. ferè integro accurate descripta : quot celebres vnquam fuere vnionum & margaritarum piscationes Quinto, quàm innumerabiles & immensi pecuniarum acerui, & rerum præstantissimarum opes ab omnibus retro regibus in orbe congestæ, vnus omnia, opera cumprimis & industria dæmonum : aut cerè eorum maiorem partem possidebit Antichristus : & ut planè vno verbo dicamus plus solus habebit Antichristus, quam omnes simul ante se Reges aut monarchæ : adeo ut si omnes omnium Regum diuitiæ à conditu orbis in cumulum vnum conferantur, multo plures ac maiores consecuturus sit Antichristus. Nec mirum cum ei dæmones omnes quotquot vbique extant vel occultæ vel manifestæ, sint tradituri, & infinitas alias nouas ex fodinis præstantissimorum metallorum eruturi. Noë id est manè res attollere, sed ex vero & certo opes Antichristi æstimare : in illo homine, in illa potentia, in illa mundi ruina.

CAPVT XVIII.

Magnificentia ædificiorum, & extructionum Antichristi.

IN FINITI operis esset si plura insana, & superba ædificia, quæ miraculo in orbe habita fuere, hic describere vellemus : pauca

tantum tanquam raræ cuiusdam magnitudinis exempla annotabimus. De domibus Caii & Neronis Principum, Plinius lib. 36. cap. 15. *Bis vidimus Urbem totam cingi domibus Principum Caii & Neronis: & huius quidem, ne quid deesset, aurea.* De Aurea Neronis domo Tranquillus cap. 31. *Non in alia re damnosior, quam in adificando. Domum à Palatio Esquilias usque fecit. Quam primò Transitoriam, mox incendio absumptam, restitutamque, Auream nominavit. De cuius spatium atque cultu suffecerit hoc retulisse. Vestibulum eius fuit, in quo Colossus centum viginti pedum staret ipsius effigie tantæ laxitas, ut porticus triplices milliarias haberet: item stagnum maris instar, circumseptum adificiis ad urbium speciem. Rura insuper arvis, atque vinetis, & pascuis, silvisque, varia cum multitudine omnis generis pecudum ac ferarum. In ceteris partibus cuncta auro lita, distincta geminis, unionumque conchis erant. Cænationes laqueata tabulis eburneis versatilibus, ut flores fistulis, ut vngueta de super spargerentur. Præcipua cænationum rotunda, quæ perpetuo diebus ac noctibus vice mundi circumageretur: balinea marinis, & albulis fluentes aquis. Eiusmodi domum cum absolutam dedicaret, hætenus comprobaui, ut se disceret, quasi hominem tandem habitare capisse.* Tacitus Annali 15. *Ceterum Nero usus est patriæ ruinis, extruxitque domum in qua haud perinde gemma & aurum miraculo essent, solita pridem & luxu vulgata, quam arua & stagna, & in modum solitudinum hinc siluæ, inde aperta spatia & prospectus: magistris & machinatoribus Seneco & Celere, quibus ingenium & audacia erat, etiam quæ natura denegauisset per artem tentare, & viribus Principis illudere.* Meminit etiam Auræ Domus Neronis Dio Chrysostomus Oratore 47. Sed & Dio Cassius l. 65. agens de Vitellio Imperatore ait: *Illud etiam addendum videtur domum Auream Neronis ei nequaquam satisfecisse, quod diceret, eam habitauisse perperam, usumque fuisse paruo & humili apparatu.* Sed quod ad Cænationes rotundas & circumagentes se, de his Seneca Epistola 90. *Hodie verum tandem sapientiorum putas, qui inuenit quemadmodum in immensam altitudinem crocum latentibus fistulis exprimat, qui euripos subito aquarum impetu implet, aut siccat, versatilia cænationum loquacaria ita coagmentat, ut subinde alia facies atque alia succedat, & toties tecta, quoties fercula mutantur?*

Pergit Plinius eodem loco: *Non patiemur duos Caios, vel duos Neros ne hac quidem gloria fama frui: docebimusque etiam insaniam eorum victam priuatis operibus M. Scauri, cuius nescio an Edilitas maxime prostrauerit mores ciuiles, maiusque sit Syllæ malum tanta priuigni potentia, quam proscripio tot millium. Hic fecit in Edilitate sua opus maximum omnium, quæ unquam fuere humana manu facta, non temporaria mora, verumetiam æternitatis destinatione. Theatrum hoc fuit. Scena ei triplex in altitudinem trecentarum sexaginta columnarum, in ea ciuitate quæ sex Hymettias non tulerat sine probro ciuis amplissimi. Imma pars scenæ è marmore fuit, media è vitro, inaudito etiam postea genere luxuria. Summa tabulis inauratis columnæ, ut diximus: ima duodequadragenum pedum. Signa arca inter columnas, ut indicauimus, fuerunt tria millia numero. Cauca ipsa cepit hominum octoginta millia, cum Pompeij amphitheatri toties multiplicata vrbe, tantoque maiore populo, sufficiat largè quadraginta millibus. Sed & reliquis apparatus tantus Attalica veste, tabulis pictis, ceteroque choragio fuit, ut in Tusculanam villam reportatis quæ superfuerant quotidiani usus delitiis, incensa villa ab iratis seruis concremaretur id est, duo miliones & dimidium ad H. S. milles. Aufert animum, & à destinato itinere digredi cogit con-*

templatio tam prodiga mentis, aliamque connecti maiorem insaniam è ligno. C. Curio qui bello ciuili in Cæsarianis partibus obiit funebri patris munere, cum opibus, apparatibusque non posset superare Scaurum, (unde enim illi vitricus Sylla, & Metella mater, proscriptionum sectrix? Unde M. Scaurus pater toties princeps ciuitatis, & Marianis sodalitiis rapinarum prouincialium scinus?) cum iam ne ipse quidem Scaurus comparari sibi posset, quando hoc certè incendi illius præmium habuit, connectis ex orbe terrarum rebus, ut neque postea par esset insania illi: ingenio ergo vtendum fuit: opera pretium est scire quid inuenerit, & gaudere moribus nostris, ac nostro modo nos vocare maiores. Theatra duo iuxta fecit amplissima è ligno, cardinum singulorum, versatili suspensa libramento: in quibus utrisque antemeridiano ludorum spectaculo edito, inter se auersis, ne inuicem obstreperent scena, & repente circumactis, ut contra starent, postremo iam die descendit tabulis, & cornibus inter se coeuntibus, faciebat, amphitheatrum, & gladiatorum spectacula edebat, ipsum magis autoratum populum Romanum circumferens.

Quid enim miretur quisque in hoc primum? inuentorem, an inuentum? artificem, an auctorem? ausum aliquem hoc excogitare, an suscipere? parere an iubere? Super omnia erit populi furor, sedere ausi tam infida instabilique sede. En hic est ille terrarum victor, & totius domitor orbis, qui gentes & regna diribet, iura externis mittit, deorum quadam immortalium generi humano portio, in machina pendens, & ad periculum suum plaudens. Quæ uilitas animarum ista? aut quæ querela de Cannis! quantum mali potuit accidere! Hauriri vrbes terræ hiatis, publicis mortalium dolor est. Ecce populus Romanus uniuersus, velut duobus nauigiis impositus, binis cardinibus sustinetur, & se ipsum depugnantem spectat, periturus momento aliquo luxatis machinis: & per hoc queritur Tribunitiis concionibus gratia, ut pensiles tribus faceret. Qualis hic in rostris? quid non ausurus apud eos, quibus hoc persuaserit? Vera namque contentibus populus Romanus funebri munere ad tumulum patris eius depugnauit uniuersus. Variant hanc suam magnificentiam, fessis, turbatisque cardinibus, & amphitheatri forma custodita, nouissimo die duabus per medium scenis athletas edidit, rapisque è contrario repente pulpitis eodem die victores è gladiatoribus suis produxit. Nec fuit rex Curio, aut gentium Imperator, non opibus insignis, ut qui nihil in censu haberet præter discordiam principum.]

Idem Plinius ibidem acturus de Romanis ædificiis, in hunc modum præfatur: *Verum & ad urbis nostræ miracula transire conueniat, nongentorumque annorum dociles scrutari vires, & sic quoque terrarum orbem victum ostendere: quod accidisse toties pene, quot referentur miracula, apparebit: uniuersitate vero asseruata, & in quendam unum cumulum coniecta, non alia magnitudo exurget, quam si mundus alius quidam in uno loco narretur. Nam ut Circum Maximum à Cæsare Dictatore extructum longitudine stadiorum trium, latitudine unius, sed cum ædificiis iugerum quaternum, ad sedem ducentorum sexaginta millium, inter magna opera dicamus nonne inter magnifica Basilicam Pauli columnis è Phrygiis mirabilem: Forumque Diui Augusti, & Templum Pacis Vespasiani Imperatoris Augusti pulcherrima operum quæ unquam: Pantheon Ioui Vtori ab Agrippa factum: cum Theatrum ante texerit Roma Valerius Ostiensis architectus ludis Liſonis? Pyramides regum miramur opera, cum solum tantum foro extruendo id est, duomiliones & dimidium. H. S. milles Cæsar Dictator emerit.]*

Accinis

Accinit his egregie Ammianus Marcellinus lib. 16. cap. 17. ubi de Constantio Imperatore scribit: Proinde Romam ingressus, Imperii, virtutum que omnium larem, cum venisset ad Rostra, perspectissimum prisca potentia forum obstupuit: perque omne latus, quo se oculi contulissent, miraculorum densitate praestri-ctus, allocutus nobilitatem in curia populumque pro tribunali, in palatium receptus favore multiplici, letitia fruebatur optata.] Et post pauca: Deinde intra septem montium culmina per accliuitates planitiemque posita urbis membra collustrans & suburbana, quidquid erat primum, id eminere inter alia cuncta sperabat: Iouis Tarpei delubra, quantum terrenis diuina praeclunt: Lauacra in modum prouinciarum exstructa: Amphitheatri molem solidatam lapidis Tiburtini compage, ad cuius summitem agere visio humana conscendit: Pantheon velut regionem teretem speciosa celsitudine fornicatam, elatosque vertices scansili suggestu Consulium, & priorum Principum imitamenta portantes: & urbis Templum, forumque Pacis, & Pompeii Theatrum, & Odeum, & Stadium, aliaque inter hac decora urbis aeterna. Verum cum ad Traiani forum venisset, singularem sub omni calo structuram, ut opinamur, etiam numinum assensione mirabilem, harebat attonitus per gigantes contextus circumferens mentem, nec relatu effabiles, nec rursus mortalibus appetendos. Omni itaque spe, huiusmodi quidquam conandi depulsa, Traiani equum solum locatum in atri medio, qui ipsum Principem vehit, imitari se velle dicebat, & posse. Cui prope adstans regalis Hormisda, cuius est Perside discessum supra monstrauimus, respondit gestu gentili: Ante, inquit, Imperator, stabulum tale condi iubeto, si vales; equus quem fabricare disponis, ita latè succedat, ut iste quem videmus. Is ipse interrogatus quid de Roma sentiret: Id tantum sibi placuisse aiebat, quod didicisset ibi quoque homines mori. Multis igitur cum stupore visis horrendo, Imperator de fama querebatur ut inualida, vel maligna, quod augens omnia semper in maius, erga hac explicanda quae Roma sunt, obsolescit.]

Templum vero Ephesiae Dianae Plinius lib. 36. cap. 14. in hunc modum describit: Magnificentia vera admiratio erat templum Ephesia Diana, ducentis viginti annis factum à tota Asia: In solo id palustri fecere, ne terramotus sentiret, aut biatus timeret. Rursus ne in lubrico atque instabili fundamenta tanta molis locarentur, calcatis ea substrauere carbonibus, dein velleribus lana. Vniuerso templo longitudo est Quadringentorum viginti quinque pedum, latitudo ducentorum viginti: columna centum viginti septem, à singulis regibus facta; Sexaginta pedum altitudine: ex eis triginta sex calata, una à Scopa. Operi praefuit Chersiphron architectus. Summa miracula, epistylia tanta molis attolli potuisse: id consecutus est ille per omnes arena plenis molli puluino super capita columnarum exaggerato, paulatim exinanienti imos, ut sensim totum insideret. Difficillimè hoc contigit in limine ipso quod foribus imponebat: Et enim ea maxima moles fuit: nec sedit in cubili, anxio artifice, mortis destinatione suprema. Traduntque in ea cogitatione fessum nocturno tempore in quiete vidisse praesentem Deam, cui templum fiebat, hortantem ut viueret: se composuisse lapidem: atque ita postero die apparuit: pondereque ipso correctus videbatur. Cetera eius operis ornamenta plurium librorum instar obtinent.]

Strabo lib. 14. pag. 440. Templum Diana primus architectatus est Chersiphron: alius deinde maius fecit. Quod cum Herostratus quidam combussisset, aliud praestantius extruxerunt, collato ad hoc mundo muliebri & suis facultatibus, prioribus etiam columnis venditis. Templum ait Antonidorus, Cheiromocratis opus esse,

qui etiam Alexandriam condiderit.] De incendio huius Templi per Herostratum agit quoque Valerius Maximus lib. 8. cap. 14.

Auteam regiam Persicorum regum, mirabili & pulcherrimo artificio constructam, ex magnis auctoribus accuratè exprimit Barnabas Briffonius lib. 1. de Regio Persarum Principatu, quem tu consule. Regiam Persepolis admirandam describit Diodorus Siculus lib. 17. numero 600.

Ammianus Marcellinus lib. 22. cap. 41. agens de templis Egypti: His accedunt alia sublata fastigiis templa: inter quae eminet Serapium, quod licet minuat exilitate verborum, atriis tamen columnariis amplissimis & spirantibus signorum figmentis, & reliqua operum multitudine ita est exornatum, ut post Capitolium, quo se venerabilis Roma in aeternum attollit, nihil orbis terrarum ambitiosius cernat.] De eodem Serapio explicatius Rufinus lib. 2. Historiae Ecclesiasticae, cap. 23. Serapidis apud Alexandriam templum auditum quidem omnibus puto, plerisque verò etiam notum. Locus est non natura, sed manu & constructione per centum, aut eo amplius gradus, in sublime suspensus, quadratis & ingentibus spatii omni ex parte distentus: cuncta verò quo ad summum pavimentum enadatur, opere forniceo constructa, quae immensis desuper luminaribus, & occultis aditibus inuicem in semet distinctis, usum diuersis ministeriis, & clandestinis officiis exhibeant. Iam verò in superioribus extrema totius ambitus spatia occupant exhedrae & pastophoria, domusque in excelsum porrecta, in quibus vel aditui, vel ii quos appellabant ayreortas, id est, qui se castificant, commanere soliti erant. Porticus quoque post hac omnem ambitum quadratis ordinibus distincta intrinsecus circumcumbant. In medio totius spatii ades erat pretiosis edita columnis, & marmoris saxo extrinsecus amplè, magnificèque constructa. In hac simulacrum Serapis ita erat vastum, ut dextra unum parietem, alterum laeva perstringeret: quod monstrum ex omnibus generibus metallorum, lignorumque compositum ferebatur. Interioris delubri parietes laminis primò aureis vestiti, super has argenteis ad postremum arcis habebantur, quae munimento pretiosioribus metallis forent. Erant etiam quadam ad stuporem, admirationemque videntiam, dolis & arte composita. Fenestra perexigua ab ortu solis ita erat aptata, ut die qua fuerat institutum simulacrum Solis ad Serapin salutandum intro ferri, diligenter temporibus obseruatis, ingrediente simulachro, radius solis per eandem fenestram directus, os & labra Serapis illustraret, ita ut inspectante populo, osculo salutatus Serapis videretur à Sole.

Erat & aliud fraudis genus huiusmodi: Natura lapidis magnetis huius virtutis esse perhibetur, ut ad se rapiat, & attrahat ferrum. Signum solis ad hoc ipsum ex ferro subtilissimo manu artificis fuerat fabricatum: ut lapis cuius naturam ferrum ad se trahere diximus, desuper laquearibus fixus, cum temperatè sub ipsoradio ad libram fuisset positum simulacrum & vi naturali ad se raperet ferrum, assurrexisse populo simulacrum & in aëre pendere videretur. Et ne hoc lapsu proprio proderetur, ministri fallacie, Surrexit, aiebant, Sol ut valedicens Serapi, discedat ad propria. Sed & multa alia decipiendi causa à veteribus in loco fuerant constructa, quae nunc longum est enumerare per singula.] Haec Rufinus, qui rectè ea omnia Templi Serapidis videre potuit, cum Alexandriae fuisset, eo adhuc stante delubro. Agunt etiam de templo Serapidis Theodoretus lib. 5. Historiae Ecclesiasticae, cap. 22. Sozomenus lib. 7. cap. 15. Nicephorus lib. 12. cap. 25. 26. & alij: quod omnium quae erant in toto orbe terrarum amplissimum, pulcherrimumque fuisse tradunt

Sed quod ad simulachrum ferreum, magnetis in aëre libratum apud Serapium, spectat, S. Prosper de Promissionibus & Prædictionibus Dei Parte 3. cap. 38. hæc narrat: *Apud Alexandriam in templo Serapis hoc argumentum demonis fuit: Quadriga ferrea, nulla basi suffulta, nullis vncis infixis parietibus colligata, in aëre pendens, cunctis stuporem ac velut diuinum subsidium oculis mortalium exhibebat. Quam tamen lapis magnes, qui ferrum sibi met attributum suspendit, eo loco camera affixus, totam illam machinam sustentabat. Itaque cum quidam Dei seruus inspiratus intellexisset, magnetem statim ut camera substraxit, omne illud ostentum cadens confractum, comminutumque ostendit diuinum non esse quod mortalis homo firmauerat.* Cedrenus in Annalibus in Theodosio Maiore, pag. 267: *In templo huius Serapidis statua fuit ingens atque terribilis diuersa ex materia constans, & duabus manibus duos templi muros attingens. Intra hanc aliud sanum, simulachrum, & statua aenea, non magna. Huius capiti infixerant ferrum, & è regione supra in tecti laquearibus lapidem magnetem: itaque effecerant, ut statua in aëre videretur suspensa, neque terram tangens, neque tectum.*

Haud absimile his est quod refert S. Augustinus lib. 21. de Ciuitate Dei cap. 6. dicens: *Vnde factum est, ut in quodam templo lapidibus magnetibus in solo & in camera proportionem magnitudinis positis simulachrum ferreum aëris illius medio inter virumque lapidem, ignorantibus quid sursum esset ac deorsum, quasi numinis potestate penderet.* Et Plinius lib. 34. cap. 14. *Eodem lapide magnete Dinocrates architectus Alexandriae Arsones templum concamerare inchoauerat, ut in eo simulachrum eius è ferro pendere in aëre videretur. Intercessit mors & ipse, & Ptolomæi, qui id sorori suæ iusserat fieri.* Cassiodorus lib. 1. Variarum, Epistola 14. *Hoc enim mechanisma fecisse dignoscitur Dædalum volare. Hoc ferreum Cupidinem in Dianæ templo sine aliqua alligatione pendere.* Vide quæ de sepulchro Mahometis scripsimus lib. 1. cap. 25.

Admiranda quoque sunt quæ de Romanis cloacis Plinius lib. 36. cap. 15. prodit in hunc modum: *Sed tunc senes aggeris vastum spatium, & substructiones insanas capitoli mirabuntur: præterea cloacas, operum omnium dictum maximum, suffossis montibus, atque ut paulo ante retulimus, vrbe pensili, subterque navigata à Marco Agrippa in Edilitate post Consulatum: permeatus corruuati septem annes, cursuque precipiti torrentium modo rapere atque auferre omnia coacti: insuper mole imbrum concitati, vada ac latera quatunt: aliquando Tiberis retro infusi recipiunt fluctus: pugnantque diuersi aquarum imperus intus: & tamen obnixâ firmitas resistit. Trabuntur moles interna tanta, non succumbentibus causis operis: pulsant ruina sponte precipites, aut impacta incendiis: quatitur solum terræ motibus: durant tamen à Tarquinio Prisco annis octingentis prope inexpugnabiles: non omitendo memorabili exemplo, vel eo magis, quoniam celeberrimis rerum conditoribus omissum est: cum id opus Tarquinius Priscus plebis manibus faceret, essetque labor incertum, longior an periculosior, passim conscita nece Quiritibus tedium fugientibus, nouum & in excogitatum antea posteaque remedium inuenit ille rex, ut omnium ita defunctorum figeret crucibus corpora spectanda ciuibus, simul & feris, volucrisque laceranda. Quamobrem pudor Romani nominis proprius, qui sæpe res perditas seruauit in præliis, tunc quoque subuenit: sed illo tempore imposuit, cum erubescens cum puderet viuos, tamquam puditorum esset extinctos. Amplitudinem causæ eam fecisse proditur, ut uehem feni largè onustam transmitteret.* Dio lib. 49. *Anno sequenti Agrippa viro*

Edilis factus est, omniaque ædificia publica, omnes vias priuatis impendiis refecit: cloacas expurgauit, ac per eas in Tiberim subuectus est. Accidit id Cons. Augusto 11. & Lucio Vulcatio, anno Urbis conditæ 720. iuxta Fastos Pighij.

Theodoricus Italiæ rex apud Cassiodorum Variarum lib. 3. Epist. 30. in hunc modum Argolico Urbis Præfecto rescribit: *Proinde Illustris Sublimitas tua spectabilem virum Ioannem nos direxisse cognoscat, propter splendoras Romæ ciuitatis cloacas, Quæ tantum visentibus conferunt stuporem, ut aliarum ciuitatum possint miracula superare. Videas illic flumios, quasi montibus concauos clausos, peringentia stagna decurrere: videas structis nauibus per aquas rapidas non minima sollicitudine nauigari, ne precipitato torrente marina possint naufragia sustinere. Hinc Roma singularis, quanta inte sit, potest colligi magnitudo. Quæ enim urbium audeat tuis culminibus contendere, quando nec imatua possunt similitudinem reperire?*

De cloacis Romanis à Prisco Tarquinio extructis Dionysius Halicarnassæus lib. 3. hæc memorat: *Capit etiam Priscus cloacas fodere factis fossis per quas omnis aqua ex compitis conflens in Tiberim se exonerat: quæ opera admiranda sunt, & maiora quàm quæ verbis exprimi possint. Ego certè in tribus magnificentiis Romæ operibus, vnde maxime Imperij amplitudo apparet, Aquæductus pono, & vias stratas, non solum ipsius operis utilitatem considerans: (quæ de re suo loco dicam) sed etiam impensarum magnitudinem, quam vel ex hac una re quibus conicere potest, secutus C. Aquilius huius rei auctorem, qui asserit, neglectas aliquando cloacas, nec amplius aquam transmittentes, à Censoribus purgandas & reficiendas, mille talentis locatas fuisse.* Eam summam aiunt esse sexcentorum millium aureorum. Liuius lib. 1. cap. 56. de Prisco Tarquinio: *Foros in Circo faciendos, cloacamque maximam receptaculum omnium purgamentorum Urbis sub terram agendam: quibus duobus operibus vix noua hæc magnificentia quidquam adæquare potuit.*

De Romanis verò Aquæductibus Plinius lib. 36. cap. 15. *Sed dicantur vera æstimatione inuicta miracula, quæ Q. Marcius Rex fecit. Is iussus à Senatu aquarum Appiæ, Anienis, Tepulæ, ductus reficere, nouam à nomine suo appellatam cuniculis per montes actis, intra Prætura sua tempus adduxit. Agrippa verò in Edilitate sua adiecta Virgine aqua ceteris corruuatis atque emendatis, lacus septingentos fecit: præterea salientes centum quinque: castella centum triginta, complura etiam cultu magnifica. Operibus iis signa recentia ærea aut marmorea imposuit, columnas ex marmore quadringentas; eaque omnia annuo spatio. Adiecit ipse in Edilitatis suæ commemoratione, & ludos vnde sexaginta diebus factos, & gratuita præbita balinea centum septuaginta, quæ nunc Romæ ad infinitum auxere numerum. Vicit antecedentes aquarum ductus nouissimum impendium operis inchoati à Caio Casare, & peracti à Claudio. Quippe à lapide quadragesimo ad eam excelsitatem, ut in omnes Urbis montes leuarentur: influxere Curtius & Caruleus fontes. Ero-gatum in id opus aiunt esse septem miliones & dimidium sestertium Termillies. Quod si quis diligentius æstimauerit aquarum abundantiam in publico, balneis, piscinis, domibus, eurypis, hortis, suburbanis villis, spatioque aduenientium extructos arcus, montes perfossos, conualles aquatas, fatebitur nihil magis mirandum fuisse in toto orbe terrarum. Eiusdem Claudij inter maxime memoranda equidem duxerim, quamuis destitutum successoris odio, montem perfossum ad Lacum Fucinum emittendum, inenarrabili profecto impendio, & operarum multitudine, per tot annos: cum aut de*

riuatio

riuatio aquarum, quæ terrenus mons erat, egeretur in vertice machinis, aut silex caderetur, omniaque intus in tenebris fierent, quæ neque concipi animo nisi ab iis qui videre, neque humano sermone enarrari possunt. Nam portus Ostiensis opus prætereo: item vias inter montes excisas: mare Tyrrhenum à Lucrino molibus seclusum, torpentes tantis impendiis factos.] Extat de Romanis Aquæ ductibus mirificus Commentarius Sexti Iulij Frontini viri Consularis, qui sub Nerua Imperatore Præfectus Aquarum fuit, vbi sanè eximia de his perscribit.

Sed his quæ ex Plinio modo describebamur, consentientia tradit Suetonius in Claudio cap. 20. Opera magna porius quàm necessaria, quàm multa perfecit: sed vel præcipua, Aquaductum à Caio inchoatum: item emissarium Fucini lacus, Portumque Ostiensem: quanquam sciret, alterum ab Augusto præcantibus assidue Marsis negatum: alterum à Diao Iulio sæpius destinatum, ac propter difficultatem omissum. Claudia aqua gelidos & vberes fontes, quorum alteri Carulco, alteri Curtio & Albulino nomen est, simulque riuum Anienis noui lapideo opere in Urbem perduxit, diuisitque in plurimos & ornatissimos lacus. Fucinum aggressus est, non minus compendij spe, quàm gloria: cum quidam priuato sumptu emissuros se repromitterent, si sibi siccati agri concederentur. Per tria autem passuum millia, partim effosso monte, partim excisso, canalem absoluit agere, & post undecim annos, quamuis continuis triginta hominum millibus sine intermissione operantibus. Portum Ostia exiruxit, circumducto dextra, sinistraque brachio, & ad introitum profundo iam solo mole obiecta; quam quo stabilis fundaret, nauem ante demersit, qua magnus obeliscus ex Ægypto fuerat aduectus, congestisque pilis, superposuit altissimam turrim in exemplum Alexandrini Phari, ut ad nocturnos ignes cursum nauigia dirigerent.]

Tacitus Annali 12. cap. 56. Sub idem tempus, inter lacum Fucinum annemque Lyrin perrupto monte quo magnificentia operis à pluribus viseretur, lacu in ipso nauale prælium adornatur.] Et cætera quæ subdit de Claudio lectu digna. Dio lib. 60. Claudius instituit porum sibi fabricari: cumque architecti interrogati, quanti sumptus eius operis essent futuri, tantos respondissent, quantos ipse facere nollet sperantes, impendij magnitudine audita, ipsum à proposito destitutum: nihil deteritus rem in animum suum induxit, perfecitque, magnanimitate ac potentia Romana dignam. Effodit continentem haud exiguo spatio, ambitumque omnem crepidine lapidum firmanit, ac eum locum mare accipit: deinde ex utraque huius loci parte aggeres in ipso mari magnos fecit, multum in iis maris complexus est, ibique insulam effecit, imposita turri, unde noctu ignes emicantes signum nautis darent. Idque opus ab eo ita extructum Portus nomen hodie quoque retinet. At in Fucino lacu qui in Marsis est, in Tiberim emittendo, ut & locus circa eum locum agriculturæ aptus, & Tiberis magis adhuc navigabilis fieret, inanes sumptus fecit.] Vide de Lacu Fucino quæ notauit Scaliger ad Numerum Eusebium M. MLXIX. Tentasse Claudium emittere lacum Fucinum: sed non emisisse, Dio clare perferipit: nec Suetonius it obuiam, nam tantum ait, à Claudio canalem ægre absolutum, & perfectum. At Spartianus de Hadriano: Fucinum lacum emisit.] Vide etiam de eodem Lacu Ortelium in Theauro Geographico.

De Palatio Imperatoris Emanuelis hæc refert Benjamin Tudelensis in Itinerario: At vero Emanuel rex præter illud, quod à maioribus habuerat, Pala-

tium, alterum sibi ipse construxit ad litus maris, quod Bilbernas vocauit: cuius columnas & muros auro & argento conflato obduxit: in quo bella omnia à se maioribusque suis gesta insculpsit. Solium autem ibidem sibi parauit ex auro & gemmis: idque aurea corona ornauit superne pendente ex aureis catenis: cuius ambitus solio ipsi aequalis est, margaritis & unionibus distincta, quarum pretium homo nemo æstimare queat: tanto splendore, ut nulla admota lampade noctu videantur & luceant.]

Franciscus Aluatacius in Relatione Æthiopica, cap. 53. describens insignes Ecclesiarum fabricas quæ sunt in Regnis Abissinorum, in hunc modum orditur: Itinere dicit unius ab Ecclesia Imbrachristi, extant edificia, quæ ut mihi videtur, eiusmodi alia tam rara & admiranda in toto orbe inueniri non possunt. Sunt templa nimirum, tota ex unico dumtaxat solidoque saxo, seu rupe cauita & excisa, prodigioso planè ac stupendo operis miraculo. Nomina horum Templorum hæc sunt: Emmanuelis, Saluatoris, S. Mariæ, S. Crucis, S. Georgij, Golgotha, Bethlehem, Marcocci, & Martyrum. Saluatoris habet longitudinis ducentos palmos, latitudinis centum viginti. Golgotha, centum viginti longitudinis, & latitudinis septuaginta duos. Alia Ecclesia sunt minores.] Inspiciat Lector Aluatacium, quem non sine ingenti voluptate, latè ea templa describentem cap. 53. & 54. ut propemodum humanam fidem vincant tam superbæ structuræ: sed vidit ea Aluatacius, & accurate expressit.

Omissimus hic & Ægyptiacas Piramides, & alia celebrata orbis miracula, ac præcipuum omnium Salomonis templum memorare, quod hæc sint cunctis notissima. Atqui Antichristum operibus, fabricis, & structuris superaturum omnia quotquot vnquam in mundo surrexere operum miracula, sanè creditum est propensissimum. Hæc quæ magis illustrabuntur à nobis lib. 11. quando ostendemus, quanta magnitudine Ierusalem & Templum ædificanda sint ab Antichristo.

CAPVT XIX.

Statua & Colossi Antichristi.

M Ira quoque hac in parte fuit humana infania Mad æternitatem nominis, famæque iu Colossis, statuisque consecrandam. De Colossis quæ sunt ingentes statua Plinius lib. 34. cap. 7. in hunc modum disserit: Audacie innumera sunt exempla. Moles quippe excogitatas videmus statuarum, quas Colossos vocant, turribus pares. Talis est in Capitolio Apollo, translatus à Marco Lucullo ex Apollonia Ponti urbe triginta cubitorum, centum quinquaginta talentis factus: talis in campo Martio Iupiter à Claudio Casare dicatus, qui vocatur Pompeianus à vicinitate Theatri: talis & Tarenti factus à Lysippo quadraginta cubitorum. Mirum in eo, quod manu, ut ferunt, mobilis, (ea ratio libramenti est) nullis conuelleretur procellis. Id quidem prouidisse & artifex dicitur, modico intervallo, unde maximè statum opus erat frangi, opposita columna. Itaque propter magnitudinem, difficultatemque molendi, non attigit eum Fabius Verrucosus, cum Herculem qui est in Capitolio inde transferret.

Ante omnes autem in admiratione fuit Solis Colossus Rhodi, quem fecerat Chares Lyndius, Lysippi supradicti discipulus. Septuaginta cubitorum altitudinis fuit. Hoc simulachrum post quinquagesimum sextum annum terremotu prostratum, sed iacens quoque miraculo est.

est. Pauci pollicem eius amplectuntur : maiores sunt digiti quam pleraque. Vasti specus hiant de fractis membris. Spectantur intus magna molis saxa, quorum pondere stabilierat constituens. Duodecim annis tradunt effectum trecentis talentis, quæ contulerant ex apparatu regis Demetrii, relicto mora radio. Sunt alij minores hoc in eadem urbe Colossi centum numero : sed ubicumque singuli fuissent, nobilitaturi locum Præterque hos Deorum quos fecit Bryaxis.

Factitavit Colossos & Italia : videmus certe Apollinem in Bibliotheca templi Augusti Thuscenicum quinquaginta pedum à pollice, dubium ere mirabiliorem, an pulchritudine. Fecit & Spurius Caruilus Iouem qui est in Capitolio, victis Samnitibus sacrata lege pugnantibus, & pectoralibus eorum, ocreisque & galeis. Amplitudo tanta est, ut conspiciatur à Latario Ioue. Verum omnem amplitudinem statuarum eius generis vicit ætate nostra Zenodorus, Mercurio facto in ciuitate Gallia Aruernis, per annos decem H-S Quadringentes mani pretio. Postquam satis ibi artem approbauerat, Romam accitus est à Nerone, ubi destinatum illius Principis simulacrum Colossus fecit (Centum viginti habet Suetonius) centum decem pedum longitudine, qui dicatus Solis venerationi est, damnatis sceleribus illius Principis.] De Rhodio Colosso Strabo lib. 14. pag. 449. Præstantissima sunt Colossus Solis, quem ut ait auctor Iambici carminis.

— Septies decem

Chares cubitorum est fabricatus Lyndius.

Iacet nunc terramotu prostratus, à genibus confractus. Oraculo prohibiti Rhodi, non instaurauerunt : sanè omnium donariorum præclarissimum, in septenario eorum quæ spectanda mundus habet, collocatur.] De eo terræ motu Polybius lib. 5. Per idem tempus Rhodii occasione terramotus vsi, quo paulo ante fuerant conquisiti, quo & magnus Colossus corruerat, & murorum ac navalium magna pars fuerat deiecta, &c.] Festus : Colossus à Charete artifice à quo formatus est, dictus. Fuit enim apud Rhodum insulam statua solis alta pedes centum & quinque.]

De eodem Colosso Landolphus Sagax in Historia Miscella lib. 19. cap. 4. Anno duodecimo Imperij Constantis, Mahuias Arabum rex Rhodum rediens, dextruxit Colossus eius, post mille trecentos sexaginta stabilitatis ipsius annos, quem cum Iudæus quidam Emessenus negotiator emisisset, nongentos camelos ex eius ere oneravit.] Cedrenus pag. 357. Anno duodecimo Constantis Mabias Rhodo potitus, Colossus euertit, anno postquam is positus fuerat, millesimo trecentesimo sexagesimo quinto, quem cum quidam mercator emisisset, ere illo nongentos camelos oneravit. Et enim Rhodij maris Imperium obtinentes, æream Solis statuam posuerunt, altam cubitos octoginta, quod inscriptio eius docet.

Qui stat Rhodij Colossus, octies decem

Fecit Laches hunc altum cubitos Lindius.

A magnitudine ei Colossi nomen indiderunt : & ab eo ipsi quoque Colossenses sunt denominati.] Hoc de Colossensibus perperam, ut est perspicuum. Zonaras Tomo 3. Annalium : Agareni vero iam obsistente nemine, inuadebant omnia. Tunc etiam Rhodo insula subacta, celebratum in ea Colossus demoliti sunt : cuius æs Iudæus quidam mercatus nongentis camelis fertur asportasse.] Eadem alij posteriores.

Publius victor de Regionibus Urbis, in Quarta decima Regionone, annotat, Romæ fuisse Colossos æneos triginta septem, marmoreos quinquaginta vnum.

Verum de statu is rara sunt quæ Plinius memorat, ex quo pauca delibabimus. lib. 34. cap. 7. In

Marci Scauri Adilitate tria millia signorum in scena tantum fuere temporario theatro. Mummius deuicta Achaia repleuit urbem. Multa & Luculli inuexere. Rhodi etiamnum tria millia signorum esse Mutianus ter Consul prodidit : nec pauciora Athenis Olympia, Delphis superesse creduntur. Quis ista mortalium persequi possit ?] Et paucis interiectis : Ætas nostra vidit in Capitolio priusquam id nonissimè conflagrauit à Vitellianis incensum, in cella Iunonis, canem ex ære, vulnus suum lambentem : cuius eximium miraculum, & indiscreta veri similitudo, non eo solum intelligitur, quod ibi dicata fuerat : verum & noua satisfactione, nam summa nulla par videbatur : capite tutelarios cauere pro ea instituti publici sunt.] Et cap. 6. Nullique arbitror plures statuas dicatas quam Phalereo Demetrio Athenis : siquidem trecentas sexaginta statuere, quas mox lacerauerunt, nondum anno hunc numerum dierum excedente. Statuerant Roma etiam in omnibus vicis C. Mario Gratidiano tribus, ut diximus, eademque subuertere Sylla introitu.] Laertius lib. 5. de Demetrio : Cum apud Athenienses concionaretur, urbi præfuit annos decem, æreisque statu is honoratus est trecentis sexaginta : quarum plures equestres erant, & in curribus, ac bigis stabant, summoque studio intra trecentos dies consummata erant.] Addit eiusdem Phalerei memorabilem illam vocem : Hic ubi comperit Athenienses imagines suas euertisse : At inquit, viriutem illi non enierunt, cuius gratia illas exexerant.] Strabo lib. 9. pag. 274. Et tempore quo Moacedombus Cassander imperauit, Athenis ciuem præfecit Demetrium Phalereum Theophrasti Philosophi Discipulum. Verum inuidia, & cum paucis suscepta inimicitia tantum valuerunt, ut Cassandro mortuo fugere in Ægyptum fuerit coactus : statu isque eius amplius trecentis motu facto aduersarij deiecerunt, conflagraueruntque addunt quidam conflationem in matulas factam.] En ludibria fortunæ, seu potius insanissimi vulgi.

Semiramidis Assyriorum reginæ ausum Diodorus Siculus lib. 2. Numero 71. ita describit : Bagistanus vero Mediæmons Ioui sacer est, & à Paradisi latere præruptas habet petras quæ ad decem & septem stadia in altum porriguntur. Huius radicibus abrasit suam insculpsit imaginem Semiramidis.] Vide Cælium Rhodiginum liber 29. Lectionum Antiquarum, cap. 24.

Infantiam & vecordiam Statuarij cuiusdam planè desperatam Strabo lib. 14. pag. 441. in hunc modum memorat : Artemidorus Templum Ephesiæ Diane ait Cheiromocratis opus esse, qui etiam Alexandriam condiderit : eundem promississe Alexandro, velle se Atho montem ita ad ipsius similitudinem effingere, ut tanquam libans è gutto quodam effunderet in pateram fluium, qui ex una urbium (duas enim se facturum, vnā ad dexteram, alteram ad sinistram montis) in alteram laberetur.] Rem accuratius enarrat Plutarchus Posteriore Oratione & Fortuna Alexandri Magni : Inter alios artifices fuit tunc etiam Stasicrates architectus, nullum opus moliens quod varium incundumque aspectu esset : sed & manu magnifica & dispositione operum utrens, quæ sumptus à Rege suppeditare opus haberet. Is cum ascendisset ad Alexandrum, pictas eius, & sculptas, atque fictas imagines culpauit, ut timidiorum, & humilium opera artificum. Ego, aiebat, statu is corporis, O Rex, tui similitudinem in viam & interitus expertem, æternisque firmatam radicibus materiam, & immota præditam grauitate introducere. Thracia enim mons. Athos, ubi maximus & planè conspicuus assurgit, latitudines & altitudines habens proportionem toti congruentes, tum & membra, & artus atque interstitia quæ conformari queant

queant, potest artificio ita tractari, ut imago Alexandri & sit & dicatur: fundamentis suis mare attingens, manum autem altera gestans urbem decem millium ciuium capacem, dextra perennem fluium, & patera in mare libans: proinde aurum, as, ebur, ligna, tincturas, simulachra exigua, venalia, & furtis exposita abiiciamus. Hoc ut audiret Alexander, audaciam sanè artificis & fiduciam admiratus laudauit: Tu tamen, dixit, Atho montem intactum relinque: satis est eum esse monumentum petulantia, quam unus in eum rex exercuerit, me Caucasus monstrabit, & Emodi montes, & Tanais, & Caspium mare, hæ sunt meorum factorum imagines.] Eadem habet in Vita Alexandri, & Lucianus quoque in Imaginibus.

Verum ut mireris immanem artificis cogitationem, audi quæ de immensa magnitudine & altitudine Athi montis auctores prodidere. Herodotus eum accuratè describit lib. 7. Numero 22. aitque: Est autem Athos mons ingens ac nobilis ad mare pertingens, &c.] Plinius lib. 4. cap. 10. Montem athon Xerxes rex Persarum continenti abscidit, in longitudine passuum mille quadringentorum: mons ipse à planitie excurrit in mare septuaginta quinque millia passuum: ambitus radiis centum quinquaginta millia colligit. Oppidum in cacumine fuit Acroaton.] Et cap. 12. Lemnos ab Atho octoginta septem millibus passuum abest: oppida habet Hephestiam, & Myrinam, in cuius forum solstitio Athos eiacularur umbram. Solinus cap. 17. in Lemno metropolis Hephestia: præterea oppidum Myrina, in cuius forum mons Athos à Macedonia umbram iacit. Quod non frustra inter miracula notauerunt, cum Athos à Lemno sex & octoginta millibus passuum separetur. Et sanè Athos sublimis adeo, ut alior, æstimetur, quam unde imbres cadunt. Quæ opinio eò fidem concipit, quod in aris quas cacumine sustinet, numquam cineres eluuntur, nec quidquam ex aggeribus suis perdunt: sed quo relictæ fuerint cinulo permanent. In summo oppidum fuit Acroaton, in quo dimidio longior, quàm in aliis terris incolentium ætas prorogabatur. Inde homines Macrobius Græci, nostri appellare Longæuos.] Mela lib. 2. cap. 2. Athos mons est adeo elatus, ut credatur altius quam unde imbres cadunt, surgere. Capit opinio fidem, quia de aris, quas in vertice sustinet, non abluuntur cinis, sed quo relinquitur aggere, manet. Cæterum non promontorio, ut alij, verum totus est, totoque longè dorso procedit in pelagus: qua continenti adhaeret, Xerxes in Graios tendente perfossus, transnauigatisque, & factus freto nauigabili peruius. Ima eius tenent parue Pelasgorum colonia. In summo fuit oppidum Acroaton, in quo ut ferunt, dimidio longior, quàm in aliis terris ætas habitantium erat.] Lucianus in Macrobiis: Comperit autem Athos quoque centum & triginta annos viuere.] De Atho perfosso à Xerxe, pluribus agunt Herodotus lib. 7. Numero 21. & seqq. ac Diodorus Siculus lib. 11. Numero 243. Athi quoque meminit Ptolemæus lib. 3. cap. 13. De Atho monte, qui hodie Mons Sanctus dicitur, & de Monasteriis in eo fundatis plurima mentio extat apud Ioannem Cantacuzenum lib. 1. de Rebus Andronici Imperatoris, cap. 21. 22. lib. 2. cap. 39. 40. lib. 3. cap. 34. & alias, item apud Nicephorum Gregoram lib. 11. cap. 19.

Nec dubium esse potest quin Antichristus pro immani sua superbia & vanitate, quæcumque poterit Colossorum & statuarum prodigia quæ ipsum expriment, in quavis materia ad furorem vsque sit imitaturus, & maiora adhuc effecturus. Equidem consonat id iis quæ Apocalypf. 13. 14. de quodam armigero & præcurfore Antichristi, qui apprimè curabit, ut imagines & statuae Antichristo ubique eri-

gantur, prædicitur: Et seduxit habitantes in terra propter signa quæ data sunt illi facere in conspectu Bestiæ, [Antichristi] dicens habitantibus in terra, ut faciant imaginem Bestiæ [Antichristi] Et datum est illi, ut daret spiritum imagini Bestiæ [Antichristi]: & faciat, ut quicumque non adorauerint imaginem Bestiæ [Antichristi] occidantur. In quem locum Victorinus hæc annotat: Faciet etiam ut imago aurea Antichristi in Templo Ierosolymitano ponatur, & intret angelus refuga, & inde voces & sortes reddat.] Andreas: Probabile sit Antichristi prodromum & administrum, demonum vi impulsam Bestiæ imaginem facturum, arte & fraude diaboli loquendi facultatem illi communicaturum: adeoque daturum operam, ut omnes trucidentur, quotquot eam adorare recusauerint.] Eadem Arctas, & alij. Et S. Gregorius Turonensis lib. 1. Historiæ Francorum, sub initium: Antichristus in templo Ierosolymis statuam suam collocabit adorandam, sicut Dominum dixisse legimus: Videbitis abominationem desolationis statuem in loco sancto.] Atqui cum primis est verisimile Antichristum nedum Ierosolymis & in illo templo ubi sedem Imperij figet: sed per omnes vrbes, statuas & collossos multitudine, materia, pretio, artificio, magnitudine, amplitudine, pulchritudine, magnificentia supra omnem captum humanum admirabiles ambitiosissime sibi erecturum.

CAPVT XX.

Vestes & aulæ, seu peristromatæ Antichristi.

Cum multa extent Principum ac priuatorum exempla qui in cultu luxuque vestium fuere rari planè & singulares, ac in iis vñ sint profusione infinita, facile est existimare, Antichristum & imitaturum ea, & superaturum etiam. Suetonius de Nerone cap. 30. Nullam vestem bis induit. Idem quoque rerum Mexicanarum auctores de Mutezuma Imperatore produnt. Fulgentem Agrippæ vestem in qua concionaturus ad populum prodit Actorum 12. 21. in hunc modum describit Iosephus 19. Antiquit cap. 7. Processit Agrippa mane in Theatrum amictus veste tota ex argento, mirabili opere contexta, quæ radiis exorientis Solis percussa, & diuinum quendam fulgorem emittens, venerationem cum horrore incutiebat spectantibus: moxque adulatores perniciosi alius aliunde acclamantes, Deum consalutabant.]

De Augusto Suetonius cap. 70. Cena quoque eius secretior in fabulis fuit, quæ vulgò Dodecatheos vocabatur, in qua deorum, dearumque habitu discubuisse conuiuas, & ipsum pro Apolline ornatum, non Antonij modo epistola singulorum nomina amarissime enumerantis exprobant, sed & sine auctore notissimi versus.] Et de Caligula cap. 23. Templum etiam numini suo proprium, & sacerdotes & excogitatissimas hostias instituit. In templo simulachrum stabat aureum Iconium, amiciebaturque quotidie veste quali ipse viretur.] De Agrippina Claudij Plinius lib. 33. cap. 3. Aurum superque omnia netur, ac textitur lana modo, & sine lana. Tunica aurea triumphasse Tarquinium Priscum Verrius tradit. Nos vidimus Agrippinam Claudij Principis, edente conualis prælij spectaculum, assidentem ei indutam paludamento auro textili, sine alia materie.] Tacitus Annali 12. Ipse Claudius insigni paludamento, neque procul Agrippina chlamyde aurata præsedere.] Dio lib. 60. Agrippina chlamydem

auro intertextam induerat.]

Pulchram vestem ex vetusto Poeta Athenæus lib. 15. cap. 8. ita describit : Demodamas enim Alicarnassæus lib. de Halicarnasso, Poëma Cyprium esse cuiusdam Halicarnassæi tradit. Auctor igitur illius operis, quisquis sit, ita scribit undecimo lib.

Vesti colorem & Aura & Gratia

Illeuerunt, vernisque floribus eam tinxerunt,

Qualibus exornant se se Hora croco, hyacintho.

Florenti viola, rosa pulchro flore,

Iucundo, nectareo, Ambrosiis calycibus

Floris Narcissi eleganti colore formositate sancta Venus

Id nunc precor, vestis hæc ut omni tempore sacra sit.]

De Dario quem vicit Alexander, Q. Curtius lib. 3.

Cultus regis inter omnia luxuria notabatur. Purpurea tunica medium album intextum erat. Pallam auro distinctam aurei accipitres, velut rostris inter se concurrerent, adornabant : & Zona aurea muliebriter cinctus acinacem suspenderat : cui ex gemma erat vagina. Cydarim Persæ regium capitis vocabant insigne : hoc carulea fascia albo distincta circuibat.]

Verum in Attalicis, aulæis, peristromatis, mirum quàm immanè baccata est humana luxuria. Plinius lib. 8. cap. 48. *Acu facere id Phryges inuenerunt, ideoque Phrygiones appellati sunt. Aurum intexere in eadem Asia inuenit Attalus rex : unde nomen Attalicis. Colores diuersos pictura intexere Babylon maximè celebravit, & nomen imposuit. Plurimis vero licis texere, quæ Polymita appellant, Alexandria instituit : scutulis diuidere Gallia. Metellus Scipio Triclinaria Babylonica Sesterium octingentis millibus vanisse iam tunc, posuit in Capitonis criminibus : quæ Neroni Principi quadringentis sesteris steteret.]* Id est decies centenis millibus aureorum. Vel vno millione. Idem Plinius lib. 36. cap. 15. post descriptum M. Scauri Theatrum, addit : *Sed & reliquis apparatus tantus Attalica veste, tabulis pictis, cateroque coragio fuit, ut in Tusculanam villam reportatis, quæ superfuere quotidiani usus delitiis, incensa villa ab iratis seruis, concremaretur ad H-S milles.]* Hoc est, duos miliones & dimidium. Nec desunt qui è veteribus manuscriptis libris in Plinio legant H-S bis milles, id est, quinque miliones. Et lib. 19. cap. 1. de Nerone : *Vela nuper colore cali stellata per rudentes, terra etiam in Amphitheatris principis Neronis rubente.]* Et lib. 35. cap. 7. *Et nostra ætatis insaniam ex pictura non omitam : Nero Princeps iusserat Colosseum se pingi centum viginti pedum in linteo, incognitum ad hoc tempus. Ea pictura cum peracta esset in Lamianis hortis, accensa fulmine, cum optima hortorum parte conflagrauit.]*

Plutarchus in Alexandro : *Philotam Parmenionis filium ad venationem centum stadiorum auleas habere.]* Alianus de Varia Historia lib. 9. cap. 3. *Leonnatum & Menelaum venandi studio deditos Aulea centum stadiorum sequebantur. Ipsi verò Alexandro tabernaculum erat centum leetorum spatij capax, quinquaginta columnis aureis interstinctum, quibus tectum suffulciebatur. Ipsum verò tectum erat inauratum, & magnifica arte, varietateque concinatum. Atque primi stabant circa ipsum interius Persæ, qui dicebantur Melophori, purpureas, melinasque stolas induiti. Post eos sagittarij mille flammei atque hyssini Coloris vestibus amicti : ante hos centum scutati Macedones cum scutis argenteis. In medio tabernaculi aurea sella ponebatur, in qua sedens Alexander, causas solebat cognoscere circumcingentibus vndeque custodibus corporis. Ambibat autem tabernaculum circuitus, quem tenebant mille Macedones, & Persarum decem milia.]* Athenæus lib. 12. cap. 9. in eandem sententiam:

Leonnato & Menelao venationis studiosis aulea ferebantur, quibus circumdatas feras insectarentur. Et paulo inferius, de Alexandri tabernaculo : Lector enim centum capiebat eius tabernaculum : aureis columnis octo sustinebatur : lacunaria in summo protensa, aurata, magnifica varietate quadam eminebant, & superiorem partem contegebant. Ac primi quidem clauarij Persæ quingenti circa tabernaculum foris adstabant purpureis atque melinis vestibus induiti post eos sagittarij numero mille, partim amicti flammeis sagis, partim hyssino colore tinctis, quidam ceruleis. His antestabant argenteis scutis insignes Macedones quingenti. In tabernaculi medio statuebatur aurea sella, in qua sedens ius dicebat, & legatos audiebat Alexander, corporis custodibus vndique circumfusus. Extra tabernaculum in orbem statorum elephantorum agmen dispositum erat, cum mille Macedonibus stola Macedonica vestitis, deinde Persarum millibus decem, & purpuratis quingentis, quibus Alexander eum vestitum indulserat.]

Ceterum Teribazi tentorium descripsit Xenophon lib. 4. Expeditionis Cyri, *In quo, inquit, lectuli erant innixi pedibus argenteis, & pocula, &c.]* Herodotus lib. 9. Numero 69. de Mardonij tabernaculo scribit : *Idemque Tegeate tentorium Mardonij diripuerunt & ex eo cum alia, tum verò equorum præsepe Mardonij ex ære totum, spectatu dignum : quod præsepe Mardonij Tegeate in templo Aleæ Minervæ reposuerunt.]* De Darij quem Alexander vicit tabernaculo Plutarchus in Alexandro hæc prodit : *Tabernaculum Darij reseruauerant illi [Alexandro] refertum egregiis seruitiis, instrumento regio, & magna vi auri & argenti. Ut holcia vidit crossos, ampullas, alabastros, ex auro fabrefacta omnia, domusque excitatissimo odore ex aromatibus, & vnguentis fragrauit, inde in tabernaculum transiit, fastigio, laxitate, lecti, mensarumque, & cæna illius nitore admirandum, oculos ad amicos intendens, Hoc nimirum inquit, erat regnare.]*

Nec abs re fuerit tentorium Ptolemæi Philadelphi descriptum ab Athenæo lib. 5. cap. 6. tametsi longiusculè hîc inferere : sic enim ait : *Masurius Callixenus Rhodium libro quarto de Alexandria, citauit, his verbis pompam enarrantem Ptolemæi Philadelphi regis, principis vndeque optimi. Priusquam rem aggrediar, inquit extructum in arcis septotentorium, scorsim à militum, opificum, & peregrinorum diuersoriis, exponam. Id enim supra modum pulchrum fuit, & memoratu dignum, tam amplum, ut lectos centum & triginta caperet. Fabrica huiusmodi fuit : lignea quinque columna singulis statuti sunt lateribus, in altitudinem longè quinquaginta cubitos, una vero pauciores in latitudinem posita. Adaptatum columnis epistylum fuit, quadratum, quod vniuersum tectum canaculi fulciret. Sub medio lacunari conopeum explicatum fuit, per ambitum albicans : vitraque in parte trabes albo permedium distinctæ, aulæis turrium imagine pictis obuoluebantur : in earum medijs spatiis efficta picturis laquearia distenta cernebantur. E columnis, similes palmis, quatuor fuerunt : intermediis verò thyrorum forma.*

Extra hac fossione depressus locus erat, columnis cinctus à tribus lateribus, tecto concamerato, ubi discurrerentium comitatus restaret. Interior eius stationis pars phæniceis tapetibus circumuehebatur. Intervallo medio, quod hunc locum à tentorio separabat, animantium pelles incredibilis varietatis & magnitudinis pendebant. Quod autem subdiale spatium complectebatur, myrtus, laurus, & alia conuenientes frondes spissè opacabant : rotum verò solum floribus omnifariis conspersum fuit : atque adeò tam cumulatè effusi tabernaculum obregebant

obtegebant, ut prati cuiusdam diuini prorsus imaginem ostentarent. Intentori vestibulo marmorea animantium effigies iacebant, primariorum artificum opera, centum: at mediis inter ea simulachra locis pictorum Sicyoniorum tabulae, ac vicissim in interstitiis: ad viuum rerum variarum, effigies expressae, tunicaeque aureae, ac paludamenta pulcherrima quadam intextis regum veris imaginibus, quadam fabularum delineationibus ac descriptionibus elaborata, super hac scuta alternis aurea & argentea circum affixa fuere. Supra hunc utriusque locum antra excavata fuerant, octo cubitorum, per longitudinem tabernaculi ex utroque latere sex, per latitudinem quatuor, in quibus comici, tragici, satyrici viui homines, cum peculiari artis cuiusque habitu, ex aduerso sibi oppositi epulabantur cum vicinis aureis poculis.

In anteriorum medio relictæ fuerant lacunata caua, in iisque depacti cum sustentaculis suis Delphici tripodes aurei. In supremo fastigio tecti tabernaculi aquila duae micabant aureae, facie & regione obuersa mutuo, quindecim cubitorum magnitudine. Ad duo tentori latera siti erant lecti centum aurei, pedibus ad Sphingum similitudinem formati: oris enim aspectum nudum ac reiectum artifex dimiserat. Tapetibus virisque villosis, purpureis, strati primo die lecti fuerunt, iisque circumposita aulea varia, eximia quadam arte insignia. Quae verò pedibus calcabantur intermedia loca, glabris tapetibus Persicis operiebantur, exacta pingendi scientia intextis pusillis animalibus. Accumbentibus mensa tripodes aureae admotæ sunt numero ducentæ, ad lectos singulos duæ, argenteis fulcris constabiles. Posteriore lectorum parte, qua despectus erat in subiectum campum, centum locatæ fuerunt, argenteae pelues cum totidem vrceis. E regione canationis desexus alter lectus, in quo exponerentur calices, pocula, & reliqua ad usum idonea vasa, quæ omnia gemmata, & aurea fuerunt, artificioque mirabilia. Horum sigillatim fabricam & genera longum mihi videtur declarare: pondus autem vniuersæ illius suppellectilis talenta decies mille fuerunt.] Haec Athenæus.

Qui etiam lib. 12. cap. 9. de Demetrio Antigoni filio hæc narrat: Demetrius Luxu omnes anteit. Calceos enim ingenti sumptu concinnados sibi curauit. Forma propemodum illa fuit, quæ virilis calceamenti, inculcata pretiosissima purpura. His artifices anteriori posteriorique parte iniecto filo aureo multa & varia intexebant. Nitebant in colore fusco eius chlamydes, pleræque omnes depicto textu cæto, cum aureis sideribus, & duodecim signis. Fascia auro tanquam asperso variegata pileum purpureum obstringebat, extremis textura filis in tergum, humerosque reiectis ac dependens.] Et post alia: Ephippus scribit Alexandrum sacras etiam vestes in conuiuio gestasse, nunc quidem Ammonis purpuream, per ambitum diuisam, & cornua tanquam Deum: nunc verò Diane, cum curru vestiretur: sapius sub extrema veste stolam Persicam ostentasse, ab humeris supernè, cum arcu, & sibyne (spiculi genus, vel pharetra): aliquando & indumentum Mercurij: cetera, ferè quotidie chlamydem purpuream, tunicam albo distinctam, causiā, quæ diadema regium sustineret: & amicis ad eum conuenientibus, talaria, petasum in capite, in manibus caduceum, nonnunquam leonis pellem, & clauam, ut Herculem.] Et inferius.

Chares lib. 10. Historia Alexandri, ait, sublato Dario, suas, amicorumque nuptias eum celebrasse thalamis nonaginta duobus in eodem loco structis, ac canaculo quod lectos centum capere posset. Stragulis nuptialibus, quorum pretium fuerant argentea mina viginti, quemque lectum exornatum fuisse, regium verò pedibus insuper aureis. In id conuiuium etiam priuati hospites sunt omnes admissi: ex aduerso verò sibi, & reliquis sponis, illius insu accubuerunt nauticarum & pedestrium copiarum

Tom. II. De Antichristo.

duces reliqui, & legati, & quotquot in aula perigrini versarentur. Exornatum fuit id canaculum sumptuosè & magnificè pannis, linteisque magni pretij, sub quibus alia fuerunt purpurea, phænicea, auroque intexta. Vt autem firmum esset id tabernaculum ac domicilium, columnis, viginti cubitos altis fulciebantur, aureis, argenteisque laminis operitis, ac gemmatis. Expansa per circuitum erant aulea pretiosa, belluataque tapetia, auro lucentia auratis, argentatisque regulis suspensa. Aula circuitus stadiorum quatuor fuit.]

Eodem lib. 12. cap. 10. subdit Athenæus: Aristoteles libro de iis quæ per luxum admiranda sunt, scribit, Alcisthenem Sybaritam luxu corruptum, tanta impensa vestem fecisse, ut in ea celebritate, quæ in Iunonis honorem fit ad lacinium promontorium, ad quam omnes Itali conueniunt, eam spectandam exhibuerit, ac ex omnibus quæ visa sunt & demonstrata sunt, admirationem illius summam fuisse. Eam aiunt, cum in illius potestatem deuenisset, Dionysium seniore Carthaginiensibus vendidisse talentis centum & viginti. Mentionem eius fecit Polemon in lib. cui titulus, est, de Carthaginiensibus.] Sed de his iam satis.

Ergo Antichristum luxu vestium & aulæorum, futurum prodigiosissimum facile arbitramur, præsertim ex his quæ diximus lib. 6. cap. 38. de tabernaculo Apadno Antichristi.

CAPVT XXI.

Vasa aurea, & argentea, & reliquis ex hac materia apparatus Antichristi.

Idem excefferint quæ in hac etiam parte furor luxuriae excogitauit, perfecitque. Plinius lib. 3. cap. 3. Cyrus deuicta Asia pondo, triginta quatuor milia inuenierat, præter Vasa aurea, auri quoque factum, & in eo folia ac platanum, vitæque Quæ victoria argenti quingenta milia talentorum reportauit, & craterem Semiramidis, cuius pondus quindecim talenta colligebat. Talentum autem Egyptium pondo octoginta capere Varro tradit. Iam regnauerat in Colehis Saluces, & Esbopes, qui terram virginem nactus, plurimum argenti, auri quoque eruisse dicitur in Samnorum gente, & alioquin velleribus aureis inchoyto regno. Sed & illius aurea camera, & argenteae trabes narrantur, & columna atque parastata. victo Sesostris Egypti rege, tam superbo, ut prodatur, annis quibusque sorte reges singulos & subiectis iungere ad currum solius, sicque triumphare. Et nos fecimus quæ posteris fabulosa arbitrentur. Caesar qui postea Dictator fuit, primus in Edilitate munere patris funebri, omni apparatus arena argenteo usus est: ferasque argenteis vasis incensere, tum primum visum. Mox quod etiam in municipiis amulantur, C. Antonius ludos scena argentea fecit: item L. Murana. Et Caius princeps in Circo pægma duxit, in quo fuerunt argenti pondo centum viginti quatuor. Claudius successor eius, cum de Britannia triumpharet, inter coronas aureas, vnā septem pondo habuit, quam contulisset Hispania citerior: alteram nouem, quam Gallia Comata, sicut titulus indicauit. Huius deinde successor Nero Pompeij theatrum operuit auro in vnum diem, quod Tyridati regi Armenia ostenderet. Et quæ pars ea apparatus fuit aurea domus ambiens Urbem?] Singulare illud Superbiæ Sesostris exemplum, qui reges ad currum iungeret, quod sanè non est dubium, quin maiori etiam arrogantia imitaturus sit Antichristus, auctores plurimi memorant, Diodorus Siculus lib. 1. numero 37. Theophylactus Simocatti lib. 6. Rerum Mauricij Imperatoris, cap. 11. Ioannes Tzetzes in Chiliadibus. Nicephorus lib. 18. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 29. Vnde Lucanus Pharsalia 10.

E

Venit

Venit ad occasum, mundiue extrema Sefostis,

Et Pharios curru regum ceruicibus egit.

Simile barbarici fastus exemplum Cyro describit Cedrenus pag. 117. Annalium.

Strabo lib. 3. pag. 104. Hispanicarum porro diuitiarum id quoque testimonium scriptores perhibuerunt, Carthaginienses, qui Barca duce expeditionem fecerunt, Turditanos argenteis præsepibus & dolis vos deprehendisse.] Casaubonus pro præsepibus, lacunaria in Strabone intelligi mauult: sed præsepia retineo. Plutarchus apparatus triumphi Pauli Æmilij de Perseo describens, ait: Hos secuti sacram phialam gestabant, quam Paulus sexcentorum pondo auri distinxerat gemmis.] Plinius lib. 33. cap. 11. L. Scipio transtulit in triumpho argenti calati pondo millia quadringenta quinquaginta. Et vasorum aureorum pondo centum millia, anno condita Urbis Quingentesimo sexagesimo quinto.] Eodem lib. 33. cap. 3. C. Caesar primo introitu urbis in ciuili bello suo ex arario protulit laterum aureorum viginti sex millia, & in numerato pondo trecenta. Nec fuit aliis temporibus Respublica locupletior.] Et rursum cap. 11. Lectos verò mulierum iam pridem totos operiri argento, & triclinia quoque, quibus argentum addidisse primus traditur Carutius Pollio eques Romanus, non ut operiret, aut Diliaca specie faceret, sed Punica. Idem & aureos fecit. Nec multo post argentei Deliacos imitati sunt. Quia omnia expiauit bellum ciuile Syllanum. Paulo enim ante hac facta sunt lanceeque à centenis libris argenti, quas tunc super quingentas numero Roma fuisse constat: multosque ob eas proscriptos dolo concupiscendum. Nostri atque fortior fuit: Claudi principatu seruus eius Dracillanus, nomine Rotundus, dispensator Hispania citerioris quingenariam lancem habuit, cui fabricanda officina prius exadificata fuerat: & comites eius octo quinquaginta librarum, quæ ut quàm multi eas conserui eius inferrent, quibus carantibus? Cornelius Nepos tradit ante Sylla victoriam duo tantum triclinia Roma fuisse argentea.] Et lib. 35. cap. 12. Vitellius in principatu suo decies festerio condidit patinam, cui facienda fornax in campis exadificata erat.] Summa est viginti quinque millium auroreorum. Meminit eius patinæ Suetonius in Vitellio, capite 13. Quam, inquit, ob immensam magnitudinem Clypeum Minervæ dictuabat.] Vide cap. 24. infra.

Idem Plinius lib. 33. cap. 10. Pythius Bythinus plantarum auream, vitæque nobilem illam Dario regi donauit: Xerxis copias hoc est, septies centena octoginta octo millia hominum excepit epulo stipendium quinque mensium, frumentumque pollicitus, ut è quinque liberis senectuti sue in delectu vnus saltem concederetur.] Historiam Pythij Lidij quam hæc tangit Plinius fuse exponit Herodotus lib. 7. numero. 25. & seqq. & 39. adiecit & alia Plutarchus de Claris mulieribus ad finem, ubi inter alia hæc habet: Pythis uxor Pythe, qui Xerxis ætate vixit, à sapientia & humanitate commendatur. Inciderat, ut aiunt, maritus eius in metalla auri: & quas inde consequeretur diuitias, non moderate amplexus, sed inexplati animi studio persequens, cum ipse supramodum ei negotio vacabat, tum vniuersos ciues eo adductos ex æquo fodere, aut egerere, aut purgare aurum cogebat, omnibus aliis actionibus, operibusque prorsus neglectis. Multis tum pereuntibus, omnibusque animum despondentibus, mulieres ad ianuam Pythis uxoris se se contulerunt, ibique de more supplicationis signum deposuerunt. Ea, discendere his & bono esse animo iussis, auri fabros quibus maxime fidebat, ad se accinit, domique inclusos iussit panes, bellaria, poma, & alios cibos quibus maxime delectari Pythen nouerat, ex auro omnia conficere. Luerat tum forte Pythes peregrè: qui ut domum rediit, carantemque poposcit auream ei mulier mensam apposuit nullo esui apto cibo, sed omnibus aureis instructam. Cum initio delectatus artificio

naturam imitante, satur spectaculi posceret cibum: quodcumque peteret, id aureum ei mulier attulit. Indignanti, & esurire se respondenti: Atqui, inquit, harum tu nobis rerum copiam, nullius præterea parauisti: Omnia enim artificia, omnis usus aliarum rerum desertus est: agros nemo colit, & posthabita satiore, plantatione, alimentorumque è tellure comparatione, fodimus inuitia ac quarimus, nobis, ciuibusque extremam exhibentes molestiam. Permoit hac oratio Pythen: & quamquam à secturis aureis non planè destituit, contentus tamen quinta ciuium parte ad hanc reliquos agricultura & artibus incumbere iussit.] Porro de platano aurea & vite similiter aurea Persarum regum plura ex auctoribus collecta leges apud Brissonium lib. 1. de Regno Persarum.

Plinius lib. 33. cap. 11. Vasa coquinaria ex argento Calvus Orator fieri queritur: at nos carrucas ex argento calare inuenimus. Nostrique ætate Poppæ coniunx Neronis principis delicatioribus inuentis suis soleas ex auro quoque inducere solebat.] Suetonius de Nerone cap. 6. Nunquam carrucis minus mille fecisse iter traditur, soleis mularum argenteis.] Idem Plinius lib. 33. cap. 3. Messala Orator prodidit, Antonium Trimum aureis usum in omnibus obsecans desideriis pudendo crimine etiam Cleopatram. Agnonem Teium Alexandri Magni Præfectum aureis clauis suffigere crepidas. Antonius in contumeliam naturæ uilitatem auro fecit, opus proscriptione dignum.] De Agnone Teio eadem tradunt Plutarchus in Alexandro, Ælianus de Varia Historia lib. 9. cap. 3. Phylarchus libro 23. Historiarum, & Agatharchides Gnidius lib. 10. de Asia apud Athenæum lib. 12. Deipnosophistarum, cap. 6. Nisi quod Plutarchus argenteis clauis habet: nec est incredibile & argenteis, & aureis usum: Lampridius de Heliogabali: Onus ventris auro excepit: in myrrhinis & onychinis minxit.] Et antea: Primus deinde mensas & capsas argenteas habuit: primus etiam cacabos. Vasa deinde centenaria sculpta, nonnulla schematibus libidinosissimis inquinata.]

Mirabile est quod Athenæus lib. 12. cap. 2. de luxu Regum Persarum scribit in hunc modum: Chares Mytilenæus lib. quinto Historia Alexandri: Eo usque luxus, inquit, processerunt Persarum reges, ut ad verticem regij cubilis supernè esset canaculum cum quinque lectis, in quo auri talenta quinquies mille nunquam non asseruabantur: id cervical regium appellabant: cubilis verò pedibus alterum canaculum cum tribus lectis vicinum esset, ubi talentorum tria millia reponerentur: quod subsestium, scabellumue regis nuncupabant. In eum cubiculo fuit quoque vitis aurea, gemmis ornata, super lectum distenta, cuius uuas Aminas libro de Ponderibus & Statertis, ait, ex pretiosissimis gemmis compositas fuisse: nec procul ab ea positum craterem aureum, opus Theodori Samij.]

Idem Athenæus lib. 12. cap. 7. Ctesias verò scribit, Sardanapalum sacro concessisse, cum seipsum in regia cremasset, exiructo rogo, ad quatuor ingerum altitudinem impositisque lectis aureis centum quinquaginta, mensis totidem, etiam aureis adificato in busti media parte canaculo, pedum centum ex lignis stratisque in eo lectis, in quibus ipse cum uxore accubuit, pellices autem in aliis: intrusque depositis auri talentorum mille myriadibus, argenti decies mille.] De Pompa regis Antiochi Epiphanis apud Daphnem hæc inter alia ex Polybio refert Athenæus lib. 5. cap. 5. Aurea verò argentea suppellectilis vim ac multitudinem, quanta fuerit, quispiam animo conceperit. Dionysij vnus regis amicorum, qui ei fuit ab epistolis, pueri mille in eo pōpe dictu incedebant, argenteis vasis ornati, quorū nullum minus pēdebat mille drachmis: regis autē sexcenti pueri illos consequerantur, aurea vasa sustinentes

sustinentes, & hos mulieres ducenta ex aureis urnis unguentum spargentes.]

Incredibilia planè sunt quæ idem Athenæus lib. 5. cap. 7. & 8. de pompa Ptolemæi Philadelphi fulsime narrat, ex Calixeno Rhodio libro 4. de Alexandria, quæ lector per otium consulat: hîc tantum decerpimus quæ de vasis aureis & argenteis in ea pompa prælatis memorat, sunt autem ista: Fuere Victoria cum alis aureis, thymiateria ferentes, sex cubitorum, aureis columellis. Aurea corona qua forma vitæ imitabatur. Coronam manibus gestantes auream quoque, aureis bracteis & vitis pampinis confertam. Aureum caduceum. Aureum Amalthæa cornu. Thymiateria duo aurea: ara in illorum medio quadrata aurea. Aureæ coronæ, trulla aurea. Laconicus aureus crater metretarum quindecim, cum aureo tripode. Aurea phiala. Corona aurea cum racemis ex gemmis fictis, maximi pretij. Comitabantur Satyri, Silenique centum viginti coronati, ferentes urceos alij, alij phialas, quidam Therulea vasa magna, ex auro ornata. Nullo post intervallo crater agebatur argenteus, amphorarum sexcentarum. Aurea, gemmataque corona mediis is præcingebatur. Ferebantur deinde poculorum abaci argentei duo, ambitu duodecim cubitorum, altitudine sex. Lacus argentei, duo super quibus fuere pocilla viginti quatuor: mensa ex argento solida, cubitorum duodecim: aliæque triginta cubitorum sex; unius tripodis ex argento solidi cubitorum sedecim ambitus fuit: reliqui tres illo minores, parte sui media, gemmis splendebant. Post hoc ferebantur octoginta Delphici tripodes argentei, hydria viginti sex, amphore Panathenæica sedecim, psycteres centum sexaginta, quorum maximus amphoras sex, minimus duas capiebat. Vasa hæc omnia argentea fuerunt.

Continenter post hæc incedebant aurea vasa gestantes, crateras nempe Laconicos quatuor: alia insuper duo corinthiaci operis, amphorarum quatuor: capiebat uterque amphoras octo. Ferebantur & lacus cum pocillis decem, holceæ duo, utrumque amphorarum quinque: corbiones duo amphorarum totidem: psycteres viginti duo, quorum maximus amphoras triginta capiebat, minimus unam. Transiuncti quoque sunt aurei tripodes magni quatuor, cum aurea suppellectilis repositorio aureo, gemmato decem cubitorum, in altitudinem gradibus sex erecto: præterea bicubitalia duo aurea repositoria, minoraque alia tria: hydria decem, ara tributalis, mazonomia viginti quinque: ducenti & quinquaginta pueri cum aureis congis, quadringentis cum argenteis. Psycteria trecenti vigintique alij ferebant, aurea quadam, quadam, argentea: post hos alij pueri ad passum vini usum ac potum amphoras gestabant, aureas viginti, argenteas quinquaginta. Crateras aureas, argenteasque sexaginta, & auriramenta. Abacus plenus vasis aureis, cum aureo cratere amphorarum quinque. Ferebatur thyrus cubitorum nonaginta aureus, cum argentea hasta cubitorum sexaginta: phallus aureus cubitorum centum viginti, cum aureo sidere in eius vertice micante, cuius circuitus fuit cubitorum sex. Alexander aureus in curru veris elephantis iuncto ferebatur. Euecta sunt & in pompa sella regia multa, ex auro & ebore compacta: super una harum iacebat aurea corona super alia aureum totum cornu. Super regis Ptolemæi sella corona fuit, ex aureis decies mille conflata. In hac quoque pompa aurea thymiateria trecenta delata sunt, altaria inaurata quinquaginta, cum aureis coronis, quorum uni affixæ fuerunt decem cubitorum facies quatuor, aurea. Producti sunt & Delphici tripodes aurei novem, cubitorum quatuor, alij octo cubitorum sex: alius cubitorum triginta, super quo fuerunt animalia, quinque cubitorum aurea, & in orbem aurea corona.

Ostensa sunt & in ea pompa coronæ ter mille ac ducentæ aureæ cum altera dicata sacris aureæ, gemmis nobilissimis

splendente, cubitorum octoginta. Berenices templi hæc valvas circumdabat, cum ægide pariter aurea. Spectata sunt & in ea pompa aureæ corona perquam multa, quas puella ferebant, sumptuose & magnifice vestite. Coronarum ambitus fuit cubitorum sexdecim, unius vero altitudo bicubitalis. Fuere & inter pompæ fercula lorica aurea, cubitorum duodecim, & argentea cubitorum octodecim altera, quibus imposita fuerunt aurea fulmina duo cubitorum duodecim, & e quercu corona gemmata. Spectati sunt & aurei clypei viginti: totius corporis armatura aurea sexaginta quatuor: caligæ aureæ tricubitales due: aureæ pelues duodecim: phiala numero perquam multa: gutti vinarii triginta sex unguentaria vasa magna decem: hydriæ duodecim, mazonomia quinquaginta: mensa varia, aureorum vasorum repositoria quinque: triginta cubitorum cornu ex auro solido. Aurea hæc utensilia omnia præter illa fuerunt, quæ in Bacchi pompa conspecta fuerant. Post hæc argentea suppellectilis plaustra processerunt quadringenta: aurea, viginti: odorum, octingenta.] Hæc omnia & alia multa Athenæus ex Callixeno Rhodio recenset, ac tandem subdit: Quod igitur post natos homines regnum, o viri coniunctæ, auro sic abundavit?

Quæ verò rerum Noui orbis occidui Scriptores de Guaynacapæ Perûani Imperij Ingæ aureorum argenteorum vasorum apparatu produnt, propè fidem superant. Inter alios Gomara in Generali Indiarum Historia, cap. 120. hæc annotat: Vasa omnia & instrumenta Regiæ domus etiam coquinaria erant ex auro puro, & argento. Conclavia referta erant aureis statuis colossis instar gigantum non paucis. Item imaginibus aureis omnium animantium, avium, arborum, herbarum: ad hæc piscium omnium marinorum & fluuiialium. In repositoriis erant ex auro solido funes, fascies, ciste, strues magnæ lignorum, irabiumque instar ingentium pyrarum. Nihil denique erat in toto quàm ample patebat regno, cuius effigiem, seu imaginem in auro non haberet. Ferè quoque Ingæ in quadam iuxta Punam insula hortum panxisse oblectamenti gratia, cuius alius omne, flores, arbores, virgulta, frutices, herbe ex solido auro miro artificio erant fabricata.]

Iam satis superque aureorum & argenteorum vasorum, ad nauseam penè usque legentium: verum omnia hæcenus commemorata, & numero, & magnitudine, atque præstantia & pulchritudine nullo pacto conferenda cum his quæ habebit Antichristus, faciliè nobis persuademus.

CAPVT XXII.

Gemma, uniones, & pretiosi lapides
Antichristi.

Nota est de Annulo Gygis, seu historia, seu fabula quam Plato lib. 2. de Republica hisce verbis refert: Gygem Lydum fuisse ferunt mercenarium pastorem eius qui tunc Lydis imperabat. Magna autem imbrium tempestate exorta, moraque terra, ferunt terrarum hiatus fecisse in ea regione ubi ille armenta pascebat. Quæ cum vidisset, mirabundus in hiatus descendit: conspexitque & alia quæ fabulamur miranda, & equum equeum concantum, cuius in lateribus fores erant, quibus apertis, hominis mortui vidit corpus magnitudine iniustata. Hoc nihil habebat aliud præter aureum in digito annulum. Quem ut detraxit, abiit, ac tunc in consilium pastorem se recepit: quod ea de re fieri solebat, ut de rebus peculij ad regem per singulos menses referrent, iuxtaque alios assedit. Acciditque ut cum fortè palmam eius annuli ad palmam conuertisset, à nullo videretur, alique de illo tanquam absente loquerentur. Admiratus ergo denuò contrectans annulum, palam

in lucem conuertit, quo facto, rursus apparuit. Hoc animaduertens, diligentius periculum fecit, utrum hanc annulus vim haberet: atque ita illi compertum fuit, quod versa ad se gemma à nemine videretur: versa autem ad alios, conspicuum fieret. Quod quidam expertus, curauit ut legatus ad regem una cum aliis mitteretur. Profectusque uxorem eius stuprauit, & de rege interficiendo cum ea consilium inuit. Quo caso regnum occupauit.] Eadem ex Platone exscripsit Cicero lib. 3. de Officiis. Vnde ortu adagium Gygis Annulus, de quo Erasmi chiliades.

Plinius lib. 37. cap. 1. gemmarum historiam texens, scribit: *His initiis capit auctoritas in tantum amorem elata, ut Polycrati Samio Senere insularum ac litorum tyranno felicitatis sua quam nimiam ferebatur etiam ipse, satis placenti in unius gemma voluntario damno videretur, si cum fortune volubilitate paria faceret: planeque ab inuidia eius abunde se redimi putaret, si hoc unum doluisset. Assiduo ergo gaudio lassus, prouectus nauigio in altum, annulum misit. At illum piscis eximia magnitudine Regi natus, esce vice raptum, ut faceret ostentum, in culinam domini rursus fortune insidiantis manu reddidit. Sardonychem eam gemmam fuisse constat. Ostenduntque Roma si credimus in concordia delubro, cornu aureo Augusta dono inclusam, & nouissimum prope locum, tot praelatis, obinentem.] Historiam eandem fuse descripsit Herodotus lib. 3. Numero 39. & seqq. Cicero lib. 5. de Finibus extremo, Strabo lib. 14. pag. 439. Valerius Maximus lib. 6. cap. 9. nisi quod Plinius Polycratis gemmam Sardonychem fuisse ait, Herodotus Smaragdum, alij nomen gemmæ tacent.*

Pergit Plinius: *Post hunc Polycratis annulum regia fama est gemma Pyrrhi illius, qui aduersus Romanos bellum gessit. Namque habuisse traditur Achaten, in qua nouem Musæ & Apollo citharam tenens spectarentur: non arte, sed sponte natura ita discurrentibus maculis, ut musis quoque singulis sua redderentur insignia.] Et li. 37. c. 2. de gemmis à Pompeio in triumpho illatis, ista ex publicis Actis exscripsit: Transtulit Alueum cum tesseriis lusorium è gemmis duabus, latum pedes tres, longum pedes quatuor, & ne quis de eare dubitet, nulla gemmarum magnitudine hodie prope ad hanc magnitudinē accedente: in eo fuit luna aurea pondotriginta. Lectos tricliniarios tres: vasa ex auro & gemmis abacorum nouem: signa aurea tria, Minervæ, Martis, & Apollinis: coronatas ex margaritis triginta tres: montē aureum quadratum cum ceruis & leonibus, & pomis omnis generis, circumdata vite aurea. Muscum ex margaritis, in cuius fastigio horologium erat. Imago Cn. Pompeij è margaritis.] Sed quod dixit de Monte aureo & vite aurea à Pompeio in triumpho translatis, facile existimamus ea illud fuisse pretiosū donum quod Aristobolus Iudæus Pompeio misit, de quo Iosephus lib. 14. Antiquitatum cap. 5. hæc memorat: *Misit enim ad Pompeium insigne donum Aristobolus vitam auream quingentorum talentorum. Meminit autem huius muneris etiam Strabo Cappadox his verbis: Venit & ex Agypto legatio cum corona facta ex aureorum quatuor millibus: & ex Iudæa, siue Vitis, siue Hortus, quod opus τετραορν, idest, delectamentum vocabatur. Hoc donum vidimus etiam nos Romæ dedicatum in Iouis Capitolini templo, cum inscriptione, Alexandri regis Iudæorum: æstimabaturque quingentis talentis. Ferrum autem missum à Dynasta Iudæorum Aristobolo.] Hæc ex Strabone Iosephus: eadem Cedrenus, & Zonaras in Annalibus Berenices reginæ sororis Agrippæ Iudæorum regis adamantem Iuuenalis Satyra 6. celebravit:**

— deinde adamas notissimus, & Berenices
In digito factus pretiosior: hunc dedit olim
Barbarn incestæ, dedit Agrippa sorori,
Obseruant ubi festa mero pede sabbata reges,

Et Vetus indulget senibus clementia porcis.

De Smaragdis verò Plinius lib. 37. cap. 5. ita differt: *Theophrastus tradit in Agyptiorum commentariis reperiri, regi eorum à rege Babylonio missum smaragdum munere, quatuor cubitorum longitudine, & trium latitudine. Et fuisse apud eos in Iouis delubro obeliscum è quatuor smaragdis quadraginta cubitorum longitudine, latitudine verò in parte quatuor, in parte duorum. Se autem scribente esse in Tyro Herculis templo stantem pyram è smaragdo, nisi potius pseudo smaragdus sit: nam & hoc genus reperiri, & in Cypro inuentum ex dimidia parte smaragdum ex dimidia jaspidem, nondum humore in totum transfigurato. Apion cognominatus Plistonices, paulo ante scriptum reliquit, esse etiam nunc in labyrintho Agypti colosseum Serapin è smaragdo nouem cubitorum.] Et cap. 6. Claudius Caesar smaragdos induebat, sardonichas.] Et cap. 5. Nero princeps gladiatorum pugnas spectabat smaragdo.]*

Petrus Cieza Peruanæ Historiæ Parte 1. cap. 50, auctor est apud Mantam urbem propè Portum Veterem in Peru, incolas smaragdum eximia magnitudinis & præstantiæ pro Deo coluisse. Notissimi sunt ac fama celebres quinque illi pretiosissimi smaragdi, quos habuit Ferdinandus Cortesius clarissimus dux Mexicani Imperij euerfor, quosque in Algeriana Caroli V. expeditione, delapso in cœnum amisit. Marcus Paulus lib. 3. Regionum Orientalium, cap. 23. de cultu regis Var, seu Narisingæ in India tradit: *Rex quoque ipse ut alij, nudus incedit, deferens in collo torquem auream saphiris, smaragdis, rubinis, & aliis pretiosis, lapidibus oneratam. Pendet quoque in collo eius corda quadam serica, cui innectuntur centum & quatuor pretiosi lapides, margarita scilicet grandiuscula, quæ cum admoneant centum & quatuor orationum, quas quotidie in honorem deorum suorum mane & vesperi obmurmurat. Gestat quoque in utroque crure tres aureos circulos, quibus pretiosi inclusi sunt lapides. Ornantur denique digiti manuum & pedum eius lapillis quibusdam pretiosissimis auro etiam inclusis.]*

Ludouicus Vartomannus lib. 5. Suarum Navigationum, cap. 13. de gemmis & margaritis regis Calenchuth hæc annotat: *Quas verò margaritas, & id genus pretiosos lapillos Rex cultus circumferat, vix expedire præ magnitudine rei possum: excedunt enim æstimationem omnem: auribus pendebant lapilli pretiosi, lacertosque ac manus, pedesque ac crura tot moniliū genera honestabant decentissimè, ut satis pro rei magnitudine referri non possint. Estque in primis magnipendendum in thesauro eius monilibus, & id genus multingis, eisdemque pretiosissimis lapillis oppletum scrinium, ternis longum palmis & item latum circiter binis: plurisque esse creduntur, quam ut emptorem nanciscantur.*

Marcus Paulus lib. 3. cap. 22. Habet Rex insula Zeilan rubinum, quo pretiosior in orbe non putatur esse: nam habet longitudinem unius palmi, & crassitudinem trium digitorum: rutilat ut ignis ardens, omni carens macula. Obtulit Magnus Cham insignem ciuitatem quandā illi regi pro hoc lapide: verum recusavit Rex, saltē ex eo nomine, quod à prædecessoribus suis illū habuerit.]

De dactylitheis Plinius lib. 37. cap. 1. Gemmas plures quod peregrino appellant nomine dactylithecam, primus omnium habuit Roma priuignus Sylla Scaurus, diūque nulla alia fuit, donec Pompeius Magnus eam quæ Mithridatis regis fuerat, inter dona in Capitolio diceret, ut Marcus Varro, alijque eius ætatis auctores confirmant, multum prælatam Scauri. Hoc exemplo Caesar dictator sex dactylithecas in Aede Veneris genitricis consecrauit. Marcellus Octavia genitus in Palatina Appolinis Aede vnā.]

Iam de luxu margaritarum pauca inferamus,
Suetonius

Suetonius de Cæsare Dictatore cap. 47. *Britaniam petiisse spe margaritarum, quam amplitudinem conferentem interdum sua manu exegisse pondus Gemmas, thorumata signa, tabulas antiqui semper animosissime comparasse.*] Et cap. 50. *Inter alias dilexit M. Bruti matrem Seruiliam, cui & proximo suo consulatu sexagies H. S. Margaritam mercatus est.*] Ea summa est, centum quinquaginta millia aureorum. Plinius lib. 9. cap. 35. *In Britania paruos atque decolores nasci uniones certum est, quoniam Diuus Iulius thoracem quem Veneri Genitrici in templo eius dicitur, ex Britannicis margaritis factum voluerit intelligi.*] Et lib. 7. c. 2. inuictus in triumphum Pompei, ait: *Tolerabiliorem tamen fecit causam Caij Principis, qui super omnia muliebria focculos induebat è margaritis: & Neronis Principis qui sceptrum & personas, & cubacula viatoria unionibus construebat.*] Seneca lib. 2. de Beneficiis, cap. 12. *Caius Cæsar dedit vitam Pompeio Penno: deinde absoluto & argenti gratias, porrexit osculandum sinistram pedem. Aiunt focculum auratum, imo aureum, margaritis distinctum ostendere eum voluisse.*] Lampridius de Heliogabalo: *Vsus est aurea omni tunica, vsus & purpurea, vsus & de gemmis Persica. Habuit & in calceamentis gemmas, & quidem sculptas.*] Vopiscus de Carino: *Habuit gemmas in calceis.*] Eutropius lib. 9. de Diocletiano: *Ornamenta gemmarum vestibus, calceamentisque indidit.*] Plinius lib. 9. cap. 35. *de Romanis feminis uniones ad ornatum pedum adhibentibus: Quin & pedibus, nec crepidarum tantum obstragulis, sed toris focculis addunt: neque enim gestare iam margaritas, nisi calcent, ac per uniones etiam ambulent, satis est.*] Et lib. 12. cap. 18. *Verum Arabia etiamnum felicis mare est. Ex illo namque margaritas mittit. Minimaque computatione millies H. S. annis omnibus India, & Seres, Peninsulaque illa Imperio nostro adimunt. Tanto nobis delicta, & femina constant.*] Aiunt esse summam duorum millionum & dimidij.

Unionis cuiusdam pretiosissimi miram historiam Procopius Cæsariensis Sophista lib. 1. de Bello Persico, cap. 3. in hunc modum texit: *Perozas Persarum rex se morientem sentiens, unionem candore ac magnitudine conspicuum, qui ex aure et dextra pendebat, celeriter proiecit dicitur, ne quis mortalium eum postea ferret. Quod mihi veri simile nequaquam fit, ut ei in tanta perturbatione aliquid simile in mentem venerit: sed in eo casu auricula ista excussam ac deperditum crediderim. Quem Romanus Imperator magno studio ex Euthalitis emere quarens, minime potuit, cum ipsi magno labore conquestum nequaquam reperire valuerint. Nonnulli tamen ab eis repertum existimant, sed alium Cabadi filio redditum. Quæ autem de hoc unione Persæ prædicant, opera pretium fuerit narrare: cuius forte sermo non usquequaque incredibilis videbitur. Dicunt enim hunc quondam in pectine in mari Persico fuisse, quem non procul à litore aperta concha natantem, in cuius medio unio erat, pulcherrimum præbuisse spectaculum, nulli comparandum ob magnitudinem simul & pulchritudinem, quæ canem marinum mira magnitudinis in eius amorem sollicitauit. Hic dies atque noctes eum secutus, siquando fames urgeret, aliquid scarum occurrentium in eodem loco breuiter sibi sumebat, donec eum comprehendens desiderium omne videndi expleuit. Quidam vero piscator hoc animaduertens, ac belluam simul & periculum formidans, regi Perozæ rem detulit. Is in eius item desiderium magnopere venit, blanditiæque ac palpatione non modica piscatorem inducere ad eum capiendum querit. At ille monstrans nullum tanta rei dignum compensari præmium posse, ait: Mi Rex, opes quidem homini optabiles, verum longè optabilior vita, omnium denique charissimi liberi, quorum gratia quis omnia fortè audebit. Ego quidem & hanc belluam*

me spero capturum. & unionis te dominum constituturum: verum à te hinc mihi magna referri præmia æquum fuerit, vel mortuo (si forte ab hac bellua obsumar) filius meus benigne faciendo paternum factum compensare: sic & ego defunctus dignum laboris præmium feram: tu verò liberalitatis gloriam, hoc qui pro te periculum adierunt munerando referre. Hac dicens piscator, discedens venit in locum ubi piscis erat: simul & canicula sectatrix, ac supra petram quandam residentem obseruat, quando hac in cibo sibi obuiosa occupata existat. Tunc dimissis in litore his qui secum ministerio erant, ipse in piscem inuadens, eum extraxit, quod canicula animaduertens, subito latrauit. Videns autem saginator concham in litore tractam illico sagittauit: unde paulo post extinctam, suscipientes ii qui in litore relictæ huic operi erant, unionem illico ex cepit, regi cuncta quæ euenerant, narrantes tulere. Et hæc quidem Persæ de unione referunt.] Huc usque Procopius.

Nec piget rem eandem paulo diuersius à Cedreno narratam audire: sic enim ait Annalium pag. 292. in Zenone Imperatore: *De unione, quæ is patto inuentus fuerit, talem reperimus historiam. In Sinu Persico, qui à Rubro mari versus Aquilonem est situs, uniones aluntur à pectinibus quos Zambaces vocant. Horum pectinum quidam inuentus est, intra se alens unionem ingentem, ac splendidissimam: qui cum auctus mensuram vstiatam excessisset, radiosque splendoris sui, fulguris in morem eiacularetur, canis quidam marinus eum splendorem adamauit, & pulchritudinem perpetuo affectari cepit: & quocumque vnda pectinis concham ferebat, eo canis quoque perniciosi cuiusdam demonis impulsu bacchabatur. Id prodigium piscator quidam animaduertens, statuit pectinem machina quadam deperdari: verum canis non concessit, sed raptum pectinem in profundum aquæ abduxit. Proinde regi Persarum de pulchritudine margaritæ piscator refert, isque ei viros adiungit, qui in eo capiendi ipsi adsint. Cum ad mare profecti, per aliquot dies prestolari essent, contigit ut canis aliquantisper secederet: tum piscator statim sese in aquam iniicit, & ad fundum delatus, pectinem cum unione arripuit, sursumque enatauit, exerta manu qua unionem tenebat: quem & statim ii qui aderant, ei eripuerunt: priusquam verò in lembum piscator euadere posset, superuenit canis, miserumque deuorauit. Unio ad Regem allatus est: qui eius spectaculo delectatus, piscatoris filios magnis donis affectis. Eum unionem ut redimeret Iustinianus Magnus centum auri libras Barbaris misit. Verum ii recusarunt vendere, asseruantes eum in signum Persicæ stoliditatis.*]

Tamerlanis autem Scytharum seu Tartarorum Imperatoris splendidam magnificentiam Rudericus Gonzales Clauijus in Legatione Henrici III. Hispaniæ Regis anno Salutis M. c. piii. ad eundem Tamerlanem, quam idem Clauijus legatorum vnus descripsit reliquit, ita narrat: *In conuiuio mensam solitus erat apponere Tamerlanes ex solido auro, in cuius medio coagmentatus hæcebat smaragdus longitudine quatuor palmorum, latitudine verò vnus & dimidij. Ante mensam stabat quercus ex solido auro humani femoris crassitudine, altitudine verò supra humanam, expansis undique aureis ramis, è quibus pendebant fructus, è gemmis, & pretiosissimis lapidibus omne genus, atque margaritis & unionibus mirabili arte elaborati: aues etiam ramis inerant quàm plures aureæ.*]

Nec creditu difficile erit, nulli vnquam post mundum conditum tantam gemmarum, unionum, ac lapidum pretiosorum copiam adfuisse, quanta abundaturus est Antichristus.

CAPVT XXIII.

Vnguentorum & Balnearum Antichristi luxuria.

Varia vnguentorum genera eorumque compositiones diuersas Plinius accuratissime executus est, qui inter alia lib. 13. cap. 1. ait: *Perfarum esse debet gentis vnguentum. Illi mandunt eo, & accersita commendatione ingluvie natum virus extinguunt. Primum quod equidem inueniam, castris Darij expagnatis, in reliquo eius apparatu Alexander cepit scrinium vnguentorum. Postea voluptas eius à nostris quoque inter laudatissima, atque etiam honestissima vita bona admissa est.* Eadem Solinus cap. 48. Sed & de Darij scrinio Plutarchus in Alexandro: *Cum oblatum Alexandro esset scrinium, quo nihil visum pretiosius est, rogauit amicos, quid potissimum ex rebus charis in eo reponeret. Aliis alia proponentibus, ipse Iliada illius repositorio ostendit seruaturum. Hæc testes assidui non pauci confirmauere.* Agit quoque de vnguentis vberimè Athenæus lib. 15. cap. 10. & seqq.

De luxu verò vnguentorum Plinius lib. 13. cap. 3. *Hæc est materia luxus è cunctis maximè superuacui. Margarita enim gemmaque ad heredem tamen transeunt: vestes prorogant tempus: vnguenta illico expirant, ac suis moriuntur horis. Summa commendatio eorum, ut transeunte femina odor inuictet etiam aliud agentes. Exceduntque quadringenos denarios libra. Tanti emiur voluptas aliena. Etenim odorem qui gerit, ipse non sentit. Sed quosdam crassitudo maximè delectat, spissum appellantes, linique iam non solum, perfundi vnguentis gaudent. Vidimus etiam vestigia pedum tingi: quod M. Othonem monstrasse Neroni principi ferebant, quæso, ut qualiter sentiretur, iuuaretque ab ea parte corporis?* Antiphanes poëta apud Athenæum lib. 15. cap. 12.

vnguento

Ægyptio pedes linit, & crura.

Et Cephisodorus:

At seorsim pedibus mercare Baccharinum. & lib. 12. cap. 12. *Athenis porro mos fuit luxuriosis, vnguentis pedes illinire.* Citatque in eandem sententiam varios Poëtarum versus. Pergit Plinius: *Necnon aliquem ex priuatis audiuimus, iussisse spargi parietes balnearum vnguento: atque Caium Principem solia temperari: ac ne principale videatur hoc bonum, & postea quendam ex seruis Neronis. Maximè tamen mirum est, hanc gratiam penetrasse & in castra. Aquila certè ac signa, puluerulenta illa & custodiis horrida inunguntur festis diebus: utinamque dicere possemus, quis primus instituit. Ita est, nimirum hac mercede corrupta terrarum orbem deuicere aquila. Ista patrocina quærimus vitiis, ut per hoc ius sumantur sub casside vnguenta. At hercule, iam quidam etiam in potus addunt: tantique amaritudo est, ut odore prodigo fruantur ex utraque parte corporis. L. Plotium, L. Plancij bis consulis, Censorisque fratrem proscriptum à Triumuiris, in Salernitana latebra vnguenti odore proditum constat. Quo dedecore rota absoluta proscriptio est. Quis enim merito iudicet periisse tales?* Valerius Maximus lib. 6. cap. 8. *Caius Plotius Plancius Munacij Planci consularis & censorij frater, qui cum à Triumuiris proscriptus in regione Salernitana lateret, delicatioris vite genere & odore vnguenti, occultam salutis custodiam detexit. Istis enim vestigiis, eorum qui miseros persequabantur, sagax inducta cura, abditum fuga illius cubile odorata est.* Solinus cap. 48. *L. Plotium fratrem L. Plorij bis consulis proscriptum à Triumuiris, in Salernitana latebra*

vnguenti odor prodidit. Simile quiddam de Muleasse Tunetano rege è pretio fuga se abripiente & retracto Iouius 44. Historia narrat his verbis: *Muleasses suo cruore, & multo puluere sadatus, cum inter turbam terga ventientium profugeret, nulla alia re magis, cum hostibus prodente, quam vnguentorum odore, agnitus, captusque est.*

Seneca Epistola 86. *Parum est sumere vnguentum, nisi bis die, terque renouetur, ne euanescat in corpore.* Athenæus lib. 5. cap. 6. de Antiocho Epiphane hæc ex Polybio refert: *In publicis balneis eum lauasse, etiam cum frequentissima plebis turba occuparentur, pretiosissimorumque vnguentorum ficitilia tum ad eum perferri solita, quorum odore oblectatum quendam dixisse, Fortunatos esse reges, qui iis delibuti suauiter olerent: hominique nihil Antiochum respondisse, verum postmodum ingressum ubi lauabat ille proletarius, vnguenti nobilissimi, nempe stillatitia myrrha maximum ficitile in eius caput effudi iussit, omnesque lauatuos assurrexisse, & in vnguento illo se se volutantes, ac ob lentorem labentes. regemque etiam ipsum risum excitasse.* Eadem habet lib. 10. cap. 10. Deinde agens de ludis Antiochi ad Daphnem celebratis, ex eodem Polybio hæc memorat: *Peraetis ludis, per triginta dies quibus hæc spectacula celebrata sunt primis quinque, postea omnes in gymnasio ex aureis arculis vnguento croccino illiti sunt: quindecim arcula scilicet illa fuerunt, toridemque & cinnamomini & nardini. Pari munificentia deinceps aliis diebus allatum est amaracinum, Telinum, Irinum, omnia odoris suauitate præstantia.* Eadem scribit lib. 10. cap. 10. Et lib. 12. cap. 9. de Alexandro Magno: *Rigabat etiam Alexander pauimentum exquisitissimis vnguentis, vinoque odoribus condito.* Et cap. 10. *Demetrius Phalereus, ut inquit Duris lib. decimo sexto historiarum, Macedonibus, mundiciis superior & cypriis, & Pheniciis. Vnguentis namque solum is conspergebat.* Alianus lib. 9. Variæ Historiæ, cap. 9. *Demetrius Poliorcetes vnguentis tum ipse, tum pauimentum eius disfluebat: & singulis anni partibus flores ei recentes substernebantur, ut in ipsis vestigia poneret.* De Marco Othone Plutarchus in eius Vita hæc refert: *Fama est cum Nero aliquando pretioso vnguento, quo vnctus fuerat, Othonem aspersisset, illum contra insequenti die excipientem Neronem, repente fistulas aureas, & argenteas diversis locis proposuisse, quæ quasi aquam magna vi fuderunt vnguentum.* Lampridius de Heliogabalo: *Hic non nisi vnguento nobili aut croco piscinis infectis natavit.* Iouius 34. Historia, Tunetanæ vrbis deprædationem à Cæsariano exercitu factam describens, de officina regis Muleassis in eo tumultu dissipata hæc prodit: *Secundo loco fuit vnguentorum, odoratique Indici aromatis officina, in quam patris Mahumetis exemplo, prodigiosi sumptus iniustataque luxuria Orientis opes contulerat. Siquidem plumbeis in loculis, eburneisque arculis tanta vis ambra, musci, & zibeti (harum rerum antiqua vocabula adhuc ignoramus) in balnei quotidianos vsus, & nocturnos, diurnosque cubiculorum suffitus erat recondita, ut ingentis auri ponderis pretium excederet.*

De odoribus haud fuerit alienum pauca subtexere. Plinius lib. 12. cap. 14. *Alexandro Magno in pueritia, sine parsimonia, thure ingrenti aris, pedagogus Leonides dixerat, ut illo modo cum deuicisset thuriferas gentes, supplicaret. At ille Arabia potius thure onustam nauem misit ei, exhortans, ut large deos adoraret.* Eadem habet Plutarchus in Alexandro. Idem Plinius c. 18. *Periti rerum assueuerant, non ferre tantum annuo factu Arabiam Felicem odorem, quantum Nero princeps nouissimo Poppeæ suæ die cōcremauerit.* Et potest inde cōiectura sumi quantum annuo factu odorem redderet Arabia, quod Plinius, lib. 12. cap. 17. ait: *Herodoto teste, qui tradit sin-*

gula

gula millia talentum thuris annua pensasse Arabas Regibus Persarum.]

De balneis quoque nonnulla dicamus. Plinius lib. 36. *Adiunct Agrippa in Edilitatis sua commemoratio- ne gratuita praeibit balinea centum septuaginta : quae nunc Romae ad infinitum auxere numerum.]* Recte sanè cum ex Publio Victore constet tam publica quàm priuata balnea excreuisse Romae ad numerum octingentorum septuaginta octo. Suetonius de Caligula cap. 37. *Nepotinis sumptibus omnium prodigiorum ingentia superauit, commentus nouum balnearum usum.]* Seneca Epistola 9. *Quadam nostra memoria prodidisse scimus, ut speculariorum usum, perlucens testa, clarum transmittentium lumen: ut suspensuras balnearum, & impressos parietibus tubos, per quos circumfundere- tur calor, qui ima simul & summa foueret aqualiter.]* Valerius Maximus lib. 9 cap. 1. C. *Sergius Orata pensilia balnea primus facere instituit : quae impensa leuibus initiis capita, ad suspensa calida aqua tantum non aquora penetravit.]* Plinius lib. 9. cap. 54. *Sergius Orata primus pensiles inuenit balneas]* Macrobius lib. 3. Saturnaliorum, cap. 15. *Hic est Sergius Ora- ra, qui primus balneas pensiles habuit.]* Plinius lib. 26. cap. 3. *Imò verò tota Italia imperatrice tum primum pensili balnearum usu ad infinitum blandiente.]* Quae sint balneae pensiles docebit te Lipsius in Notis ad Epistolam 90. Senecae, & Dalecampius in Annota- tionibus ad Plinij lib. 26. cap. 3. Seneca Epistola 86. *At nunc quis est, qui sic lauare sustineat? pauper sibi videtur ac sordibus, nisi parietes magni ac pretiosis orbibus refulerunt, nisi Alexandrina marmora Nu- midicis crustis distincta sunt, nisi illis undique operosa, & in pictura modum variata circumlitio praeiungitur, nisi vitro absconditur camera, nisi Thasius lapis, quondam rarum in aliquo spectaculum templo, piscinas nostras circumdedit, in quas multa sudatione corpora exinanita demittimus, nisi aquam argentea epitomia fuderunt. Et adhuc plebeias fistulas loquor: quid cum ad balnea libertinorum peruenero? quantum statuarum, quantum columnarum est nihil sustentium, sed in or- namentum positarum, impensa causa? quantum aqua- rum per gradus cum fragore labentium? Eo deliciarum peruenimus, ut nisi gemmas calcare nolessemus.]* Sequi- tur plura de balnearum luxu differere.

Spartianus de Antonino Caracallo: *Opera Romae reliquit, thermas nominis sui eximias: quarum cellam solearem architecti negant posse vlla imitatione qua fa- cta est, fieri. Nam & ex aere vel cupro cancelli super- positi esse dicuntur, quibus cameratio tota concredita est: & tantum est spatium, ut id ipsum fieri negent potuisse docti mechanici.]* Lampridius de Heliogaba- lo: *Dicitur & balneas fecisse multis in locis, ac semel lauasse, atque statim destruxisse, ne ex usu balneas ha- beret.]* Capitolinus de Gordiano Tertio: *Et Ther- ma quales prae Urbem, ut tunc, nusquam in orbe ter- rarum.]* Ammianus Marcellinus lib. 16. cap. 17. de Romanis thermis *Lauacra in modum prouinciarum exstructa.]* De Thermis Diocletiani accipiunt, quod prae magnitudine & amplitudine instat prouincia- rum videbantur. Has multo Christianorum ac marty- rum sanguine stertisse, ad eorum extructionem mul- tis Christianorum millibus damnatis, Acta Marty- rum, & Martyrologia terantur. Olympiodorus Hi- storicus apud Photium in Bibliotheca, numero in- terioris marginis 114. *E magnis Romanae urbis domi- bus, ut hic refert, omnia intra se unaquaque habuit, quaecumque mediocris etiam urbs habere potuit, hippo- dromum, fora, delubra, fontes, varia balnea. Hinc & scriptor sic exclamat.]*

Est urbs una domus: mille oppida continet una urbs.

Sed & lauacra publica ingenti prorsus fuere magnitudi- ne: è quibus quae Antoniana nominantur thermæ ad commodiorem lauantium usum, mille sexcenta habue- runt sedilia, è marmore polito fabricata: Diocletia- na, duplo fere plura. [Hoc est, ter mille ducenta.] Romana verò urbis maiora ex Ammonis geometra di- mensione, quo tempore Gothi illam priore incursione in- festarunt, viginti & unius miliaris spatium in circuitu habere comperta sunt.] Verum illa proiectissima fuit balnearum luxuria, quam Plinius lib. 11. cap. 41. Conferre aliquid asinae lac & candori in mulierum cute existimatur. *Poppea certe Domitij Neronis coniunx quingentas secum per omnia trahens fectas balnearum etiam solio totum corpus illo lacte macerabat, extendi quoque cutem credens.]* Et lib. 28. cap. 12. *Cutem in facie erugari, & tenerescere, & candorem custodire lacte asinino putant. Notum est quasdam quotidie quingen- tas custodite numero fouere. Poppea hoc Neronis prin- cipis instituit, balnearum quoque sic solio temperato: asinarum gregibus ab hoc eam comitantibus.]* Vide su- pra lib. 5. cap. 6.

Dubium esse non potest, quin Antichristus in ba- linearum, vnguentorum, odorum sumptu & luxu, omnes post se longo relicturus sit intervallo, qui- cumque ea in re vnquam extitere profundissimi.

CAPVT XXIV.

Conuiuia & cæna Antichristi.

IN hoc genere etiam profundissimæ luxuriæ sup- petunt innumera & immania exempla. Conui- uium Carani Macedonis opulentissimum, ex Epi- stola Hippolochi qui fuit Theophrasti discipulus, late describit Athenæus lib. 5. cap. 1. & 2. Conui- uium Iphicratis omni opulentia insigni enarrat idem Athenæus lib. 5. cap. 3. Cænam Philoxeni splendidissimam, eodem lib. cap. 12. idem auctor accurate commemorat. De cæna quotidiana Alexan- dri Magni Plutarchus in Alexandro hæc habet: *Cæna erat semper splendida, tamen atque una cum secunda fortuna sumptus assurgebat. Postremo ad decem millia drachmarum progressus est. Hic substitit: tanta- que impensa Alexandrum inuitantibus fuerunt presti- tite.]* Et infra: *Macedonum qui iam antea contra- xerant coniugia, celebrant splendide epulum nuptiale. In quo memrant, cuique conuiuarum, quorum fuerit nouem millium numerus auream phialam ad libandum donatam.]* Arrianus lib. 7. Rerum Alexandri, de nu- mero nouem millium conuiuarum assentitur, nihil tamen addit de phiala aurea singulis donata.

Athenæus lib. 4. cap. 10. *Alexander magnus cum amicis frequenter cenans, ut refert Ephippus Olyn- thiensis libro de Alexandri & Hephæstionis obitu, cen- tum drachmas impendebat quotidie, canantibus cum eo sexaginta fortassis aut septuaginta familiaribus. Rex autem Persarum, ut scribunt Ctesias & Dinon in Per- siciis, cum virorum millibus quindecim cenat, quadrin- gentorum talentorum sumptu, quæ denariorum Italico- rum ducentas & quadraginta myriadas efficiant. His in hominum quindecim millia distributis, ad singulos redeunt centum & sexaginta Italici nummi, ut impensa regis illa par Alexandri sumptui fuerit. Centum nam- que minas in dies ille expendebat, ut tradit Ephippus]* Plutarchus in Alexandro descripto rogo, & morte Calani Indi, subdit: *Regressus à rogo Alexander fre- quentibus amicis, & Praefectis ad cænam inuitatis, cer- tamen & primum proposuit potandi meri, Qui pluri- mum hausit Promachus ad quatuor congios progressus*

est, relatoque pro victoria precio talento, triduum superstes fuit. & ceteris, ut Chares auctor est, unus & quadraginta ex vinolentia exanimati, cum excepisset ingens gelu crapulam.] Athenæus lib. 10. cap. 10. Chares Mytlenæus in suis de Alexandro Historiis, cum de Calano Indo Philosopho narrasset, illum in accensum regum se proiecisse, & ita obiisse, refert Alexandrum ad eius tumulum gymnicos ludos edidisse, ac muscos, & qua laudaretur, funebrem orationem haberi precepisse: tum etiam quoniam Indi bibaces erant, mera potationis certamen proposuisse, cuius premium esset primario victori talentum: secundario mina triginta: tertio decem. Eorum autem qui tum vinum avidius biberunt, triginta quinque perfrigeratos, mox expirasse: in tentoriis autem sex exiguo post intervallo perisse: victoriam obtinuisse quendam nomine Promachum epotis meri congiis quatuor.]

De Metello Pio in Hispania Proconsule, Macrobius lib. 3. Saturnaliorum, cap. 13. ista ex Salustio refert: In qua foueam luxu & superbia Metellus Pius successu continuatione peruenit: Et ne multis morer ipsa de eo Salustii verba subiecit: At Metellus in ulteriorem Hispaniam post annum regressus, magna gloria concurrentibus undique virili & muliebri sexu, per vias & tella omnium visebatur. Cum Questor C. Viribinus, alique cognita voluntate eum ad cenam inuitauerant, ultra Romanorum, ac mortalium etiam morem curabant, exornatis ædibus per aula & insignia, scenisque ad ostentationem histrionum fabricatis: simul croco sparsa humus, & alia in modum templi celeberrimi. Præterea cum sedenti in transfenna demissum victoria simulachrum cum machinato strepitu tonitruum coronam ei imponebat: tum venienti, thure quasi deo supplicabatur. Toga picta plerumque amiculo erat ei accumbenti. Epule quasitissime, neque per omnem modo prouinciam, sed transmare ex Mauritania volucrum ac ferarum incognita antea plura genera. Hac Sallustius grauius aliena luxuria obiurgator & censor.] Valerius Maximus lib. 9. cap. 1. Quid enim sibi voluit princeps suorum temporum Metellus Pius tunc cum in Hispania aduentus suos ab hospitibus aris & thure excipi patiebatur: cum Attalicis auleis coniectos parietes lato animo intuebatur? cum immanibus epulis apparatusissimos interponi ludos sinebat? cum palmata veste conuiuia celebrabat, demissisque lacunaribus aureas coronas, velut celesti capite recipiebat?]

De Antiocho Epiphane Athenæus lib. 5. cap. 5. Ad epulas sternebantur aliquando mille triclinia, aliquando mille quingenta, cum ornamentis maximi pretij. Idem Athenæus lib. 5. cap. 15. de alio Antiocho: Eiusdem nominis Rex., Demetrii filius, ut Posidonius affirmat, epulis quotidie magnam hominum turbam excipiens, præter ea quæ absumpta fuerant, acernatim singulis auferendas dabat integras carnes animantium terrestrium, volucrum, marinorum, iam paratas & intactas, quæ vel plaustrum implerent, & cum his mellita bellaria multa, & coronas è thure ac myrrha, cum aureis monilibus, hominis longitudine, lemniscorum & Taniarum loco. Antiochus verò alius rex [nempe Grypsus] cum ludos apud Daphnem ederet, ut idem Posidonius asserit, splendidis conuiujs epulatus est. Primum enim viritum integra fercula & cibaria distribuit conuiuijs, ac postea viuos anseres, lepores, damas, cum aureis coronis, multisque argenteis vasis, equis, camelis, quibus insidentes sigillatim conuiuia bibere cogebantur, suum sibi camelum abducentes, cum adstante puero.] Eadem omnino habet lib. 12. cap. 9.

De Ptolemæo rege Plinius lib. 33. cap. 10. Congerant excedentes numerum opes, quora tamen portio

erunt Ptolemæi? quem Varro tradit Pompeio res gerente circa Iudæam, octona millia equitum sua pecunia tolerauisse: mille conuiujs totidem aureis potioris mutantem vasa cum ferculis, saginasse.] Cleopatram Egypti reginæ cenam prodigiosi sumptus Plinius lib. 9. cap. 35. ita describit Duo fuere maximi viones per omne auum: utrumque possedit Cleopatra Egypti reginarum nouissima, per manus Orientis regum sibi traditos. Hac cum exquisitis quotidie Antonius saginaretur epulis superbo simul ac procaci fastu, ut regina meretrix, lautitiam eius omnem, apparatusque obreptans, quærent eo quid adstrui magnificentia posset, respondit, una se cena centies H. S. absumpturam. Cupiebat discere Antonius, sed fieri posse non arbitrabatur. Ergo sponsionibus factis postero die quo iudicium agebatur magnificam alias cenam, ne dies periret, sed quotidianam Antonio apposuit, irridenti, computationemque exposculanti. At illa corollarium id esse, consumpturamque se ea cena taxationem confirmans, solamque sexcenties, aiunt summam esse vnius millionis & dimidij. Sestertium, cenaturam, inferri mensam secundam iussit. Ex præcepto ministri vnum tantum vas ante eam posuere aceti cuius asperitas visque in tabem margaritas resoluit. Gerebat auribus cum maxime singulare illud, & verè unicum nature opus. Itaque expectante Antonio quidnam esset actura, detractum alterum mersit, ac liquefactum obsorbuit. Iniecit alteri manum L. Plancius, iudex sponsionis eius, eum quoque paranti simili modo absumere, victumque Antonium pronuntiauit, homine irato. Comietur fama vionis eius parem, capta illa tanta quæstionis victrice regina dissectum, ut esset in utrisque Veneris auribus Roma in Panteo dimidia eorum cena. Non ferent tamen hanc palmam spoliabunturque etiam luxuria gloria. Prior id fecerat Roma in vionibus magna taxationis Clodius Traiedi Æsopi filius, relictus ab eo in amplis opibus heres: ne in Triumviratu suo nimis superbiæ Antonius, penè histrioni comparatus, & quidem nulla sponsione ad hoc producto: quod id magis regium erat: sed ut experiretur in gloria palati, quid saperent margarita: atque ut mirè placuere, ne solus hoc sciret, singulos viones conuiujs absorbendos dedit.]

Macrobius lib. 3. Saturnaliorum, cap. 17. Antonij expensæ in cenam solita conferri, sola vionis à Cleopatra vxore absumpti estimatione superata sunt. Nam cum Antonius quicquid mari, aut terra, aut etiam cælo gigneretur, ad satiandam ingluuiem suam natum existimans, faucibus ac dentibus suis subderet, eaque re captus, de Romano Imperio facere vellet Egyptium regnum, Cleopatra vxor quæ vinci à Romanis nec luxuria dignaretur, sponsione prouocauit, insumere posse in vnam cenam sestertium centies. Id Antonio mirum visum: nec moratus sponsione contendit: digno Culina Numatio Planco, qui tam honesti certaminis arbiter electus est. Altera die Cleopatra pertentans Antonium, pollucibilem sanè cenam parauit, sed quam non miraretur Antonius: quippe qui omnia quæ apponebantur, ex quotidianis operibus agnosceret. Tunc regina arridens, phialam poposcit, cui aceti nonnihil acris infudit, atque illic vionem demptum ex aure altera festinabunda demisit: eumque maturè dissolutum, vii natura est eius lapidis, absorbuit. Et quamvis eo factò sponsione vicisset, quippe cum ipsa margarita centies sestertium sine contentione euallisset: manum tamen & ad alterius vionis aurem similiter admouit, nisi Numatius Plancus iudex seuerissimus superatum Antonium maturè pronuntiasset. Ipse autem vnio cuius magnitudinis fuerit, inde colligi poterit, quod qui supersuit postea victa Regina & capta Egypto, Romanus delatus dissectusque est, & facta ex vna margarita dua, impositaque simu-

lacro

lacro veneris, ut monstrosa magnitudinis in templo quod Pantheon dicitur.]

De Clodio vero Æsopi Tragædi filio, de quo antea Plinius, ista etiam refert Valerius Maximus lib. 9, cap. 1. cum in Sergij Oratæ luxum inuenitur: *Huic nimirum magis Æsopus tragicus in adoptionem dare filium suum, quam bonorum suorum heredem relinquere debuit: non solum perdita, sed etiam furiosa luxuria inuenem. Quem constat cantu commendabiles auiculas immantibus emptas pretiis, in cana pro ficedulis ponere, acetroque liquatos magnæ summæ uniones potionibus aspergere solitum.* Sed Æsopi patris patinam Plinius lib. 10, cap. 51. ita describit: *Maxime tamen insignis est in hac memoria Clodij Æsopi Tragici histrianus patina, sexcentis (Notant esse quindecim millia aureorum) Sestertiis taxata, in qua posuit aues cantu aliquo, aut humano sermone vocales, nummis sex singulas coemptas, nulla alia inductus suauitate, nisi ut in his imitationem hominis manderet: ne quæstus quidem suos reueritus illos opimos & voce meritos dignus prorsus filio, a quo deauratas diximus margaritas.*

De aliis Cleopatrarum cenis Athenæus lib. 5, cap. 11. ista memorat. Socrates Phodius lib. 3. Belli Civilis Cleopatra canam exponens, quæ in Ægypto regnavit ultima, & Antonio Romanorum Imperatori nupsit, in Cilicia, sic ait: *Cleopatra in Lycia obuiam tum Antonio facta regium conuiuium apparauit, in quo aurea vasa omnia, & gemmata fuerunt, singulari artificio elaborata purpurisque & auro intertextis aulis tecti parietes, triclinia duodecim lectis strata. His adornatis ad cenam Antonium Cleopatra cum his quos libuit, acciuit eique tantam magnificentiam non sine stupore demiranti, subridens, dixit, illi donare se omnia. Postridie rursum ad canam inuitato cum amicis & ordinum ductoribus aduenientique instructo splendidius epulo, effecit ut priora exigua viderentur: utrumque dedit illi omnia, ac ducibus singulis lectum, in quo accubuerant, & pocula ut in mensas diuisa fuerant, secum auferre permisit: digressuris, si qui antecellerent dignitate, lecticas cum lecticariis basulis, plurimis equos argenteis phaleris decoros, omnibus Æthiopicos pueros, qui facibus præluerent, representauit. Die post quarto talenti sumptu conuehendas ea rosas curauit, & ad altitudinem cubiti conserui pauimentum curauit retium sinuosis maculis.*

De Caio Caligula Suetonius cap. 27. ista perferibit: *commentus nouum balnearum usum, portentosissima genera ciborum atque canarum, ut calidis, frigidisque unguentis lauaretur, pretiosissimas margaritas aceto liquefactas sorberet. Conuiuiis ex auro panes & obsonia apponeret: aut frangi hominem esse oportere dictitans, aut Casarem.* Seneca in consolatione ad Heluiam, cap. 9. C. Caesar, quem mihi videtur rerum natura edidisse, ut ostenderet, quid summa vitia in summa fortuna possent, centies (summam eam esse voluit ducentorumquin quaginta millia aureorum) sestertio cenauit uno die: & in hoc omnium adiutus ingenio, vix tamen inuenit, quomodo prouinciarum tributum una cana fieret.] De Nerone Suetonius cap. 27. *Epulas à medio die ad mediam noctem protrahere, refectus sapius calidis piscinis ac tempore æstiuo niuatis. Cenitabarque nonnumquam & in publico, Naumachia præclusa, vel Martio Campo, vel circo Maximo, inter scortorum totius Urbis, ambubaiarumque ministeria. Indicebat & familiaribus cenas, quorum vni mellita quadragies H-S constitit: Alteri plus aliquanto absortio rosaria.* Seneca Epistola 95. acerrimè inuehitur in profusissimum canarum luxum apud Romanos, & inter alia ait: *Quid est cana sumptuosa flagitiosius, & equestrem censum consumenda? quid tam dignum censoria nota,*

si quis ut isti ganeones loquuntur, sibi hac & genio suo præstet? & tricies tamen H-S adiales cana frugalissimis viris constituerunt. Aiunt esse summam septuaginta quinque millium aureorum.

De Vitellio Suetonius cap. 13. *Epulas trifariam semper, interdum quadrifariam dispartiebat: in ientacula, & prandia, & cenas, comessationesque: facile omnibus sufficiens vomitandi consuetudine. Indicebat autem aliud aliq eadem die: nec cuiquam minus singuli apparatus id est, decem millibus aureorum, quadringenis millibus nummum constituerunt. Famossissima super ceteras fuit cana ei data aduenticia à fratre: in qua duo millia lectissimorum piscium septem anuum apposita traduntur. Hanc quoque exsuperauit ipse dedicatione patina, quam ob immensam magnitudinem Clypeum Minerva dictitabat. In hac scarorum iocinora, phasianorum & pauonum cerebella, linguas phanicopteron, mirandrum lactes, à Carpatio usque, fretaque Hispania, per nauarchos ac triremes peritarum, commiscuit.] Dio lib. 65, de eodem Vitellio: Fuit tempus omne principatus Vitellij nihil aliud quam ebrietas & comessationes. Etenim pretiosissima quæque etiam ab ipso usque Oceano, ne dicam ulterius, undique terra, marique conquesta, usque adeo oppida & apparabantur, ut omnes cupedia, cibique eiusdem generis, ex eo etiam nunc Vitelliani appellemur. Quæ omnia quis sigillatim queat attingere? quando constet inter omnes, cum quo tempore principatum tenuit, consumpsisse in cassas (Aiunt esse nouem miliones nouies milles sestertium, patinam quidem unam apparauit, in quam impendit id est, decem millia aureorum, vel ut alij viginque quinque millia aureorum) decies sestertium, linguas cerebellisque, & iccoribus piscium, & quarundam anuum in eam coniectis. Hanc patinam cum fictilis esse non posset propter magnitudinem, argenteam fecit, eaque diu permansit, veluti res diis consecrata, quo usque Hadrianus eandem conspiciat conflare iussit.] Vide quæ diximus de eadem patina superius, cap. 21.*

De Vero Imperatore Iulius Capitolinus ista refert: *Et notissimum eius quidem fertur tale conuiuium, in quo primum duodecim accubuisse dicitur, cum sit notissimum dictum de numero conuiuiarum. Septem conuiuiarum, nouem verò conuiuium, donatos autem pueros decoros qui ministrabant singulis: donatos etiam structores & lances singulis quibusque: donata & uina animalia, vel cicurum, vel ferarum anuum, vel quadrupedum quorum cibi apposi erant: donatos etiam calices singulis per singulas poriones murrinos, & Crystalinos Alexandrinos, ac quoties bibutum est, data etiam aurea, atque argentea pocula & gemmata. Coronas quin etiam datas, lemniscis aureis interpositis, & alieni temporis floribus: data & vasa aurea cum unguentis ad speciem alabastrorum: data & vehicula cum mulabus ac mulionibus, cum iuncturis argenteis, ut ita de conuiuiis redirent. Omne autem conuiuium æstimatum dicitur sexagies centenis millibus sestertium.] Budæi æstimatione inquit Casaubonus, sunt aurei Quingenti supra centum & quinquaginta duo millia.]*

De Heliogabalo Lampridius: *Nunquam minus Aiunt esse duo mille & quingentos aureos centum sestertium cenauit, hoc est, argenti libris trecentis. Aliquando autem tribus millibus sestertium cenauit.] Hoc est, ut volunt, septuaginta quinque millibus aureorum. At illud immane quod idem Auctor promiserat: Fertur in Euripis vino plenis nauales circenses exhibuisse.] Quantum vini profundi oportuit, ut in his euripis integræ naues aut triremes concurrere ac de velocitate certare possent! Seneca consolatione ad Heluiam, cap. 10. Apicius nostra memoria vixit qui in ea urbe, ex qua aliquando philosophi, velut*

corruptores

corruptiores iuventutis, abire iussi sunt, scientiam populi professus, disciplina sua saeculum infecit: cuius exitum nosse opera pretium est. Cum duos miliones & semis sestertium milles in culinam contecisset, cum tot congiaria Principum & ingens Capitolij vectigal singulis commensationibus exorbisset, ere alieno oppressus, rationes suas tunc primum coactus inspexit, superfuturum sibi Ducenta & quinquaginta millia aureorum sestertium centies computavit, & velut in ultima fame victurus, si sestertio centies vixisset, veneno vitam finivit. Quanta luxuria erat, cui sestertium centies egestas fuit.] Luxuriam Apicij traduxere, Seneca, nedum hoc loco, sed & Epistola 95. & 120. Plinius lib. 8. cap. 51. lib. 9. cap. 17. lib. 10. cap. 48. ubi eum nepotum omnium altissimum gurgitem appellat, lib. 19. cap. 8. Athenæus lib. 1. cap. 6. Lampridius in Heliogabalos, Tertullianus de Pallio, cap. 5. Apologici, cap. 3. De Anima cap. 33. de Ieiuniis cap. 12. & alij. Sed & Dio Cassius lib. 57. Apicius omnes homines luxus & gula studio superavit: & cum scire aliquando vellet, quid absumpti, & quid reliqui haberet, audito centies sestertium restare, indoluit, & ut fame moriturus se se intremuit.] Tres diuersis temporibus fuisse Apicio Casaubonus in Animaduersionibus ad lib. 1. Athenæi, cap. 6. Lipsius in Commentariis ad 4. Annalem Taciti sub initium, annotarunt. Conuiuium & lautitias Trimalchionis celebrauit Petronius Arbitrator in Satyrico, De Isacio Angelo Imperatore Nicetas Choniata lib. 3. Annalium: Erat in victu sumptuosissimus. Mensam omnino Salomoniam aut Sybariticam habebat, & nouis ut ille vestibibus quotidie utebatur. Nec erat eius conuiuium aliud, quam collis panum, saltus ferarum, piscium mare, vini Oceanus.] Nec hic omittendum est ferale Domitiani Principis conuiuium, quod Dio lib. 67. in hunc modum describit: Utque plebi eo tempore, ita post primoribus Senatorij & equestris ordinis conuiuium in hunc modum fecit. Apparuit ades nigerrimas ex omnibus partibus, erant enim atra laquearia, parietes, ac pavimentum, in eoque sedes nuda eodem modo collocata erant. Quibus paratis rebus, eos solas de nocte introduci iubet absque comitibus: ac primum omnium iuxta unum quemque columnam collocat, factam instar sepulchri, in qua nomen eius scriptum erat, pendebatque de calychnibus paruis, ut assoler in monumentis: tum nudi pueri, acramentoque obliti, tanquam spectra quaedam ingrediuntur, ipsosque horribili saltatione circumeunt: eoque facto, ante pedes ipsorum consistunt: ad extremum omnia que in exequij mortuorum adhiberi solent, in vasis eodem modo eis apposita fuerunt. Quas ob res quisque maxime reformidare cepit, & perhorrescere, quod se iam expectarent interfectum iri: praesertim quod ceteris magnum silentium erat, quasi iam mortui essent, quodque Domitianus sermonem habebat de omnibus his rebus, quae ad mortes quæ ad cedes pertinerent. Tandem vero illos dimittit, prius discedere iussis famulis ipsorum, qui in vestibulis adium remanserant. Cumque preparasset alios incognitos homines, à quibus domum reducerentur, vehiculis & lecticis datis, motum multo maiorem incussit. Iam quisque domum venerat, iamque respirare quodam modo incipiebat, cum nuntiatum est, nonnullos ab Augusto venire. Qua ex re tunc eis mori omnino expectantibus ab uno horum oblata est columna argentea, ab altero aliud quippiam: ab alio vas ex iis quae in cena apposita fuerant, quaeque erant pretiosissima: postremo puer ille, qui ante daemone[m] representauerat, unicuique lotus & ornatus oblati est: eoque pacto illi totam noctem magno timore perculsi, munera acceperunt. Et Domitianus quidem eiusmodi triumphalia, vel epulas, ut vulgus, aiebat, funebres eorum causa qui partim in

Dacia, partim Roma interierant, celebrauit.]

M. Tullius Tusculana 5. Xerxes quidem refertur omnibus praeiis, donisque fortuna: non equitatu, non pedestribus copiis, non navium multitudinem, non infinito pondere auri contentas, premium proposuit qui inuenisset novam voluptatem.] Valerius Maximus lib. 9. cap. 1. Xerxes opum regiarum ostentatione eximia, eo usque luxuria gaudebat, ut edicto premium ei proponeret, qui novum voluptatis genus reperisset.]

Sedenim Antichristi conuiuia & cænas superbo adeo luxu diffluxura, ut helluonum omnium ac gæneonum ea in re sumptus & magnificentiam longo post se intervallo sint relictura, haud difficulter quisque sibi persuadebit. Et ne nobis in virtus & luxuria Antichristi proscindendis sine fine fundatur oratio, omittimus innumera alia voluptatum & deliciarum Antichristi instrumenta & apparatus describere, qualia sunt, lacus, stagna, horti, paradisi, viuaria, auaria, piscinae, saltus, nemora, siluæ, luci, venationes, ludi spectacula, naumachiae euripi, musicorum omne genus, parasitorum, morionum, minorum, histrionum, tragedorum, comædorum, saltatorum, scenicorum, scurfarum, præstigiatorum, circulatorum, rediculorum, petauristarum, thau-matopæorum, & id genus aliorum immensos greges, Atque infinita alia luxuriæ nomina; quæ omnia ac multo plura & maiora, quæ vix humana mente excogitari possunt, profusissime sine dubio suppetent Antichristo.

CAPVT XXV.

Immanes Antichristi Sumptus.

Infinita prope modum diuitiarum mole congesta, exprimi non poterit, quàm sumptuosus & profusus futurus sit Antichristus: risus & iocus fuerint, quotquot vnquam prodigiosæ prodigalitatis Principum exempla præcessere. De Caio Caligula Suetonius cap. 47. Quin & nummos non mediocris summa de fastigio Basilicæ Iulie per aliquot dies sparsit in plebem. Fabricauit & de cedris Liburnicas, gemmatis puppibus, versicoloribus velis, magna thermarum & porticum & tricliniorum laxitate, magnæque etiam vitium & pomiferarum arborum varietate: quibus discumbens de die inter choros ac symphonias littora campaniae peragraret. In extructionibus Prætoriorum atque villarum omni ratione posthabita, nihil tam efficere concupiscebatur, quam quod posse effici negaretur. Et iacta itaque moles infesto ac profundo mari, excisa rupes durissimi silicis, & campi montibus aggere equati, & complanata fossuris montium iuga, incredibili quidem celeritate, cum mora culpa capite lueretur. Ac ne singula enumerem, immensas opes, totumque illud Tiberij Caesaris viciis ac septies milles H. S. non toto vertente anno absumpsit.] Aiunt eam summam esse sexaginta septem miliones & dimidium. De re quidem nummaria non satis constat inter eruditos. Nec nobis nunc locus, aut institutum est, ea accuratius excutere. Vide postremos qui ea de re scripserunt, Iosephum Scalligerum & Vuilebrordum Snelium peculiaribus opusculis. Et cap. 42. eiusdem Principis nefarium id prodit exemplum: Nouissime conrectanda pecunia cupidine incensus, sæpe super immensos aureorum acervos parentissimo diffusos loco, & nudis pedibus spatialis, & toto corpore aliquandiu volutatus est.] Sed stupendum planè ac prodigiosi sumptus spectaculum idem Suetonius de Caligula cap. 19. ita refert: Nouum præterea atque inauditum genus spectaculi excogitauit Nam,

Nam Baiarum medium interuallum Puteolanas ad moles trium millium & sexcentorum fere passuum ponte coniunxit, contractis undique onerariis nauibus, & ordine duplici ad anchoras collocatis, superiectoque aggere terreno, ac directo in Appia via formam. Per hunc pontem ultro citroque commeauit, biduo continenti. Primo die phalerato equo, insignisque quercica corona, & securi & cetra, & gladio, aureaque chlamyde: postridie quadrigario habitu, curriculoque biugi famosorum equorum praeferebat Darium puerum ex Parthorum obsidibus: comitante Pratorianorum agmine, & in essedis cohorte amicorum. Scio plerosque existimasse, talem a Caio pontem excogitatum emulatione Xerxis, qui non sine admiratione aliquanto angustiorum Hellepontem contabulauerit. Alios ut Germaniam & Britanniam, quibus imminerebat, alicuius immensi operis fama territaret. Sed auium meum narrantem puer audiebam, causam operis ab interioribus aulicis proditam, quod Thrasyllus mathematicus anxio de successore Tiberio, & in Verum nepotem proniori affirmasset, Non magis Caium imperaturum, quam per Baiarum sinum equis discursurum.]

Dio lib. 59. Verum Caius rem haud magnam esse censens si equo per continentem terram inueheretur, orationem eam spreuit, at per mare modo quodam equo ueluti intendit, ponte iniecto ei maris parti, quae est inter Puteolos ac Baulos. Is locus est e regione urbis situs & distant inter se Bauli ac Puteoli millibus passuum tribus, ac quadrante. Ad eum pontem conuecta sunt partim naues, partim fabricata: Cum quae in tanta celeritate compositae essent, non sufficerent: quamquam omnibus quae haberi poterant conquisitis. Unde & fames uehementer Italiam, ac maxime Romam inuasit. Non uero tantum transitus causa pons paratus fuit, sed diuersoria etiam in eo effecta sunt, quibus ipsis aqua dulcis affluebat. Omnibus perfectis, thoracem qui Alexandri fuerat, (sic enim perhibebat) & supra eum chlamydem sericam purpurei coloris, multo auro, multisque gemmis Indiciis Ornata induit: gladioque se accinxit, & clypeum sumpsit, querna corona capiti imposita, Tum re sacra Neptuno, ac diis aliis facta, Linori etiam, ne qua inuidia, ut aiebat, premeretur, pontem a Baulis ingressus est, plurimos equites & pedites armatos secum ducens, ac in urbem quasi in hostes celeriter irruit. Ibi cum quicti die insequenti se dedisset quasi a praelio fessus, per ipsum pontem curru reuocatus est, tunica auro intertexta amictus, & ab equis latus, qui in certaminibus, uictoriam praefertim obtinebant. Sequebantur autem cum inter reliquum apparatus, spolia, & Darius Arsacidarum generis, unus ex obsidibus Parthicis, tum amici eius, ac socii in curribus, vestibibus floridis, ac exercitus, & reliquum vulgus, singuli peculiariter ornati. Et quia opus erat nimirum cum tanta expeditione facta, ac tanta uictoria impetrata concionem habere, suggestum conscendit in medio pontis, nauibus impositum, ac primo se ut eximia conatum iactauit, deinde milites ut periclitatos ac fatigatos laudauit: hoc inter alia gloriatus, se pedibus mare percurrisse. Congiario deinde dato, post ipse in ponte tanquam in insula aliqua, reliqui in aliis nauibus stationem habentes, diei reliquum & totam noctem epulati sunt: multo ex ponte igne, multo ex montibus affulgente: nam loco in luna formam curuato, undique ignis quasi in theatro quodam uidebatur: ita ut omnem tenebrarum sensum eriperet. Quippe noctem quoque in diem conuertere, ueluti mare in terram, uolebat. Postquam ad satietatem usque cibo & potu se se ingurgitauit, multos amicorum de ponte in mare proiecit, multos aliorum nauibus rostratis circumuectus submersit, ita ut perierint nonnulli: plerisque quamquam ebriis euadentibus, quod eo loci mare pla-

cidissimum ac minime turbulentum erat. Hoc ipso inflatus, Neptuno se timorem incussisse dixit: Dario & Xerxe non nisi ludibry causa memorato, quia longè plus maris ipse ponte instrauisset. Hic finis fuit pontis eius, qui ipse etiam multis causa necis fuit: cum omni in eum pecunia absumpta, multo iam pluribus propter opes perniciem crearet.]

Seneca de Breuitate Vitae cap. 18. Intra paucos illos dies, quibus C. Caesar periit, si quis inferis sensus est, hoc grauissime ferens, quod decebat populo Romano superstitie, septem aut octo certe dierum cibaria supererant, dum ille pontes nauibus iungit, & uiribus imperij illudit: aderat ultimum malorum obsessis quoque, alimentorum egestas. Exitio penè ac fame constitit, & quae famem sequitur rerum omnium ruina, furiosi & externi, & infelicitè superbi regis imitatio.] Nempe Xerxis. Hanc locum Senecae de fame, ille alter Dionis mirifice illustrauit. Iosephus lib. 19. Antiquit. cap. 1. Aliis quoque operibus Causam suam declarabat insaniam, quando à Puteolis urbis Campaniae ad Misenum alterum maritimum oppidum grauatius irremi traicere, & alioqui ad suam denominationem pertinere existimans, si à mari eadem qua à terra obsequia exigeret, ab uno promontorio ad alterum ponte iuncto medio sinus spatio, curru ultro citroque uectatus est: id enim demum iter dignum esse maiestate sui numinis.]

Aurelius victor In spatia trium millium quod in sinu Puteolano inter moles iacet, duplici ordine naues contexens, arena aggestu, ad terra speciem uiam solidatam, phalerato equo insignis quercea corona, quasi triumphans, indutus aureo paludamento, curru biugi decurrit.]

De Nerone Suetonius cap. 30. Diuitiarum & pecunie fructum non alium putabat quam profusionem: sordidos ac deparcos esse quibus ratio impensarum constaret: praelatos, uerèque magnificos qui abuterentur ac perderent, Laudabat, mirabaturque auunculum Caium, nullo magis nomine, quam quod ingentes à Tiberio relictas opes in breui spatio prodegisset. Quare nec largiendi, nec absumendi modum tenuit. In Tiridatem, quod uix credibile uidetur octingena (uolunt esse viginti milia aureorum) nummum millia diurna erogauit: abeunti super (duos miliones & dimidium) H-S millies contulit. Quadringenis in punctum (denis milibus aureorum) H-S aleam ludit.] Dio lib. 61. Capit Nero magnam pecuniam consumere, multa per iniuriam querere, multa per vim eripere. Nec enim illiberali animo erat. Cuius rei argumentum est, quod Pratoriano militi, qui libros Imperij administrabat, dari iussisset (ducenta quinquaginta milia aureorum) centiesestertium, eaque Agrippina, ut ipsum intuentem summam tanta, pecunia, paniteret, uno in loco coaceruasset: interrogauit, quantum iaceret illic pecunia: cognitaque summa, eam duplicari iussit, Non enim putauit, inquit, me tam exiguum munus dedisse. Id uero multo magis perspicuum est, ex magnitudine sumptuum quos fecit: siquidem thesauros quos habebat in thalamo regio ita exhausit, ut ei statim opus fuerit nouis conficienda pecunia rationibus.] Et Tacitus de eodem: Bis & uicies milles H-S donationibus Nero effuderat.]

Capit ea summa quinquaginta quinque miliones, omittimus alia extrema profusionis exempla, quae omnia proculdubio uincuntur ab Antichristo.

* *

CAPVT XXVI.

De Libidine Antichristi, è vaticinio Danielis

11. v. 37. Et erit in concupiscentijs
feminarum.

Danielis oraculum ita habet: *Et Deum patrum suorum non reputabit. Et erit in concupiscentijs feminarum: nec quemquam Deorum curabit.* Hebræa hoc loco sunt in ancipiti, varietque exprimentur à diuersis, ex verbo ita reddas: *Et super Deum patrum suorum non intelliget, & super concupiscentiam [desiderium, appetitionem] mulierum, & super omnem Deum non intelliget.* LXX. in Romana Editione: *Et super omnes Deos patrum suorum non intelliget, & concupiscentia feminarum, & super omnem Deum non intelliget.* in Complutensi & Regia: & super, [in] concupiscentiam feminarum, &c. At cum in prima & tertia parte huius vaticinii positum sit verbum cum expressa negatione, in secunda verò parte cum dicitur: *Et super concupiscentiam, vel desiderium feminarum.* Nullum sit verbum, nulla expressa negatio. plerique verbum cum negatione, quod in prima & extrema parte Versus exprimitur, in media illa quoque parte, per Zeugma, & hypozeugma, subaudi & intelligi volunt, hoc sensu: *Et super desiderio mulierum.* subaudi, *non intelliget.* id est, non curabit, non reputabit desiderium mulierum, non adiciet iis animum, contemnet desiderium mulierum. In hanc sententiam verterunt LXX. auctore S. Hieronymo: *Et concupiscentiis mulierum non subiacebit.* Victorinus in Apocalypsim: *Aut enim Daniel: Desideria mulierum non cognoscat.* Theodoretus: *Et super concupiscentiam [Cupidinem] mulierum, & super omnem deum non intelliget.* Hoc quoque aperte contrarium est Antiochi institutis. Hic enim cum lasciuia coibat. Quomodo super concupiscentiam mulierum non intelliget? Sanctes: *Et deum patrum suorum non intelliget, amorem mulierum, & omnem Deum non intelliget.* Scholion Pagnino affixum: *Amorem scilicet conjugalem ille non agnoscat.* Vatablus in editione Sanctandreaana: *Et ad Deum patrum suorum non adiciet animum, nec ad concupiscentiam mulierum, nec ad ullum deum adiciet animum: nam super omnia magnificabit sese. Id est non curabit deum maiorum suorum, nec delicias muliebres, neque deum ullum: nam prae se omnia contemnet.* In editione verò Salmanticensi: *Hac potissimum ad Antichristum. Contemnet muliebres delicias, ut hac ratione sanctitatem verius simulet.* Leo Iudas: *non curabit etiam deos patrum suorum, nec mulierum concupiscentiam: non denique ullum deum curabit: omnibus enim se praeferet.* Maldonatus: *Si autem eum sensum sequamur, quem & Hebraica videntur verba prae se ferre, & Hieronymus in commentariis probat, & concupiscentiam feminarum non reputabit.* Et quidem Hebraismus: *Et super desiderio mulierum non intelliget.* qui scitè Hispanismo explicatur: *No entendera en desseo de mugeres* id est, non attendet, non adiciet animum desiderio mulierum.

Nec sanè nouum aut inusitatum est in sacro sermone, verbum precedentis hemistichij, seu, quæ proximè antecessit, negationem, subaudiri & intelligi in altera parte Versus, quæ immediatè subsequitur. Cuiusce obseruationis cum sint in Scriptura exempla frequentia, vnum aut alterum dumtaxat indicare sat fuerit. Deuteronomij 33.6. *Vinat Ruben*

& non moriatur, & sit, pro non sit, paruulus in numero. Ioannis 15. 22. *Si non venissem, & locutus fuisset, pro & non locutus fuisset, eis, peccatum non haberent.* Psalm. 1. 5. in Hebræo: *Non resurgent impij in iudicio, & peccatores in concilio iustorum,* id est, neque peccatores in concilio iustorum. Ut vulgatus noster expressit. Psalm. 9. 19. *Quoniam non in finem obliuio erit pauperis: patientia pauperum peribit pro non peribit, in finem: alioqui enim redderetur sensus impius, & alienus à Dei bonitate.* Eiusmodi alia exempla collegere Oleastrius Præfatione in Pentateuchum, Canone 10. Cantapetrensis lib. 5. Hypotyposeon, cap. 7. Sa in Phrasibus Scripturæ, Drusius caput 7. in Leuiticum. Alij verò nolunt præcedentem negationem in secunda illa parte versus, & super concupiscentia feminarum intelligi aut subaudiri: sed sensu affirmante, ut & in Hebræo, accipiendum illud, & super concupiscentia, vel desiderio feminarum subaudi erit, vel intelliget. Qua ratione plerique Latinorum, ac ferme omnes post tempora S. Hieronymi legerunt & intellexerunt, S. Prosper in Dimidio Temporis, cap. 9. S. Agobardus Sermone de Trinitate, & de Antichristo, Strabus, Anselmus Laudunensis, Petrus Comestor, Hugo Carenensis, Lyranus, Richelius, & omnes alij posteriores, secuti Vulgatum Interpretem, cuius auctoritas merito cunctis aliis interpretationibus præferenda est, qui sensum affirmantem reddidit: *Et erit in concupiscentiis feminarum.* Atqui hanc lectionem esse sinceriorem & germaniorem, magisque probandam, nullus eruditus & pius in controuersiam arcesset. Nunc videndum de quo Daniel in eo oraculo sermonem faciat.

S. Hieronymus in Commentariis, Lectionem affirmantem huius loci haud dubiè præferens, de Antiocho Epiphane potius interpretatur, sic enim ait: *Pro eo quod nos interpretati sumus, Et erit in concupiscentiis feminarum: LXX. transtulerunt, Et concupiscentiis mulierum non subiacebit. Quia verò in Hebræo pro eo quod nos diximus, Et erit in concupiscentiis feminarum, ambiguit positum est: dicente Aquila, qui verbum expressit è verbo: Et super Deum patrum suorum non intelliget, & super concupiscentiam feminarum, & super omnem deum non intelliget. Quibus verbis intelligitur, & habere eum concupiscentiam feminarum, & non habere. Si legerimus & intellexerimus ἀνδρὶ κοῖτῃ, & super concupiscentiam feminarum non intelliget, de Antichristo facilior interpretatio est: quod ideo simul et castitatem, ut plurimos decipiat. Sin autem ita legerimus, Et super concupiscentiam feminarum ut subaudiatur, erit: Antiochi persona magis coaptabitur: qui luxuriosissimus fuisse dicitur, & in tantum dedecus per stupra & corruptelas venisse regia dignitatis, ut mimis quoque & scortis publicè iungeretur, & libidinem suam populo præsentem compleret.] In eadem sententiam de Antiocho interpretatur Strabus: *Et erit in concupiscentiis feminarum. LXX. Et concupiscentiis feminarum subiacebit. Antiochus enim luxuriosissimus fuit, ut etiam mimis & scortis, publicè & populo vidente misceretur.] Petrus comestor in Historia Danielis, cap. 12. Quod sequitur, de Antichristo tantum intelligendum est: Et erit in concupiscentiis feminarum. Nam Antichristus castus erit ob simulationem religionis.]**

Cæterum Theodoretus negatiue hunc locum accipiens, de Antichristo, & nullo modo de Antiocho interpretatur dicens: *De Antichristo itaque hoc dicit: Et super omnes deos patrum suorum non intelliget: & super concupiscentiam mulierum, & super omnem deum non intelliget. Hoc quoque aperte contrarium est Antiochi*

Antiocho institutis: hic enim non modo legitimo sibi matrimonio coniunctis vxoribus non erat contentus, ex quibus Antiochum Eupatorem, & Alexandrum liberos procreauit: sed etiam cum lascinis pellicibus coibat, & unus ex ipsis secunda Macchabeorum mentionem facit Historia, ubi sic Scriptor ait, 2. Macchabeorum, 4. v. 30. Contigit autem Tarsenses & Maleotas seditionem mouere, quod Antiochidi regis concubina dono essent dati. Qui itaque eiusmodi lascinia inferuebat, ut vrbes tales ac tantas meretrici mulierculæ largiretur, quomodo super concupiscentiam mulierum non intelliget? Igitur hinc errare iudem aperire conuincuntur, qui hac ad Antiochum referre conantur.

Maldonatus tamen lectionem negantem secutus, nihilominus de Antiocho exponit, in hunc modum: *Et erit in concupiscentiis faminarum. Si ita vertamus, ut Hieronymus vertit, nihil difficultatis erit: nec enim dubium est, quin Antiochus omni libidini deditus fuerit. Si autem eum sensum sequamur, quem & Hebraica videntur verba præ se ferre, & Hieronymus in Commentariis probat: Et concupiscentiam faminarum non reputabit, non significabitur illum mulierosum non fore, sed adeo crudelem futurum, ut ne faminarum quidem, quibus in bello parci solet, rationem habeat: quod quam aptissime congruit cum Macchabeorum historia: legimus enim lib. 2. cap. 5. vers. 13. Fiebant ergo cades iuuenum, ac seniorum, & mulierum, ac natorum exterminia, virginumque & paruulorum neces. Similis quidem locus lib. 1. Regum, cap. 15. vers. 3. est.] Nec displicet hic sensus, qui etiam Antichristo mirifice conuenit, qui futurus est crudelissimus. Sed communior intelligentia est de libidine in feminas.*

Verum vti prædiximus ea lectio omnino præferenda est, quæ affirmatiuè habet: *Et erit in concupiscentiis faminarum.* Cum sit vulgati Interpretis & S. Hieronymi: ut & Antiocho, & Antichristo, cuius ille typus, insignis fuit, appositissime conueniat: exploratum enim est, Danielem illo capite multa de Antichristo vaticinari sub figura tamen Antiochi, & quæ scribit, in vtrumque, sed potissimum in Antichristum competere. Equidem Antiochum fuisse in concupiscentiis faminarum, & extrema libidine in feminas perinfamem, præter auctorem libri 2. Machabeorum, & S. Hieronymum, vti paulo superius vidimus, affirmat quoque Suidas: *Antiochus rex intemperantia & vecordia insigni nimis deditus in conspectu omnium, insanis mulierum amoribus indulgebat.* De temulentia vero & luxu eius incredibili, ac planè furore in iis & amentia plura Athenæus Deipnosophistarum lib. 5. cap. 5. & lib. 10. cap. 10. Antichristum vero futurum libidinosisimum & nequissimum & in feminas & in mares; qui eius extremam improbitatem, & profunda vitia considerauit, facile assentietur.

Forsterus in Radice BIN, singularem huius loci explanationem, lectione negante, attulit, in hunc modum: *Et super Deo patrum suorum nihil intelliget, & super desiderio mulierum, & super omni Deo, nihil intelliget, quia supra magnificabit se. Non habebit vllum discrimen inter Deos & religiones, nec inter desiderium mulierum, extra vel intra matrimonium existentium.]* Quasi dicat, omnes quascumque poterit, nullo discrimine inibit. Qui sensus & Antiocho & Antichristo mirè congruit. Emmanuel Tremellius & Franciscus Iunius, aliam non minus mirabilem interpretationem excogitauere: *Nec ad Deos quidem maiorum suorum attendet, neque ad desiderium faminarum, neque ad vllum Deum attendet, sed supra omnia magnificabit se. Id est, plane impius & inhumanus erit, vacuus tum omni numinis reuerentia, (quæ eo alius animis infigitur, cum à ma-*

Tom. I. De Antichristo.

ioribus accepta est) tam omni naturali studio & amore erga suos, qui amor in mulieribus solet esse tenerrius, ut 2. Samuelis, 1. 26.] Sed hic sensus subtilis & curiosus, ne dicam alienus, videtur. Et quia verbum BIN, quod hic in Hiphil ponitur, transitiuè in hac coniugatione usurpari solet in Scriptura, posset rectè reddi, *Et super desiderio mulierum: subaudi, intelligere faciet.* Hispanicè, *Hara que todos entiendan en desseo de mugeres.* Non solum ipse erit inexhaustæ libidinis in feminas: sed faciet ut omnes huic vitio intendant, summa licentia, & impudentia.

Plerique annotant, peculiari Spiritus sancti consilio relictam hoc in sacro Fonte sententiam ancipitem & ambiguum, vnde possint duo inter se contrarij in speciem sensus hauriri, cum re ipsa contrarij non sint, sed vterque verissimus: nimirum, *Erit in concupiscentiis faminarum: &, Non erit in concupiscentiis faminarum:* ut indicaretur vtrūque simul & verè Antichristo conuenire: nempe corruptissimum illum hypocritam exterius & in cute præ se laturum, tum verbis, tū factis ingentem constimoniam, ut facili omnes inducta sibi pudicitia & sanctitatis larua dementet: palamque prædicaturum haud sibi esse cordi muliebres delitias: intus verò & in animo, atque re ipsa futurum libidinis in mulieres profundissimæ, & quantum clam, secretòque poterit, omnem in feminas nequitiam patraturum. Vel quod magis rationi consonum videtur, Antichristum in exordiis rerum suarum, quoad sibi potentiam & regnum paret, stabiliatque, mirificè simulaturum castitatem: postquam verò Monarchiam solidè confirmauerit, seque Deum propalam affirmauerit, omni libidinum & impuritatum cæno sine villo rubore ac verecundia sese contaminaturum & immerfurum. Sed consule de his Danielis Interpretes, Lyranum, Dionysium, Pintum, Veldium, Pererium. Atque etiam alios qui de turpitudine & obscenitate Antichristi perscripserunt, vti Viguerium in Theologicis Institutionibus, cap. 21. §. 3. vers. 4. Bellarminum lib. 3. de Romano Pontifice, cap. 21. Acoſtam lib. 2. de Nouissimis Temporibus, cap. 13. Viegam in 13. Apocalypſ. Commentario 2. Sectione 5. Neque enim dubium esse potest Antichristi libidinem in feminas, & in mares futuram omnium proiectissimam: quod facile æstimari inde potest, quod cum ea in re extiterint in orbe complurimi extremæ obscenitatis, eos omnes ut alios in aliis vitiis, nequitia & turpitudine superaturus sit Antichristus. Extant eiusmodi impurissimæ scenæ innumera exempla, quæ retulisse nec pudor, nec professio nostra patitur: si quis legere voluerit, loca tantum auctorum indicabimus. De Coty Thracum rege apud Athenæum, libro 12. cap. 8. De Themistocle, eodem capite. De Augusto Cæsare, apud Aurelium Victorem. De Mamerco Scauro, apud Senecam lib. 4. de Beneficiis, cap. 31. De Hostio, apud Senecam lib. 1. Quaestionum Naturalium, cap. 16. De Tiberio Cæsare, apud Suetonium, cap. 42. 43. 44. 45. Tacitum Anali 6. initio, Dionem lib. 58. De Caio Principe, apud Suetonium cap. 36. Dionem lib. 59. De Nerone apud Suetonium, caput 27. 28. 29. Dionem libro 61. 62. Aurelium Victorem, De Domitiano, apud Suetonium, cap. 22. Dionem lib. 67. Aurelium Victorem. De Commodò, apud Herodianum lib. 1. Dionem lib. 72. Elium Lampridium in eius Vita. De Heliogabalo, apud Herodianum lib. 5. Dionem lib. 72. Lampridium in eius Vita. De Licinio Imperatore, apud Eusebium lib. 1. de Vita Constantini, cap. 48. & Acta S. Basilæi Amasæ Episcopi, apud Metaphrastem 26. Aprilis. De Iuliano Apostata, apud sanctum Chrysostomum Oratione in S. Babylam.

F

De

De Zenone Imperatore, apud Euagrium lib. 3. Historia Ecclesiastica, cap. 1. Nicephorum lib. 16. c. 1. De Andronico Comneno Imperatore, apud Nicetam Choniata Annali 2. Verum de his satis, hæc enim indicasse potuit. Suidas: *Asianassa Helena, Menelai uxoris ancilla, prima decubitus in coitu inuenit: & de rerum Veneriarum formis scripsit. Hanc postea imitata sunt Philenis & Elephantine, quæ eiusmodi nequitiam emulgarunt.*] Elephantines, vel Elephantidis meminit Suetonius in Tiberio, cap. 43. Verum de tribus hisce impurissimi oris fæminis plura ex auctoribus collecta leges apud Liliū Gyraldum Dialogo 3. de Poëtis. Sed auctarij vice ad locum Danielis quem nuper elucidauimus, singularem quandam adiicimus explanationem, quam Isidorus Clarius, hisce verbis expressit: *Et eris in concupiscentiis fæminarum. Alij sic vertunt: Et de amore mulierum, atque de omni deo nihil intelliget. Quod videlicet, non curaturus sit mulieres, fortasse ad confirmandam hypocrysin. Alij putant, postulare seriem sermonis, ut de idolo intelligatur, quod quidam reginam cali dixerunt, quasi dicat, neque Deum patrum, neque deam pulcherrimam Lunam, vel Venerem, & in summa nullum Deum colat.*]

Ne sit molestum, si tantisper quid sit *Regina cali* apud Ieremiam, edicamus. Ieremia 7. 18. *Mulieres conspergunt adipem, ut faciant placentas regina cali, & libent diis alienis.* Lxx, pro, regina cali, habent, militia cali. Chaldaus, *Stella cali.* Ieremia 44. 17. *ut sacrificemus regina cali, & libemus ei libamina.* Et vers. 18. *Ex eo autem tempore, quo cessauimus sacrificare regina cali.* Lxx, utrobique, regina cali etiam habent. Chaldaus, *stella cali.* S. Hieronymus in 7. Ieremia: *Regina cali, quam lunam debemus accipere. Vel certe militia cali, ut omnes stellas intelligamus.*] Tribus hisce locis est Hebraice semper eadem vox, *Melecheth Ha Samaim*, quæ sanè vox *MELECHETH*, non alibi reperitur in Scriptura nisi his tribus Ieremia locis. De qua reddamus quæ gnati sermonis Hebraici annotant. Paulus Burgensis Additione 2. in Ieremia 7. *Vbi nos habemus Regina cali, in Hebraeo habetur dictio MELECHETH, quæ uno modo significat reginam, & alio modo significat opus: & sic non designat unum certum planetam: sed totum opus celeste, quod observatur ab Astronomis secundum certas constellationes. Et quomocumque sit, irrationabile videtur dici, quod luna si regina cali: cum sol sit maioris efficacia, luminis, & virtutis.*

Sanctes in Laac: Ieremia 7. 18. *ut facerent placentas MELECHETH, Operi cali.* Sunt tamen, inquit, Rabbi David, qui *Mem* putant radicalem esse litteram à *Malac*, quod est regnare. Id est, *Regina cali: hoc est, stella magna quæ est in calo.*] Ipse Sanctes in sua translatione, *Stella calorum*, in tribus illis Ieremia locis conuertit.

Forsterus in *HALAC: MELECHETH*, sine *Aleph* legitur in Ieremia duobus in locis, quod Septuaginta Interpretes militiam verterunt, Hieronymus quasi à *MALAC* esset deductum, Reginam vertit. Existimo autem ministerium illud supernum cali sic dictum, quod in hac inferiora habet. Et quia superstitione quadam Iudei imbuti, putarunt, à Deo astra ordinata esse, ut actiones & labores gubernarent, factum est, ut sacrificia instituerint, quibus sibi ea propitia redderent, & fortunarentur actiones ipsorum, cap. 7. *Mulieres subagitant pastam, & faciunt placentas ministerio calorum.* Et cap. 44. *Ut suffitum faciamus ministerio calorum.* Chaldaus vertit: *Stella calorum.* Tamen nonnulli ab *HALAC* deducunt, pro planetis accipiunt, à gradiendo, quasi gressiles dicas, sicut Astronomi illos

errones, seu stellas erraticas vocant.]

Vatablus in Annotationibus Sanctandreas, Ieremia 7. 18. *Ut faciant placentas regina cali, id est stella precipua, qui est sol: aut stella cuidam magna quæ est in calo. Doctus inter Hebraeos existimat deesse aleph, pro MELEACHETH, id est, Opificio, sine operi cali, aut celesti, hoc est, calo ipsi.*] Et in Ieremia 44. v. 17. *Regina cali.* Id est, soli, à verbo *MALAC*, regnavit. Absurdum videri non debet, quod hic per Reginam cali sol intelligatur: nam *Semes*, quod solem significat, est fæminei generis Hebraice. Chaldaus Paraphraestes *Stella cali.* Quidam existimant nomen esse insignis cuiusdam stelle, quæ tanquam regina sit inter alia sidera. Sunt qui à *Laac* deducunt, ut deficiat *Aleph*, & sit *MELECHETH*, pro *MELEACHETH*: & vertunt, opificio, vel machina, aut operi cali, id est, sideribus. Doctus inter Hebraeos existimat nomen quatuor litterarum, ut *MEM*, & *ALEPH* sint radicales litteræ.]

Isidorus Clarius in Ieremia. 7. *Regina cali hoc est, luna, cui palam sacris operabantur mulieres, propter sexus paritatem. Alius pro, regina cali, vertit, machina calorum.*] Equidem Leo Iudas, machina calorum reddidit semper.

Mercerus in Laac: *MELECHETH*, sunt qui ministerium supernum cali intelligant, quod habet in hac inferiora: ut quia astra à Deo ordinata Iudei crederent ad actiones hominum gubernandas, illis sacrificia instituerent, quo sibi propitia essent, &c. Quidam pro planetis accipiunt, ab *Halac*, gradiendo. Sed simplex sensus est, machina cali, operi, seu artificio.]

Auenarius in *Malac: MELECHETH*, regina secundum Hieronymum. Quidam contendunt scribi pro *MELEACHETH*, id est, opus seu machina à Radice *Laac*. Doctor Forsterus exponit ministerium. Ierem. 7. 18. *Ad faciendum placentas regina (vel machina) cali & cap. 44. 17. Ad suffitum Regina cali.* E vers. 18. *Ex quo cessauimus suffire regina cali, Id est, soli.*]

Marinus: *Facere placentas operi (fabrica) calorum.* Ieremia 7. 18. *Aleph* detractum est dedita opera, quod calo abuterentur. Alij reginam interpretantur. *Sacrificare operi, (fabrica) calorum.* Ieremia 44. 17.]

Pomarius in Laac: Inuenitur quoque *MELECHETH*, sine *aleph*, pro opere cali, seu stella, Ieremia 7.] Et in *Malac*: Inuenitur etiam Ieremia 7. & 44. *MELECHETH*, pro opere cali, id est, stellis. Aut secundum alios ponitur pro sole magna stella, quæ quidē inter alias regina existit.]

Schindlerus in Laac: *MELECHETH*, opus, artificium Ieremia 7. ut faciant placentas operi cali. Targum, stellis cali. Stellis quæ sunt opus Dei: aut Soli planetarum regi. Ieremia 44. & quia nos suffitum facimus operi calorum, stellis.]

Buxtorfius in Laac: *MELECHETH*, operi calorum, Ieremia 7. 18. quod repetitur Ieremia 44. 17. Rabb. Salomon, regina calorum.] Figuerius in Ieremia 7. ad vers. 18. *Regina cali, Id est, Luna: iuxta mentem idololatrarum: quasi solem haberent regem, lunam reginam.* Et sic Hebraice legitur *MALECHATH*. At Hebraei legunt *MELECHETH*, pro *MELEACHETH*, cum *aleph*, id est, operi cali, quasi dicat, stellis. Vnde Paraphraestes habet, stellis cali. Nam Stellas Deos credebant. Septuaginta, exercitui, seu militia cali, ut omnes stellas intelligamus, ut interpretatur D. Hieronymus.] Et in Ieremia 44. ad vers. 17. *Regina cali.* Glossa Interlinearis exponit, Luna, aut Iunoni aut Berecynthia, quæ Saturni uxor & mater Deorum dicitur. D. Hieronymus quoque supra cap. 7. lunam exponit. Septuaginta hoc loco habent, regina. At supra cap. 7. militia, seu exercitui cali, ut omnes stellas intelligamus. ut ibidem interpretatur D. Hieronymus. Vnde Paraphraestes utrobique habet, Stellis cali.

Ad

Ad verbum iuxta Hebraicum dicitur, Operi calorum. Et scribitur MELECHETH, pro MELEACHETH. Opus autem calorum vocantur astra à Deo facta in caelo. Alij, inquit Rabbi David, exponunt: Regina caelorum, hoc est stelle maxima & splendidissima, nempe Soli.] Didacus Ximenius in Ecclesiastico Lexico, Andreas Capella & Christophorus Castrus in Ieremiæ 7. & 44. multa differunt etiam de Regina cæli: sed quæ omnia ex plerisque prædictorum auctorum quos laudauimus, exscribere: vnde nihil opus est eorum verba transcribere.

Cæterum cunctis probe expensis, non est dubium, quin Vulgati interpretatio simplicior & aptior, *Regina cæli*. Nempe, vt MELECHETH sit à MALAC, regnare. *Reginam cæli*, lunam interpretati sunt S. Hieronymus, Anselmus Laudunensis, Lyranus, Clarius, Capella, Sa, Castrus. Equidem veteres Lunam, siderum reginam nuncupauere. Homerus in Hymno de Luna:

Salve regina dea albis vlnis Luna.

Horatius in Carmine sæculari:

*Siderum Regina bicornis,
Audi luna puellas.*

Vide Petrum Fabrum Semestrium lib. 3. cap. 1. Apuleius quoque lib. 11. Asini, de Luna: *Deam præpotentem lacrimoso vultu sic apprecabar: Regina cæli, siue tu Ceres, &c.]*

Alij verò *Reginam cæli* in Ieremia Venerem, intelligunt. Theodoretus in 44. Ieremiæ: *Reginam cæli vocant Venerem. Nam & Græci nuncupant eam Vraniam, id est, cælestem.]* Sed quænam fuerit Vrania, Herodianus lib. 5. ita explicat: *Simulacrum Vranie iussit offerri: quod scilicet Carthaginensibus omnique Africa incredibilem in modum venerabile, possum fuisse à Phanissa Didone creditur. Hanc Afri Vraniam vocant, Phænices Astroarchen [foras Astarten] lunam esse affirmantes.]* At de Vrania seu Cælesti, non vacat nunc accuratius disquirere. Videndi inter alios Petrus Faber Semestrium lib. 3. cap. 1. & 2. Baronius Annali 5. anno Christi 399. Numero 61. & seqq. qui etiam *Reginam cæli Lunam interpretantur.* S. Philastrij locus de Hæresibus, cap. 16. non est omittendus: *Alia est hæresis in Iudæis, qui Reginam, quam & Fortunam cæli nuncupant, & Cælestem vocant in Africa, colunt, eique sacrificia offerre non dubitant.]* Equidem si vocem Astroarchem in Herodiano retineamus, indicat Astorum principem seu reginam. Apuleius lib. 11. *Regina cæli, siue tu Ceres, seu tu cælestis Venus, &c.]* Ergo *Reginam cæli*, esse Vraniam, seu Cælestem, nunquam dubitauerim.

Quidam tamen *Reginam cæli*, Solem accipere maluerunt, vt Vatablus, Auenarius, Capella, vti vidimus, quod *Semes*, id est, Sol, Hebræis sit faminei generis. Sed id minimè placet.

CAPVT XXVII.

Antichristum plurimas habiturum vxores.

Nemini clam est, quæ Iudæi & somnient, & expectent de suo Messia tardigrado. Aiunt enim illum vxores multas habiturum, greges concubinarum ac pellicum, copiosam filiorum segetem procreaturum: atque palam polygamiam & concubinas omnibus permittitur; vt numerosam prolem quisque tollit: quæ omnia veteris Instrumenti Patres, Reges, ac Principes, & alij habuere. Neque enim in hac parte Messiam suum minora facturum, quam Dauidem, Salomonem, & alios. Hanc esse Iudæorum persuasionem &

spem, norunt omnes. De qua plura leges apud Galatinum lib. 5. Arcanorum Catholicæ Veritatis, cap. 13. Finum lib. 7. Flagelli cap. 12. Pettum Costum in Typo Messia, & alios: Obtundunt autem impuri verpi suæ vecordiae atque turpitudini aliquot Scripturæ testimonia, sed illa præfertim. Psalm 44. v. 10. 15. 17. *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato: circumdata varietate. Adducentur Regi virgines post eam: proxima eius offerentur tibi. Pro patribus tuis nati sunt tibi filij.* Et Psalm. 88. v. 30. *Et ponam in seculum sæculi semen eius.* Et Isaia 53. v. 10. *Videbit semen longæum.* Quibus locis contineri putant expressa vaticinia de vxoribus, pellicibus, & sobole Messia: crasso & pingui sensu cuncta metientes.

Petrus Costus qui hæc accuratè peruestigauit, ita scribit: *Nam præter id quod suum Messiam imperandi cupidum, & popularis gloriæ summè appetentem faciunt, addunt ei & concubinarum greges, & regum filias planè innumerabiles illi nuptum dandas. Reges enim gentium, vt inquit, sibi plurimum honoris & iudicij tributum existimabunt, si illi filias suas in matrimonium elocauerint. Atque vt eorum genus cæteris populis dignitate præstare videatur, statuunt è gente Iudæorum Reginam, quæ vt inter ceteras principem obtrinebit locum, ita Messia in coitus perpetuos usus deseruiat. Ob idque eam SEGAL vocant. Cætera autem & si habeantur vxorum loco, nunquam tamen ad regem Messiam accedent, nisi illis nominatim condixerit. Hæc tam absurda probari posse contendunt ex Psalmo Davidis quadragesimo quinto.]* Ista Costus atque etiam alij, qui cæcitatem Iudaicam profecerunt.

Hæc omnia qui secum mente perpenderit, simulque in memoriam reduxerit quæ superiori Capite de libidine Antichristi disseruimus, facile intelliget, Antichristum, cum vt morem gerat initio Iudæis, quorum potissimum causa venturus est, tum vt profundæ suæ libidini satisfaciat, plurimas vxores & concubinas habiturum, illasque omnium pulcherrimas, delectas ex filiabus magnorum Regum ac Principum: sic enim Iudæis se verum eorum Messiam probare conabitur, quem ipsi tam polygamum expectant. Nec multum à vero aberrauerit, qui Antichristum plures habiturum vxores, & pellices existimauerit, quàm vllum retrò se regem aut principem. Nam si Scriptura 3. Regum, 11. v. 3. vnus Salomonis; Iudææ parvæ prouinciæ regis, Reginas, id est, primatias vxores, & quasi matres familias, septingentas: concubinas verò ac pellices, hoc est, minores vxores, trecentas fuisse prodit: quid creditu difficile videbitur, totius orbis monarcham Antichristum immensa illa libidine & lasciuia, qua maior nulla vnquam fuit, nedum plurimas, sed planè innumeras sibi adiuncturum?

Constat cunctas ferè nationes olim fuisse Polygamas. De Iudæis res est è sacris litteris nota. Et Iosephus lib. 17. Antiquitatum cap. 1. ait: *Mos est nobis patrius plures simul vxores habere.]*

De Persis Herodotus lib. 1. numero 135. *Virgines multas ducunt vxorum loco, sed multò plures pallacas habent.]* Cicero Verrina 5. *Solere aiunt Barbaras Reges Persarum ac Syrorum plures vxores habere.]* Strabo lib. 15. pag. 504. *Ducunt vxores complures, & multas pellices alunt, multiplicanda sololis gratia.]* Ammianus Marcellinus lib. 23. cap. 30. *Effusus plerique soluti in Venerem, agrèque contenti multitudine pellicum, puerilium stuprorum expertes, pro opibus quisque adsciscens matrimonia plura vel pauca. Vnde apud eos per libidines varias charitas dispersa torpescit.]*

De Parthis Iustinus lib. 41. *Vxores dulcedine variae libidinis, singuli plures habent.]*

De Medis Strabo lib. 11. pag. 362. Id quoque Medorum est, ut rex multas habeat uxores: quem quidem morem omnes Medi montani tenent: neque licet pauciores habere mulieres, quam septem.]

De Indis Strabo lib. 15. pag. 488. Multas nuptas habent, quas a parentibus accipiunt, pari bonum emp-
tas.]

De Aegyptiis Diodorus Siculus lib. 1. numero 51. In matrimonio Aegyptiorum Sacerdotes unam: alij quot quis velit, ducunt.]

De Syria regibus Cicero Verrina 4. Reges Syria singuli plurimas habuere uxores: & prater reges, alij etiam pro modo facultatum.]

De Numidis & Mauris, Sallustius in Iugurthino, cap. 80. Iugurtha filia Bocho nupserat. Verum ea necessitudo apud Numidas, Maurosq; levis ducitur: quia singuli pro opibus quisque quamplurimas uxores, denas alij, alij plures habent: sed reges eo amplius, ita animus multitudinem distrabitur: nullam pro socia obtinet, pariter omnes viles sunt.]

De Nasamonibus, Herodotus lib. 4. numero 172. Uxores plures singuli e consuetudine habent, & cum eis in propatulo coeunt.]

De Garamantis Strabo lib. 17. pag. 574. Hi & in victu, & ornatu frugales sunt, uxores multas, & multos filios habent.]

De Brachmanis idem Strabo lib. 15. ex Megasthene: Quamplurimas ducere uxores, multiplicanda proles gra-
tia.]

De Cyrenaicis, Pomponius Mela lib. 1. cap. 8. Singuli aliquot simul coniuges, & plures ob id liberi agnati-
que.]

De Thracibus Herodotus lib. 5. Numero 5. Singuli plures uxores habent.] Solinus in Polyhistore, cap. 16. Uxorum numero se viri iactitant, & honoris loco ducunt multiplex coniugium.]

De Lacedemoniis, Clemens Alexandrinus 2. Stomate: Laconum Legislator non solum panam imposuit ei qui uxorem non duxisset: sed etiam ei, qui unam tan-
tum.]

De Germanis, Tacitus de eorum moribus: Prope soli Barbarorum singulis uxoribus contenti sunt, excep-
tis admodum paucis, qui non libidine, sed ob nobilitatem plurimis nuptiis ambiuntur.]

Sed de singularibus personis dicamus. De Socrate, Diogenes lib. 2. Duas eum uxores duxisse Aristoteles ait, priorem quidem Xantippem, ex qua Lamprocleum ei natum esse: alteram vero Myrto, Aristidis filiam, eius qui iustus vocatus est: quam indotatam quoque fer-
tur accepisse: ex qua Sophroniscum & Menexenum natos esse. Quidam priorem aiunt duxisse Myrto: nonnulli autem utrasque simul eum habuisse dicunt: in quibus est Satyrus & Hieronymus Rhodius. Ait enim, Athenien-
ses, ob hominum infrequentiam, multitudinem augere volentes decreuisse, unam quidem ut ciuem, uxorem du-
cere: ex altera vero etiam procreare filios liceret: quod & Socratem ipsum quoque fecisse.] Athenæus tamen lib. 13. Deipnosophistarum, cap. 1. in hunc modum scri-
bit: Non iniuria quispiam illos arguat, qui uxores duas Socratem habuisse prodiderunt: Xantippem nimirum, & Myrto, Aristidis, non cognomine Iusti, filiam, repu-
gnant enim tempora: sed eius qui ab ipso tertius fuit. Au-
ctores eius rei sunt Callisthenes, Demetrius, Phalereus, Satyrus peripateticus, Aristoxenus, quos ad id scriben-
dum prouocauit Aristoteles, qui lib. de Cognatione, lit-
teris id mandauerit: nisi fortassis plebiscito fuerit tum concessum ob ciuium raritatem, volentibus uxores ha-
bere duas ut liceret: ideoque tacitum id Comicis fuisse, quamuis Socratis crebro meminerint. De uxoribus Hieronymus Rhodius plebiscitum adscripsit: quod ubi

naetus librum fuero ad te mittam. Is qui de duabus So-
cratis uxoribus scripserunt, contradicit Panætius Rho-
dius.]

De Euripide Poëta, Agellius lib. 15. cap. 20. Simul duas habuerat uxores: cum id decreto ab Athe-
nienfibus factum, ius esset.]

De Anaxandride, Pausanias in Laconicis, nume-
ro 84. Anaxandrides Leontis filius, unus ex omnibus Lacedemoniis, uxores duas eodem tempore habuit: unde illi soboles duplex.]

De Dionysio Tyranno, Alianus de Varia Hi-
storia lib. 13. cap. 10. Vno die duas uxores Dio-
nysius in matrimonium sibi associavit, Doridem Locren-
sem, & Aristenetam Hippanis filiam, sororem Dionis:
& cum utrisque vicissim dormiuit: atque altera se-
quebatur eum in bellis, altera reuersum excipiebat.] Sed prior Diodorus Siculus lib. 14. Numero 420. Dionysius Doridem, Xeneti clarissimi per id tempus ciuis Locrensis filiam, sibi desponsandam curat. Ma-
trimonio etiam sibi iunxit nobilissimam ex ciuib; puel-
lam Aristomacham, quam albis quadrigis domum suam deduxit. Cum geminas ergo eodem tempore nu-
ptias, celebraret, crebras militibus & plerisque ciuita-
tibus epulas instituit.]

De Cæsare Iulio, Suetonius lib. 1. cap. 52. Hel-
uius Cinna Tribunus plebis plerisque confessus est ha-
buisse scriptam, paratamque legem, quam Cæsar ferre iussisset, quum ipse abesset, uti uxores liberorum queren-
dorum causa, quas, & quot vellent ducere liceret.] Lipsius lib. 1. Electorum, cap. 20. Forrentius, Casau-
bonus, notant nonnullos Codices pro vellent, habere vellent, ut ad Cæsarem tantum ea lex pertineat. Fauet Dio lib. 44. cum ait: Quippe inuenti sunt qui potesta-
tem ipsi [Cæsari] cum quibuscumque vellent faminis rem habendi permittere auderent: nam pluribus etiam tum quinquagenario maior utebatur.] Verum frequen-
tiores Codices, vellent, habent, & exhausta Republi-
ca nihil mirum si Cæsar legem tulerit illi Athenien-
sium plebiscito, de quo antea dicebamus, persimilem. Et Valentiniani Principis Christiani eadem fuit lex, de qua mox dicemus. Et nonne peior illa Semiramidis fuit, de qua Orosius lib. 1. cap. 4. Præcepit enim, ut inter parentes ac filios nulla delata reuerentia natura, de coniugiis appetendis, ut cuique libitum esset, liberum fieret.]

De Valentiniano Imperatore, Socrates lib. 4. Hi-
storiæ Ecclesiasticæ, cap. 26. ista perscribit: Hunc valentinianum [Iuniorem] intelligamus oportet ex Iustina natum fuisse, quam pater eius priore coniuge Seuera adhuc viuente, duxerat: idque tali de causa. Iustus pater Iustina, qui iam pridem, temporibus scilicet Constantij Imperatoris Picena provincia fuit Præfectus, in quiete per visum videbatur sibi videre, se purpuram Imperatoriam e dextro latere tanquam par-
tum edidisse. Quod quidem visum cum aliis plerisque narratum fuit, tum ad aures perlatum Constantij. Ille ex viso ducebatur ad augurandum, Imperatorem ex Iusto satum fore: & propterea misit aliquot qui Iustum e medio tollerent. Itaque Iustina patre orbata, virgo per-
mansit. Postea tempore progrediente, Seuera Imperatoris Valentiniani coniugi nota esse capit, crebroque cum illa venit in colloquium. Postquam vero creuit inter eas con-
suetudo & familiaritas, iisdem balneis pariter lau-
bant. Idcirco Seuera, ubi Iustinam in balneis lautam vi-
disset, virginis pulchritudine mirè capiebatur, capitque de ea ad Imperatorem verba: Iusti filiam virginem esse pulchritudine planè admirabili: seque licet esset mul-
lier, eius forma adeò venusta vehementer oblectari, Imperator uxoris verba mente interiori recondens, consilium de Iustina in uxorem ducenda inuit:
Seuera

*Seuera, de qua Gratianum, quem paulo ante Imperatorem declarauerat, suscepit, nentiquam repudiata. Quare legem tulit, ut cuique volenti liceret duas uxores habere legitimas: eoque in singulis ciuitatibus diuulgauit. Lege itaque diuulgata, ipse Sustinam duxit uxorem, ex qua Valentinianum Iuniorem, & tres filias, Iustam, Gratam, & Gallam procreauit.] Haecenus Socrates. Eadem omnino tradunt Paulus Diaconus lib. 12. Miscellæ, cap. 10. Nicephorus lib. 11. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 33. Zonaras Tomo 3. Annalium, in Valentiniano. Annalium Ecclesiasticorum conditor Baronius conatus est Socratem mendacij arguere, quod tam obscenum factum, & legem polygamiae de Valentiniano prodiderit. Sed non sunt tanti eius argumenta, ut ei victoriam causæ adiudicemus. Nam & S. Theodorus Studita vir sanctitate & doctrina magnus à Socrate etiam stat, dum in Constantinum Imperatoris Irenes filium inuehitur, ob repudiatam Mariam legitimam coniugem, & inductam Theodetem, hæc ad Theodotum scribit: *Quanam vobis Valentiniani ethnica bigamia? & quis propterea quod illum coronarit, sanctus predicatur, & non iniustus? Si tamen coronatus ille fuit. Et quis è Sanctis qui tum vinebant Patribus, sanctè fecisse Valentinianum prodit, cum duas uxores duxit: atque ita fieri deinceps oportere.]**

De Vvittiza Hispaniæ rege, Rudericus Archiepiscopus Toletanus lib. 3. Rerum Hispanicarum, cap. 15. *Ad tantæ enim perditionis & dissolutionis peruenit cumulum, ut plures uxores & concubinas ad satietatem libidinis simul detineret: & exemplo simili viros illustres & potiores Gothorum ad similia facinora inducebat: quorum exemplo, in minoribus populi peccata similia inundabant.] Et cap. 16. Dedit licentiam, imò præceptum omnibus Clericis, ut uxores & concubinas vnâ & plures haberent publicè, iuxta libitum voluptatis.] Et Lucas Tudensis lib. 3. Chronici: *Habuit præterea nefandus Vvittiza simul plures uxores & concubinas, atque Ducibus suis, ut similiter agerent, imperauit.] Eadem de illo referunt quotquot Hispaniæ res stylo conderunt.**

De Mahomete, nimis est peruagatum, legibus sanxisse, ut duas, tres, aut quatuor quisque uxores ducere

posset De Turcis Laonicus Chalcolondylas lib. 3. *Uxores enim ducunt, pellices 93. ex mancipiorum, grege tor deligunt, quotquot quilibet alere potest. Uxores autem virgines accipiunt nemine prohibente, donec quinque sibi copulauerint.]*

Nouatores mirè polygamiae fauent. Lutherus variis locis suorum operum, fas, liberumque esse ait Christiano plures simul habere uxores. Ioannes Oldendorpius permittente Luthero duas simul duxit uxores Ioannes Bacholdus Leidenensis duodecim simul uxores habuit. Herzerus Anabaptista, vno tempore tredecim duxit uxores. Probant aperte polygamiam Martinus Bucerus, David Georgius, Bernardinus Ochinus, & Libertini. Vide de his latius Idoceum Coccium Tomo 2. Thesauri Chatolici, lib. 9. Articulo 2.

De Iudæis post Christum natum, Iosephus lib. 17. Antiquit. cap. 1. *Mos enim nobis est patrius plures simul uxores habere.] S. Iustinus Martyr Dialogo cum Tryphone Iudæo: Melius fuerit, Deum vos quam insipientes & cacos Rabbinos vestras sequi: qui sanè ad hunc usque diem, & quatuor, & quinque vestrum quemque uxores habere permittunt. Et si quis venustam inspicies, eam expetiuerit, cum Iacobi Israelis, & aliorum Patriarcharum facta commemorant, tum nihil iniquius agere similia facientes asseuerant: quo quidem etiam miser & stulti sunt nomine.] Verum eiusmodi Iudæicam impuritatem Theodosius. Arcadius, & Honorius AAA. sustulere, Lege 6. codice de Iudæis: *Nemo Iudæorum morem suum in coniunctionibus retineat, nec iuxta legem suam nuptias sortiatur, nec in diuersa sub vno tempore coniugia conueniat. Dat. 3. Kalend. Januarij Theodosio A. 11.] & Abundantio Coss.]**

Qui res Noui Orbis Occidui describere, alios Gomara, tradunt, Mexicanos & Peruanos Reges, ac principes plures vno tempore uxores habuisse: ac de Mutezuma ferunt, illum mille simul aluisse uxores, & ex his contigisse aliquando ut centum & quinquaginta eodem tempore ex eo vterum ferrent. At certum & exploratum haberi volumus, nullum vnquam in orbe extitisse polygamiozem Antichristo.





D E ANTICHRISTO, LIBER OCTAVVS.

D E D O C T R I N A E T M I R A C V L I S A N T I C H R I S T I.

C A P V T I.

*Antichristum initio Imperij sui observaturum
ritus Iudaicos, & legem Moſis
inſtauraturum.*



ANTICHRISTVM in exordiis ſuæ magnitudinis acturum vindicem legis Moſaicæ, ac illam Templi militiam, & antiqui Teſtamenti totam illam Oeconomiam, vtcumque apud Iudæos reſtituturum, Patrum & recentiorum ſententia eſt. S. Cyrillus Ieroſolymitanus Catecheſi 15. *Si enim tanquam Chriſtus ad Iudæos veniet, à Iudæis ſanè adorari volet, vt illos maxime decipiat. Studioſiſſimum ſe eſſe oſtendet illius templi, vt ipſe de progenie Dauid eſſe videatur.* Victorinus in Apocalypſim: *Non enim ſeducere populum poterit circumciſionis, niſi legis vindicator. Denique & Sanctos, non ad idola colenda reuocaturus eſt: ſed ad circumciſionem colendam.*

Seuerus Sulpitius Dialogo 2. de Vita S. Martini Turonenſis Episcopi, extremo: *Caterum cum ab eo [S. Martino] de fine ſæculi quæreremus, ait nobis, illius Antichriſti eam perſecutionem futuram eſſe, vt Chriſtum Dominum cogat negari, ſe potius Chriſtum eſſe confirmandum: omnesque ſecundum legem circumcidi iubeat.* S. Hieronymus in 11. Danielis, ad verſ. 22. *Antichriſtus ſimulabit ſe ducem eſſe fæderis, hoc eſt, Legis & Teſtamenti Dei.* Et præmiſerat hunc eſſe ſenſum Eccleſiaſticorum Interpretum: *Noſtri autem, inquit, & melius interpretantur & rectius, quod in fine mundi hæc ſit facturum Antichriſtus.* Auctor nomine S. Hieronymi commentariotum in 2. Theſſalonicenſ. 2. ad Verſ. 10. *Antichriſtus Templum Ieruſalem reſficere tentabit, omnesque legis ceremonias reſtaurare: tantum vt veritatis Chriſti Euangelium ſoluat: qua res Iudæis eum pro Chriſto ſuſcipere ſuadebit, in ſuo, non Dei nomine venientem.* Eadem habet ad verbum Sedulius. Ambroſij nomine vetuſtus Auctor in 2. Theſſalonicenſ. 2. *Quamobrem ex circumciſione, aut circumciſum eum venire ſperandum eſt, vt ſit Iudæis credendi illi fiducia.* S. Gregorius Magnus lib. 11. Epistoła 3. *Qui Antichriſtus veniens, diem Sabbathum atque Dominicum ab omni faciet opere cuſtodiri. Quia enim mori ſe & reſurgere ſimulat, haberi in veneratione vult Dominum diem: & quia Iudæizare populum compellit, vt extremum ritum legis reuocet, & ſibi Iudæorum perſidiam ſubdat, coli vult Sabbathum.* S. Gregorius Turoni-

cus lib. 1. Hiſtoriæ Francorum, ſub initium: *Antichriſtus verò primum circumciſionem inducet, ſe aſſerens Chriſtum.* S. Iſidorus Hiſpalenſis Episcopus lib. 8. Originum cap. 11. *Nam & Templum Ieroſolymis reſparare, & omnes veteris legis ceremonias reſtaurare tentabit Antichriſtus.* Rabbanus Opusculo de Antichriſto Poſtea Ieroſolymam veniens Antichriſtus circumcidet ſe.]

Atque recentiores omnes in eandem aſſertionem mirifice conueniunt: nec ſanè dubium eſſe poteſt, nam cum omnes & veteres & poſteriores ſummo conſenſu aſſerunt, Antichriſtum à Iudæis pro vero & legitimo ſuo Meſſia recipiendum, vt libro 6. cap. 39. & 40. abunde docuimus, nimis exploratum eſt Iudæos neminem pro Meſſia recepturos, niſi eum qui legem obſeruet, & inſtauret. Sed de his videndi, Burgenſis Additione 1. ad Pſal. 52. Sanderus lib. 8. de viſibili Eccleſiæ Monarchia, cap. 18. Bellarminus lib. 3. de Romano Pontifice, cap. 12. & 14. Acoſta lib. 2. de Nouiſſimis Temporibus cap. 5. Suares Tomo 2. in 3. Partem S. Thomæ, Diſputatione 54. Sectione 4. Florimundus lib. de Antichriſto, cap. 16. Viegas in 13. Apocalipſ. Commentario 2. Sectione 7. Cornelius à Lapide in 2. Theſſalonicenſ. 2. Numero 69. & 73. Leſſius de Antichriſto cap. 6. & alij.

Neque eſt dubium Eccleſiaſticos Patres hanc ſuam ſententiam ex verbis illis Daniel. 11. 22. *Insuper & dux fæderis, accepiſſe.* Quæ ſanè ſuam difficultatem præſerunt. S. Hieronymus reddens Porphyrij inter pretationem, ita ſcribit: *Et non ſolum Ptolemaum vicit fraudulentia [Antiochus Epiphanes], ſed Ducem quoque fæderis, hoc eſt, Iudam Machabæum ſuperavit dolis.* Siue quod dicit, hoc eſt: *Cum ipſe [Antiochus] obtuliſſet pacem Ptolemao, & fuiſſet dux fæderis, poſtea eſt ei molitus inſidias. Ptolemaum autem hic Philometorem ſignificat, filium Cleopatra, ſororis Antiochi.* Eadem habent Strabus, Pintus, & Pererius. At Anſelmus Laudunenſis: *Dux fæderis, Ptolemaus Philometor.* Lyranus: *Dux fæderis, id eſt Ptolemaus Philometor, cum quo Antiochus eius auunculus ſimulabat facere fædus principaliter, contritus eſt ab eo.* Conradus Pellicanus: *Imò & ipſe dux fæderis Ptolemaus vincetur Philometor, filius Cleopatra ſororis huius Antiochi.*

Vatablus in Annotationibus Sanctandreanis: *Et etiam dux fæderis. Intelligit Ptolemaum Philometorem.* Et in Scholiis Salmanticensibus: *Et etiam ipſe princeps fæderis, id eſt, rex Egypti qui valebat ferire fædus.* Iſidorus Clarius: *Et ipſe dux fæderis, Ptolemaus Philome*

Philometor.] Sa : Dux faderis, scilicet, *Ptolemaus Philometor.*] Veldius: *Ptolemaus Philometor* hic appellatur Dux faderis. Cum enim esset *Antiochi Epiphanis* nepos, nihil aequè optabat quàm illius pacem & fadus amicitia: quod ille dolo malo nepoti firmanit, ut facilius noceret.] *Maldonatus*: Magis altera eiusdem *Hieronymi*, & aliorum interpretatio mihi probatur, ut *Ptolemaus Philometor* rex *Aegypti* adhuc adolescens Dux faderis appelletur, aut quod *Antiochus* cū illo, sicut eius pater *Antiochus Magnus* cū *Ptolemao Epiphane* patre *Ptolemai Philometoris* fadus habebat, ut versu 17. dictum est: aut, ut alij volunt, quia *Ptolemaus Philometor* filius erat *Cleopatra* sororis *Antiochi*, quam *Antiochus Magnus* *Antiochi* pater *Ptolemao Epiphani*, *Philometoris* patri, iungendi faderis causa desponderat, ut vidimus Versu 17. Itaque *Ptolemaus Philometor* & ex eo fadere natus, veluti vinculum eiusdem faderis erat. Mouet me quod ea quae proximo versu sequuntur, de illo sine controuersia intelligantur.] Aliter *Immanuel Tremellius* & *Franciscus Iunius*: Etiamque antecessor faderis, id est, *Seleucus Philopator* frater ipsius *Antiochi Epiphanis*, qui nouas res cogitans fadus cum *Antiocho Epiphane* fratre iniue- rat, quum adhuc obses *Roma* detineretur: *Seleucus* enim ad *Romanos* obsidem misit *Demetrium* filium suum, ut *Antiochum* fratrem liberaret: quem sibi noui faderis necessitudine coniunxerat, ut in *Aegyptum* communi consilio inuolarent, specie adiuvandi *Physconem* contra *Ptolemaum Philometora*.] Fanatica interpreta- tio.

Theodoretus: Dux Testamenti. Hic praesignificat seditionem concitatum contra Oniam principem sacerdotum, à Iesu, qui etiam *Iason* dictus fuit, & *Oma* filio *Menelai*: ex quibus *Iason* cum prius ad *Antiochum* contendi- set, fratrem suum pontificatu eiecit. *Menelaus* vero muneribus & auro *Antiocho* missis, ad se rursus reuocato Pontificatu, expulit *Iasonem*. Hinc graues & molesta calamitates *Iudeorum* nationem inuasere. Hac ante beatus *Daniel* doctus audit. Et dux faderis, principem sacerdotum intelligi vult *Pium Iasonis* fratrem, promo- netque fore, ut illum etiam abdicet Pontificatu *Maximo*, deinde docet quomodo, & commissionibus erga illum, faciet dolum, &c.] Totam hanc historiam fusè de- scriptam habes 2. *Machabæorum*, capite 4. 9. 10. Ergo siue Dux faderis intelligatur, *Iudas Machabæus*, siue *Ptolemaus Philometor*, siue *Onias Sacerdos*, ad textum & ductum sermonis videtur subaudiendum Verbum ex præcedenti hemistichio: Et brachia pugnantis expugnabuntur à facie eius, & conterentur: in- super & dux faderis. Subaudi, conteretur. *S. Hieronymus*, Ducem faderis. *Antiochum Epiphanem* diserte interpretatus est. Ait enim: Cum ipse *Antiochus* obul- lisset pacem *Ptolemao Philometori*, & fuisset dux faderis, postea est ei molitus insidias.] Vnde illud *Nostri*, Insuper & dux faderis. Ita exponendum: Insuper & dux faderis. Sub audi, erit, vel simulabit se, aut ven- ditabit Ducem esse se faderis.

Sed cum lib. 6. cap. 11. accurate ostenderimus, to- tum hoc vaticinium *Danielis*, tamen si *Antiocho* tan- quam figuræ & typo conueniat, primario tamen & sublimiori sensu *Antichristum* respicere, præferenda omnino est *Patrum* explanatio, quam *S. Hieronymus* ita reddidit: *Nostri* autem & melius interpretantur & rectius: quod in fine mundi hoc sit facturus *Antichri- stus*, &c. Et hoc faciet, quia simulabit se ducem esse faderis, hoc est, Legis & Testamenti Dei.] Id est, acerrimè aget Legis *Mosaicæ*, & *Veteris Testamenti* vindicem & instauratorem, ut *Iudæis* gratificetur, à quibus tan- quam *Messias* est excipiendus. *NAGID*, propriè est, Dux, Princeps, Præsul, Antistes, Annuntiator, Indicator, Relator, *BERITH*, faderis, pacti, testamenti, Ad ver-

bum: Et etiam præsul faderis. Subaudi, erit *Anti- christus*. Vel casu accusandi: Et etiam præfulem faderis, nimirum, aget, iactabit, vel simulabit se esse. Hoc est, constituet se supremum antistitem, præfulem, relatorem, annuntiatorem instauratorem *Mosaicæ* legis, ac antiqui faderis *Iudaici*. Possit esse periphra- sis summi & veri Dei, qui auctor & princeps est diui- næ legis ac pacti æterni, quasi dicat: *Antichristus* se ipsum faciet diuinæ legis auctorem, atque esse se, cuius sit proprium æternas leges & fædera condere, mortalibusque imponere. Hoc est, Constituet se ipsum Deum. Sed prior sensus, quia *Patrum*, omnino præfe- rendus est.

Ad *Iudaicam* etiam *Antichristi* doctrinam perti- nere nonnulli existimant illud *Psalmi* 9. v. 21. Con- stitue Domine legislatorem super eos: ut sciant gentes quoniam homines sunt. Pro, legislatorem. Hebraice est *MORAH*, cum He in fine. Plerique positum volunt He, pro Aleph, ut sunt permutabiles istæ litteræ, quasi esset *MORA*, deducuntque à *IARA*, Timuit, red- duntque, Pone Domine timorem, terrorem, pauorem eis. Qua ratione interpretati sunt, *Chaldaeus*, *Aquila*, *Theodotion*, *S. Hieronymus*, *Aben-Ezra*, *Kimchius*, *Sanctes*, *Munsterus*, *Campeus*, *Augustinus*, *Iustinia- nus*, *Steuchus*, *Tremellius* & *Iunius*, *Flaminius*, *Gagnæus*, *Vatablus*, *Montanus*, *Schindlerus*, *Buxtorfius*, *Bochius*. Alij deducunt à *IARAH*. *Forsterus*: *MORAH*, institutio, Constitutio, nomen participia- le atque idem significat, quod *THORAH*. *Psalmi* 9. Pone Iehoua constitutionem illis.] Quod non placet *Mercero*. At *Auenarius Marinus*: Pone Domine do- ctrinam illis.] *Leo Iudas* Præfice Domine magistrum illis. *Felix Pratensis*: Pone Domine iugum ipsis. *Sym- machus* Pone Domine legem eis. *Caictanus*: Pone Do- mine dominium eis. deduxit à *MARA*, *Syriaco*, dominari: vnde *Maria*, id est, Domina, & in *Paulo* *Maranatha*. Dominus noster venit.

Possit deriuari etiam à *Marah*. Pone Domine Apo- statam, rebellem, defectorem, desertorem eis, quæ lectio mire *Antichristum* exprimit. *Hebræi* Apostatas vo- cant *Maranim* *Hispani*, *Marranos*. Vel, Pone Domine nauiculam eis. ut iugulentur, excindantur. *MORAH*, nauacula, i. Samulis, i. v. 11. Omnia Fons, ut est vbertimus, complectitur. Nec alienè: Pone Domine amaritudinem eis. à *MARAR*. At *Lxx* perspicue legerunt *MOREH*, Institutorem, Doctorem, Legislatorem, Magi- strum à *IARAH*, docuit, instituit Quam lectionem & *Græci* & *Latini* *Patres* amplexi sunt.

Verum aliis loci huius explanationibus ad Inter- pretes anandatis, Legislatore hinc *Antichristum* intel- ligunt, *Rufinus*, *S. Augustinus*, Auctor *Commenta- riorum* in *Psalmos* nomine *S. Hieronymi*, *Cassiodo- rus*, *S. Beda*, *Haimo*, *Strabus*, *Anselmus Laudunensis*: & ex recentioribus *Titelmannus*, *Iansenius*, *Genebrardus*, *Lorinus*, ab ea expositione minime abluunt. Quasi dicat: Quia *Iudæi* qui impietate & perfidia gentes superarunt, Christum Dei Filium verum *Mes- sias* recipere noluerunt: immett eis Dominus fal- sum legislatorem, pestilentem Doctorem & magistrum *Antichristum*, qui eis prauas & mortiferas leges im- ponat, perniciose eos dogmata doceat: ut sic suppli- ciis perfidiae & errorum attriti, ac deuastati, discant se esse omnium hominum miserrimos & infelices. Enos enim, quod hinc ponitur, propriè significat ho- minem, miserum, mortalem, ærumnosum, calamito- sum, ac malis extrinsecus obrutum, atque perditè des- peratum. Quod mirificè quadrat in *Iudæos* & nunc toto orbe perditos ac desperatos: & tempore *Anti- christi*, quando seducti ab illo, in barathrum calami- tatum omnium ac ærumnarum & in summam despe- rationem

rationem ruent. Quin & lib. c. ex professo agemus de plagis & calamitatibus, quibus vivente adhuc ipso Antichristo, cum Iudæi, tum etiam alij eius sectatores è cælo afficiendi sunt, Atque sanè hic locus assimilis est illi, Ioan. 5. v. 43. *Ego veni in nomine Patris mei, & non accipietis me si alius: venerit in nomine suo, illum accipietis.* Et alteri 2. Thessalon. 2. v. 10. *Eo quod charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent. Ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio.*] quæ copiosè exposuimus lib. 6. cap. 40.

Præterea lib. 11. pluribus demonstrabimus, Templum Ierosolymitanum ab Antichristo ac Iudæis denudè propè finem mundi esse reedificandum, non ob aliam potissimum causam, quam ut in eo victimas Deo secundum legem Mosaicam Iudæi immolent, cæterasque veteres caeremonias, & vniuersam legalem obseruantiam ritu solemnè instaurent ac peragant. Et licet in exordiis regni sui, quum Babylone rerum potiri incipiet, & quum Ierosolymis primum sedem Imperij figet Antichristus, legis Mosaicæ restitutorem sese cupidè ostentabit, quando nimirum à Iudæis tanquam ipsorum verus Messias excipietur: at postea ad summam Monarchiam prouectus, quum culmen omnis potentiae adeptus fuerit, eò superbiam & blasphemiam prorumpet, ut verum Deum sese insolentissimè iactet. Quo tempore, & Iudæos, & legem Mosaicam, & cuncta humana & diuina pessumdabit. Nihil enim pro lege haberi statuet, nisi imperia oris sui: nam erit omnium atheissimus. Nihil tunc Iudæos, aut quosuis homines curabit, quia super vniuersa confurget.

CAPVT II.

Antichristus se verum Messiam & Christum asseret: Iesum verum Filium Dei palam repudiabit, & abnegabit.

Mirus est hac de re Patrum consensus. Irenæus lib. 5. aduersus Hæreses, cap. 25. *In quo [Templum nimirum Ierosolymitano] aduersarius [Antichristus] sedebit, tentans semetipsum Christum ostendere.*] Et inferius: *Et in templo Dei sedebit, seducens eos qui adorant eum, quasi ipse sit Christus.*] Laëtantius Firmianus lib. 7. cap. 19. *Hic est autem qui appellatur Antichristus: sed se ipse Christum mentietur, & contra verum dimicabit.*] Lucifer Episcopus Calaritanus lib. de Non parcendo in Deum delinquentibus: *Nihil Antichristus acturus est, nisi ut negetur vnicus Dei Filius.*] S. Hilarius lib. de Trinitate, elucidans verba Christi Ioann. 5. v. 43. *Ego veni in nomine Patris mei, & non accipietis me: si alius venerit in nomine suo, illum recipietis.* ait: *Quia Filio & Deo proprium est in nomine Dei Patris venire. Deinde accipiendus est alius in nomine eodem veniens. Sed hic homo est, à quo sibi honorem homines sperabunt, & cui honorem reddent vicissim: cum tamen se idem in nomine Patris venisse fallat. Et hic quidem Antichristum significari non obscurum est, mendacio Paterni nominis gloriantem.*] nimirum quia se Christum Dei Filium iactabit. S. Cyrillus Ierosolymitanus Catechesi 15. *Inducet [diabolus] quendam hominem [Antichristum] falsò se ipsum Christum appellan-tem, ac per hanc Christi appellationem, Iudæos, qui venturum expectant, decipientem.*] Et mox: *Magica impostura decipiet Iudæos, tamquam is esset Christus ab illis expectatus.*] Et post alia: *Si enim tanquam Christus ad Iudæos veniet, à Iudæis sanè adorare volet, ut ipsos maximè decipiat.*]

S. Gregorius Nazianzenus Oratione 47. *Aiunt fore,*

ut Antichristus à Iudæis Christus credatur.] S. Ambrosius in 12. Lucæ: *Antichristus ex scripturis contendens esse se Christum.*] S. Hieronymus in 11. Zachariæ, ad vers. 17. de Antichristo: *Intantum, ut Dei Filium se vocaret.*] Seuerus Sulpitius Dialogo 2. de Vita S. Martini: *Ait nobis [S. Martinus] Antichristi eam persecutionem futuram esse, ut Christum Dominum cogat negari: se potius Christum esse confirmans.*] S. Ephræm Syrus Sermone de Antichristo: *Quando videris confusionem totius mundi, populumque undique ab ultimis finibus terre venientem ad adorandum Antichristum, clamantem magno cum timore: Tu es Saluator mundi, ac Filius Dei.*] Theodoretus lib. 5. Diuinorum Decretorum, capite de Antichristo: *Antichristus Christi Domini appellatione usurpata, omnes quidem, ut semel dicam decipiet: multis quoque imponet exiis, qui sanctum & venerabile nomen accepere, dicens, se esse Christum, quem diuini vaticinantes Prophetae apparituum prædicebant.*] S. Gregorius Turonensis lib. 1. Historiæ Francorum, sub initium: *Antichristus verò primum circumcisionem inducet, se asserens Christum.*] Rabbanus Opusculo de Antichristo: *Antichristus Filium Dei omnipotentis se esse mentietur.*] & infra: *Ierosolymam veniens, circumcidet se, dicens: Ego sum Christus vobis promissus, qui ad Salutem.*] S. Ildorus lib. 8. Originum, cap. 11. *Antichristus Christum enim se mentietur dum venerit, & contra eum dimicabit.*]

Verum in re tam perspicua nihil opus est plura testimonia arcessere. Nam cum sit compertissimum Iudæos Antichristum pro Messia recepturos, vti lib. 6. cap. 39. & 40. apertè demonstrabimus: poteritne vlla subesse dubitatio, quin ipse se verum Messiam & Christum prædicet, ut à Iudæis suscipiatur? Vnde palam contendet, Iesum Nazarenum æterni Patris Filium vnigenam, verum Messiam impostorem quendam & seductorem fuisse, non Messiam Iudæis in Scripturis promissum: se vnum esse verum & legitimum Iudæorum Messiam, cunctis Prophetarum oraculis præmonstratum, in quo exactissimè antiqua omnia de Messia vaticinia compleantur. Equidem & nomen ipsum, & res Antichristi, quæ toto hoc opere prodimus, nihil aliud clamant, quam Antichristum acerrimum Christi hostem futurum, & se pro Christo venditaturum. Vide quæ diximus lib. 1. cap. 6. Atque hic planè est communis sensus cum veterum, tum recentiorum Theologorum. De quo plenius Sanderus lib. 8. de Visibili Ecclesiæ Monarchia, cap. 19. & 20. Bellarminus lib. 3. de Romano Pontifice, cap. 14. Acosta lib. 2. de Nouissimis Temporibus, cap. 5. Suarez Tomo 2. in 3. partem, Disputatione 54. Sectione 4. Lessius de Antichristo, Demonstratione 7. Gregorius Valentia Tomo 4. Disputatione 11. Quæstione 2. Puncto 2. §. 2. & alij.

Sed quid hac ipsa de re expresso Dei verbo proditum extet in sacris litteris, iam inspiciamus. 1. Ioannis 2. v. 22. *Quis est mendax, nisi is qui negat quoniam Iesus est Christus? Hic est Antichristus, qui negat Patrem & Filium. Et omnis spiritus qui soluit Iesum, ex Deo non est: Et hic est Antichristus, de quo audistis quoniam venit.* Hæc loca intelligenda esse de vero & primario Antichristo in fine mundi venturi, qui est nostri huiusce operis præcipuum argumentum, ne dum de typi eius ac præcursoribus, consensus est Interpretum omnium, & res planè adeo est perspicua ut minime possit in dubium adduci. Dilucide enim id S. Euangelista declarat, quum ait: *De quo audistis, quoniam venit.* Siquidem de singulari Antichristo id dici, nimium stupidus fuerit, qui non cernat: hunc namque venturum audimus, & formidamus, lib. 1. cap. 6.

cap. 6. annotauimus urbem venit, hic præsentis temporis Græce esse ac positum pro futuro, more prophetico propter certitudinem rei euenturæ: unde solent Interpretes reddere: *De quo audistis, quod venturus sit. Vel Quem audistis venturum.* Sed locum pressius expendamus.

Quod in Vulgata Editione nunc legitur: *Et omnis spiritus qui soluit Iesum, ex Deo non est: & hic est Antichristus, de quo audistis, quoniam venit.* Græca hoc tempore ad verbum ita habent: *Et omnis spiritus qui non confitetur Iesum Christum in carne venientem, ex Deo non est: & hic est [subaudi spiritus] Antichristi: de quo audistis, quod venit.* Quæ sanè lectio diserte exprimitur in omnibus Græcorum codicibus qui nunc circumferuntur: & Syriaca Noui Testamenti Translatio eodem hîc modo habet: Item Decumenius, & recentiores è Græco interpretes, Erasmus, Caietanus, Sanctes, Vatablus, Gagnæus, Montanus. Quam etiam lectionem veteres probasse videntur: Tertullianus de carne Christi, cap. 24. *Certe qui negat Christum in carne venisse, hic Antichristus est.* Et lib. 3. aduersus Marcionem, cap. 8. *Marcionitas Apostolus Ioannes Antichristos pronunciauit, negantes Christum in carne venisse.* S. Cyprianus lib. 2. Testimoniorum aduersus Iudæos cap. 8. *Item in Epistola Ioannis: omnis spiritus qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, de Deo est: qui autem negat in carne venisse, de Deo non est, sed est de Antichristi spiritu.* Didymus in Commentariis huius Epistolæ, ita legit: *Si quis vero soluit Iesum, & purum Deum Verbum extra carnem esse putat, & non verè hominem dicit, & vniuersa dispensationis eius facta pro phantasia, cum huiusmodi spiritus erroris sit, ex Deo non est.* Quæ sanè est Vulgati lectio, & interpretatio. In textu verò idem Didymus ita habet: *Et omnis spiritus qui negat Iesum, ex Deo non est: & hic est Antichristus, quem audistis quia venturus est.* Quam etiam lectionem exponit: & utramque videtur amplecti. S. Augustinus Tractatu 6. in 1. Epistolam Ioannis, si attentè inspicatur, triplicem huius loci lectionem exhibet. Prima est: *Et omnis spiritus qui non confitetur, Iesum Christum in carne venisse.* Secunda: *Et omnis spiritus qui negat Iesum Christum in carne venisse.* Tertia: *Et omnis spiritus qui soluit Christum.*

Erasmus Græcorum codicum lectionem tuetur his verbis: *certe quod Græci legunt, magis congruit cum phrasi Ioannis Apostoli, cui peculiare est contrariam sententiam succinere priori, quo magis insigat animis quod dictum est. Quod genus sunt illa: Qui credit in filium Dei, habet testimonium Dei in se. Qui verò non credit Filio &c. Ac mox: Qui habet Filium Dei, habet vitam: qui non habet Filium Dei, vitam non habet. Qui confitetur, ex Deo est: qui non confitetur, ex Deo non est. Et huiusmodi figuris totus huius sermo scaturit.*

Ceterum S. Leo Romanus Pontifex lectionem quæ nunc in Latinis codicibus extat, diserte probat Epistola 10. ad Flavianum, quum in Eutychetem hæresiarcham exclamat: *Nec sententiam beati Apostoli & Euangelistæ Ioannis expauit, dicentis: Omnis spiritus qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est. Et omnis spiritus qui soluit Iesum, ex Deo non est. Et hic est Antichristus. Quid autem est solvere Iesum, nisi humanam ab eo separare naturam, &c.?* Quam etiam lectionem amplectuntur, S. Beda, Strabus, S. Thomas, Lyranus & Latini omnes, Quin & Tertullianus lib. 5. contra Marcionem cap. 16. hæc habet: *Ioannes Apostolus iam Antichristus dicit prouersisse in mundum præcursores Antichristi*

si spiritus, negantes Christum in carne venisse, & soluentes Iesum, scilicet, in Deo creatore. Videtur in loco Ioannis Tertullianus utrumque legisse: *Et omnis spiritus, qui negat Iesum in carne venisse: & soluit Iesum &c.* Lucifer Calaritanus Episcopus libro de Non parcendo in Deum delinquentibus, ita legit: *Et omnis spiritus qui destruit Iesum, ex Deo non est: & hoc est, quod est Antichristi.*

Socrates lib. 7. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 32. & ipse Græcus, Latinorum tamen codicum lectionem sequitur, eamque in vetustis exemplaribus extare confirmat, dicens: *Porro autem ignorauit Nestorius, quod scriptum sit in vetustis exemplaribus Epistola Catholica diui Ioannis: Omnis spiritus qui soluit Iesum, ex Deo non est. Quippe hanc sententiam omnes qui diuinitatem ab humanitate Christi seingere studebant, ex vetustis exemplaribus delere, tollereque non dubitarunt. Quia propter veteres interpretes idem ipsum significarunt quosdam videlicet, esse, qui illam Epistolam deprauassent, quo in Christo hominem à Deo separarent.* Eadem S. Beda in 1. Ioann. 4. & Strabus ibidem, ac Nicephorus lib. 14. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 32. Quorum attestazione constat lectionem Latinorum exemplarium, olim quoque in Græcis codicibus habitam. Nam & S. Irenæus, quem non est dubium Græcè scripsisse, eandem nostram lectionem commendat lib. 3. aduersus Hæreses, cap. 18. quum ait: *Omnis spiritus qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est. Et omnis spiritus qui soluit Iesum Christum, non est ex Deo, sed ex [de] Antichristo est.* Vide de hoc loco & Notas Francisci Luca, & commentarium Nicolai Serarij.

Ergo adstruit perspicuè & Ioannes Antichristum negaturum sacrosanctam diuinarum personarum Trinitatem, nempe Patrem, ac Filium: deinde etiam pernegaturum Iesum Nazarenum Dominum nostrum, esse verum Messiam & Christum, atque verum & genuinum Dei omnipotentis Filium: & soluturum Iesum, hoc est, impio & blasphemio ore euersurum totam Incarnationis Filij Dei œconomiam ac nexum illum & vnionem mirabilem duarum naturarum. Vnde S. Ephrem Syrus Sermone de Antichristo: *Antichristus non sustinebit immaculatissimum nomen Patris, & Filij, & spiritus sancti, cum sit Dei aduersarius.* Quod verò addit: *Hic est Antichristus.* Græcè est: *Et hic est ipse Antichristi:* nimirum spiritus, vti subaudiunt, Oecumenius, Erasmus, Caietanus, Vatablus, Gagnæus, Serarius. Syriaca habent: *Sed hic est ab ipso pseudo Christo.* S. Cyprianus: *sed est de Antichristi spiritu,* possis exponere: *est ipse Antichristi,* id est, ad eum pertinet, est eius partium, & factionis.

Idem Apostolus Epistola 2. cap. 1. v. 7. *Qui non confitetur Iesum Christum venisse in carne: hic est seductor & Antichristus,* Quasi dicat: Ille pessimus & maximus Antichristus qui venturus est in fine sæculi, potissimum ducet negare Christum Filium Dei in carne venisse, & esse verum Messiam, verumque Deum & hominem. Nam si qui ante ipsum insigniter improbi, illius antecessores ausi sunt negare mysterium Incarnationis Filij Dei, aut illud quibusvis prauis dogmatibus conuellere, non alia planè ratione ob id merito nomen Antichristiano-rum tulisse videntur, nisi quia veri Antichristi in sæculi fine venturi, hoc proculdubio futurum sit præcipuum institutum, Vt Christum venisse neget, nostrumque verum Christum repudiet, sanctissimumque nomen eius è mundo abolere conetur. Hunc esse germanum verborum Apostoli sensum, & Interpretes

tes, & res ipsa docent.

Quocirca illud exploratum est, Antichristum nedum Christum ipsum, sed etiam Euangelium, Sacramenta, & omnem Christianam religionem summo odio profecuturum, & omnem daturum operam ut de mundo penitus auferatur. Monemusque Antichristum, quantumvis toto vitæ suæ & Imperij tempore, Christum, eiusque sanctissimam Religionem crudelissimè insectabitur: at se Messiam & Christum non appellaturum nisi in exordij regni & apostasiæ suæ: postmodum enim ad extremam blasphemiam deuolutus, spretis Iudæis, abiecto toto veteris legis cultu, se non Christum aut Messiam sed supremum ac verum Deum iactabit, uti cap. 4. & seqq. fusius ostendemus.

CAPVT III.

Antichristum ablaturum Idola, & omnes Deos, ac eorum cultum.

VT viam omnem sibi sternat Antichristus ad asserendam suam falsam diuinitatem, ut nimirum solus ipse habeatur Deus: nedum Christum, totamque Christianam religionem extinguere conabitur: sed etiam in toto suo Imperio idola omnia, & quoscumque inanium ac falsorum Deorum cultus abolebit. S. Irenæus lib. 5. aduersus Hæreses, cap. 25. *Idola quidem seponet, ad suadendum quod ipse sit Deus: se autem extollens vnum idolum: habens in semetipso reliquorum idolorum varium errorem: ut ij qui per multas abominaciones adorant diabolum, ij per hoc vnum idolum seruiant ipsi.* S. Hippolytus Martyr Oratione de Antichristo: *Antichristus idololatriam non admitteat.* S. Cyrillus Ierosolymitanus Catechesi 15. *Idola scilicet odio habiturus est Antichristus: ut ipse in templo Dei sedeat.* S. Ephraem Syrus Sermone de Antichristo: *Euersorem idolorum:* S. Hieronymus Quæstione 11. ad Algasia: *Vt cunctarum gentium Deos suo calcet pede.* S. Chrysostomus in 2. Thessalonicensi. 2. *Non enim ille ad idololatriam adducet: sed erit quidam Dei aduersarius. Dissoluet & destruet omnes Deos: & iubebit se ipsum pro Deo adorare.* Theodoretus in 2. Thessalonicensi. 2. *Se ipsum Christum & Deum nominans, & Deos qui vocantur falsos esse arguens.* Victorinus in Apocalypsim: *Non ad idola colenda renocaturus est.* Theophylactus in Thessalonicensi. 2. *Non enim ad idololatriam homines perducet ille, verum omnes Deos demolietur, & culturas eorum, siue idola, seque ipsum solum predicabit Deum.* Oecumenius in 2. Thessalonicensi. 2. *Aduersabitur namque, & extolletur sua superbia, non solum aduersus Deum vniuersorum, verum etiam aduersus idola. Neque enim ad idololatriam ducet homines, sed ut ipsum tanquam Deum adorent. Propterea dicit, quod effertur aduersus omnem qui dicitur Deus, aut numen.* Et in 1. Ioan. 4. *Hic autem Antichristus homo erit qui Satanam circumferet, elatus aduersus omnem qui dicitur Deus, aut numen: ideo quoque idola colere aspernabitur, quos dici Deos significauit.* Rabbanus Opusculo de Antichristo: *Antichristus in superbiam erigitur supra omne quod dicitur Deus, id est, super Deos gentilium, Apollinem, Iouem, Mercurium, quos Pagani Deos existimant. Super omnes istos Deos extolletur Antichristus, quia maiorem & formiorem se faciet illis omnibus.* Hugo Etherianus libro de Regressu Animatum ab Inferis, cap. 23. *Verum Antichristus idolis nullum obsequium præstabit: non enim idololatra erit, sed Deo nostro per omnia contrarius. Omnes Deos gentium ut muta simulachra con-*

fringet. Nullius penitus imagini cultum exhibebit, quia se solum pro Deo iubebit adorari. Idem omnino docent Anselmus Landunensis, & S. Thomas in 2. Thessalonicensi. 2. Lyranus, Pindus, Pererius in 11. Danielis. Lyranus etiam Gagnæus, Guillaudus, Titelmanus, Estius, Iustinianus, Cornelius à Lapide in 2. Thessalonicensi. 2. Sanderus lib. 8. de Visibili Ecclesiæ Monarchia, cap. 25. Bellarminus lib. 3. de Romano Pontifice, cap. 14. Valentia Tomo 4. Disputatione 11. Quæstione 2. Puncto 2. §. 2. Suares Tomo 2. Disputatione 54. Sectione 4. & contra errores Anglicanos, cap. 17. Viegas in 13. Apocalypsi. Commentario 2. Sectione 6. Lessius de Antichristo, cap. 7. & omnes alij Orthodoxi.

Accedit huic consensui, manifestissima ratio: Nam ut statim demonstrabimus, Antichristus publicè, palamque asseret se verum esse Deum: atque à cunctis se pro vero & supremo Deo adorari & coli iubebit: ex quo perspicuum est, eum nequaquam passurum ullum alium Deum, aut idolum, neque ulli præterquam sibi patriæ cultum exhiberi permissurum.

Extant quoque in Scriptura luculenta oracula, quæ docent, Antichristum amoliturum cunctos Deos & idola, omnemque eorum religionem: vnde certum est Patres, & posteriores suam ea de re traditionem accepisse. Primum est Danielis 11. 36. *Et eleuabitur, & magnificabitur aduersus omnem Deum.* S. Chrysostomus Oratione 2. in Iudæos de Antiocho Epiphane hunc locum interpretatur. De Antiocho quoque exponendum contendunt Tremellius, Iunius, Pellicanus, Maldonatus. Veldius de Antiocho, de Mahomete, & de Antichristo. Clarius, Mahometi etiam quadrare putat. Vatablus, de Romano Imperio. Caterum nimis est exploratum, Catholicos ferè omnes cum veteres, tum recentiores propriè de Antichristo semper intellexisse, uti Clarius, Veldius, Maldonatus annotarunt. S. Hieronymus: *Ab hoc loco Iudei dici de Antichristo putant, quod post Iuliani paruum auxilium, surrecturus sit rex, qui faciat iuxta voluntatem suam: & eleuetur contra omne quod dicitur Deus: & aduersus Deum deorum loquatur magnifica, ita ut sedeat in templo Dei, & seipsum faciat Deum: & dirigatur voluntas eius, donec compleatur ira Dei, quia in ipso erit consummatio. Quod quidem & nos de Antichristo intelligimus.* Porphyrius autem & ceteri qui sequuntur eum, de Antiocho Epiphane dici arbitrantur: quod erectus sit contra cultum Dei, & in tantam superbiam venerit, ut in templo Ierosolymis simulachrum suum poni iussit.

Theodoretus cum verba Danielis, quæ ista antecedunt, explanasset, & ad præsens vaticinium elucidandum accessisset, inquit: *Hic* [nempe præcedentibus] *dicitur de Antiocho Illustri, id est, Epiphane, transit deinde ab imagine ad exemplar, exemplar autem Antiochi est Antichristus, & Antichristi imago Antiochus: quemadmodum enim ille impiè agere Iudæos cogebat, & contra legem suam Rempublicam administrare: ita homo peccati, filius perditionis, qui superextollitur, & super exaltatur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, sicut ait beatus Paulus: ita ut ipse in templum Dei ingressus sedeat, ostendens se ipsum, quasi sit Deus.* De Antichristo quoque perspicue hunc locum accepere, S. Prosper in Dimidio Temporis, cap. 9. S. Agobardus Sermone de Trinitate, & de Antichristo, Strabus, Anselmus Landunensis, Lyranus, Isidorus, Clarius, Pintus, Pererius in 11. Daniel, & omnes ferè recentiores, quos paulo ante citauimus de Antichristo scribentes.

Hæc ex verbo ita redduntur: *Et eleuabit se, seu extollet,*

attollet, effere se se. Verbum hic positum est ex inflexione Hithpaël Poël siue vt vocant, Quadrata, & est perfectum & regulare. *Ithromem*, nec alibi in hac Coniugatione reperitur regulare & perfectum nisi hic, vti Forsterus & Mercerus annotarunt. Nec sine mysterio sanè & coniugatio Quadrata Hithpaël, & forma verbi regularis & perfecta posita hoc loco videtur. Nam quamuis, vt aliàs notauimus, mysteria Hebraicarum Coniugationum nec Nostris, nec Hebraeis sint plenè perspecta: quæ quidem esse prægrandia non est dubium: tamen quantum Coniectura assequi possumus, verbum quadratum in Hithpaël hic satis indicat procacissimam & impudentissimam elationem atque superbiam Antichristi, qua se immensum attollet. Quadratura enim verbi in Hithpaël, vim quandam immodicam, & excessum elationis demonstrat.

Et magnificabit sese, propriè, grandefaciet sese Leo Iudas: *amplificabit se*. Est quoque verbum *Ithgadel* ex Hithpaël, quæ significatum auget, vnde ex vi Inflexionis reddi potest: *maximi faciet se se*, *supra omnem Deum* Tremellius & Iunius, *supra omnem Deum fortem*. Noster secutus Lxx doctè dixit, *aduersus omnem Deum*, quod AL, contra, aduersus, quoque significet. Obseruare Forsterus & Mercerus, Paulum Apostolum hunc Danielis locum de Antichristo intellexisse & pulchrè explicasse. 2. Thessalon. 2. v. 4. illis verbis: *Qui aduersatur & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur*. Vbi quidem ipse annoto, Paulum expressisse duplex significatum particulae AL, quod enim Noster in Daniele dixit, *aduersus*; Paulus exposuit, *aduersatur*: quod verò AL, etiam significat, *super*; Paulus dixit, *supra omne quod dicitur Deus*, vt intelligamus Daniele vtrumque vaticinatum, quod & aduersus, & supra omnem Deum se se eleuaturus sit Antichristus, Leo Iudas, *pra omnibus diis*. Atqui mentem Danielis hanc esse, Antichristum immani superbia elaturum se supra omnes Deos, & se facturum maiorem illis, eosque repudiaturum & calcaturum, nimis est perspicuum, vt etiam agnoscunt Tremellius & Iunius. Siquidem Daniele hisce verbis de falsis gentium diis locutum, inde euincitur, quod de vno & vero Deo non dixisset, *supra omnem Deum* quæ ratio fugit Maldonatum, vt de Antiocho hæc verba caperet: deinde quia de vero Deo ager frequentis hemistichio: & *aduersus Deum deorum loquetur magnifica*, vt sit simplicissimus sensus Vatis: Antichristus nedum falsos deos, sed & verum Deum repudiabit.

Secundum Oraculum, Daniel 11. 37. *Nec quemquam deorum curabit: quia aduersus vniuersa consurgit*. Hæc verba proculdubio habebat in animo S. Hieronymus cum in Commentariis scripsit: *Hoc magis Antichristo quam Antiocho conuenit: legimus enim Antiochum idolorum Gracia habuisse cultum, & Iudaos atque Samaritas ad venerationem deorum suorum compulisse*.] Theodoretus: *Inuenimus autem Antiochum aris, in quibus idola colerentur, & Ierusalem & omnem Iudeam compleuisse, & in Templo Dei Ioui sacrificasse, Iouisque Olympij nuncupasse templum, quod erat in Ierosolymis: Iouis autem Xenij, id est Hospitalis, alterum quod erat in Garizim. Quomodo igitur qui ita superstitiosus demonibus colendis, & idolorum cultui ita addictus sit, super deos patrum suorum non intelliget? Omnia enim contra Antiochus facere perseuerabat, qui patrios deos colens, eum qui à Iudaïs adoraretur, inficiabatur esse Deum. Nequaquam itaque in Antiochum hæc congruunt, sed in ipsum exemplar Antiochi, cuius imago & typus Antiochus impie- tate omnes superiores reges vicisse contendit. De Anti-*

christo itaque hoc dicit: super omnes deos patrum suorum non intelliget: & super omnem Deum non intelliget: quia super omnes magnificabitur. Hoc est arbitrabitur omnium se esse maximum.] Atque etiam de Antichristo interpretantur S. Agobardus Sermone de S. Trinitate, & de Antichristo, S. Damascenus lib. 4. de Fide Orthodoxa cap. 27. Anselmus Laudunensis, Lyranus, Clarius, Pintus, Pererius. Pudet hic refutare quæ Maldonatus audacter in huius loci Commentario disseruit. Quanti esset, libros post auctorum mortem, ab iis nondum recognitos, non publicare! Hebræa ad verbum habent: *Et super omnem Deum non intelliget*. Lxx. eodem modo, vt etiam Aquila. Vbi notabis Hebraismum: *super omnem Deum non intelliget*. Id est, *super nullum Deum intelliget*, qui modus loquendi frequens occurrit in Scriptura, vt Psalm. 147. 20. *Non fecit taliter omni nationi*, id est, nulli nationi fecit taliter. Et alibi passim, de qua re vide Martinum Cantapetrensem lib. 6. Hypotyposeon, cap. 3. Tremellius & Iunius: *Neque ad vllum Deum attendet*. Possit exponi: *Et super omnem Deum non intelligere faciet*. Id est, nedum ipse veri Dei, & falsorum erit atheos, sed coget alios etiam esse atheissimos, sine villo Deum metu, sensu, respectu.

Quia supra omnem, subaudi, Deum, vel *supra omnia*; vel *contra omnem*, seu *omnia*, se magnificabit, vel *maximi faciet sese*. Est enim hic etiam *ITHGADEL*, in formula nimirum Hithpaël, quæ significatum intendit. Lxx. *quia super omnem magnificabitur*. In Complutensi & Regia: *quia super omnes magnificabitur*. Tremellius & Iunius: *sed supra omnes magnificabit se*, Nempe Deos. Leo Iudas paraphrastice: *omnibus enim se præferet*. Luculenta sunt verba Danielis, Antichristum nullum Deum curaturum, nullius Dei rationem aut respectum habiturum: sed omnes Deos gentium, omnia idola contempturum ac pessundaturum: seque vnum verum idolum, pro Deo haberi & adorari imperaturum.

Tertium Oraculum est, 2. Thessalonicens. 2. 4. *Qui aduersatur & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur*. Quem locum intelligendum de Antichristo, nemo vnquam dubitauit. Vnde Tertullianus, lib. 5. aduersus Marcionem, cap. 16. *Quis est autem homo delicti, filius perditionis, quem renelari prius oportet ante Domini aduentum, extollens se super omne quod Deus dicitur, & omnem religionem, confessurus in templo Dei, & Deum se iactaturus? Secundum nos quidem Antichristus, vt docent veteres & noua prophetia*.] Hoc idem sentiunt omnes Patres & posteriores summo consensu. Sed expendamus verba.

Qui aduersatur. Tertullianus de Resurrectione carnis, cap. 24. nisi mendum insit, legit, *Quia aduersatur*: vt reddat Paulus causam, cur Antichristus merito dicatur, *homo peccati, filius perditionis*, nimirum, *quia aduersatur, &c.* Græca nunc ad verbum habent: *qui est aduersarius*. Vti Erasmus, Sanctes, Vatablus, Musculus interpretes Chrysostomi, & Oecumenij interpretes Hentenius. Estius annotat: *Qui aduersatur*. Græcè participium est à vtique vt, quod & nominaliter accipi solet, pro contrario siue aduersario. Vnde Erasmus & Eutenius vertunt, *qui est aduersarius*, propter articulum præfixum. Montanus, Ille oppositus. Alij, Sese opponens ille. Simplicius, Ille aduersans, vel, qui est aduersans. Verum illud, *qui est aduersarius*, non sic nominaliter est capiendum, quasi dicat Paulus Antichristum futurum illum aduersarium, nempe diabolum: vt S. Chrysostomus, Theophylactus, Oecumenius monuerunt: sed appellatum Antichristum insigniter aduersarium & contrarium Christi.

Et extollitur. S. Irenæus lib. 3. aduersus Hæreses, cap. 6. Rufinus in Expositione Symboli : & extollit se. Tertullianus de Resurrectione carnis, cap. 24. & superextollitur, qua etiam ratione legunt S. Augustinus lib. 20. de Ciuitate Dei, cap. 19. & S. Prosper in dimidio Temporis, cap. 11. Cum Græcè sit participium *ὑπερῶς ῥηόμενος*, Montanus reddidit, & elatus ad verbum, & super extollens sese. Vel, & efferens se.

Supra omne quod dicitur Deus. Græca nunc masculinè habent, super omnem qui dicitur Deus. Vide Erasmus, Gagnæium, & Cornelium à Lapide. Quidam, supra quidquid dicitur Deus. Ad verbum : super omnem dictum Deum S. Cyrillus Ierosolymitanus Catechesi 15. supra omnem Deum. Frigide Vatablus exposuit, id est, supra Christum, nam alioqui dixisset, supra illum qui dicitur Deus, & non, supra omnem qui dicitur Deus, de vno enim non sic loquimur. Cæterum neutraliter legunt, supra vel in omne quod dicitur Deus, S. Irenæus lib. 3. cap. 6. & lib. 5. cap. 25. Tertullianus lib. de Resurrectione carnis, cap. 24. & lib. 5. aduersus Marcionem cap. 16. S. Hieronymus Epistola 151. ad Algasiam, Quæstione 11. Rufinus in Symbolum, Ambrosiaster in 2. Thessalonicens. 2. Quintus Iulius Hilarion libro de Mundi duratione, S. Augustinus lib. 20. de ciuitate Dei, cap. 19. S. Prosper in dimidio Temporis, cap. 11. Primasius in 13. Apocalypsis, S. Gregorius lib. 4. in Iob, cap. 12. & alij Latini posteriores fere omnes, cum vulgato interprete. Ergo legitimus sensus verborum Pauli hic est, Extollitur Antichristus super omne quod dicitur Deus, vel super omnem qui dicitur Deus, id est, super omnes Deos gentium, super omnia idola, super quemcumque qui vspiam Deus vocetur, aut habeatur, quia omnes calcabit, & contemnet. Nam ij dicuntur dii. Sic 1. Corinth. 8. 5. Nam etsi sunt qui dicuntur dii siue in cælo siue in terra. Hanc esse communem Patrum mentem & interpretationem Paulini oraculi, non est dubium.

S. Irenæus lib. 3. cap. 6. Et Apostolus Paulus iterum de Antichristo dicens : Qui aduersatur & extollit se, inquit super omne quod dicitur Deus, vel quod colitur, eos qui ab ignorantibus Deum, dii dicuntur, significat, id est, idola. Etenim Pater omnium Deus dicitur, & est : & non super hunc extolletur Antichristus : sed super eos qui dicuntur quidem, non sunt autem dii.] Quod verò ait, & non super hunc extolletur Antichristus, ritè intellige, vel non super hunc tantum, vel, non nunc hoc agit Paulus, aut dicit : sed de diis gentium dumtaxat loquitur. Idem S. Irenæus lib. 5. cap. 25. Manifestè igitur Apostolus ostendit aduentum eius. [Antichristi] & quoniam extollitur super omne quod dicitur Deus, vel quod colitur, hoc est, super omne idolum. Hic enim sunt qui dicuntur quidem ab hominibus, non sunt autem dii.] S. Cyrillus Catechesi 15. Qui aduersatur & extollitur supra omnem Deum, aut quod colitur. Idola scilicet odio habiturus est Antichristus : ut ipse in templo Dei sedeat.] S. Hieronymus Quæstione 11. ad Algasiam : Qui aduersatur Christo, & ideo vocatur Antichristus : & extollitur supra omne quod dicitur Deus, ut cunctarum gentium deos, siue probatam omnem & veram religionem suo calcet pede.]

S. Chrysostomus : Et qui extollitur supra omne quod Deus, aut quod colitur. Non enim illos inducet ad cultum idolorum : sed erit quidam Dei aduersarius. Dissoluet, & destruet omnes Deos, & iubebit se ipsum pro Deo adorari.] Theodoretus : Qui aduersatur, & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod

colitur : diabolus cum eligit hominem [Antichristum] qui possit eius omnem suscipere operationem, per eum omnes homines decipere conabitur, se ipsum Christum & Deum nominans, & Deos qui vocantur, falsos esse arguens, quorum ipse falsitatem temporibus præteritis confirmabat.] Theophylactus : Qui aduersatur & extollitur supra omnem qui dicitur Deus, & quod colitur. Non enim ad idololatriam homines perducet ille &c. verum omnes Deos demolietur, & culturas eorum, siue idola : seque ipsum solum predicabit Deum] Oecumenius : Qui est aduersarius, & effertur aduersus omnem qui dicitur Deus, aut numen. Aduersabitur namque & extolletur sua superbia non solum aduersus Deum vniuersorum, verum etiam aduersus idola. Neque enim ad idololatriam ducet homines, sed ut ipsum tanquam Deum adorent : propterea dicit, quod effertur aduersus omnem qui dicitur Deus, aut numen.] Et in 1. Ioann. 4. Hic autem Antichristus homo erit, qui satanam circumferet, elatus aduersus omnem qui dicitur Deus, aut numen. Ideo quoque idola colere aspernabitur, quos dici Deos significauit.] Atqui sanè Paulum præfatis verbis de diis gentium seu idolis fuisse locutum, quos omnes abiiciet & pessumdabit Antichristus, affirmant quoque Rabbanus Opusculo de Antichristo, Hugo Etherianus de Regressu animarum ab inferis, cap. 23. Anselmus Laudunensis, S. Thomas, Lyranus, Caietanus, Erasmus, Clarius, Gagnæius, Treius, Guillaudus, Trelmanus, Estius, Iustinianus, Cornelius à Lapide, Sa; in 2. Thessalonicens. 2. Sanderus, Bellarminus, Valentia, Suarez, Viegas, Lessius, locis sub initium huius capitis citatis, & alij de Antichristo scribentes.

Clarius ampliorem sensum concepit, sic enim interpretatur : Et extollitur aduersus omnem qui dicitur Deus, aut numen. Omnem tollet tam verum Dei, quam falsum cultum, & illum in se transferet.] Gagnæius : Vult autem Paulus, quod non tantum verum Dei cultum, sed & omnem alterius præterquam sui, tollet, idololatriam.] Estius : Est igitur huius loci sensus, iuxta communem Patrum expositionem : Qui se se efferet supra omnem vero aut falso nomine Deum : atque euertet omnem cultum seu verum seu falsum, ut quemadmodum sequentia docent, ipse solus colatur.] Facile sibi quisque persuadeat, S. Paulum suis his verbis aut reddidisse, aut respexisse, aut certe exposuisse duo illa, quæ paulo antea elucidabamus, Danielis oracula de Antichristo : Et eleuabitur, & magnificabitur aduersus omnem Deum. Et, Nec quemquam decorum curabit, qui aduersus vniuersa consurgeret. Quæ verba propemodum eadem, & res ipsa eadem est, de qua & Daniel & Paulus loquuntur, aut quod colitur, Græca dictio Sebasmata, quæ hîc ponitur, à Tertulliano de Resurrectione carnis cap. 24. & lib. 5. contra Marcionem cap. 16. & S. Hieronymo Quæstione 11. ad Algasiam, religio exponitur, ut etiam ab Interprete Syro. Sed numen exponunt, Erasmus, Clarius, Sanctes, Vatablus, Gagnæius, Sanderus, Cornelius à Lapide, Hentenius, Montanus. Sed quæ de vi, notioneque nominis, qui eam inquisierunt, tradidere, paucis reddamus. Erasmus in 17. Actorum, ad Vers. 23. Et videns simulacra vestra. Est hoc loco Sebasmata, quod verbum completur omnia, quæ veneramur, nempe aras, delubra, statuas, monumenta à verbo Seboma, quod propriè ad religionem pertinet. Hieronymus citans hunc locum in Commentariis in Epistolam ad Titum, Sebasmata vertit culturas.] Et in 2. Thessalonicens. 2. Græci codices sic habent : Supra vel aduersus omnem qui dicitur Deus, aut cultus siue veneratio. Hieronymus in Quæstionibus citat ad hunc modum : contra omne quod dicitur Deus

Deus aut religio, propius accedens ad Græca verba. Nam Sébasma propriè dicitur id quod adoramus, & summa reuerentia veneramur, & quod maiestate præcellit. idque Verti poterat numen. Theophilactus sic enarrat locum, ut referre videatur Sébasma, ad simulacra, lucos, aut fana.]

Caietanus in 17. Actorum, ad vers. 23. Et videns simulachra vestra, pro, culturas. Sub nomine cultura, comprehendens omnia, aras, statuas, & reliqua quæ in huiusmodi religiosi locis fieri solent. Et in 2. Thessalonicens. 2. Aut quod colitur. Circumloquitur Interpret dictionem Gracam, significantem omne id cui debetur veneratio religiosa: qualia sunt quæcumque sacramenta & sacra siue res, siue loca, siue tempora, Extollet quidem se Antichristus super omnes dies festivos tam Christianorum, quàm Judæorum, & super reliqua sacramenta, & sacra, &c.]

Henricus Stephanus Tomo 3. Thesauri, columna 750. D: At verò Sébasma exponitur quidem & ipsum, Veneratio, item Cultus Deo, aut ei qui maiestatem quandam obinet, exhibitus: est tamen potius Quod veneramur, Res quam veneramur, seu adoramus. Ac certè in iisdem annotatur Sébasmata vocari omnia quæ superstitioni venerantur: cuiusmodi sunt, ara delubra, statua, simulachra, monumenta. Actorum cap. 17. Sébasmata ymon (ubi quidam interpretantur Cultus, quidam, Culturas) posse reddi, cultus vestri monumenta: at ego commodè unum verbum uno exprimi puto a nouissimo Interprete [Beza] reddente, sacra vestra. Qui etiam doctè annotat, Erasmus perperam vertisse culturas. Veterem autem Interpretem nimis angustè. Simulachra, Sébasma enim non significare cultum ipsum seu culturam, nec simulachrum duntaxat: sed omne id in quo Deus colitur, seu quod religionis causa homines venerantur: idque Latinos appellare sacra.] Vanè Beza, & Stephanus carpunt Erasmus quod Actorum 17. v. 23. Sébasmata culturas verterit: cum & S. Hieronymus in cap. 1. ad Titum, culturas quoque conuerterit. Et multo vanius, Vulgarum Interpretem angustè nimis Simulachra reddidisse exultant: cum ea vox eo significato diserte ponatur Sapientiæ 15. 17. ut postea ostendemus.

Gagnæus in 2. Thessalonicens. 2. Super omne quod dicitur Deus, aut religio, vel cultus. Est enim Sébasma religio, aut cultus Dei: nos vertere possumus numen.]

Vatablus in 17. Actorum ad vers. 23. Præteriens enim & contemplans culturas vestras vox Sébasmata complectitur omnia quæ veneramur. Et in 2. Thessalon. 2. vers. 4. Et effertur aduersus omnem qui dicitur Deus, aut numen, vel religio, aut veneratio, idest, religione aut cultu dignus.]

Guillaudus in 2. Thessalon. 2. Aut quod colitur, id est, supra omnem cui debetur veneratio religiosa: cuiusmodi sunt, sacramenta, & sacra, siue res, siue loca, siue tempora, & similia.]

Bellarminus lib. 3. de Romano Pontifice, cap. 14. Notandum, pro eo, quod colitur, Græcè esse Sébasma, quod Magdeburgenses volunt significare cultum, idest, actum colendi, non id quod colitur: Ut inde probent Apostolum non velle dicere Antichristum non adoratum idola, sed deprauatum cultum veri Dei, mutilando Sacramenta, vel eis addendo varias ceremonias. At certe Sébasma propriissimè significat, non actum, sed obiectum, id est, quod colitur, ut aram, delubrum, idolum, &c. Cultus enim dicitur Sebas, vel Theosebia, non Sébasma. Vnde idè Paulus Actor. 17. Præteriens, inquit, & considerans simulachra vestra, inueni arā, &c. ubi apertissimè Paulus per sebasmata intelligit res ipsas quæ coluntur, ut delubra, aras, idola. Et Sapientiæ 15. sic legimus: Melior est homo Sébasmatidis, idolis, quæ ipse fecit. Nam ipse vixit aliquando, illa autem nunquam. Quem locum nescio

Tom. II. De Antichristo,

an quis ita pervertere audebit, ut neget voce Sébasmaton significari ipsa idola, siue simulachra quæ manibus hominum fabricantur: quæque vitam habere videntur, cum tamen non vivant. Itaque omnes Græci, & ipse etiam Erasmus, cui multum tribuunt omnes hæretici, tam in Persone, quàm in Annotationibus docet, Sébasma debere verti numen.]

Sanderus lib. 8. de Visibili Ecclesiæ Monarchia, cap. 25. Et extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. Græca habent: Effertur supra omnem qui dicitur Deus, aut numen. Magdeburgenses vertunt: Effertur contra prædicatum Deum & cultum. Tanquam si dixisset: Antichristus extollitur aduersus eum qui eximè dicitur Deus, & aduersus cultum, Cum Paulus dixerit, Sébasma quod colitur, illi verterunt potius actum, cultum. Licet enim Græca vox tam venerationem ipsam significet, quàm id quod colitur: tamen ex eo quod agitur, apparuit, Paulum voluisse dicere quod Antichristus effert se supra omnem qui dicitur Deus, aut numen. Etenim ut Dei vox non respicit actionem Antichristi, sed rem supra quam effertur: sic & illud Sébasma non ita debemus interpretari, velut venerationem alicuius hominis significet, sed potius rem ab hominibus adoratam, & qua colitur numen, seu adorandum.]

Estius in 2. Thessalonicens. 2. Et quod colitur, in Græco nomen est Sébasma, quod alij numen vertunt: tametsi Græca vocis significatio generalior est: extenditur enim ad omnia, quæ solent homines cultu religionis, seu vero seu falso venerari, ut sunt ara, delubra, statua, simulachra. Nam Actorum 17. ubi nos legimus Paulum dicentem: Præteriens & videns simulachra vestra inueni & aram, &c. pro, simulachra Græcè est Sébasmata, quod Erasmus vertit culturas: alij, cultus. Quæ versiones cōgruunt cum eo quod hic reddidit noster Interpret quod, colitur.]

Iustinianus in 2. Thessalonicens. 2. Quod autem noster Interpret dixit, quod colitur: Græcè est Sébasma, quam vocem Tertullianus interpretatur religionem. Effert igitur sese Antichristus super omnes Deos, & quidquid religiosè colitur. Hoc enim propriè videtur significare vox Sébasma. Nam in Actis Apostolicis c. 17. 23. ubi nos legimus, Videns simulachra vestra: Græca habent Sébasmata vestra, quasi dicat, sacra vestra quæ vos religiosè colitis. Hic igitur Antichristus, omnis religionis hostis nihil præter se unum religiosè coli patietur.]

Cornelius à Lapide in 2. Thessalonicens. 2. Pro eo quod Noster vertit, quod colitur, Græcè est Sébasma, quod Magdeburgici vertunt cultum: Syrius, religionem: melius & clarius Erasmus, Vatablus, imò & Beza vertunt, numen; quod maiestate sua venerandum est, coliturque & adoratur. Voleat enim Antichristus non tantum coli super omnem cultum & religionem, sed etiam super omne numen: imò ipse solus vult haberi pro numine & Deo.]

Lessius de Antichristo cap. 7. Aut quod colitur. Græcè sebasma: quæ vox generatim significat numen quod religiosè colitur, ut etiam Erasmus annotauit: & ita vertit hoc loco. Plerumque autem accipitur pro idolo, ut Sapientiæ 15. & Actorum 17. & hoc loco 2. Thessalonicens. 2. 4. ut passim Patres exponunt.]

Ergo ex tātis aliorū iudiciis illud eruiamus, Græcā vocem Sébasma propriè significare venerationem, cultum, religionem, culturam sacram. Atque interdum quidem sumi pro actu ipso venerationis & cultus, siue actione religionis, ut sunt Sacramenta, sacrificia, ceremoniæ sacri ritus, sacra, siue res, siue loca, templa, delubra, aræ, siue tempora, diesque, quibus vel Deo vero, vel falsis cultus & veneratio religiosa exhibetur: frequentius tamen ac potius accipi pro obiecto istius religiosi cultus & actus, nempe pro eo quod veneramur & adoramus, pro re quam religiosè colimus; ac tum propriè est numen, aut diu

diuinitas, aut Deus, seu verus, seu falsus. Priori significato positam hic vocem Sébasma multi crediderunt. Tertullianus lib. 5. aduersus Marcionem, cap. 16. *Extollens se super omne quod Deus dicitur, & omnem religionem.* Et de Resurrectione Carnis, cap. 24. *Et superextollitur in omne quod Deus dicitur, vel religio.* S. Hieronymus Quæstione 1. ad Algasia: *Vt cunctarum gentium Deos, siue probatam omnem & veram religionem suo calcet pede.* Oecumenius in 1. Ioann. 4. interprete Ioanne Hentenio: *Porro per hoc quod addit, omne numen, etiam Christianismum significat: & se ipsum solum conabitur ostendere Deum.* Interprete vero Bernardo Feliciano: *Quod autem inquit, Supra omne numen, id est, Sébasma, hoc est, cultum & venerationem: id ad Christianorum religionem refertur: nam se solum Deum ostendere conabitur.* Hieronymiaster in 2. Thessalonicens. 2. *Qui extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. Supra omnem potentiam & æternitatem se iactabit, ut sacramenta cultura corrigere vel augere se dicat: tantum, ut veritatis Christi Euangelium soluat.* Eodem modo interpretatur Caietanus: nec ab ea explanatione multum absunt, Clarius, Gagnæius, Estius.

Posteriori tamen sensu positum hic Sébasma plerique existimarunt, Erasmus, Sanctes, Vatablus, Sanderus, Gagnæius, Hentenius, Montanus, Bellarminus, Cornelius à Lapide, & omnes recentiores, qui Sébasma hoc loco numen exponunt. Sed quod pluris est faciendum, Vulgatus Interpres, S. Irenæus, Ambrosiaster, Hilarion, Rufinus, S. Augustinus, S. Prosper, Primasius, S. Gregorius, & quotquot Sébasma interpretati sunt, quod colitur, manifeste enim de obiecto cultus intellexerunt. Verum non erit alienum, si dicamus utrumque significatum simul comprehensum à Paulo in voce Sébasma. Ac si dicat: Extollit se Antichristus, supra omnem religionem seu veram, seu falsam, nimirum supra Christianam, Iudaicam, Paganam, Hæreticam, Schismaticam: vti postea ostendemus: insuper efferet sese etiam super omne numen, siue supra omne quod colitur, hoc est supra omnem Deum, vel verum vel falsum, cui vniquam ab ullo veneratio, cultus, & religio sint tributa. Vt illud supra omne numen, sit maior explicatio & amplificatio eius quod antea dixerat, supra omne quod dicitur Deus. At istud, supra omne quod dicitur Deus, innuat Deos maiorum gentium: illud verò, aut quod colitur, seu numen, indicet Deos minores, & minorum gentium.

At verò Sébasma interdum in Scriptura poni pro idolo, ac falso Deo, seu numine, euincitur e Sapien. 15. v. 17. *Melior enim est ipse his quos colit, quia ipse quidem vixit, cum esset mortalis: illi autem nunquam.* Vbi pro, his quos colit, Græce est, Sébasmatôn. Vatablus, cultis à se rebus, vel, numinibus suis. Lorinus & Castrus, culturis suis, id est, rebus quas colit, quæ sunt ficta numina. Et cap. 14. v. 10. *cum qui ante tempus tanquam homo honoratus fuerat, nunc Deum aestimauerunt, pro Deum, Græcè est Sébasma.* Vatablus, numen. Lorinus & Castrus, culturam, rem coli dignam, numen, id quod colimus, veneramur, adoramus honore Deo proprio. Actorum 17. 23. *Præteriens enim, & videns simulachra vestra pro, simulachra vestra, Græcè est, Sébasmata ymon.* Erasmus, Caietanus, Clarius, Vatablus, Sanctes, culturas vestras, qua etiam ratione interpretatus est S. Hieronymus in 1. ad Titum. Henricus Stephanus, cultus vestri monumenta. Idem Henricus, & Montanus, sacra vestra. Syrus: domum formidinum vestrarum, vel deorum vestrorum, vel religionum vestrarum.

Rabbanus Opusculo de Antichristo, per id, aut quod colitur, intellectâ putat à Paulo sacram diuinatû Perso-

narum Trinitatem: sic enim ait: *Sed etiam extollitur Antichristus supra omne quod colitur, id est, supra Sanctam Trinitatem, qua modo sola colenda & adoranda est ab omni creatura.* Eodem modo interpretantur Haimo, Anselmus Laudunensis, & Lyranus, sequenti capite docebimus, Antichristum Sanctam Trinitatem blasphemè negaturum, Guillaudus, aut quod colitur, cultum Sanctorum exponit: quem Antichristus omnino etiam tollit.

CAPUT IV.

Horrenda Antichristi blasphemia, qua & verbis & factis palam iactabit, Se Verum Deum, vniuersi Dominum ac moderatorem esse.

ANtichristum post fundatam, firmatamque plenam & absolutam Monarchiam, eò superbiam ac dementia ruiturum, ut abnegato & repudiato vero Deo, Vno, Trinoque, se ipsum verbis & factis verum Deum, rerum omnium conditorem, palam omni asseueratione affirmet: ac nullum alium præter se solum esse verum Deum contendat, Patres & Posteriores vno ore tradiderunt.

S. Irenæus lib. 5. cap. 25. *Antichristus existens apostata & latro, quasi Deus vult adorari.* Et paulo inferius: *Et idola quidem seponens, ad suadendum quod ipse sit Deus.* Et postea: *Quoniam ipse Tyrannico more conabitur ostendere se Deum.*

Tertullianus lib. 5. aduersus Marcionem, cap. 16. *Antichristus confesseris in templo Dei, & Deum se iactaturus.* Et De Resurrectione carnis, cap. 24. *viri sedeant in templo Dei, affirmans se Deum.*

S. Hippolytus Martyr Oratione de Consummatione Mundi & de Antichristo: *Nam Antichristus elatus corde postea incipiet exaltare seipsum & glorificare tanquam Deum, persecutione Sanctos, & blasphemia Christum incessans.*

Lactantius Firmianus lib. 7. c. 17. *Seipsum constituet, ac vocabit Deum, & se coli iubebit ut Dei Filium.*

Auctor nomine S. Ambrosij in Thessalonicens. 2. *Ipsam Deum se asseret, non Dei Filium.*

S. Hilarius Canone 25. in Matthæum: *Antichristus aduersus Deum veniens honorem sibi Dei vendicet: atque à Iudeis susceptus loco sanctificationis insistet: ut ubi sanctorum precibus Deus inuocabatur, illic ab infidelibus receptus, Dei honore venerabilis sit.*

S. Cyrillus Ierosolymitanus Catechesi 15. *Ita ut ipse sedeant in templo Dei, & ostendat seipsum tanquam sit Deus.*

S. Ephræm Syrus Sermone de Antichristo: *Seipsum ut Deum ostentabit. Et postea: Multi ut Deum fortem ipsum glorificabunt.*

S. Hieronymus in 11. Zachariæ, ad Vers. 17. *Dum se appellat Deum, & vult ab omnibus adorari.*

S. Chrysostomus Homilia 40. in Ioannem: *Ille enim Antichristus, neque se missum à Patre, neque eius voluntate venire dicit: sed omnem potestatem sibi vendicabit: se omnium Deum profitebitur, ut Paulus inquit, In omnibus dicentem se Deum, aut quod colitur, ostendentem se Deum esse.* Et paulo infra: *Coletis autem eum, qui se Deum nescire, & se maximum Deorum esse glorificabitur.* Et Homilia 3. in 2. Thessalonicens. *Disfoluet & destruet omnes Deos: & iubebit seipsum pro Deo adorari.*

Theodoretus in 11. Danielis, ad vers. 38. *Cum enim parentes Antichristi agnita propria natura Deum qui omnibus præest, se ipsos nominare non ausi fuerant: iste Deum*

Deum fortem & potentem se ipsum appellat.] Et in 2. Thessalonicens. 2. Seipsum Christum & Deum nominans, & Deos qui vocantur, falsos esse arguens: seipsum Deum conans ostendere. Hac dininus etiam prædixit Daniel, dixit enim: Deum Maozim in loco suo glorificabit. Pro eo quod est, Deum fortem seipsum nominabit.] Eadem habet lib. 5. Diuinorum, Decretorum, cap. de Antichristo.

S. Ioannes Damascenus lib. 4. de Fide Orthodoxa, cap. 27. Indai impostorem Antichristum, diuinitatem sibi arrogantem recipient. Nam quod Dei nomen usurpaturus sit, Apostolus his verbis ostendit: Ita ut ipse tanquam Deus in templo Dei sedeat, ostendens seipsum quod sit Deus.]

Alcuinus lib. 3. de S. Trinitate, cap. 19. Qui extolletur super omne id quod dicitur Deus, aut quod colitur. Colitur itaque recte tantummodo Sancta Trinitas Deus, cuius honorem impiissimus ille refuga sibi vindicare præsumit.]

Theophylactus in 2. Thessalonicens. 2. Verum omnes Deos demolietur & culturas eorum, sine idola, seque ipsum solum prædicabit Deum.]

Oëcumenius in 2. Thessalonicens. 2. Neque enim ad idololatriam ducet homines, sed ut ipsum tanquam Deum adorent.]

Rabbanus Opusculo de Antichristo: Gloriam vanam quarens, Omnipotentem Deum se nominabit.]

S. Anselmus in Elucidario: Antichristus antiquam Ierusalem reedificabit, in qua se quasi Deum coli iubebit.] Et auctor nomine S. Anselmi in 2. Thessalonicens. 2. Imò se Deum esse dicet, & se adorari faciet, atque regna celorum promittet.]

Hugo Etherianus lib. de Regressu animarum ab inferis, caput 23. Se solum pro Deo iubebit adorari.]

S. Prosper in Dimidio Temporis, cap. 11. in eandem sententiam adducit locum Ezechielis 28. 2. de superbia Antichristi: Elenatum est cor tuum & dixisti: Deus ego sum, & in cathedra Dei sedi in corde maris: cum sis homo, & non Deus: & dediisti cor tuum quasi cor Dei.] Atque eadem est sententia omnium Orthodoxorum, posteriorum, nimirum Antichristum distinctè & aperte se Deum appellaturum, & Dei nomen blasphemè sibi usurpaturum. De qua re seorsim videndi, Sanderus lib. 8. de Visibili Ecclesiæ Monarchia, cap. 22. Bellarminus lib. 3. de Romano Pontifice, cap. 14. Suarez Tomo 2. in 3. Partem Disputatione 54 Sectione 4. & contra errores Anglicanos lib. 5. cap. 17. Gregorius de Valentia Tomo 4. Disputatione 11. Quæstione 2. Puncto 2. §. 2. Acofta lib. 2. de Nouissimis Temporibus, cap. 10. Viegas in 13. Apocalypf. Commentario 2. Sectione 6. Lessius de Antichristo, cap. 7. & plures alij.

Cæterum quam ratione id fiet, ut Antichristus publicè palamque se Deum omnium constituat, ac se pro Deo ab omnibus coli & adorari imperet. S. Hypolytus Martyr Oratione de Consumatione mundi, in hunc modum exponit: Cunctis enim populis fausta omnia acclamantibus, propter obiectas species, vehementi & grandi voce clamabit, ita ut moueatur locus, in quo turba adstiterint ei: Perspicite populi, tribus, ac gentes magnam meam potestatem ac potentiam, viresque Imperij mei. Quis princeps tam potens atque ego? Quis Deus magnus præter me? Potentia mea quis resistet? Et post multa: Demones enim suos velut splendentes Angelos reddet, innumerasque copias spirituum incorporeorum adducet: & coram omnibus in celum assumi se demonstrabit, cum tubis, sonis, & clamore valido prædicantium illum hymnis indicibilibus. Itaque ille

tenebrarum haeres, instar lucis fulgens, interdum volitans in calos, quandoque descendens cum gloria magna super terram, nonnumquam demonibus imperans, velut Angelis ad iussa sua peragenda cum timore & tremore multo, confestim mittet demonum cohortes ad montes, speluncas, & cauernas terre, qui scrutentur eos, qui subduxerunt se se ab oculis eius: & adducent eos ad adorandum illum.]

S. Ephræm Syrus sermone de Antichristo, in eandem sententiam: Etenim adstante circumcirca maxima populorum, gentiumque multitudine, eum propter phantasmata laudantium, vehementissimam emissurus est vocem scelestus, adeo ut locus totus moueatur, in quo turba ei assistebant: palamque tanquam Deus dicturus est impius: Cognoscite vniuersi populi, magnam potestatis meae virtutem.] Et post alia: Quibus sic actis, populisque ad eum velut ad Deum adorandum, collaudandumque indies adductis, &c.

Manifesta quoque ratio ex sacra Scriptura. Patrumque auctoritate desumpta apertè docet, Antichristum reiecto & abnegato vero Deo, se verum & solum Deum appellaturum. Primo, Quia non ob aliam causam idola abolebit, & omnes gentium Deos, cunctasque religiones & cultus extinguet, ut cap. 3. dicebamus, nisi ut se solum pro vero Deo vendiderit, & ab omnibus adorari faciat, ut S. Irenæus annotabat. Secundo, Quia Iesus Christus se verum Deum appellauit, hancque æternam veritatem miraculis, & doctrinâ egregiè & solide confirmauit: idemque Apostolos & Christianos omnes per vniuersum mundum credere, testificari prædicari iussit: Antichristus autem cum sit è diametro contrarius Christo nedum Christum verum negabit: sed etiam se Deum palam faciet, asserens Iesum non fuisse Deum: sed se esse verum Deum.

Illud verò clarissima coniectura ducti existimamus, Antichristum in Templo Ierosolymitano quod denuo excitabit, ac nomini diuinitatique suæ consecrabit, postquam se Deum constituerit, nouo, raro sumptuosissimoque ritu, victimas, & hostias sibi mactari quotidie imperaturum. Instar Caij Principis, de quo Tranquillus, cap. 22. Templum etiam nuntio suo proprium, & Sacerdotes, & excogitatissimas hostias instituit. In templo simulachrum stabat aureum Iconicum: amiciebaturque quotidie veste, quali ipse vteretur. Magisteria Sacerdotij ditissimus quisque & ambitione & litatione maxima vicibus comparabant. Hostia erant phenicopteri, pauones, tetriones, numidica, meleagrides, phasiana, quæ generatim per singulos dies immolarentur.] Dio lib. 59. Caius verò Roma sibi templum extruxit.] & post pauca: Ipse in Palatio sibi properato templum posuit. Sacerdotes addidit Cæsariam uxorem suam, Claudium, aliosque ditissimos: centies sesterium à singulis diebus accipiens. Immolabantur autem ei singulis diebus aues delicata ac magni pretij. Machinam habebat, qua tonitribus obstreperet, ac contra fulgura fulguraret: ac quoties fulmen decidisset, lapidem ei iaculabatur.]

His addimus, Antichristum seuerissimè curaturum, ut vbique terrarum, quàm longè lateque Imperium eius patebit, templa magnificentissima & augustissima auro, argento, gemmisque ornatissima diuinitati eius construantur & dedicentur. Theodoretus in 11. Danielis, ad vers. 38. ex verbis Prophetæ, ait: Eriget enim sibi ipse templa, inquit Daniel, & argento & auro, & lapidibus pretiosis ipsa exornabit.] Ad hæc & in Ierosolymitano templo, & in omnibus aliis sui Imperij statuum suam, imo innumeras statuas collocaturum, quæ ipsum tanquam Deum representent, ut Caligula faciebat, &

capimus etiam dicere lib. 7. cap. 19. & vberius dicemus, lib. 9. c.

Quin etiam illud quàm vero propensum, Antichristum, semper, sed peculiariter quom se Deum cæli & terræ opificem faciet, negaturum & blasphematurum cum primis Sanctissimam diuinam Personarum Trinitatem: ac palam pronuntiaturum, falsissimum esse & absurdissimum quod Christiani credunt tres esse in diuinitate Personas, Patrem, Filium, Spiritum Sanctum: hocque esse, tres Deos impiè constituere. Atque ante omnia Christum perpetuò amarissimè insectabitur, quòd se Filium Dei esse prædicauerit: stultissimum enim esse existimare, Deum habere Filium: cum non sit nisi vnicus Deus.

Ambrosiaster in 13. Apocalypf. ad Vers. 6. *Antichristus aperiet os suum ad blasphemandum Deum, Patrem videlicet & Filium, & Spiritum sanctum. Blasphemabit & nomen Dei, dicens, Christum non esse Deum, Blasphemabit etiam tabernaculum Dei, idest, Ecclesiam Dei, dicens, nihil prodesse Religionem Christianam, sed interitum magis afferre, quam salutem.* Haimo in 2. Thessalonicens. 2. *Super omnes extollet se Antichristus, etiam supra omne quod colitur, idest, super Sanctam Trinitatem, qua solummodo colenda & adoranda est omni creatura.* Eadem habent Rabbanus Opusculo de Antichristo, & Lyranus in 2. Thessalon. 2. Vide c. 3. extremum. Atque hoc ipsum satis apertè docuit S. Ioann. 1. Epist. 2. v. 22. *Quis est mendax, nisi is qui negat, quoniam Iesus est Christus? hic est Antichristus qui negat Patrem, & Filium. Negabit igitur Antichristus Trinitatem. Quo circa signatè Auctor nomine S. Ambrosij in 2. Thessalonicens. 2. ipsum Deum se asseret, non Dei Filium.* Chrysostomus in 5. Ioannis: *Neque se missum à Patre, neque eius voluntate venire dicit: sed se omnium Deum profitebitur.* S. Ephræm Sermone de Antichristo: *Cuncta sub proprio nomine perficiet Antichristus: non enim sustinebit immaculatissimum nomen Patris, & Filij, & Spiritus sancti, cum sit Dei aduersarius, ac perditionis filius.* Quod si Lactantius, lib. 7. cap. 17. S. Hieronymus Quæstione 11. ad Algasia, Rabbanus Opusculo de Antichristo, & alij dixisse reperiuntur, Antichristum se Deum, ac Dei Filium vocaturum: vel rem non introspexisse videntur: vel id tantum voluerunt, Antichristum initio magnitudinis suæ, vt Iudæis gratificetur, appellaturum se verum Messiam & Christum: quem Christiani aiunt Filium Dei: postea verò ad traciorem superbiam prouectum, non Messiam, à Deo missum, vt credunt Iudæi, sed ipsum supremum & altissimum omnium Deum, abnegata sacra Triade se se nuncupaturum.

Igitur ex his quæ huc vsque hoc peculiariter libro octauo differuimus, facillè eruiamus, Antichristum quom se verum Deum esse pronuntiabit: nedum Iesum Dei Filium verum, & totam eius Sanctissimam Fidem & Religionem: sed etiam vniuersam Mosis Legem, & Totum vetus Testamentum, vt & Nouum, prorsum repudiaturum, spreto, & eiurato Messie nomine, & miseris Iudæis irrisis & ludibrio habitis, ac penitus reiectis. Id planè visus est indicasse S. Ignatius Martyr Epistola ad Heronem: *Si quis improbauerit Legem & Prophetas, quos Christus præsens adimpleuit, sit tibi tanquam Antichristus.* S. Hippolytus Martyr Oratione de Consummatione Mundi: *Tunc iniquus ille elato animo, eos qui illum ad regnum inuitant [nempe Iudæos] fastidiet.* Lactantius lib. 7. cap. 16. *Leges commutabit aliorum, suas sanciet.* Nihil enim pro religione ac lege volet haberi, nisi quod ipse iusserit: nimirum vt qui se iactet verum Deum.

In Theologiæ Compendio, lib. 7. cap. 7. annotatum inuenio, Bonum ac sanctum Angelum custodiæ Anti-

christi ab ortu eius assistentem nunquam illum deserturum, nisi quom in hanc supremam blasphemiam eruperit, vt se Deum faciat. Tunc enim beatus Angelus custos illius, prorsus ab eo se subtrahet, omnemque opem denegabit. Verum in id consentiunt omnes ferè rerum Antichristi auctores, Antichristum nunquam eò dementiæ & superbiæ deuenturum, vt se verum Deum affirmer, nisi postquam plenam & absolutam monarchiam validè stabilierit. Vide Suarez Tomo 2. in 3. Partem S. Thomæ, Disputatione 54. Sectione 4. Et verò ea cogitatio animum nostrum subit, Antichristum, cum maiori parte trium annorum & semis, quibus rerum potiturus est, se verum Messiam Iudæorum sit iactaturus, eoque nomine sæuissimam in Christianos persecutionem sit excitaturus: at non nisi vltimo forsan anno suæ supremæ tyrannidis, abiecto Messie nomine, Iudaicæque gente reiecta, Dei nomen nefariè rapturum: cum sit verissimile, Deum Optim. Maxim. haud passurum hominem tam impium, & extremè blasphemum diutius viuere super terram. Atque hinc existimamus futurum initium conuersionis Iudæorum ad fidem Christi, quæ tum celeberrima erit: cum enim miseri viderint se delusos ab Antichristo, qui repudiato Messie Iudæorum nomine, vniuersæque Mosis Lege pessumdata, se Deum deorum faciet: quod ipsi summam blasphemiam reputant: spe frustrati, opinione exclusi, ab Antichristo contempti, omnibus ludibrio habitis, malis attriti, mærore confecti, illulcescente tandem diuinæ lucis radio, prædicatione præsertim Henoch & Eliæ reuertentur, & quærent Dominum Deum suum, & Iesum Christum verum Messiam, vt lib. 11. laus ostendemus.

In infelices tunc ab Antichristo deceptos Iudæos aptè conueniet parabola illa, quam Ionatham Gedeonis filius Sichimitis suscipientibus super se regem Abimelech, qui ipsis exitium attulit, proposuit, Iudicum 9. v. 8. *Ierunt ligna, vt ungerent sibi regem, &c. Dixeruntque omnia ligna ad rhamnum: Veni, & impera super nos. Qua respondit eis: Si verè me regem vobis constituitis, venite, & sub umbra mea requiescite. Si autem non, egrediatur ignis de rhamno, & deuoret cedros Libani.* Nam istum apologum in Antichristum, & Iudæos ab eo delusos, quoque saltem mystico & reconditori sensu competere, Strabus, & Anselmus Laudunensis, & ante eos S. Isidorus Hispalensis, & S. Beda Commentariis in Iudices, cap. 6. annotarunt; quos tu per maius otium, si libuerit, consules.

C A P V T V.

Diuina testimonia de extrema Antichristi blasphemiam, se Deum verum constituentis.

TERRIMUM istud Antichristi flagitium, se verum Deum prædicantis, Spiritus sanctus vti rem adeo singularem & immanem, variis oraculis & prænuntiavit, & acerrimè proscidit. Primum oraculum, Danielis 7. v. 8. *Ecce oculi hominis erant in cornu isto: & os loquens ingentia.* Et vers. 11. *Aspiciebam propter vocem sermonum grandium, quos cornu illud loquebatur.* Et vers. 20. *& de cornu illo quod habebat oculos, & os loquens grandia: & maius erat cæteris.* Hoc oraculum intelligendum esse de Antichristo, qui dictus sit cornu patulum, abundè demonstrauimus lib. 5. cap. 22. 24. & lib. 6. cap. 10. Verbum chaldaicum MALIL, vt Hebraicum M A L A L, quod ter his locis ponitur, & à Nostro loquendi significato exponitur, propriè est, concidere, secare, scindere sermonem, & verba

verba, præcedere, circumscribere sermonem, ut Forsterus obseruat.

Auenarius annotat, *Si de sermone usurpatur significare raptim & præcisè, seu compendiosè loqui, hoc est, totam sententiam vno membro comprehendere, & ferè Laconismum imitari: ut cognationem habeat cum MVL, & NAMAL, id est, circumcidit.* Latina & Hispanica phrasi cum qui detrahit, obloquitur maledictis incessit, aut etiam blasphematur, proscindere dicimus, hoc est, contumeliis, conuiciis, vel blasphemis lacerare. Vnde hinc reddi posset, *Et os proscindens, præciscens, aut proscindens grandia.* De Antichristi horribili blasphemia qua nomen Dei viuientis proscindet, & lacerabit: negans verum Deum, & sibi diuinitatem arrogans. Tremellius & Iunius: *sermonem Deum proscindebat.* Porro loqui magna, ingentia, grandia, ut etiam aperire os, dilatare os, loqui sublimia, magnificare linguam, lingua magnifica, peculiates sunt modi loquendi, qui sæpius in Scriptura occurrunt, constantque gemino sensu, in eundem fermè refuso. Primo ut idem sint, quod superbe, insolenter, iactabundè loqui, tumidè se efferre, ventosam habere linguam, ampullas, & sesquipedalia verba buccinare, magna iactare, insultare vel comminari, arroganter deblatterare, vel in sui laudem, vel in alterius contemptum, ut totum sit superbia, arrogantia, vecordia. Secundò, ut significant, loqui blasphemias, contumelias, & maledicta iactare, siue in Deum, siue in Sanctos, siue in homines. Exempla vtriusque significatus non pauca in Scriptura occurrunt. Psalm. 11. v. 4. & 5. *Disperdat Dominus vniuersa labia dolosa, & linguam magniloquam. Et, Linguam nostram magnificabimus.* Psalm. 34. 26. *qui magna loquuntur super me.* Vbi notabis quosdam codices perperam, pro magna, legere maligna, siquidem magna esse veram lectionem, ex Hebræis, Chaldæis, Græcis, & Latinis M. S. codicibus, ex Regiis Bibliis, item ex iussu Xysti V. & Clementis VIII. emendatis exemplaribus, & aliis quibusque optimis excusis est perspicuum, uti Plantinus, & Franciscus Lucas obseruarunt: item Iansenius & Lorinus in eundem Psalm. Ribera 13. Apocalypsi. numero 15. Græcum participium *μεγαλόλογον οὖντες*, suo reboatu superbiam locutionis ostentat. Psalm. 36. 17. *super me magna locuti sunt Abdiæ* vers. 12. *Non magnificabis os tuum in die angustia.* Hoc est, non insultabis superbe afflictis. Isaia 57. 4. *Super quem dilatastis os, & eiecistis linguam?* Eicere, seu exertare linguam apud Hebræos, ut etiam apud nos, aliasque nationes, gestus est irridendum, & illudentium. Nam Q. Claudius Quadrigarius Annalium Romanorum conditor, describens duellum T. Manlij Torquati cum Gallo prouocatore, hæc de Gallo ait apud A. Gellium lib. 9. Noctium Atticarum, cap. 13. *Deinde Gallus irredere capit, atque linguam exertare.* Psalm. 34. 21. *Dilatauerunt super me os suum.* Id est, diduxerunt os exerta lingua ad me contumeliis, opprobriis, ludibriis proscindendum. Matthæi 27. 39. *Prætereuntes autem blasphemabant eum, mouentes capita sua.* Apocalypsi. 13. 5. *Datum est ei os loquens magna & blasphemias.* Illud, & pro, id est, positum est, ut c. 6. dicemus.

Ergo quod Daniel ait Antichristum locuturum ingentia, seu grandia possumus iuxta vtrumque sensum accipere. Primo, Habiturum os iactabundum, superbum, thraconicum, atrociam dicta effusurum: ut illud Caligulæ: *Sibi omnia, & in omnes licere*, & eiusmodi alia. Secundo, Iaculaturum blasphemias in Deum Opt. Max. Nam se palam affirmabit esse verum Deum, quæ sceleratior blasphemia esse nequit. Vnde S. Hieronymus in hunc locum: *Et os loquens ingentia. Est enim homo peccati, filius perditionis, ita ut in templo Dei sedere audeat, faciens se quasi Deum.* Theodoretus:

Quin etiam os inquit Daniel, loquens magna, hoc est, arrogantia atque superba. Idque aperte beatus Paulus nos docet, cum ait: Qui aduersatur & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur: ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus. Hoc inueniens item beatus Daniel dixit, Et os loquens ingentia.] Eodem modo interpretantur Strabus, & reliqui ferè omnes posteriores explanatores. Nec illud mysterio carere videtur, quod Noster dixit, ingentia, & grandia: Chaldaicè geminato vocabulo, & forma emphatica enuntiari RABREBAN, & RABREBATA, quam sanè quadraturam & emphasim vocum augere significationem, eruditi sciunt: ut eo modo loquendi innuere voluerit Vates Antichristum locuturum extremè ingentia, & adeò maxima, ut maiora non possit: nimirum se verum Deum appellabit, quæ blasphemiam maior & atrocior esse nequit.

Exponens verò Angelus, quæ essent illa ingentia, & grandia quæ cornu illud Antichristus loqueretur, subdit Versu 25. *Et sermones contra Excelsum loquentur.* S. Hieronymus: *Sive ut interpretatus est Symmachus: Sermones quasi Deus loquetur. Ut qui Dei assumit potentiam, verba quoque diuina sibi vendicat maiestatis.] Theodoretus: Tanta enim rabie, inquit, & insania concitabitur, ut superba verba & maledicta contra Deum Altissimum conijciat.] Eodem modo reliqui omnes interpretantur: vno verbo, Negabit verum Deum, & se verum Deum statuet, quæ summa est blasphemia. Quod Vulgatus dixit, contra, Chaldaicè est, LEZAD, varièque locum reddunt: Sanctes, Et sermones ex parte Altissimi loquetur. Leo Iudas, Verba etiam faciet de rebus diuinis. Forsterus, Et dictæ contra Altissimum dicet. Ita quoque Schindlerus. Tremellius & Iunius: Et verba aduersus Excelsum loquetur, id est, blasphemus erit in Deum, & contumeliosissimus.] Vatablus in Editione Sanctandrea: Verba etiam loquetur ex parte Altissimi. Marinius: Et dictæ lateri [ad latum] Superiori dicet. Vel, verbaque ad latum [contra] Superioris loquetur. Aut, Et dictiones lateri Superiori loquetur Chaldaicum ZAD, ut etiam Hebræicum latum significat, Nostro etiam Interpreti, ut Daniel. 6. v. 4. Quarebant occasionem, ut inuenirent Danieli ex latere regni, hoc est, ex parte regni, quod ad negotia regia attinebat, vel in regis negotiis. Possit hinc exponi, Et dictiones ad venandum [insidiandum] Altissimum loquetur. Vel, Et sermones concisos aduersus Deum proscindet, id est, blasphemis Deum proscindet. Simplicius illud est, Et dictiones concisas [dictæ, dictæ breuia] lateri Altissimi rescabit: vel, concidet, seu, loquetur. Fortan est phrasis illi consimilis, qua Scriptura pro, blasphemare nomen Domini, ait, Perforare nomen Domini, Leuitici 24. 11. Ac si dicat, Antichristus dictionibus concisis & breuibis, dictæ, hoc est, blasphemis configet, transfiget, concidet, proscindet latum Altissimi. Sic Hispanice de homine periuro & blasphemico dicimus *Haze tajadas de Dios.* Nec alienè reddatur, Et dictæ lateri Altissimi proscabit, quasi dicat Hispanicè, Con sus blasphemias raiara a Dios de lado a lado. Si ista minus arriserint, quæ tamen egregiè facunditas Fontis fundit, expone: Et sermonibus [verbis] lateri ad [latum] Altissimi loquentur. Hoc est, faciet se Deo collateralem, æqualem, nimirum, se Deum faciet, loquetur ut Deus, verba diuinæ maiestatis usurpabit. Dicit propalam ac vociferabitur, se Deum Altissimum esse. HILATA, quod Noster Excelsum exposuit, esse veri Dei epitheton, quasi dicas, Eleuatum Altissimum, Excelsissimum, nimis est exploratum.*

Secundum Oraculum, Daniel. 8. 11. de cornu medio, seu rege impudente: Et vsque ad Principem fortitudinis

magnificatum est. Et vers. 25. *Cor suum magnificabit, & contra Principem principum confurget.* Hunc locum de Antichristo accipiendum, plenius ostendimus lib. 6. cap. 36. & lib. 7. cap. 3. Hebræa ad verbum: *Et usque ad Principem militia, vel, Imperatorem exercitus, subaudi cælorum, grandefecit se. vel magnificabit se.* Lxx. *Quoad usque Dux militia liberaueris captiuitatem.* Apud Theoretum: *Et usque ad Principem virtutis magnificatum est.* In Complutensi & Regia: *Et usque ad Principem exercitus magnificatum est.* TSEBA, quam fortitudinem Noster dixit, est militia, exercitus, & proclive est vt intelligatur militia cælestis, nempe exercitus Angelorum, stellarum, siderum, Planetarum, quæ passim in sacris libris militia cæli nuncupatur: vt Princeps hinc militia, significetur veluti periphrasi, verus & supremus Deus, omnis militia cælestis Imperator. sensusque Vatis hic sit: Tam grandem ac magnam se fecit, quàm Deus ipse altissimus Angelorum, & cælorum conditor: exulit se ad usque Dei magnitudinem: se verum Deum fecit. TSEBA quoque in Scriptura dicitur de cultu & ministerio Ecclesiastico, & Sacerdotio, quasi statio, in qua omnia certo tempore & ordine decenter fiebant: est hoc ipso cap. 8. Danielis, vers. 13. *Dare sanctuarium & militiam conculcationem.* De qua notione dicemus exactius lib. 9. cap. 3. vt hoc loco Princeps militia, intelligatur verus Deus auctor & rector Ecclesiæ Catholicæ.

Et in corde suo grandefaciet se. Et super [contra] Principem principum [Imperatorem Imperatorum] stabit, consistet, persistet, stabiliet se. Hoc est, pertinacissimè suam diuinitatem raptam supra vel contra verum Deum stabilire & firmare conabitur. S. Hieronymus: *Quodque ait, usque ad Principem fortitudinis magnificatus est: hoc significat, quod erectus sit contra Deum.* Quamuis ipse S. Hieronymus, Theodoretus, & posteriores de Antiocho interpretentur, sed tamen vt de typo & figura Antichristi, vt lib. 7. cap. 3. notabamus. Tremellius, & Iunius: denique *Principi Principum obsister.*

Tertium oraculum, Daniel. 11. 36. *Ei aduersus Deum deorum loquetur magnifica.* De Antichristo hoc esse vaticinium, superiori 3. cap. docuimus. Tremellius & Iunius: *Etiā supra Deum fortem deorum fortem.* Vel, *supra Deum fortissimum omnium loquens mirabilia.* Deus deorum, Hebræica phrasi dicitur, supremus, verus. Optim. Maxim. Deus: vt dicitur *Canticum Canticorum*, id est, excellentissimum Canticum: *Sanctum Sanctorum*, id est, Sanctissimum & Sacratissimum adytum. Quod noster habet, *magnifica.* NIPHLOTH, propriè designat, miranda, mirifica, excelsa, superba, ardua, impossibilia, supra captum aut potentiam hominum. Nimirum, quum se dictis & factis Deum constitueret. Lxx. in Complutensi & Regia: *Et loquetur superba.* Hector Pintus hic subolfecit mysterium in verbis, *Super [aduersus] EL ELIM*, id est, Deum Dei nempe aduersus Filium Dei, Deum verum, de Deo vero, iactabit impossibilia. Sed non admodum solidè. Quoniam ELIM est plurale. Quamuis noster Psalm. 88. 7. singulariter exposuerit, *in filiis Dei*: vbi est ELIM, magis sensum exprimens, quàm vim vocis. Nam locus Psalm. 28. 1. quem laudat Pintus, non facit pro eo, vt ex Interpretibus discas: ibi enim omnes BENE ELIM, exponunt, *Filij Fortium.* S. Hieronymus: *Ab hoc loco Iudei dici de Antichristo putant, quod eleuetur contra omne quod dicitur Deus: & aduersum Deum deorum loquatur magnifica: ita vt sedeat in templo, & seipsum faciat Deum.* Theodoretus: *Transit deinde ad exemplar Antiochi Antichristum, qui superextollitur, & superexaltatur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, sicut ait beatus Paulus: ita vt ipse in templum Dei ingressus, sedeat, ostendens seipsum quasi sit Deus.* Eodem quo-

que modo interpretantur, Strabus, Anselmus Laudunensis, Lyranus, & alij recentiores.

Quartum oraculum, Daniel 11. 37. *Et Deum Patrum suorum non reputabit.* De Antichristo loqui Prophetam lib. 7. cap. 26. & hoc lib. 8. cap. 3. confirmauimus. Hebræa: *Et super Deum patrum suorum non intelliget.* Qua etiam ratione expressit Aquila. Ac si dicat: Deum verum, quem coluerunt patres sui, nempe patres Iudæi, ex quibus oriturus est Antichristus, contemnet, floccifaciet, pro nihilo ducet, se ipsum verum Deum ab omnibus credi & haberi volens. Quoniam Hebræicè est ELOHIM pluralis numeri, Lxx. dixerunt: *Et super omnes Deos patrum suorum non intelliget.* Quod secuti sunt recentiores Interpretes, Vatablus, Leo Iudas, & alij. Tremellius & Iunius: *Ne ad Deos quidem maiorum suorum attender.* At quamuis ELOHIM cum de vero Deo dicitur, plurali forma efferatur, propter mysterium sacræ Triadis, vt ad Psalm. 3. v. 3. cum cura docuimus: at singulariter Deus exponi solet, vt Genes. 1. v. 1. *In principio creauit Deus.* & alibi passim. Hic verò nedum vulgatus, sed & Sanctes, & Forsterus singulariter reddunt: *Et super Deo patrum suorum nihil intelliget.* Et cum sermo sit de Antichristo, perspicuum est, patres Antichristi Iudæos vnum tantum Deum verum coluisse: & Deum Iudæorum non dici nisi vnum verum Deum. Constatque numquam magis Iudæos à cultu plurium Deorum abhorruisse, quàm in hac captiuitate, quam patiuntur à Christo occiso, ad Antichristum vsque. Hebræa transitiuè quoque exprimi possunt: *Et super Deo patrum suorum non faciet intelligere.* Idest, auocabit omnes à cultu veri Dei, vt se verum Deum colant.

Quintum oraculum, Ioannis 5. v. 43. *Ego veni in nomine Patris mei, & non accipietis me: si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.* Hoc habes abunde explicatum lib. 6. cap. 40. Venire siquidem in nomine suo Antichristus dicitur, quod asseret, se non à Deo missum, sed sua auctoritate venire, & se verum esse Deum: vt omnes intelligant. Chrysostomus: *Ille enim Antichristus neque se missum à Patre, neque eius voluntate venire dicit: sed omnem sibi potestatem vendicabit, se omnium Deum profitebitur, vt Paulus inquit, In omnibus dicentem se Deum, aut quod colitur, ostendentem se ipsum Deum esse, hoc est, quod proprio nomine venerit.* Theophilactus: *Alius autem veniet, Antichristus scilicet, qui se monstraturus est, quod ipse solus sit Deus.* Euthymius: *Si alius venerit nomine proprio. De Antichristo hoc dicit, qui veniet nomine proprio, siue à seipso, tanquam ipse Deus esset, qui super omnes est.*

CAPVT VI.

Aliud Oraculum de eadem insanißima Antichristi blasphemia, se verum Deum iactantis.

Sextum Oraculum, Apocalips. 13. 3. *Et admirata est vniuersa terra post Bestiam. Et adorauerunt Bestiam, dicentes: Quis similis Bestia? Bestiam hanc Antichristum esse lib. 5. cap. 26. & 27. diffusè demonstrauimus. Vide quoque lib. 6. cap. 12. Quod ait, vniuersam terram admiratam post Bestiam, & omnes Bestiam adorasse, cum plausu & exclamatione, Quis similis Bestia? illud planè significat, quàm omnes impios & infideles adoratos Antichristum tanquam verum Deum. Et verò phrasis illa ita absolue posita, Quis similis Bestia? videtur periphrasis esse veri Dei: sic enim Scriptura de vero Deo loqui consuevit. Psalm. 34. 10. *Domine, quis similis tibi?* Psalm. 70. 19. *Deus,**

Deus, quis similis tibi? Psalm. 88. 7. *Quis similis erit Deo?* Et alibi passim.

Ribera annotat, distinctè dixisse Ioannem: *Et adorauerunt draconem, qui dedit potestatem bestia, & adorauerunt bestiam* quod forsan Antichristus insignie aliquod draconis, qualis depingitur Apocalyp. 12. 3. nempe rufus cum septem capitibus, & decem cornibus, gestaturus sit, aut in clypeo, aut in signis militaribus. Quasi Deum intelligi velit in illo signo, à quo ipse missus sit, & potestatem acceperit, quem faciet adorari. Nec hoc mirum aut nouum, nam Babilonij draconem, vt Deum adorabant Daniel 14. & Romani Æsculapium in forma anguis; & Iupiter in multis Græciæ urbibus serpentis effigie colebatur.

At non erit nouum aut insolens quod Antichristus in vexillis & signis militaribus draconis effigiem circumferat, cum id in vsu apud Romanos fuisse, satis constet. Modestus libello de vocabulis rei militaris ad Tacitum Imperatorem: *Dracones etiam per singulas cohortes à draconariis feruntur ad prælum.*] Vegetius de Re Militari lib. 2. cap. 7. *Signiferi, qui signa portant, quos nunc draconarios vocant.*] Et lib. 3. cap. 5. *Multa signa sunt Aquila, dracones vexilla, flammula, &c.*] Et lib. 1. cap. 23. *Cohortes papilionibus tendunt, & dracones, & signa constituunt.*] Et lib. 2. cap. 13. *Dracones etiam per singulas cohortes à draconariis feruntur ad prælum.*] Ammianus Marcellinus lib. 16. cap. 16. de triumpho Constantij cum exercitu Romam ingredientis: *Alios purpureis subtegminibus texti circumdedere dracones, hastarum aureis, gemmatisque summitatibus illigati, hiatu vasto perflatiles, & ideo velut ira perciti sibilantes, caudarumque volumina relinquentes in ventum.*] Et cap. 30. de Iuliano præliante: *Quo agnito per purpureum signum draconis, summitati hasta longioris aptatum.*]

Themistius Oratione v. 1. *Vt quis verè rex dicens, quædè signa eius atque indicia sint, inquirat ac perspiciat: quomodo non in Aquila aurea, non in draconibus subtiliter contextis posita sint.*]

S. Gregorius Nazianzenus Oratione 1. in Iulianum: agens de Labaro insigni militari quod Iulianus sustulit, hæc ait: *Quin etiam aduersus magnum illud vexillum audacia effertur, quod cum Cruce magnifice præcedit, in altumque elatum exercitum, ducit arummarum soluendarum vim habens, hincque apud Latinos nomen trahens: principatumque, vt ita dicam, in reliqua omnia vexilla tenens, tam que Imperatorum imaginibus, atque expansis texturis, in variis tincturis, ac litterarum picturis decorantur, velutque exultant, quàm que horrendis draconum hiatibus super summas lanceas elatis inflata, & per tractus contextis squamis distinctos agitata, incundissimum simul & horrendum spectaculum oculis præbent.*] Quæ verba S. Gregorij de Draconibus, exponens Elias, Cretensis, inquit: *Nam ex prædictis signis, alia regum simulacris auro depictis & latis texturis variè tinctis & inscriptis exornantur, (qua quidem textura petasie quoque vulgò appellantur) alia textis draconum figuris, quorum capita ex argento constabant, horrendum quiddam in speciem sibilantes: relique partes ex textura constructæ erant, squamis in serpentum modum notatæ. Flans autem ventus in huiusmodi rictus, magno impetu ruentibus signiferis, texturas illas tumefaciebat, propterea quod exitum non haberent. Illa autem tractus quosdam per volumina efficientes, vexilla, flabellorum quorundam instar, assiduè agitationibus perflabant.*]

Flavius Vopiscus de opibus quas victor Aurelianus Zenobiæ abstulit, Romamque detulit: *Tunc illa vestes quas in templo Solis videmus, conserta gem-*

mis, tum Persici dracones, & tiara, &c.] Suidas Indi gens barbaræ, cuius in bello singuli milleni equites vexilla habebant, draconem in pertica extentum, argenteo capite, dentibus exertis, rictu minitabundo. Reliquum corpus serico erat contextum, latitudine & profunditate & coloris varietate verum draconem referens. Id vexillum eques qui gestat, pertica in aerem elata, impetu concitat equum: spiritus autem uti par est, vi impulsus, in id incidit, & recessibus cauitexti insinuat, nec se ob firmitatem explicare valens, in aëre fluctuat, & varium illud textum extollens, omnes conuersiones draconis veri se mouentis exprimit.] Iudæos hinc intelligo populos Orientis prope Perlas, nam tractus ille terrarum cis Sinum Persicum, India solet appellari scriptoribus recentioris antiquitatis, vt notauimus lib. 4. cap. 8. & lib. 6. cap. 19. Idem Suidas alias: *Vexilla Scythica quæ feruntur in bello texta quedam sunt, tincta coloribus, serpentum maxime similitudine, suspensa de contis mediocribus: eo consilio, vt eis currentibus, aut equos incitantibus, exaggerentur, & serpentum similitudinem referant, & flatu vehementiore impulsæ stridant.*] Ioannes Curopalates de officiis Palatii: *Cyrus vt Medorum principatum adeptus est, Assyriis quoque bellum intulit, & ab iis cepit cabbadion, tunica genus & draconis vexillum.*] S. Isidorus lib. 18. Originum cap. 3. *Draconum signa ab Apolline morte Pythonis serpentis inchoata sunt. Dehinc à Græcis & Romanis in bello gestari caperunt.*] De Græcis falsum. Claudianus de 111. Honorij consulatu: *Hi volucres tollunt Aquilas: hi picta draconum.*

*Colla leuant, multusque tumet per nubila serpens
Iratu stimulante notho, viuittque receptis
Flatibus, & vario mentitur sibila tractu.*

Et de Nuptiis Honorij & Mariæ:

Stent bellatrices Aquila, sæuique dracones.

Et de IV. Consulatu Honorij:

Feruentisque tument post terga dracones.

Et lib. 2. in Rufinum:

— latèque videres.

*Surgere purpureis undantes anguibas hastas,
Serpentumque vago calum sauire volatu.*

Et postea:

— spirisque remissis,

Mansuescunt varij vento cessante dracones.

Et de VI. consulatu Honorij:

— quid fixa draconum

Ora velint, fluent ventis, an vera minentur

Sibila, suspensum rapturi dentibus hostem.

Aurelius Prudentius Hymno V. Cathemerinon:

— signaque bellica

Prædunt tumidis clara draconibus.

Et lib. 2. aduersus Symmachum, de Romano Stilichonis exercitu:

Cecinere tubæ, prima hasta dracones

Præcurrit, quæ Christi apicem sublimior effert.

Et Hymno I. Peristephanon:

Præque ventosis draconum, quos gerebant palliis,

Præferunt insigne lignum quod draconem subdidit.

Apollinaris Sidonius Panegyrico in Anthemium Augustum:

Desit hostiles confestim horrere dracones.

Et in Panegyrico ad Maiorianum Augustum:

— iam textilis anguis

Discurrit per utramque aciem, cui guttur adauctis

Turgescit Zephyris: patulo mentitur hiatu

Iratam pictura famem: pannoque furorem

Aura facit, quociens crassatur vertile tergum

Flatibus, & nimium iam non capit alius inane.

In Epistola M. Aurelij Imperatoris ad Senatum de

Victoria aduersus Marcomannos & Quados precibus Christianorum impetrata : Sanè dum carniui essem, speculatores nobis indicarunt septuaginta quatuor hostium dracones prope nos, nouem millibus abesse.]

Scaliger ad Numerum Eusebium MMCLXXXIX. inter alia eo argumento futilitatem huius epistolæ se conuincere putat : Neque enim somniandum est dracones signa militaria. Nam ea Romanorum propria signa erant, non Barbarorum.] Daci certe in columna Traiani bello illo Dacico, quod ibi expressum est, non alia signa præferunt nisi dracones : at quantum distant tempora Traiani à Marco ? Apollinaris Sidonius, & Hunnis, & Isauris, & Vandalis dracones tribuit in carminibus quæ paulo antea recitauimus.

Non est omittenda vanitas historici cuiusdam, quam Lucianus de conscribenda Historia his verbis irridet : Atque ita diligenter omnia viderat, ut diceret, dracones Parthorum (signum autem hoc multitudinis ipsorum est, (mille enim dracones viuos draco producit) ingentes esse, generarique in Perside paulo supra Iberiam. Hos autem antea quidem ex hastis siue longuriis suspensos, illos in altum attollere, eoque terrorem iis qui à longè aduentarent, facere solere : in ipso verò pralio, quando iam congressi sunt, solutos illos in medios hostes immittere : nimirum multos nostrorum hoc pacto deuoratos esse : alios autem, implicantibus & compungentibus ipsos illis, strangulatos & contractos : adstruxisse autem ipsum, atque hac vidisse, in tuto tamen, nempe ab arbore quadam excelsa spectando.] At de draconibus insignibus militariis cum multi recentiorum prodiderint, seorsim tamen & accuratè Iustus Lipsius lib. 4. de Militia Romana, Dialogo 5. Isaacus Casaubonus ad Aurelium Flauij Vopisci, Ioannes Sauaro in Notis ad carmen V. Sidonij, Iacobus Sirmundus in Notis ad Panegyricum Sidonij ad Anthemium, pag. 183. & in Notis ad Panegyricum Maioriani, pag. 205. Isacius Grangæus in Notis ad lib. 2. Prudentij in Symmachum, Godescalcus Steuuechius in Commentariis ad loca Vegetij quæ supra citauimus, Fridericus Lindebtogius in Notis ad Ammianum Marcellinum, pag. 55. Ioannes Vuerzius in Notis ad Hymnum 1. Peristephanon Prudentij, Thomas Dempsterus in extremis Paralipomenis ad lib. 10. Antiquitatum Romanarum Ioannis Rosini. Sed ad institutum reuertamur.

Non videtur à verisimilitudine alienum, Antichristum iussurum ut omnes adorent draconem, vti Ribera existimabat : cum exploratum sit dracones olim alicubi religiosè ut Deos cultos : nam ut interim omittamus draconem à Babyloniis pro Deo habitum : cuius historia nota est è Daniel 14. Elianus Historiæ Animalium lib. 11. cap. 17. hæc narrat : In Melite Egyptia draco diuinis honoribus afficitur in turri quadam : adsunt ei sacerdotes & ministri : mensa & crater ponuntur. Crateri quoridie immittunt libum ex farina subacta melicrato, & recedunt. Postridie reuersi craterem inueniunt vacuum.] Et lib. 15. cap. 21. Alexander dum India loca, alia oppugnat, aut vastat, alia etiam capit, cum alia pleraque animalia inuenit, tum draconem : quem quia sacrum in antro quodam Indi existimarent, & summa religione colerent, idcirco summis precibus Alexandrum obsecrarunt, ne illum ipsum innaderet : quod quidem ipsum ille annuit. At enim draco cum prætereuntis exercitus strepitum sensit, (quod sit animal tum audiendi, tum videndi acerrimo sensu pradium) maximo sibilo, & ingenti afflatu edito, omnes exterruit & perturbauit. Septuaginta cubita longus esse existimabatur, non tamen eis totus apparuit, sed il-

lius solum caput ex antro eminebat. Eius oculi ad magni & rotundi clypei Macedonici magnitudinem accessisse dicuntur.] De Æsculapio forma draconis vel anguis à Romanis culto res est cunctis peruagata. De quo mirabile illud Plinius refert lib. 29. cap. 4. Atqui anguis Æsculapius Epidaurio Romam aduectus est, vulgogia pascitur, & in domibus, ac nisi incendiis semina exurerentur, non esset fecunditati eorum resistere.] Festus : Canes adhibentur eius templo, quod is vberibus canis sit nutritus.] De Æsculapio plura apud Lylum Gyraldum de diis gentium Syntagmate 7.

Nec illud hic prætereundum quod S. Prosper de Promissionibus Dei, Parte 3. cap. 38. hisce verbis memorat : Apud urbem Romam specus quidam fuit, in quo draco miræ magnitudinis mechanica arte formatus, gladium ore gestans, oculis rutilantibus gemmis, uetundus ac terribilis apparebat. Huic animæ deuotæ virgines floribus exornatæ eo modo in sacrificio dabantur : quatenus inscia manera deferentes, gradum scala, quotot illa diaboli arte draco pendebat, contingentes, impetus venientis gladij perimeret, ut sanguinem funderet innocentem. Et hunc quidam monachus bene ob meritum cognitus, Scilicet tunc Patritio, eo modo subuerit. Bacula, manu singulos gradus palpiando, inspicies, statim ut illum tangens, fraudem diabolicam respexit : eo transgresso descendens, draconem scidit, misitque per partes. Ostendens & hic Deos non esse qui manu sum.]

Verum Antichristum neque adoraturum draconem, neque imperaturum adorati, neque in signis militariis prælaturum draconis effigiem, cuius erudito constans esse debet : cum non alium nisi se Deum, suasque imagines adorari faciet : & insignia eius alia longè diuersa quàm dracones futura lib. 9. cap. ostendemus. Erga quod ait Ioannes : Et adorauerunt draconem, & adorauerunt bestiam, hunc simplicissimum sensum habet : Nempe adorauerunt draconem in bestia adorata. Id est, adorabunt diabolum in Antichristo : adorantes Antichristum in illo adorabunt diabolum, cuius instinctu, ope, auctoritate Antichristus se Deum faciet : quasi dicat, putantes se adorare Deum Antichristum, adorabunt reuera diabolum. Qua ratione interpretantur hunc locum, Andreas, Aretas, Primasius, S. Beda, Ambrosiaster Haimo, Ansbertus, S. Anselmus, & alij. Pergit Ioannes : Et datum est ei os loquens magna, & blasphemias. Et aperuit os suum in blasphemias ad Deum, blasphemare nomen eius, & tabernaculum eius, & eos qui in celo habitant. Illud, os loquens magna proculdubio accepit Ioannes è Daniel 7. v. 8. & os loquens ingentia. Et vers. 20. & eos loquens grandia : Nam & Daniel & Ioannes iis verbis de Antichristo loquuntur. Hoc verò Ioannis, & blasphemias, positum est, pro, id est, blasphemias. Hunc enim esse frequentem vsum particulæ, &, pro, id est, mille exemplis est notissimum, quorum nonnulla collegere Martinus Cantapertensis lib. 8. Hypotyposeon, cap. 9. Emmanuel Sa in Phrasibus Scripturæ. Porro aperire os Hebraica phrasi, non est tantum incipere loqui, ordiri sermonem, ut hîc Ribera exposuit : sed indicat inchoari orationem seriam & diffusam de rebus grauiissimis & magni momenti, siue in bonum, siue in malum : item libertatem & confidentiam loquendi, seu magnam asseuerationem eorum quæ dicenda sunt, denotat : denique significat, ordiendum esse sermonem maximè præmeditatum, & consultum. Iob. 3. 1. Aperuit Iobos suum. Psal. 77. 2. Aperiam in parabolis os meum. Prouerb. 819. Aperientur labia mea, ut recta prædicent, & cap. 31. 9. Aperi os tuum, discerne

discerne quod instum est. Matthæi 5. 2. & aperiens os suum, docebat eos. Ezechielis 29. 21. & tibi dabo apertum os in medio eorum. Ecclesiastici 15. 5. In medio Ecclesiæ aperuit os suum. Actuum 8. 14. Incipiente autem Paulo aperire os. De qua phrasi vide quæ annotantur Villauicentius in Phrasibus, Iansenius, Maldonatus, Franciscus Lucas in Matth. 5. v. 2. Stunica & Pineda in 3. Iob, v. 1. Lucianus in Actuum 8. v. 35. & in cap. 17. v. 3. Ioannes Ferdinandus in Thesaurio Scripturarum, verbo, *Aperire*. Hic ut est perspicuum, in malam sumitur partem: Et aperuit os suum in blasphemias ad Deum. Ac si dicat: atrocissimum ac prolixissimum blasphemiarum agmen, impudentissima libertate, ac temeritate profunder in Deum. Intelligunt ergo Explanatores Antichristum seria, summa, præmeditata blasphemiam verum Deum negaturum, & se verum Deum asserturum. Vnde S. Beda: *Et datum est ei os loquens magna & blasphemias. Qui extollitur, inquit, super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. Dignitatem sibi nominis Dei impius usurpabit.* Nec dissimilia alii.

Quod verò S. Ioannes addit, Antichristum blasphematurum tabernaculum Dei, & eos qui in calo habitant: accurate elucidant Interpretes. Breuiter existimamus, *Tabernaculum Dei* dici hîc, vel Cælum, vel Ecclesias Christianorum, hoc est, sacra templa, Basilicas, sacras ædes, in quibus colitur Christus Deus, vel ipsam Ecclesiam Catholicam, hoc est, cætum Fidelium. Andreas Primasius, S. Thomas, Tabernaculum Dei interpretantur, Humanam naturam Christi assumptam à verbo, in qua ceu in tabernaculo habitauit plenitudo diuinitatis corporatiter. Vnde Ioann. 1. 14. & habitauit in nobis. Græca: & tabernaculauit in nobis. Fixit inter nos tabernaculum, ut sit affine illud Psalm. 18. 6. *In sole posuit tabernaculum suum.* Hebræa *Soli posuit tabernaculum in eis* scilicet, cælis. At hæc accuratius premere non est huius loci.

CAPVT VII.

Elucidatur locus Pauli 2. Thessalonicens. 2. 4. Ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus.

Septimum & apertissimum oraculum, atque omnium maximè memorabile, de Antichristi blasphemiam se Deum affirmantis, est istud Pauli: quod sanè de Antichristo dictum constans est omnium Patrum, & posteriorum sententia. Primum tamen disquirendum est, quidnam nomine *Templi Dei*, hîc Paulus intelligat. Existimant aliqui, Templum Dei appellari à Paulo Ecclesias, Basilicas, & sacras Ædes Christianorum, quæ verè & propriè sunt templa Dei veri & Viuentis, in quibus Deus colitur & adoratur: atque in his sessurum Antichristum, & se ut verum Deum adorati imperaturum. S. Hieronymus Quæstione 1. ad Algasiam: *In templo Dei, inquit Paulus, sedebit: vel Ierosolymis, ut quidam putant, vel in Ecclesia, ut verius arbitramur.* S. Chrysostomus in 2. Thessalonicens. 2. *Et iubebit seipsum pro Deo adorari: & sedebit in templo Dei non quod est Ierosolymis, sed in templo Ecclesiæ.* Theodoretus in 2. Thessalonicens. 2. *Dei autem templum appellauit Ecclesias in quibus primam sedem arripiet: seipsum Deum conans ostendere.* Eadem habet lib. 5. Diuinorum decretorum, capite de Antichristo. Theophylactus: *Ita ut in templo Dei sedeat tanquam Deus.*

Non in templo specialiter quod est Ierosolymis: sed in Ecclesiis simpliciter, & omni diuino templo. Oecumenius: *In templo Dei. Non dicit templum quod erat Ierosolymis: sed Ecclesia Dei.* S. Augustinus lib. 20. de ciuitate Dei, cap. 19. *Sed in quo templo Dei, ut Deus, sessurus sit Antichristus, incertum est: utrum in illa ruina templi, quod à Salomone rege constructum est: an verò in Ecclesia.* Et paucis interiectis: *Rectiusque putant etiam Latine dici sicut in Græco est, non in templo Dei, sed in templum Dei sedeat: tanquam ipse sit templum Dei, quod est Ecclesia: sicut dicimus: Sedet in amicum, id est, velut amicus: vel si quid aliud isto locutionis genere dici solet.* Hugo Etherianus de Regressu Animarum ab inferis cap. 23. *Sedebit in templo Dei, in Ecclesia ostendens se tanquam sit Deus.* Caietanus: *In templo Dei. Non aliquod determinatum templum significatur: sed in quocumque templo Deo dicato sedebit tanquam sibi dicato.* Eandem interpretationem amplectitur Guilielmus Estius.

Verum communior, verior, solidior expositio illa iam à cunctis ferme laudatur, Paulum per templum Dei, intellexisse propriè & signatè Templum Ierosolymitanum: quod tamen nunc excisum, instaurabit Antichristus, uti lib. 11. cap. 6. 7. fusius ostendemus. In hoc ergo templo Ierosolymitano sessurum Antichristum, & se ostentaturum tanquam Deum, prædici his verbis à Paulo plurimi Patres & recentiores magno consensu tradidere.

S. Irenæus lib. 5. cap. 25. enarrans hunc Pauli locum inquit: *Super hac autem manifestauit & illud Paulus, quod à nobis per multa ostensum est, quoniam Ierosolymis templum per dispositionem veri Dei factum est. Ipse enim Apostolus ex sua persona definitiue templum illud dixit Dei. Ostendimus autem & in tercio lib. nullum ab Apostolis ex sua persona Deum appellari, nisi eum qui verè sit Deus, Patrem Domini nostri, cuius iussu hoc quod est in Ierosolymis factum est templum, ob eas causas quæ à nobis dictæ sunt: in quo aduersarius sedebit, tentans semetipsum Christum ostendere.* Et cap. 30. *Quum autem vastauerit Antichristus hic omnia in hoc mundo, regnans annis tribus & mensibus sex: & sederit in templo Ierosolymis, tunc veniet Dominus de cælis in nubibus, in gloria Patris.*

S. Hippolytus Oratione de consummatione mundi: *Sic iste Antichristus Ierosolymis suscitabit templum lapideum.* Et post multa: *Inde templum construct Ierosolymis, quod confestim excitatum tradet Iudæis.*

S. Cyrillus Ierosolymitanus Catechesi 15. *Ut ipse Antichristus in templo Dei sedeat. Quale autem templum dicit? In templo quod reliquum est Iudæorum. Absit enim, ut in hoc id fiat, in quo sumus. Propterea dicimus, ut non videamur gratificari illis. Si enim tanquam Christus ad Iudæos venit, à Iudæis sane adorari volet, ut illos maximè decipiat. Studiosissimum se esse ostendet illius templi, ut ipse de progenie David esse videatur, qui templum à Salomone olim extructum, ipse sit reedificaturus. Veniet autem Antichristus in templum Iudæorum, quando lapis super lapidem non manebit, secundum Saluatoris prædictionem. Quum enim vel ruina venustatis, vel prætextu ædificationis, vel quacumque alia de causa. eiusmodi reliquiarum templi sequetur dissolutio, ita ut omnes lapides tollantur: non dico de exterioris ambitus lapidibus, sed de templi interioris, in quo erant Cherubim: tunc veniet ille in omnibus signis & portentis falsis elatus, videntibus omnibus.*

S. Ephræm Syrus Sermone de Antichristo: *Designabis*

signabit Iudeis omnibus locum suum, ac templum, suamque illud instaurandi providentiam.]

S. Hilarius Canone 25. in Matthæum agens de templo Ierosolymitano in quo statuta abominatio desolationis à Daniele & Domino prædicta est atque per Abominationem desolationis Antichristum intelligens, inquit *Antichristus à Iudeis susceptus loco sanctificationis insister* [idest, in templo Ierosolymitano] *ut ubi sanctorum precibus Deus invocabatur, illic ab infidelibus, susceptus, Dei honore venerabilis sit.*]

S. Ambrosius in 21. Luca: *Ita in templo Dei sedeat ostendens se tanquam sit Deus. Ergo sedebit in templo Antichristus, & in templo interiore Iudaorum, qui Christum negabunt: in templo non inuolabili; sed corruptela obnoxio.*]

S. Damascenus lib. 4. de Fide Orthodoxa, cap. 27. *Ita ut ipse tanquam Deus in templo Dei sedeat, ostendens se ipsum quod sit Deus. Porro per Dei templum, non templum nostrum intelligit, sed vetus Iudaicum: non enim nobis, sed Iudeis veniet: non pro Christo, sed aduersus Christum.*]

Hieronymiaster in 2. Thessalonicens. 2. *Ita ut in templo Dei sedeat. Et templum Ierusalem rescire tentabit: & omnes caeremonias legis instaurare.*] Eadem ad verbum habet Sedulius.

Primasius in 2. Thessalonicens. 2. *Nam & templum Ierosolymis restituet, & omnia legis caeremonialia restaurabit.*]

Haimo in 2. Thessalonicens. 2. *Quum venerit Antichristus Ierusalem, circumcidet se dicens: Ego sum Christus vobis promissus. Tunc confluent ad eum omnes Iudei, & reedificabunt Templum ab Romanis destructum: sedebitque ibi docens se esse Deum.*] Eadem ad verbum habent Rabbanus Opusculo de Antichristo, & Strabus in 2. Thessalonicens. 2. Atqui per templum Dei hic significasse Paulum templum Ierosolymitanum, affirmant quoque Lyranus, Benedictus Iustinianus, Cornelius à Lapide, & omnes recentiores Orthodoxi, qui de rebus Antichristi ex instituto perferunt. Scorsim videndi sunt, Sanderus lib. 8. de visibili Ecclesiæ Monarchia, cap. 26. 27. Bellarminus lib. 3. de Romano Pontifice, cap. 13. Suarez Tom. 2. in 3. Partem disputatione 54. Sectione 4. Acosta lib. 2. de Nouissimis Temporibus, cap. 12. Becanus lib. de Antichristo cap. 4. Viegas in 13. Apocalypf. Commentario 2. Sectione 8. Lessius disputatione de Antichristo, cap. 12. Ieremias Ferrerius lib. de Antichristo cap. 20.

Nonnulli duas interpretationes coniunxerunt, Anselmus Laudunensis: *In templo Dei, idest in Ecclesia: vel in templo à Romanis destructo, quod tunc Iudei reedificabunt.*] Ita quoque Auctor nomine S. Anselmi, S. Thomas, Sa, & alij. Cæterum melior & securior explanatio est de templo Ierosolymitano. Primo, Quia si de Basilicis & Ecclesiis Christianorum Paulus intellexisset, haud sanè dixisset, *in templo Dei: sed in templis Dei* Nullus enim sacer Scriptor aut Græcus aut Latinus de Ecclesiis Christianorum, quæ innumeræ sunt ita loqueretur, *in templo Dei*, benè autem de templo Ierosolymitano, quod vnicum tantum fuit. Secundo, Quia nullibi in Nouo Testamento, nomine *Templi Dei*, quotiescunque propriè sumitur, & non metaphorice, intelliguntur Ecclesiæ, seu Basilicæ Christianorum, aut ipsa Ecclesia Catholica, id est, cæteris Fidelium, sed semper Templum Ierosolymitanum. Tertio, Quia prisce loquendi mos ab Apostolis, & primigeniæ Ecclesiæ Patribus vsurpatus, numquam Ecclesias Christianorum appellauit templa, sed alio potius

nomine, nempe Ecclesias, Oratoria, sacras Aedes, Domus Orationis, Basilicas, Dominica, Martyria, vel Confessiones, Titulos, Memorias. Neque enim apud S. Ignatium, S. Iustinum, S. Irenæum, Athenagoram, Tatianum, Tertullianum, Origenem, S. Cyprianum, Arnobium, Minutium, & alios, eiusmodi Templorum appellatio Ecclesiis Christianorum indita reperitur: imo quidem data opera videntur Patres, quum de Ecclesiis Christianorum agunt, à templi nuncupatione religiosè abstinere: propter duas ab eruditis obsecratas causas. Prima, erat, quod illis prioribus sæculis nascentis Ecclesiæ, cum omnia turbinibus persecutionum colliderentur, minus licebat Christianis publicè ingentes fabricas in honorem Dei erigere, instar Gentilium templorum, in quas religionis gratia conuenirent: sed clanculum in priuatis domibus, ac etiam frequenter in Cryptis & arenariis, synaxes, & factos conuentus peragebant. Siquidem templi nomen olim apud Gentiles non tribuebatur, quibusuis sacris ædibus cultui deorum dicatis: sed magnis & amplissimis, augustisque ædificiorum structuris. Vnde Gellius lib. 14. cap. 7. *Marcus Varro scriptum reliquit, non omnes Aedes sacras templa esse: ac ne Aedem quidem Vesta templum esse.*] Quæ templa dicerentur antiquis, vide Festum in voce *Minora templa*. Et Seruius in 1. Aeneidos, ad versum: *Ex templo Aeneæ soluntur frigore membra.* Et in 4. Aeneidos ad versum, *centum aras posuit, vigilèmq; sacrauerat ignem.* Secunda causa erat quod tunc recens vigeat memoria Templi Iudaici, & Templorum Gentilium, cum quibus ne viderentur Apostoli seu Apostolici communicare, aut nostras Ecclesias eiusdem cum illis esse cultus aut religionis, idcirco Templi appellationem ab Ecclesiis arcebat.

Hæc quàm sint vera, ex verbis Aureliani Imperatoris ad Senatum, quæ Flavius Vopiscus refert, perspicue intelligitur: sic enim ait. *Miror vos Patres Sancti, tandiu de aperiendis Sibyllinis dubitasse libris, perinde quasi in Christianorum Ecclesia, non in templo deorum omnium tractaretis.*] Et apud Minutium Felicem in Dialogo Octauio, Cæcilius Christianis obiecit: *Cur nullas aras habent, templa nulla, nulla nota simulachra, nunquam palam loqui, nunquam libere congregari.*] Ergo antiqui Patres signatè Ecclesias à Templis discreta appellatione secernebant. Et constat in originaria Ecclesia, sacras Christianorum Aedes non fuisse instar fanorum Gentilium, quæ magnis & sumptuosis fabricis constabant, ut rectè templa dici potuerint: sed fuisse tantum priuatas domos, aut loca humilia cultui diuino dicata: non enim tunc Christianis per acerbiterat persecutionum magnificentiora ædificia Deo consecrare licuisse. Vnde Critias quidam apud Lucianum in Philopatre (si tamen Luciani ille Dialogus est) de locis ubi religionis causa Christiani tunc conuenirent, hæc refert: *Persuadet mihi infelici, ut ad præstigiatores istos homines [sic impius Christianos appellat] accederem, & in diem aram, quod dici solet, incurrerem.* Dicebat enim se omnia ex ipsis, quæ ad sacra, & arcana pertinerent, edoctum esse. Atque ita pertransiimus ferreæque portas, & area limina. Multis autem superatis scalis, in domum aurato fastigio insignem ascendimus, qualem Homerus Menelai fingit esse. Atque ipse quidem omnia illa contemplantur, quæ insularis ille adolescens. Vnde autem non Helenem mehercle, sed viros in faciem inclinatos, & pallescentes. Illi autem ubi me conspexerunt, gausi sunt, & ex aduerso ad nos accesserunt. Dicebant enim, Num quod triste nuntium afferremus? Nam videbantur isti quàm pessima optare, gaudebantque

que tristibus & malis [nimirum optantes pro Christo mori] perinde atque in theatro furia. Capita autem inter se iuncta tenentes, consussurrabant.] nempe, orantes.

Per tempora autem Constantini Magni, quum cœptæ sunt à Christianis magnificentissimæ ædes sacræ, amplissimis structuris exornatæ in honorem Dei, atque Sanctorum ædificari, cœpit quoque templorum appellatio Ecclesiis tribui. At de his plenius in Notis ad cap. 7. libri Tertulliani de Idololatria, Canisius lib. 5. de Beata Virgine, cap. 23. Bellarminus lib. 3. de Romano Pontifice, cap. 13. & lib. 3. de Cultu Sanctorum, cap. 1. & seqq. Baronius Annali 1. Anno Christi 57. Numero 102. 127. Becanus de Antichristo Reformato, cap. 4. Ieremias Ferrerius lib. de Antichristo, cap. 20.

Sed ad Paulum reuertamur, cuius Græca ad Verbum habent: ita ut eum in templum Dei tanquam Deum sedere, ostendentem se ipsum quod sit Deus. Quæ verba disertè exprimunt horrendissimam Antichristi blasphemiam, qui se Deum palam & publicè prædicabit, & in templo Ierosolimitano se tanquam verum Deum adorari faciet. S. Irenæus lib. 5. cap. 25. ita legit: ita ut in templo Dei sedeat ostendens semetipsum tanquam sit Deus. Tertullianus de Resurrectione carnis cap. 24. vti sedeat in templo Dei, affirmans Deum se. Et lib. 5. contra Marcionem cap. 16. confessurus in templo Dei, & Deum se iactaturus S. Cyrillus Catechesi 15. ita ut ipse sedeat in templo Dei, & ostendat seipsum tanquam sit Deus Q. Iulius Hilarion de Mundi duratione: ita ut in templo Dei sedens, ostendat se tanquam ipse Deus. Verum vti Vulgatus, habent S. Hieronymus quæstione 11. ad Algasia, Rufinus in expositione Symboli, S. Ambrosius in 21. Lucæ, S. Augustinus 20. de ciuitate Dei, cap. 19. S. Prosper in Dimidio Temporis cap. 11. & alij posteriores omnes Latini: nisi quod S. Augustinus & S. Prosper pro, ostendens legunt ostentans.

Sed expendenda sunt quæ Græci nonnulli explanatores in hunc Pauli locum annotarunt. S. Chrysostomus: Ostendens, inquit seipsum. Non dixit, dicentem: sed tentantem ostendere. Faciet enim magna opera, & signa ostendet mirabilia.] Theophylactus: Ostendens seipsum quod sit Deus. Non ait, dicens, verum conans demonstrare: nam & opera & miracula edet omnia ad imposturam.] Oecumenius: Non ait, dicens, sed ostentans, hoc est. operibus, signis, & miraculis nitens ostendere quod sit Deus Videntur innuere Antichristum nonquidem verbis dicturum se esse Deum: sed factis conaturum, ut omnes ipsum pro Deo habeant. Cæterum clarissima Sanctorum Patrum assertio est, hanc esse claram & apertam Pauli mentem, Antichristum nedum factis, hoc est potenti signorum ac prodigiorum operatione: sed etiam expressissimis verbis, & apertissimo sermone se Deum appellaturum. Habes hac de re luculentas Patrum & posteriorum sententias superius cap. 4. à nobis descriptas. Et verò cum perspicua extent diuina oracula, de vocali Antichristi blasphemiam, se Deum verum profitentis, ut illa: Os loquens grandia, seu ingentia. Et Aperuit os suum in blasphemias in Deum, &c. quæ præcedentibus capitibus sedulo explanauimus: potuitne Paulus aliud de manifesta, impudenti, & atroci Antichristi blasphemiam, nedum operibus, sed verbis disertè se Deum prædicantis, sentire aut docere, quod non exactissime cum præfatis diuinis oraculis consentiret? Nam & Patres, alijque explanatores, cum illa vaticinia de aperta vocalique Antichristi blasphemiam se Deum asserentis elucidant, ad

eorundem perspicuum intellectum hunc Pauli locum vice Commentarij adhibent. Neque quis particulam tanquam in argumentum adducat Antichristum non se facturum Deum, sed tanquam vel quasi Deum: ut tanquam sit similitudinis nota, non rei. S. Hieronymus in 7. Danielis legit: Ita ut in templo Dei sedere audeat, faciens se quasi Deum.] id est, penè propè Deum, non re ipsa & affirmatè Deum. Sed nimis est peruagatum, vocolam Tanquam, vel Quasi, sapius in scriptura nedum similitudinem, sed rei veritatem significare, S. Gregorius lib. 18. in Iob cap. 4. In sacro eloquio, Quasi, aliquando non pro similitudine ponitur, sed pro veritate.] Sic Ioann. 1. v. 14. Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vniuenti à Patre. Marci 1. v. 22. Erat enim docens eos, quasi potestatem habens. Hebræor 3. v. 5. Moyses fidelis erat in tota domo eius tanquam famulus, Christus verò tanquam filius Et sunt plurima eiusmodi. Sanctes lib. 4. Institutionum Hebraicarum cap. 22. obseruauit, Hebraicum CAPH, id est, Quasi, sicut, Tanquam, nedum similitudinis esse notam sed veritatem indicare, & id quidem interdum cum quadam emphasi ac potenti expressione veritatis: ut Iob 24. v. 14. Mane primo consurgit homicida, interficit egenum, & pauperem: per noctem verò erit quasi fur, id est, verè & atrociter grassabitur. Nehemiæ 7. v. 2. Præcipi Hanania principi domus de Ierusalem: (ipse enim quasi vir verax & timens Deum plus ceteris videbatur. Erat vir sincerè & integrè verus. Forsterus in Lexico notat, CAPH, esse plerumque affirmantis, verè, profecto, ut in loco Nehemiæ: quoniam ipse profecto erat vir veritatis. Sic illud Ioannis: Et vidimus gloriam eius, gloriam verè vniuenti à Patre. Vide Drosium delitteris MOEH VECALIB, lib. 2. cap. 5. Nec aliter hoc loco Pauli de Antichristo, è Græco & Latino contextu: Ita ut in templo Dei tanquam, profecto Deus sedeat, ostendens se quod sit Deus, vel tanquam verè, Deum. Diffletur igitur omnis ambiguitas, illudque certò & explorato constet, antiquorum omnium & recentiorum assensu, Paulum apertè & sine ambagibus illud dixisse, Antichristum & factis & verbis se Deum esse affirmaturum. Porro S. Chrysostomum haud secus hac in re quam Patres alios sensisse, perspicua eius verba ex Homilia 40. in Ioann. demonstrant: enarrans enim verba Christi Ioann. 5. 43. Ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me: si alius venerit in nomine suo, illum accipietis, inquit: Animaduerte, ut omnibus in locis propter hoc missum, & à Patre accepisse iudicium, & nihil posse à se ipso facere profiteatur, ut omnem tollat incredulitatis excusationem. Sed quænam non in nomine Patris venturum dixit? Antichristum, & perfidiam eorum non sine contradictione demonstrat. Nam si tanquam Dei amatores me persequimini, longe magis Antichristum persequi oportuerit. Ille enim neque se missum à Patre, neque eius voluntate venire dicet: sed omnem sibi potestatem tyrannice vendicabit, se omnium Deum profitebitur, ut Paulus inquit, Supra omnem qui dicitur Deus, aut colitur, ostendentem seipsum Deum esse. Hoc est quod proprio nomine venerit: ego autem in nomine Patris mei venire profiteor. Satis id indicare poterat, quod Deum non amarent, quum ab ipso missum non recipebant. Verum ex Antichristo etiam eorum impudentiam coarguit, quum cum qui se à Deo missum prædicat, non recipitis: coletis autem qui se Deum nescire, & se maximum deorum esse gloriabitur.] Eadem habet in 2. Thessalonicens. 2. ad verba illa: In omni seductione iustitia iis qui pereunt. Summa eorum quæ dicit, est. Inde coarguendam valide Iudæorum cæcitatem, quod idcirco dicerent se non credere Christo, quod se Deum

Deum diceret, & faceret, cum tamen credituri sunt Antichristo qui se verum Deum esse affirmabit. Et tanto peius, quanto Christus omnem gloriam suam Patri tribueret, ne semper clarè & apertè se Deum diceret: Antichristus verò non Deo aut alteri suam gloriam referet, nec se missum à Deo asseret: sed omnem gloriam divinam sibi tribuet, & se Deum verum & maximum gloriabitur.

Quod ergo S. Chrysostomus asseruit, Paulum non dixisse, Antichristum se Deum appellaturum, sed factis ostentaturum se esse Deum: illud dumtaxat significare voluit Antichristum non solum verbis se Deum iactaturum, quod facere potuisset quivis impostor è vulgo: sed quod magis est, ingentibus operibus nempe signis & miraculis ostentaturum ac roboraturum assertam sibi diuinitatem. Eadem prorsus mens est Theophilacto, & Oecumenio, qui & sententiam & verba à S. Chrysostomo mutuati sunt.

CAPVT VIII.

De Abominatione Desolationis stante in loco Sancto, prædicta à Daniele Propheta, & Domino Salvatore nostro, qua mystico & sublimiore sensu significatus est Antichristus.

Exponitur vaticinium Danielis 9. 26. 27. *Et erit in templo abominatio desolationis.*

INsignis plane & admirandus est is locus Danielis: ait enim: *Et civitatem & Sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo: & finis eius vastitas: & post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una: & in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium. Et in templo abominatio desolationis: & usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio.* Vaticinati hinc Daniele de supremo excidio Urbis Ierusalem & Templi Iudaici per Titum, nullus unquam Patrum aut explanatorum dubitavit. Quò respiciens Iosephus lib. 10. Antiquitatum, cap. 12. inquit: *Eodem autem modo scripsit Daniel & de Romanorum Imperio, & quantam vastitatem illaturi essent nostris hominibus.* Verum alias partes huius præclari oraculi suis opportunè huius operis locis elucidabimus: nunc pericopes illa: *Et erit in templo abominatio desolationis*, pro serie rerum, nostram teneat curam. Variè hunc locum Patres legunt S. Irenæus lib. 5. cap. 25. *Et in templo abominatio desolationis.* Clemens Alexandrinus Stromate 1. cap. 10. bifariam hunc locum reddit. Primo, *Et in templo abominatio desolationum.* Secundo, *Et expositio destructionis.* Tertullianus contra Iudæos cap. 8. *Et in Sancto execratio vastationis.* Origenes Tractatu 29. in Matthæum, Eusebius demonstrationis Evangelicæ lib. 8. cap. 3. S. Chrysostomus Oratione 2. in Iudæos, Theodoretus in 9. Danielis, *Et super templum abominatio desolationum erit.* Qua ratione habent etiam Lxx. Interpretes in editionibus Regia, Complutensi, Romana Xysti V. In Basilienfi verò editione, uti annotarunt Pamelius &, & Nobilius: *Et pinnaculum usque ad interitum.* Origenes Tractatu 29. in Matthæum: *Et pinna usque ad consummationem festinationis.* Mira varietas, sed quam fons ipse Hebraicus patiat, qui hinc est planè fecundissimus.

Verba Hebræa sunt: *VEAL CHENAPH SIKYZIM*

MESOMEM. Numeremus iam interpretationes. Primo Kimchi, *Et super extensionem abominationum obstupescere (admirari) faciens.* Scilicet videntes Montanus eodem ferè sensu: *Et super alam abominationum stupefaciens.* Secundo idem Kimchi *Et super extensionem abominationum [erit homo] stupens, [& admirans]* seu: *Et de expansione abominationum obstupescet & mirabitur homo.* Tertio Sanctes, *Et super extensionem abominationum admirari faciet.* Quarto, Vatablus in editione Sanctandrea: *Et propter extensionem abominationum desolabit. Vel propterque alam abominationum destruet, vel perdet.* Hoc est, propter Iudæorum magnas abominationes, quas erant admitturi crucifigendo Christum. Alam siue extensionem abominationum vocat longam seriem abominationum, siue multiplices abominationes. Quidam pro, perdet vel destruet, vertunt, admirari faciet, vel stupere, subaudi, videntes desolationem. In Salmanticensi verò editione: *Propterque alam abominationum destruetur.* nempe populus Iudaicus, eodem sensu. Quinto, Leo Iudas, *Eritque vastator super abominationum ala.* Sexto, Forsterus: *Et pro ala, abominationes afflatus. id est, Cherubim. Vel Et super ala, abominationes afflatus. Vel, Et super ala execrationum desolationis.* Septimo, Isidorus Clarius: *Et propter expansionem abominationum erit desolatio. Intelligunt per expansionem siue alam abominationum de extensione vexillorum Romanorum.* Octavo, Auenarius, *Et super ala abominationum desolatio erit. Vel, Et super alam abominationum erit desolatum, id est, desolatio.* Nono, Marinus: *Et super alam [extremitatem] abominationum, desolatus, vel deaustatus, seu obstupescens, vel, penè arescens, subaudi, erit.* Decimo, Pintus *Et expansio abominationum desolationis [erit] Vel, Et [erit] per alam abominatio euerisionis.* Undecimo, Mercerus & Bertranus: *Et super alam abominationum obstupescet. Vel, & super alam abominationum desolantem, vel ad stuporem adducentem id est, stupendam abominationem. Vbi per alam alij intelligunt Cherubim.* Duodecimo Iansenius, *Et per extensionem abominationum desolationem faciet.* Decimotertio, Franciscus Lucas, *Et super alam abominationes desolantis.* De civitatis & templi ala siue extremitate. Quartodecimo, Matthæus Beroaldus, in Chronico, cap. 13. Schindlerus, *Et super ala abominationum deaustante* Hæc alij. Nos quoque aliud conemur. Quintodecimo, *Et super alam [expansionem] abominationes stupende-desolantis, seu deaustantis.* Nec refert quod CHENAPH sit in regimine, & SIKYZIM in statu absoluto: cum certum sit, hos status verum plerumque permutari, & statum absolutum pro syntactico poni, & syntacticum pro absoluto, ut sciunt eruditi: cuius rei exempla non pauca collegere, Kimchi initio Grammaticæ Michlol, in voce plurali mascule Benoni Kal, Sanctes & Mercerus in Thesauo pag. 75. 76. & lib. 2. Institutionum Hebraicarum, cap. 14. Ludovicus S. Francisci in Globo linguæ Sanctæ, lib. 2. cap. 12. & alij. Adde, quòd neglectis punctis, possit legi absolutum CHANAPH. Ergo hunc sensum concipimus. *Et super ala, seu expansione, hoc est, templo: nam ita templum vocari videtur, quasi ab expansione alatum, propter amplitudinem & latitudinem ingentis ædificij & rectorum. Vel alam appellat ipsum templi aditum, seu Oraculum, id est, Sanctum Sanctorum, nempe ipsum Propitiatorium, quod alæ duorum Cherubimorum obumbrabant, & obtegebant, Hebræorum 9. 5. atque in modum papilionis, seu domunculæ, ex qua Deus oracula fundebat, conformabat. Equidem per alam hoc loco quosdam, ipsos Cherubinos intellexisse, Mercerus*

& Bertramus annotarunt: & sanè ita intellexit Forsterus, ut antea vidimus. Ait ergo Daniel: In templo vel Adyto Ierosolymitano, ad alas usque Cherubinorum, & in ipso Propitiatorio erunt *abominationes stupendè-desolantis*, vel deuastationis, nimirum, [Romani exercitus & Ducis: qui adytum ipsum & Sanctum Sanctorum, nedum templum exterius, ferro, flammisque, horrenda clade deuastauit, ac solo æquauit: uti Iosephus rerum ipsarum præfens inspector, & cuncti Annales produnt.

XVI, *Et contra [aduersus] alam abominationum, [et] afflatus, [seu] stupenda-desolatio [erunt]* Id est, contra templum, quod abominationibus, & cædibus ac suprema deuastatione polluetur.

XVII, *Et per alam [vel, in ala, seu cum ala] abominationem, stupendè-desolans, subaudi, erit Christus, vel Titus, ductor Romani exercitus, ut per alam abominationum intelligat, vel Romanum exercitum, nam alas in exercitiis etiam Latini vocant, qui constaret ex impiis idololatriis, quæ est maxima abominatio apud Deum: vel, Aquilas & Signa Romana quæ præferebantur in exercitu, Iudeis ceu idola maximè abominanda. Congruitque maxime superiori vers. 26. Et ciuitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo. Et per alam abominationum stupendè-desolans, subaudi, ciuitatem & Sanctuarium. Nec ab hac multum abludit interpretatio Tremellij & Iunij: Et per alam detestationum desolantem, ala pro copiis, metaphorice Isaia 8. 8. Vel, & Per legiones detestationum desolantes. Id est, per copias Romanorum: quæ propterea quod idolis seruebant, dicuntur legiones detestationum, hic, & detestatio infra cap. 12. 11. & quia populum Iudeorum multoties ceciderunt ac postremò perdiderunt, copia desolantes siue vastatrices appellantur. Atque hunc quidem germanum esse vtriusque loci sensum, ostendit comparatio locorum Noui Testamenti, Luca 21. 20. cum Matthæi 24. 15. & Marci 13. 14. nam quod apud hos dicit Christus fore ut videant Iudei abominationem quæ dicta est à Daniele Propheta stantem in loco Sancto, ubi non oportet: sic interpretatur Lucas: Quum autem videritis circumdari ab exercitibus Ieruschalaima, tunc scitote imminere desolationem eius, &c.]*

XVIII, *Et super velum abominationes, [et] desolatio, seu, afflatus, ut intelligat velum templi. CANAPH velum quoque significare, quod vela sint instar alarum, Isaia 18. 1. Forsterus, Mercerus, Forerius annotarunt, Vide lib. 4. cap. 19.*

XIX, *Et super alam abominationum obstupescit, seu attonitus, consternatus, vel marens, aut, tristis. Ita enim MESOMEM reddidit Noster 1. Esdra. 9. v. 3. & 4. Ut innuere videatur Daniel historiam illam, quæ populus Ierosolymitanus graui seditione consternatus fuit, ob dedicatam ab Herode rege Aquilam auream magni ponderis, supra maiorem portam templi, quod loco ingentis abominationis ducebant Iudei: rem gestam fusè narrat Iosephus lib. 17. Antiquit. cap. 8. hanc interpretationem probare videtur Leo Castrus lib. 6. Apologetici pro Editione Vulgata, Loco 254. Vide Veldium in hunc Danielis locum. Sed & Conradus Pellicanus ita exponit: Et super alam abominationum desolatio. Vel, Et super auem, vel alam abominationum vastatio aderit. A Pilato [Herode potius] enim Aquila abominanda Iudeis posita in templo, occasio præfens fuit, & causa maximorum malorum, quibus deinde laborauerunt Iudei usque ad internecionem vrbis, Templi, & totius populi.] At si Christus Matthæi 24. 15. illis verbis, Quum videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta*

Tom. II. De Antichristo,

ta, stantem in loco Sancto, ad hunc locum Danielis quem nunc enarramus respexit: ut procul dubio, eum citasse, cap. 12. perspicuè ostendimus: exploratum erit, ut nec Dominum, ita neque Daniele per alam abominationum, Aquilam illam auream Herodis intellexisse: cum Dominus disertè loquatur de Abominatione desolationis nondum facta, sed quæ euentura esset: at constat dedicationem Aureæ Aquilæ Herodianæ multo antea factam, quàm ea diceret Dominus. Ob quam etiam causam, neque per alam abominationum accipi possunt, Imagines Cæsaris, aut Clypei aurei dedicati à Pilato, & in urbem Ierosolymam inuecti, de quibus Iosephus 18. Antiquit. cap. 3: & lib. 2. Belli, cap. 8. & Philo de Legatione ad Caium, nam hæc aliquot annis antea contigerunt, quam Christus vaticinium de futura abominatione desolationis pronuntiasset: ut ex eodem Iosepho, & aliis constat, Vide Baronium Annali 1. Anno Christi, 28. & Scaligerum in Eusebianis pag. 172. Verum erit aptior sensus: Et super ala abominationum marens, quia marebat populus, quum adeo infanda & abominanda in templo fieri cerneret, obsidente urbem Tito, de quibus cap. 10. dicemus.

Frustra sunt qui Vulgatum sugillant, quod CANAPH, id est, alam in templum conuerterit: nam iam diximus, Alam hîc pro adyto, seu oraculo, aut Propitiatorio, quod alis Cherubinorum compingebatur, vel pro ipso Templo ob expansionem fabricæ, elegatè metaphora sumi: quod etiam annotauit Lexicum complutense. Quid quod Lxx. Græci, & Latini Patres, hîc Templum exposuere. Tertullianus, Sanctum. Matthæi Interpretes Græci, locum sanctum Mesomem, plerique existimant esse Benoni quadratum Piel, & quadraturam significatum intendere: id est Stupere-faciens, vel stupendè-desolans. Forsterus putat esse abstractum, id est, afflatus seu afflatio: vult enim SAMAM significare, personam aut rem propter reatum aut pœnam aliquâ afflatu horribili & abominabili dignâ seu obnoxiam esse: quam verbi notionem etsi probent Auenarius in Lexico, Fererius in Isaia. 17. audatiorem putat Mercerus, qui existimat, SAMAM potius stupendam-desolationem aut vastationem indicare. At MESOMEM, Noster. Desolationem bis hoc v. 27. Danielis & tertio, Daniel, 11. 31. reddidit, ut etiam Lxx. & Matthæi Interpretes 24. 15. & Lucas 21. 20. Ad verbum: Et super ala abominationum stupenda-desolatio, seu afflatio abominabilis.

At quid Daniel per abominationem desolationis, quæ futura erat in Templo, intellexerit, quum verba Christi de eadem abominatione desolationis à Daniele prædicta, accurate elucidabimus, cap. 10. demonstrabimus. Eundem enim esse sensum vtriusque vaticinij, & Christi, & Danielis, non est dubiū. Quocirca pudendo lapsu Xystus Senensis lib. 8. Bibliothecæ, Hæresi. 12. initio, Mercerus item & Bertramus in radice CANAPH, & Schindlerus in Radice SAKAZ, existimarunt, Daniele his verbis vaticinatum de Abominatione illa desolationis, quam Antiochus in templo adorandam proposuit. 1. Machabæorum 1. 57. de qua postea dicemus. Id enim est plusquam falsissimum, cum admirabili omnium Patrum & Interpretum consensu liqueat, Daniele hîc ut Dominum etiam de clade suprema Urbis ac Templi Ierosolymitana per Titum, vaticinatum, non de abominando idolo desolationis ab Antiocho in templo collocato,

* *

H

CAPVT

CAPVT IX.

*Alternum oraculum Danielis expenditur de
abominatione desolationis.*

Aliud vaticinium precedenti simile habet Daniel cap. 11. 31. *Et brachia ex eo stabunt: & polluent Sanctuarium fortitudinis: & auferent iuge sacrificium, & dabunt abominationem in desolationem.* Hunc locum de Antiocho Epiphane interpretatur S. Chrysostomus Oratione 2. in Iudæos, dicens: *Deinde progressus Daniel, in Antiochum desinit iterum dicens: Brachia ex ipso exorientur, & profanabunt Sanctum, & transferent continuationem, (continuationem appellans solemnes & quotidianas victimas) & inferent in illam abominationem, & eos qui violant testamentum, hoc est, prauaricantes Iudæos adducet in ruinas.] S. Hieronymus: Pro brachiis, alius interpretatus est semina, ut significaret stirpem, atque progeniem. Volant autem eos significari, qui ab Antiocho missi sunt, post biennium quam templum spoliauerat, ut tributa exigere ad Iudæis, & auferrent cultum Dei, & in templo Ierusalem, Iouis Olympi simulachrum, & Antiochi statuas ponerent: quas nunc abominationem desolationis vocat: quando ablatum est holocaustum & iuge sacrificium. Quæ uniuersa in typo Antichristi nostri præcessisse conieciunt: qui sessurus est in templo Dei, & se facturus ut Deum. Iudæi autem hoc nec de Antiocho Epiphane, nec de Antichristo, sed de Romanis intelligi volunt, de quibus supra dictum est: *Et venient Trieres sue Itali atque Romani, & humiliabitur.* Post multa, inquit, tempora de ipsis Romanis, qui Ptolemæo venere auxilio, & Antiocho comminati sunt, consurget rex Vespasianus: surgent brachia eius & semina, Titus filius cum exercitu: & polluent Sanctuarium: auferentque iuge sacrificium, & templum tradent æterna solitudini. Chibim quippe & Tisim, quos nos Trieres & Romanos interpretati sumus, Hebræi Italos volunt intelligi, atque Romanos.]*

Theodoretus: *Brachia vocat, duces ei [Antiocho] feruentes, & instar brachiorum iussa Regis exequentes. Mittere itaque aliquos, inquit, qui Sanctuarium Imperij polluant, hoc est, Deo omnipotenti dedicatum templum, ara in qua colantur idola, in ipso erecta. Hoc enim vocat Abominationem desolatam. Hoc etiam nos docet Secunda Machabæorum Historia, cum sic ait: Sed non post multum tempus misit rex senem Atheniensem, qui cogeret Iudæos migrare à patriis legibus, ut Dei legibus minime gubernarentur: contaminaretque quod erat in Ierusalem Templum, & Iouis Olympi nominaret. Hæc prædicens is qui cum beato Daniele colloquebatur: Et brachia, inquit, ex eo surgent, & polluent Sanctuarium Imperij, & transferent Continuationem, hoc est, cultum qui Deo singulis diebus adhibebatur & dabunt in ipsum abominationem desolatam: aram quam Ioni erexit impius rex, in qua etiam porcum immolauit.] Ergo communis Catholicorum consensus, cum veterum, tum recentiorum aperte docet Daniele hoc oraculo historico & primario sensu de Antiocho Epiphane loqui. Ita S. Hieronymus, S. Chrysostomus, Theodoretus, Strabus, Lyranus, & posteriores omnes Interpretes Danielis. Quo circa qui ad Vespasianum & Romanos, aut ad Turcas hoc vaticinium retulere, satis refutantur à Maldonato & Pererio.*

Nec dubitauerim Iosephum lib. 10. Antiquitatum, cap. 12. intellexisse, Daniele his verbis de Antiocho Epiphane verba fecisse: quum de prophetis Danielis prædictionibus hæc scribit: *Ex hisque exoriturum quendam Regem, qui bellum gerat cum gente Iudæo-*

rum, & leges & formam instituta iuxta has Reipublicæ auferat: spoliatoque templo, victimas in id induci per triennium prohibeat. Quæ quidem calamitas genti nostræ sub Antiocho Epiphane accidit, ita ut futurum Daniel ante multos annos scripserat.] At quod de triennio ait, explicatius id tradit lib. 12. Antiquit., cap. 11. Integro enim triennio desertum fuit Templum post factam ab Antiocho profanationem: ea enim incidit in annum centesimum quadagesimum quintum, & idem Apellæ mensis vigesimum quintum, in Olympiadem centesimam quinquagesimam tertiam: renouatum est autem eadem die centesimo quadagesimo octauo anno, Olympiade centesima quinquagesima quarta. Prædixerat autem eam desolationem propheta Daniel ante anno quadragesimo octauo, disertè dicens, à Macedonibus profanandum.] Hæc Iosephus, quod ad tempus attinet consentaneè quidem 1. Machabæorum, 1. 57. & cap. 4. 54. & 2. Machabæor. 10. 5.

Quin etiam facile quisque prudens reputabit, Auctorem lib. 1. Machabæorum, cap. 1. v. 57. hanc eandem Danielis prophetiam de Antiocho Epiphane intellexisse, quum ait: *Die quintadecima mensis Casleu, quinto & quadagesimo & centesimo anno, edificauit Rex Antiochus abominandum idolum desolationis [Græca, abominationem desolationis] super altare Dei. Quibus verbis respexisse sacri Machabæorum auctorem, ac citasse, seu potius interpretatum præsens hoc quod elucidamus Danielis vaticinium, cap. 12. plenius ostendimus. Equidem & sensus verborum Danielis, & res ipsa gesta, hoc ipsum absque maiori alio argumento perspicue euincit. Caterum quantumuis asseramus, Daniele primario & litterali sensu de Antiocho vaticinatum: at mystica & sublimiori, seu arcana cogitatione Antichristum respexisse, sub typo Antiochi significatum, præsci Patres, S. Hieronymo teste, mirifico consensu existimant: quod etiam & nos valde probamus. Et sanè ad modum congruenter: nam Antichristus, nedum Templi, ut Antiochus: sed mundi stupenda abominatio desolationis futurus est: qui & in Templo, & vbique se ut Deum, & maximum idolum, seu horrendam abominationem statuet adorandum.*

Hebræa ad Verbum: *Et brachia de [ex, ab,] eo stabunt, vel existent.* Quidam apud S. Hieronymum, pro brachiis, semina exposuerunt: quæ ratione habent Lxx. in Editione Romana. Sed notat Nobilius, quædam exemplaria vtrumque coniungere: *Et brachia & semina. ZEROIM*, cum Tseri, sunt semina: cum scæua; ut hîc scribitur, brachia. Verum Hebræi, & nostri hoc loco brachia intelligunt. Brachia autem de quibus hîc loquitur Daniel exponunt, Primo Arces, turræque, quas Ierosolymis Antiochus extruxit, 1. Machabæorum 1. 35. Ita Pintus. Secundo, Duces, ac Principes missos ab Antiocho contra Iudæos, 1. Machabæor. 1. v. 3. & 2. Machabæor. 6. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Strabus, Veldius, Feretius. Tercio, milites robustos, seu copias, ac turmas militares fortissimas, nempe valida præsidia, quæ in Ierusalem contra Iudæos collocavit Antiochus, 1. Machabæorum 1. 36. Ita Lyranus, Vatablus, Tremellius & Iunius, Pintus, Auenarius, Marinus, Sa. Quasi dicat: *Et brachia ab eo stabunt in præsidio, seu stationem habebunt: præsidium fortissimum militum collocabit Antiochus in Ierusalem. Quarto, Maldonatus inquit: Sed ego simplicius etiam nunc interpretor, fore ut Antiochi vires atque conatus benè illi aduersus Iudæos succedant, Eodem enim modo dixit supra vers. 6. Et non obtinebit fortitudinē brachij: neque stabit semē eius. Et v. 15. Et brachia Austri non sustinebūt, Et v. 22. Et brachia pugnantis*

pugnantis expugnabuntur à facie eius.] Vide hanc potestatem pericopem explanatam lib. 6. cap. 11. ubi diximus, brachia in Scriptura vocari ingentes exercitus, roburque militiæ præualidum. Hebræa hinc geminam præferunt versionem, eisdem litteris, nec variatis punctis: MIMEN V, ex [de, ab] eo: vel, ex nobis. Vtroque enim modo exponi potest MIMEN V. Forsterus reddidit: *Et brachia ex nobis stabunt.* Vt innuat forsam Daniel perfidorum Iudæorum auxilia, quibus Antiochus ad perdendos Iudæos usus est: de quibus 1. Machabæorum 1.12. *In diebus illis exierunt ex Israel filij iniqui, & suaserunt multis, dicentes: Eamus, & disponamus testamentum cum gentibus &c.* Subdit, hos apostatas infanda designasse fretos Antiochi auxilio, quos Daniel hic, *brachia ex nobis*, videtur appellasse. Non improbat hanc interpretationem Maldonatus. Pro, *stabunt*, Lxx. habent, *surgent, consurgent.*

Et polluent Sanctuarium fortitudinis. Vatablus: *Id est, templum, in quo Deus fortissimus habitat, & ostendit virtutem suam. Alij referunt ad stabilitatem ædificij.]* Sa: *Sanctuarium fortitudinis, id est, potentis Dei.]* Maldonatus: *Sanctuarium fortitudinis vocat Templum, quod Dei potentia protegeretur.]* Forsterus: *Et profanabunt Sanctuarium munitionis. Hoc templum, hic cultus, & doctrina erat huius populi arx & munitio: sicut nobis Evangelium est arx.]* Leo Iudas, Tremellius & Iunius, *Sanctuarium & munitionem.* Sed quia Hebræicè abest coniunctio, & MIK DAS habet Cametz, quod statum absolutum indicat, Marinus ex verbo reddit: *Sanctuarium robur, id est, Sanctuarium quod est robur, Lxx, Sanctificationem fortitudinis.* Apud Theodoretum verò: *Sanctuarium Imperij, ut in Complutensi & Regia. MIK DAS, propriè est Sanctificatio, Sanctuarium, Palatium sanctitatis, Sacrarium, Locus sacer in quo tantum sacra peragebantur & reponerentur. MAOZ verò, Robur, fortitudo, fortalium, obfirmatio, locus natura vel arte obfirmatus & munitus, in quem homines se tempore persecutionis, aut belli recipiunt: & se ab hoste tutos esse sperant, Munitio, arx, verti solet.*

Et auferent, propriè discedere, recedere-facient, amoueunt, auertent, *iuge.* Hebræicè tantum est TAMID, perpetuum, perenne, instans, continuum: sed cui subintelligi solet vox sacrificium, uti Daniel. 8. v. 11. 12. 13. & cap. 12. v. 11. sed de Tamid dicemus lib. 9. C. 11. Lxx exposuerunt *Endelechismen*, id est, continuationem, seu continuitatem. Eius ritum habes Numeror. 23. 3. *& dabunt abominationem stupendam, desolationem, vel horribilem-afflatum, seu abominationem stupendam-desolationis, vel horribilis-afflatus, aut abominationem stupere-facientem.* Forsterus, *Abominationem reatum facientem.* Tremellius & Iunius, *detestationem desolantem.* Id est, *militem detestandum, qui desolet magis ac magis cultum Dei, in stativis collocabunt.]* Lxx. abominationem desolatam. Est hic etiam vox MESOMEM, quam superiori Capite enodauimus. Hebraïsmum, *Abominationem desolationis*, Sequenti Capite elucidabimus.

Fusè in Machabaica Historia perscribitur, quantam profanationem & vastitatem Antiochus Epiphanes Templo Ierosolymitano intulerit: ut abstulerit victimas & sacrificia, ut constituerit abominandum idolum desolationis, nempe Iouis Olympij simulachrum in altari Domini: ut alia infanda, & extreme nefaria aduersus sacrosanctum illud Templum perpetraverit. Quæ omnia accurate narrantur 1. Machabæorum, 1. & 2. Machabæorum, 6. Videndi Interpretes Danielis in hunc locum, & Machabæorum scriptum Serarius, & Iosephus Stephanus,

Huic Danielis oraculo affine est aliud è cap. 8. 11. *Et usque ad principem fortitudinis magnificatum, est: & ab eo tulit iuge sacrificium: & deiecit locum Sanctificationis eius. Robur autem datum est ei contra iuge sacrificium propter peccata.* Et vers. 13. *Usquequo visio & iuge sacrificium, & peccatum desolationis, quæ facta est: & Sanctuarium, & fortitudo conculcabitur?* Hic vaticinatum quoque Daniele de horrenda profanatione & vastitate Templi per Antiochum Epiphanem, quam latè exponit Historia Machabæorum, uti nuper dicebamus, S. Hieronymus, Theodoretus, & omnes Interpretes vno ore affirmant. Lxx in Romana Editione Xysti V. *Et quoadusque dux militiæ liberaverit captiuitatem. Et propter eum sacrificium turbatum est: & prospere erit ei. Et Sanctuarium desolabitur: & datum est super sacrificium peccatum. Usquequo visio stabit: sacrificium ablatum, & peccatum desolationis quod datum est: & Sanctuarium & fortitudo conculcabitur?]* In Complutensi verò & Regia: *Et usque ad Principem exercitus magnificatum est, & propter ipsum sacrificium turbatum est, & Sanctum desolabitur. Et factum est super sacrificium peccatum, & proiecta est in terram iustitia: & fecit, & prosperata est.* Apud Theodoretum autem ita leguntur: *Usque ad Principem virtutis magnificatum est: & per ipsum sacrificium turbatum est peccato: quia etiam factum est, & prosperè ei successit. Et Sanctum desolabitur: & datum est super sacrificium peccatum. Usquequo visio stabit, & sacrificium ablatum, & peccatum desolationis datum: Sanctum & fortitudo conculcabitur?* Diuersitas Græcorum codicum peperit varias interpretationes. Consule Notas Nobilij ad editionem Latinam Romanam Lxx Interpretum.

Hebræa quantum fieri potuit ad verbum ita redduntur: *Et usque ad principem militia [exercitus] grande fecit sese: & ab eo [vel à nobis] leuatum est iuge [sacrificium, vel continuitas] & deiectus est locus [basis, firma sedes præsidentiae, statio] Sanctuarij [Sacrarij] eius. Et militiam [exercitum, stationem] dederunt super iuge [sacrificium vel continuitatem] in rebellionem [transgressionem, præuaricationem]. Usque quando visio, [præuisio] [iuge] [sacrificium, seu Continuitas], & rebellio [transgressio, præuaticatio] stupenda-desolationis [abominabilis-afflatus, vel stupenda desolatio, seu afflatio; aut desolans stupendè, vel obstupesciens] dare. Et sanctitas, & militia [exercitus, statio] conculcatio?] protrusio, conquassatio] Verum loci huius explanationem, quod nostri propriè instituti non sit: atque eadem planè sit quæ vaticinij præcedentis nuper à nobis explicati, ad Interpretes merito amandamus. Videndi peculiariter S. Hieronymus, Theodoretus, Peterius, Maldonatus, Sa in hunc locum, Serarius in 1. Machabæorum 6. Quæstione 5.*

Nec tamen eruditus quisque dubitauerit, uti superiori, ita quoque isto vaticinio Antiochum in his quæ horrenda & abominanda in Templum Ierosolymitanum patrauit, mirificè adumbrasse & præfigurasse Antichristum: qui in Ecclesiam quæ est templum Dei viui, horrende grassaturus est iuge Eucharistiæ sacrificium ablaturus, uti lib. 9. cap. 11. dicemus: ac præterea se veram abominationem desolationis, & summam rebellionem in templo Ierosolymitano collocaturus, ubi se ut Deum ab omnibus adorari imperabit.

Quartum vaticinium de Abominatione desolationis habet Daniel, cap. 12. 11. *Et à tempore quum ablatum fuerit iuge sacrificium, & posita fuerit abominatio in desolationem, dies mille ducenti nonaginta.* Præclarum istud oraculum de Antichristo primario & historico sensu,

potius quàm de Antiocho Epiphane esse intelligendum, lib. 9. cap. 11. abunde ostendimus: vbi illud ex professo elucidabimus.

CAPVT X.

Explicantur verba Domini Matthæi 24. 15.

Quum ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta, stantem in loco Sancto, qui legit, intelligat.

VT locum insignem ingenti difficultate inuolutum exquisitè interpretemur, ante omnia Hebraïsmum illum, *Abominationem desolationis* explicemus. *SICHVTZ*, idest, Abominationem, vocare solet Scriptura, rem execrandam, horribilem, detestabilem, abominandam, quæ sensus & animum offendit, quamque propter fæditatem & turpitudinem, vt rem spurcam & immundam omnes auersantur: & peculiariter, quam Deus execratur & damnat, idè quod ei falsò tribuitur honos Deo debitus. Quo nomine solet Spiritus Sanctus idola, & falsos Deos, atque impium eorum cultum nuncupare. 3. Regum, 11. 5. & *Moloch idolum* [Hebraicè *Abominationem*] *Ammonitarum*, vers. 7. *Tunc edificauit Salomon fanum Chamos idolo* [Heb. *abominationi*] *Moab*: & *Moloch idolo* [Heb. *abominationi*] *filiorum Amon*. Deuteronomij 29. 17. *Vidistis abominationes & sordes*, idest, idola eorum. 2. Paralipom. 15. 8. & *abstulit idola* [Heb. *abominationes*] *de omni terra Iuda*. Et 1. Machabæorum 1. 57. quod Noster ait, *Edificauit rex Antiochus abominandum idolum desolationis*. Græca totidem verbis, quibus hîc Matthæus, habent *βόλυνμα ἐγνωσέν*, *abominationem desolationis*. Syriaca: *portentum illud immundum vastationis*. Vel vt reddit Tremellius, *Signum abominationis desolationis*. Victorinus in Apocalypsim legit, *aspernationem desolationis*. Guilhelmus Xylander in Cedreno pag. 186. nescimus cur verterit: *Cum videbitis abominandum vastitatis signum stare in loco Sancto*.

Ergo *Abominationem desolationis*, bifariam exponunt, Primo, per hypallagen, hoc est, Abominabilem & horribilem desolationem. Consimili phrasi 2. Thesalonicens. 2. 11. *operantem errorem*, idest, errorem operantem efficacem, & operantem. Leuitici 12. 4. *in sanguine purificationis*, idest, purificatione sanguinis. Ita Vatablus, Gagnarius, & alij notant in 24. Matth. v. 15. Sa in 1. Machabæor. 1. v. 57. Secundò, Abominationem extrinsecam, deuastantem, desolantem, stupendam, seu stupendam desolationem: vel quæ sit causa stupendæ & extrinsecæ desolationis: seu quam consequatur stupenda deuastatio. Atque hæc est communior & receptior interpretatio. Ita Vatablus, Clarius, Iansenius, Franciscus Lucas, & alij passim.

Iam quidnam Christus Dominus per *Abominationem desolationis, stantem in loco Sancto*, intellexerit, ingens existit controuersia. Semper enim hic locus habitus est Interpretibus difficillimus & obscurissimus, de eiusque explanatione variæ, multiplicisque feruntur sententiæ: quas omnes si percensere vellemus, tempus nos planè deficeret: celebriores dumtaxat, & grauioribus subnixas rationibus afferemus. Et si de his fusiore quis cupiat, adeat Eusebium Cæsariensem lib. 8. Demonstrationis Euangelicæ, cap. 3. S. Hieronymum in Matthæi 24. S. Chrysostomum Oratione 2. contra Iudæos, Victorem Antiochenum in Marci 13. Auctorem Operis Imperfecti in Matthæum, Homil. 49. Theophylactum, & Euthymium in Matthæi 24. E recentioribus, Bredembachium, Iansenium, Maldona-

tum, Franciscum Lucam in Matth. 24. Pererium lib. 10. in Daniel. Baronium Annali 1. Anno Christi 68. num. 48. & seqq. Veldium in 9. Danielis, Villalpandum Tomo 3. in Ezechielem in Apparatus vrbis ac Templi, Parte 1. lib. 3. cap. 33. Barradium Tomo 3. Euangelicæ Historiæ, lib. 9. cap. 3.

PRIMA EXPOSITIO.

Abominationem desolationis esse Romanum exercitum, urbem Ierusalem & Templum obsidione cingentem. Qui appositè dictus sit Abominatio, vel quia ex gentibus, idololatriis, & impiis erat cõfatus: vel quia in Romano exercitu erant Aquilæ, & signa alia militaria, imaginibus Principum insignita: quæ Iudæi tanquam idola maxime execrabantur. Nam Iosephus lib. 18. Antiquitarum, cap. 7. de Vitellio Siciæ Præfide Arabicum bellum parante, hæc refert: *Cum vellet per Iudæam exercitum ducere, occurrerunt eius regionis principes deprecantes transitum: neque enim patrios ritus permittere, vt inferantur vlla imagines, quales Romana signa habebant pleraque.* Et alios non semel testatur Iosephus Iudæos haud secus quàm idola abominari solitos quasuis imagines hominum aut animantium.

Et quod ad signa Romana attinet, vt cernas quanta cum ratione Iudæi ea tamquam idola fuerint execrati, pauca hîc in rem, de signis Romanis delibare iuuat. De Aquila res nulli non comperta, Plinius lib. 10. cap. 4. *Romanis Legionibus Aquilam C. Marini in secundo Consulatu suo propriè dicanit* *Erat & antea prima, cum quatuor aliis, Lupi, Minotauri, Equi, Apri, quæ singulos ordines antebant. Paucis ante annis sola portari in aciem caperat, reliqua in castris relinquebantur: Marini totum ea abdicauit.* Festus: *Porci effigies inter militum signa, quantum locum obtinebat, quia confecto bello, inter gentes populos pax fiebat, ea casa porca federe firmata.* Vegetius lib. 3. de Re militari, cap. 6. *Ob hoc veteres Minotauri signum in Legionibus habuerunt, vt quemadmodum ille in intimo & secretissimo Labyrintho abditus perhibetur, ita Ducis consilium semper occultum esset.* Festus: *Minotauri effigies inter signa militaria est: quod non minus occulta esse debent consilia Ducum, quam fuit domicilium eius Labyrinthus.* Hæc Critici non Festi, sed Pauli Diaconi esse aiunt: sed Paulum è Festo, aut alio veteri auctore descripsisse, non est dubium.

Imagines quoque Principum in signis præferri solitas, atque ipsa signa veluti numina magna religione culta ab Romanis fuisse, ex antiquitate constat. Dio lib. 40. de Aquila: *Aquila quæ dicitur. Est (templum vel fanum) sacellum paruum, & in eo Aquila aurea locatur, statuiturque in omnibus ordinariis Legionibus: nec quoquam ex hibernis effertur, nisi quum omnis legio exit, quam vir unus in hasta parua [vel longa] cuius inferior cuspis in acutè desinit, vt in terram defigi possit, portat.*

Istud de Aquilæ sacello vix extricat Lipsius: sed profert Constantini Magni nummum Steuuechius, in quo visuntur Aquilæ cum tegmine illo sacelli, hastis impositæ. Arrianus in Dissertationibus Epicteti: *Signa selecti exercitus, Aquila, imagines Principum, vexilla omnia aurea, extensa in hastis argentatis.* Suetonius in Caligula, caput 14. *Artabanus transgressus Euphratem Aquilas & signa Romana, Caesarumque imagines adorauit.* Et de Tiberio caput 48. *Munera Syriacis legionibus dedit, quod sola nullam Sciamini imaginem inter signa coluissent.* Tacitus Annali 14. *Agmina legionum steterunt fulgentibus Aquilis, signisque & simulachris Deum, in modum templi.* Et Historia 1. *Vexillarius, direptam Galba*

Galba imaginem solo adfixit.] Herodianus lib. 8. de Maximino: *Postquam de signis militaribus illius imagines detraxerunt, &c.*] Vegetius lib. 2. de Re militari, cap. 6. *Prima cohors imagines Imperatorum, idest, diuina & presentia signa veneratur.*] Herodianus lib. 4. vbi de Castris Prætorii: *In sacellum, vbi signa & imagines exercitus adorantur.*] Tertullianus Apologetici cap. 16. *Religio Romanorum tota Castrensis signa veneratur, signa iurat signa omnibus diis preponit. Omnes illi imaginum suggestus insignes, monilia Crucium sunt.*] Pro, insignes, mauius rectè Lipsius, in Signis. Dionysius Halicarnassensis lib. 6. de Signis militaribus Romanorum: *Venerabilia maxime ea Romanis, & tanquam deorum statuas sacra arbitrantur.*] Tacitus Annali 1. *Conuersus ad signa & bellorum Deos.*] Et rursus de Aquilis: *Sequerentur Romanas aues, propria legionum numina.*] Iterum: *Signa & Aquilam amplexus, religione sese tutabatur.*] Verum de his plura apud Lipsium lib. 4. de Militia Romana, Dialogo 5. & 9. Steuuechium Commentatio ad lib. 2. cap. 6. Vegetij, Dempsterum in Postremis Paralipomenis ad lib. 10. Romanarum Antiquitatum Rosini. Quæ idcirco notauimus, vt ostenderemus, quàm iuste Iudæi Romana Signa, Aquilas, & Cæsarum imagines tanquam idola abominarentur: ob quæ Romanus exercitus rectè Abominatio dici potuit: desolationis autem quod desolationem, magis quàm dici intelligi possit, horrendam, ac stupendam, supremumque ac sempiternum exitium vbi ac templo esset allaturus.

Atqui obseruant, S. Lucam hanc ipsam interpretationem confirmasse, quum verba Matthæi de Abominatione desolationis, ipse de exercitu Romano Ierosolymam circumsedente explicatè intelligere videtur. Nam quod Matthæus ait: *Quum videritis abominationem desolationis stantem in loco Sancto. Tunc, qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes, &c.* Lucas hæc ipsa verba Matthæi, haud dubiè exponens, inquit 21. 19. *Quum videritis circumdari ab exercitu Ierusalem, Scitote quia appropinquauit desolatio eius. Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes, &c.* Vbi si quis antecedentia & consequentia, ordinem, seriemque rerum ab utroque Euangelista dictarum, attentè dispiciat, facile assentietur, quod Matthæus dixit, *Abominationem desolationis stantem in loco sancto*, hoc ipsum Lucam dixisse, *exercitum circumdantem Ierusalem, & imminentem urbis eius desolationem.* Nam cum Lucas post Matthæum, Marcumque suum cōscripserit Euangelium, quod ab illis subobscurè dictum fuerat de Abominatione desolationis, ipse planius & apertius explicasse videtur de Romano exercitu urbem Ierosolymam obsidente. Atque hanc explanationem de Abominatione desolationis veteres amplexi sunt. Origenes Tractatu 27. in Matthæum: *Tunc autem super templum quod fuit in Ierosolymis, facta est abominatio desolationis templi, & ciuitatis, in eo videlicet tempore, quando viderunt circumdatam Ierusalem ab exercitu, vt secundum quod prophetauerat Saluator de ea, cognoscant, quod appropinquauit desolatio eius. Et hanc desolationis abominationem factam super templum ab exercitu Ierusalem circumdante, dicit propheta, vsque ad tempus consummationis manere.*]

S. Augustinus Epistola 80. ad Hesychium: *Matthæus ita scribit: Quum ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta stantem in loco sancto. Marcus verò ita: Quum videritis abominationem desolationis, stantem vbi non debet. Lucas verò vt ostenderetur tunc factam fuisse abominationem desolationis, quæ à Daniele prædicta est, quando expugnata est Ierusalem, hæc eodem loco Domini verba commemorat: Quum autem videritis circumdari ab*

exercitu Ierusalem, tunc scitote, quia appropinquabit desolatio eius. Apparet itaque tunc ibi positam desolationis abominationem, de qua duo illi Euangelistæ locuti sunt.]

Auctor Operis Imperfecti in Matthæum, Homilia 49. initio: *Quum ergo videritis abominationem desolationis, &c.* Quidam dicunt, abominationem desolationis esse imaginem Cæsaris, quam Pilatus posuit in templo. Verius autem quid sit abominatio desolationis, Lucas Euangelistæ interpretatur. Nam in quo loco Marcus, & præfens Matthæus ponunt, *Quum videritis abominationem desolationis: in ipso loco Lucas sic ponit: Quum videritis circumdari ab exercitu Ierusalem, tunc scitote, quia propinquabit desolatio eius. Et sic dicit, Qui in Iudæa sunt: videlicet, vt per alteram similitudinem expositiones eiusdem loci ostendat. quid sit abominatio stans in loco sancto. Fuit enim exercitus alienigenarum, & Romanæ Imperatoris, stans circa Ierusalem, quæ usque tunc fuerat sancta. Hoc & Petrus apud Clementem exponit. Denique hanc esse abominationem desolationis, & ipse textus ostendit: quasi enim replicans illa omnia quæ superius dixit, breuiter comprehendit, & dicit: Quum ergo videritis abominationem desolationis stantem. Hoc est, quum videritis ea ipsa prælia iam stantia circa Ierusalem, quæ ante audiebatis.*]

Zacharias Chrysopolitanus in Euangeliorum Harmonia cap. 145. enarrans verba Matthæi, *Quum ergo videritis abominationem desolationis*, inquit: *Lucas verò sequenti capitulo ostendit, tunc factam fuisse abominationem desolationis, quæ à Daniele prædicta est, quando expugnata est Ierusalem.*] Subditque statim verba Lucæ, *Quum autem videritis circumdari ab exercitu Ierusalem, &c.* Eandem Interpretationem probant, è recentioribus, Caietanus, Vatablus, Pellicanus, Gagnæus, Titelmanus, Hesselius, Iansenius, Sa, in Matthæi 24. Didacus Stella in 21. Lucæ, Tremellius & Iunius, Pintys, & Pererius in 9. Danielis, Baronius Annali 1. anno Christi, 68. numero 48. 59. §1. 1.

Verum hinc haud levis iam nascitur difficultas, de quonam exercitu Romano urbem Ierusalem obsidente intelligenda sit hæc Abominatio desolationis, seu exercitus. de quo Euangelistæ Matthæus, Marcusque, & Lucas loquantur: num de illo Vespasiani & Titi, qui urbem & templum euerit ac solo æquauit: an verò de alio quodam, qui iam antea sub Cestio Gallo Syriæ præside eandem urbem obsidione cinxerat: de qua obsidione pluribus agit Iosephus lib. 2. Belli Iudaici, cap. 22. 23. 24. & Egesippus lib. 2. Excidij, cap. 14. & 15. Cestius enim cum partem extrinsecam ciuitatis Ierusalem vt cepisset, & obfessa interiori parte, in qua templum erat, quod seditiosi se receperant, hanc quoque facile capere potuisset: temerè & inconsultè, nullo cogente, urbis potiùs neglecta occasione, obsidionem soluit, ac recessit, magno Romani exercitus dedecore, nec minore detrimento. Ita prouidente Deo, vt Impios ad maiora supplicia reseruaret: & Christianis in vrbe degentibus, effugij locum opportunè pararet. Tunc enim metu imminentium malorum, quæ certissimè euentura erant, petulosos Fideles, vrbe digressos in tutiora loca se recepisse, atque Pellam Urbem trans Iordanem profectos, Eusebius lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 5. S. Epiphanius Hæresi 29. & 30. tradunt. Quin & Iosephus lib. 2. Belli, cap. 25. *Post Cestij vero casus aduersos nobilium Iudæorum multi, tanquam è naui pessum iura, ex ciuitate enatabant.*] Eadem Egesippus liber 2. caput 16.

De hac Cestiani exercitus Ierosolymitana obsidione & non de illa sub Tito, Capienda verba Domini apud

Matthæum, Marcum, & Lucam, existimant Ioannes Hesselius, Iansenius, Stella, Franciscus Lucas, Baronius: quamvis hic re accuratius inspecta, postea sententiam abiecerit. Ratio autem quæ istos ut de Cestiano, & non Vespasiano exercitu sentirent, permouit, ea fuit: Quod Dominus proximo sermone præmonuerit, ut tunc, nimirum visa Abominatione desolationis stante in loco Sancto, hoc est, Romano exercitu Ierosolymam obsidente, qui in Iudæa futuri essent, fugerent in montes &c. at exercitu Titi urbem iam arctissima obsidione premente: tunc iis qui Ierosolymis erunt, nullus patebit fugæ locus, vndique cinctis, circumvallatis, coangustatis. Ad hæc, quoniam modo Iudæos ex reliqua provincia Iudæa ut tunc fugiant, Christus monere potuit, cum tota iam regio tunc prius à Vespasiano, atque Romano exercitu capta, & vastata erit. Quid enim opus erit fuga illis in Iudæa agentibus, qui iam penitus capti & deuastati erunt? Nam non nisi post reliquam Iudææ provinciam in potestatem redactam, atque deuastatā à Vespasiano & Tito Romanū exercitū duce Tito muris Ierosolymitanis admotū ex Iosepho rerū inspectore, cūctisque aliis Scriptoribus liquet. Domini autē præmonitio non aliò tēdebat, quā ut pij, deuastationis & obsidionis mala fuga opportunē præuerterent. Cæterū Cestianæ obsidionis tempore amplius erat relictus perfugij locus, ut ea soluta, tam ii qui Ierosolymis degebant, quā reliqui qui in cæteris Iudææ locis versarentur, quocumque vellent, fugere possent, ac se in montes aut alia tutiora loca recipere.

Verum illud certō affirmauerim, si Christus per Abominationem desolationis exercitum Romanum obsidentem Ierusalem, illum, de quo Lucas loquutus est, designauit; hunc nullo pacto intelligi posse exercitum Cestij Galli vallantem urbem: ob duas perspicuas cumprimis rationes. Primo, Quia Dominus de nulla alia Abominatione desolationis, id est, exercitu cingente urbem, locutus proculdubio fuit, nisi de illa, de qua Daniel cap. 9. extremo vaticinatus est. Nam Christus disertē ait: *Quum ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta, stantem in loco Sancto.* Vaticinium ergo Danielis de abominatione desolationis Dominus respexit, laudauit, intellexit, quod, adhuc cum illa diceret Christus, implendum erat: hoc autem vaticinium Danielis de Abominatione desolationis citatum hīc à Domino non aliud præcipuē esse nisi illud quod habet Daniel cap. 9. v. 27. omnium consensus est: & cap. 12. dilucidē ostendimus. Atqui Abominationem desolationis prænuntiatam à Daniele, si eo nomine aliquis Romanus exercitus intelligendus est, neuiquam ad tempora Cestianæ obsidionis pertinere posse: sed potius ad supremam Urbis & Templi desolationem ab exercitu Titi perpetrata, esse referendam, tam perspicuum est ex verbis ipsius Danielis, ut mero meridie nihil videat, qui id non videat. Ait enim Daniel: *Et ciuitatem & Sanctuarium dissipabit populus [Romanus] cum duce venturo [Tito]: & finis eius vastitas: & post finem belli statuta desolatio. Et erit in templo abominatio desolationis: & usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio.* Quæ verba nedum omnium Patrum & recentiorum consensu de nouissima per Titum, Urbis & Templi deuastatione accipiendi sunt: sed & ipsa per se clamant nullo pacto in Cestianam obsidionem competere, quæ non exitiali & sempiterna desolatione, ad finem vsque mundi permanitura, urbem & Templum afflixit: ut illa Vespasiana.

Secundo, Hoc ipsū adhuc robustius indē cōfirmatur, quod cū Dominus dixerit, abominationē desolationis staturā in loco Sancto, ac Daniel explicatius exposuerit

futuram in templo: *Et erit, inquit, in templo abominatio desolationis:* certissimum est, exercitum Romanum Cestij Galli, nequaquam in Templo sterisse, ac illuc penetrasse: sed antequam templum & interiorem partem urbis cepisset, soluta obsidione discessisse, ut Iosephus, & omnes alij auctores produnt. Vnde manifestissime constat abominationem desolationis, de qua Dominus locutus est, neuiquam exercitum Cestij Galli urbem Ierusalē obsidione cingentem accipi posse.

Ex quibus quoque eorum sententia confutari videtur, qui aiebant, Christum per Abominationem desolationis intellexisse Romanum illum exercitum quem Lucas describit circumdantem & circumvallantem Ierusalem, Lucamque suis verbis exposuisse, quid Matthæus & Marcus per Abominationem desolationis intellexerunt. Nam non posse nomine Abominationis desolationis illum Cestianum exercitum significari, nuper luculentē demonstrabamus: sed nec illum Titi, qui urbem & Templum euertit, eo modo quo à Luca describitur, cingens adhuc exterius urbem, per abominationem desolationis posse designari, plurimæ, magnæque rationes euincunt. Primo, quia Dominus ait: *Quum videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele propheta, stantem in loco Sancto,* quid autem Christus per locum Sanctum intellexerit, Danielis verbis dilucidē explicatur: *Et erit, inquit, in templo abominatio desolationis.* Ergo in templo Dominus staturam abominationem desolationis disertē affirmat; ex varicino Danielis: at Lucas ita describit Romanum exercitum exterius adhuc circumdantem urbem, ut tunc ne pedem quidem in ciuitatem, nedum in Templum intulerit: vnde nullo pacto exercitus ille Titianus cingens adhuc exterius urbem, qualis à Luca depingitur, dici rectē, intelligiue potest Abominatio desolationis stans iam in loco Sancto, id est, Templo.

Secundo, Hæc sunt verba Luca: *Quum videritis circumdari ab exercitu Ierusalem, scitote quia appropinquauit desolatio eius.* At si Abominatio desolationis à Domino ex Daniele prædicta, hic idem exercitus, de quo Lucas loquitur, est intelligendus, cum Dominus & Daniel eam abominationem in templo iam stantem pronuntient: certum & exploratum est, Romanum exercitum victorem non introisse in Templum, nisi capta iam & euersa urbe, quando duce Tito idem exercitus Templum incendit, uti Iosephus, qui præsens aderat, & omnes affirmant. Atqui tunc deuastata urbe, concremato Templo, ac posita abominatione desolationis, id est, ut ipsi interpretantur, Romano Titi exercitu, intra Templum: absurdē & ineptē (quod horrent aures) de eadem abominatione desolationis dixisset Dominus: *Quum videritis circumdari ab exercitu Ierusalem, scitote, quoniam appropinquauit desolatio eius.* Tunc enim non appropinquauit: sed vere iam & reipsa peracta & absoluta erat, & cerē præcesserat desolatio eius. Non ergo nomine Abominationis stantis in loco Sancto intelligi posse videtur Romanus Titi exercitus exterius obsidens urbem, uti à Luca describitur.

Tertio, Ait Christus: *Tūc qui in Iudæa sūt, fugiant in montes &c.* At existēte abominatione desolationis, hoc est, Romano exercitu intra Tēplū: vel urbē iam exterius Tito arctissima obsidione premēte, omni iam capta & deuastata provincia Iudæa à Romanis, uti prædiximus, quonā, vel quorsū, aut quomodo esset fugiendū? Sic ergo dicendum videtur, Lucam verbis illis quæ habet de exercitu urbē cingente, non quidem voluisse exponere, quæ Dominus apud Matthæum & Marcum de Abominatione desolationis prædixerat: sed potius, sicut alibi in aliis accidisse videmus, cum

cum Dominus duo hæc diuersa protulerit, nempe *Quum videritis abominationem desolationis, &c.* Et, *Quum videritis etiam circumdari ab exercitu Ierusalem.* Matthæum & Marcum primum illud retulisse: & hoc posterius silentio præterisse: Lucam verò è conuerso istud posterius narrasse, illud prius omisisse. Atqui hoc ipsum satis innuisse visus est S. Augustinus lib. 2. de Consensu Euangelistarum, cap. 77. quum ait: *Lucas autem non ait, Quum autem videritis abominationem desolationis, stantem in loco Sancto: aut, ubi non debet: Sed ait: Quum autem videritis circumdari ab exercitu Ierusalem: tunc scitote quia appropinquabit desolatio eius.* Satis indicat aliud dici à Matthæo, Marcòque abominationem desolationis, & aliud à Luca, exercitum circumdantem Ierusalem. Clarius Euthymius in 24. Matthæi, postquam enarrasset abominationem desolationis è Daniele prædictam à Domino, inquit: *Lucas verò aliud dicit signum, Quum videritis circumdari ab exercitibus Ierusalem, tunc scitote quod imminet desolatio eius. Apparet ergo, quod utrumque dixerit Christus.* Et in Luca 21. *Quum videritis circumdari ab exercitibus Ierusalem &c. Matthæus verò prædicto capite aliud scripsit signum, dicens: Quum videritis abominationem, &c.* Idem quoque existimauere plerique recentiorum, Maldonatus in 24. Matthæi, Baronius Annali 1. Anno Christi 68. Numero 53. & alij.

I I.

Alij Abominationem desolationis à Christo ex Daniele prænunciatam, esse dixerunt horrendam illam ac fœdissimam Templi Ierosolymitani profanationem, quæ à sceleratissimis hominibus facta est, quum templum illud quod Iudæi sanctissimum & augustissimum habebant, armis, cædibus, cruore, aliisque abominandis, stupendisque sacrilegiis, immanissimè contaminauerunt, cum tempore Cestianæ obsidionis tum etiam quando Titus maiori copiarum robore eandem urbem insedit. Siquidem quo tempore Cestius Ierosolymam obsedit, non solum atrium, hoc est, exteriorem Templi partem: sed etiam interiorem & sacratiorem homines turbulentissimi occuparunt, atque castrorum opere munierunt, vbique per summam templi contaminationem incubarunt, vti latè refert Iosephus lib. 2. Belli Iudaici, cap. 17. & 24. & ex eo Egesippus lib. 2. Excidij cap. 10. & 14. Præterea paulo ante Titi obsidionem, atque in ipsa obsidione, plurima & immensa, & supra quàm dici aut credi possit, abominanda, & infanda intra Templum à nefandissimis seditiosis patrata fuisse flagitia, accuratissimè Iosephus narrat lib. 4. Belli, cap. 5. & 6. & lib. 6. cap. 1. 4. & 16. & ex eo Egesippus lib. 4. cap. 7. & alibi sæpius: quos lector fufius hæc describentes consulere poterit.

Verum hæc tam abominanda & stupenda Templi per tot flagitia profanatio, merito à Domino dici potuit abominatio desolationis. Primo, quia à Iudæis credita indubiè fuit causa desolationis urbis ac Templi, Secundo, quia tam horrendam templi contaminationem proximè subsequuta est extrema eius, desolatio. Tertio, quia signum certissimum extitit futuri mox excidij Ierusalem ac Templi Iudaici. Vnde Iosephus lib. 5. Belli, cap. 2. extremo de seditiosis qui sub obsidionem Titi templum occupauerant, hæc prodit: *Cum verò multa contempsissent de veritate ac vitis statuta maiorum, etiam quæ de patria olim prædicta fuerant, vera esse exitu probauere. Verus enim quidā sermo ferebatur, tum demum ciuitatem captum iri, Sancta quoque flammis exurenda esse lege belli, quum seditio fuisset exorta, Fanumque Dei propria manus ante violassent.* Et facile persuademur, olim prædicta,

& veterem illum sermonem de excidio Urbis & Templi, quem refert Iosephus, fuisse planè vaticinium Danielis de abominatione desolationis in Templo futura. Quocirca videtur Iosephus Abominationem desolationis in Templo stantem à Daniele prædictam, intellexisse abominandam illam Templi profanationem per seditiosos, de qua diximus, patrata. Atqui auctores huius expositionis de Abominatione desolationis à Christo prænunciata habentur ex recentioribus Tostatus, Hesselius, Iansenius, Baronius, Barradius, & alij. Franciscus Lucas hanc & precedentem explanationem in vnum coniunxit, Abominationem desolationis & exercitum Romanum obsidentem Ierusalem, & colluuiem seditiosorum, Templum immensis sceleribus profanantem simul intelligens.

Cæterum hanc secundam interpretationem non probant Pererius, & Maldonatus. Sed leui sanè ratione. Equidem Christus asseruit, Abominationem desolationis statutam in loco Sancto, hoc certè nomine Templum designans, non quod re ipsa Templum tunc quum illud seditiosi occupauerant, ea sanctitate insigne fuerit, qua ante necem Christi pollebat: sed quod ita tunc à Iudæis crederetur & appellaretur: & quum Christus ista differeret, adhuc sacrum & sanctum esset, quod Christus etiam sua præsentia illustraret. Quasi diceret, stantem in loco sancto, nimirum qui prius sanctus fuit. Sed hæc leuia sunt: Christus enim tantum adstruere voluit, Abominationem desolationis statutam in Templo illo, quod Iudæi adeo sacrosanctum reputabant, & quod vero Deo dedicatum erat. In loco igitur sancto dixit, idest, Deo consecrato, quantumuis alioqui iam loci sanctitas & religio per Christi mortem exoleuisset.

I I I.

Ioannes Maldonatus Abominationem desolationis simpliciter, abominandam, stupendam, horrendam, extremam urbis Ierusalem, ac Templi Ierosolymitani per Romanum exercitum, Tito duce, desolationem, & deuastationem exposuit. Annotatque, Dominum illis verbis. *Quum videritis abominationem desolationis, &c.* non equidem voluisse certum aliquod signum præfigere, quod antecessurum esset desolationem Urbis ac Templi: id enim illis aliis verbis quæ Lucas recitat, indicasse: *Quum videritis circumdari ab exercitu Ierusalem, scitote quia appropinquabit desolatio eius:* sed tantum monere voluisse, vt quum viderent abominandam illam Urbis, Templique desolationem, intelligerent Danielis prophetiam impletam esse: sublatumque esse sacrificium, actumque prorsus de populo Iudaico. Atqui quod Dominus immediate subiunxit: *Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes, &c.* obseruat idem Auctor, illud *Tunc*, non ita ad proximè præcedentia esse referendum, quasi *Tunc* scilicet quum viderent abominationem desolationis &c. esset fugiendum: sed ad alia omnia quæ à vers. 6. dicta sunt, reducendum esse, quasi dicat: Quum audieritis prælia, & opiniones præliorum, & cætera quæ dixi, futura vastationis signa videritis: tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes.

Secutus est hanc Maldonati interpretationem Ioannes Baptista Villalpandus: sed illud, *Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant in montes.* Aliter quàm ille intellexit: putauit enim ironicè à Christo dictum, ac si diceret, scilicet, eritne tunc fugæ tempus? nihil minus, quasi voluerit Dominus è sensu contrario indicare, tunc nullum locum aut præsidium fugæ futurum, erum non plasset hic sensus, quod Christus

de fuga non ironice, sed serio præcipere videatur, *Orate, ne fuga vestra fiat in hieme, vel sabbato.*

I V.

Si illa Domini verba, *Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes &c.* non sint cum illis nectenda; *Quum videritis abominationem desolationis &c.* neque Abominationem desolationis signum antecedens visis Ierusalem, Templique deuastationis à Domino præfixum intellexerimus, ut nuper in tertia explanatione Maldonatus putabat: non prorsus absurdè possemus exponere, Abominationem desolationis intelligi signa ipsa & vexilla militaria Romani exercitus, nempe Aquilas, & imagines Imperatorum, quæ in euerso iam & concremato Templo victor Romanus constituit: Item sacrificium illud solemne, quod ritu gentilico idem Romanus exercitus in medio Templo, diis patriis, capta iam & excisa ciuitate, immolauit: quæ omnia Iudæis, vti iam diximus, tantopere abominanda & execranda erant. De his namque Iosephus lib. 7. Belli, cap. 13. quum ea narrat, quæ post incensum & excisum Templum Romanus victor exercitus gessit ita prodit: *Romani quidem postquam seditiosi ad ciuitatem confugerent, Templo, itemque omnibus circumlocis ardentibus, signa in templo posuere, contra portam orientalem: ibique celebrato sacrificio, maximis cum clamoribus declarabant Titum Imperatorem.* Eandem Egesippus lib. 5. Excidij, cap. 45. Haud penitus ab hac interpretatione absunt Isidorus Clarius ad 9. Danielis extremum, Montanus in Notis ad Matthæi 24. Baronius Annali 1. Anno Christi 72. Numero 15. Cui satis etiam congruunt Hebraica verba Danielis 9. 27. *Et super ala abominationum, stupenda desolatio, vti cap. 8 dicebamus.*

V.

Eusebius Cæsariensis arbitratus est, abominationem desolationis prædictam à Christo, tunc in Templo fuisse, quando in morte Domini, scisso Templi velo, & abeuntibus Virtutibus tutelariis Templi, quæ illud custodiebant, redditum est Templum ipsum profanum & abominandum, & mox subsecuta extrema eius desolatio: sic enim lib. 8. demonstrationis Evangelicæ, cap. 2. scribit: *Quo tempore passus est Dominus, velum templi scissum est à summo usque deorsum, ut ex illo iam vi quadam sublata fuerit ab eis libatio & sacrificium, & abominatio desolationis in Templo sederet: ut pote quum eos virtus illa reliquerit solos, quæ ab initio ad illud usque tempus, & tutelam & providentiam eius loci gererat: nam ad illud usque tempus, quo ille pro salute nostra passus est, diuinam quandam vim fuisse quæ & Templum & Sanctum Sanctorum tueretur, existimare par est.* Et post pauca: *Quo tempore dum ille cruci affixus est, velum templi medium toto penitus altitudinis sue spatio scissum est, sublatumque est ex illo, vi quadam Deo gratum ex institutione legis sacrificium & libatio: qua sublata, abominatio desolationis, secundum eam quæ nunc in manibus est, Danielis prophetiam, in loco illo secuta est. Quod si per aliquod tempus permanere visa sunt ea, quæ ad functionem illam in tali loco pertinent: non tamen eadem amplius grata Deo fuerunt: quippe cum & sine iudicio, & præter leges celebrarentur.* Et cum ostendisset per Christi in cruce sacrificium, sublata fuisse veteris legis sacrificia, subdit: *Quam rem planè declarauit velum templi, quod per idem tempus scissum est. Sublata igitur ex illo deinceps, & non minus re vera quàm vi, soluto sacrificio ac libatione, quæ posthac existimabantur illis perfici sacrificia, sine gratia, rebus sacris aliena, in profano loco à profanis, & à re sacra alienis perficiebantur. Caterum his de rebus etiam Iosephi testimonium accipe: Ipso autem die Pentecostes noctu sacerdotes in templum ingressi,*

sicut eis mos erat, ad munera obeunda, primum quidem se motum quandam, strepitumque sensisse dixerunt: deinde verò subitam vocem crebrò repetentem, Migremus hinc. Hac autem ille scribit facta esse post Saluatoris nostri mortem. Haec tenus Eusebius: Qui etiam in chronico, virtutum præsidum è Templo migrationem in Passione Christi collocauit.

At quod ad virtutes diuiniore, Templi præsidēs, ex templo migrantes attinet contigisse id festo die Pentecostes, multis annis à morte Christi, nempe anno Domini, Lxv. ex Iosepho manifestè colligi putat Scaliger in Eusebianis pag. 171. colum. 2. Equidem Iosephus lib. 7. Belli, cap. 12. gestum id festo Pentecostes affirmat, sed quo anno, ex ipso Iosepho erui nequaquam potest: in quo manifestè hallucinatur Scaliger, Iosephus enim characterem, xlv. Nisam incidentem in vlt. Aprilis, prodigio luminis circum aram, Templumque nona noctis hora affulgentis assignat: non prodigio virtutum antecedentia, quæ tamen nihil necesse est eodem anno omnia accidisse, nec ipse id adstruit.

Quod verò Iosephus ait, Migrationem virtutum è Templo festo Pentecostes noctu contigisse, Baronius Annali 1. Anno Christi 34. Numero 128. in hunc modum redarguit: *Tum [nimirum scisso Templi velo] & Angelos præsidēs Templi auditos esse, dicentes: Transeamus ex his sedibus. Id & Eusebius quoque tempore Christi passionis accidisse testatur: licet Iosephus ad Pentecostes referat tempus. Sed quàm facile homo ille, siue inconsiderantia, siue dolo malo in his quæ sunt temporis, errore lapsus inueniatur, superius sæpè demonstrauimus.* Sed excipit Scaliger: *Conditor Annalium Ecclesiasticorum ausus est postulare Iosephum delirij, ut Sophoclem filij sui apud Areopagitæ, quod hæc ad tempora belli Iudaici coniecerit: quum Eusebius, inquit, ad tempus Passionis Dominica retulerit, quasi Iosephus ab Eusebio res Iudaicas didicerit.* Hoc scilicet est quod idem Scaliger in Elencho Trihæresij, cap. 25. extremo obgannit: *Certe Bellarminus satis ostendit nullum gustum se habere scriptorum Iosephi, ut neque conditor annalium, qui in rebus Herodis, & belli Iudaici maluit credere homini inaccurato Eusebio, quàm Iosepho scriptori vernaculo, ex fide oculata, aut ex Actis Herodis omnia scribenti.* Sed homo iste præceps vbique superbia agitur. Vbi in Iosepho tanta fides ab eo prædicata, cum necem infantium ab Herode pattatam, Probaticam piscinam, & id genus multa silentio premit? Nondum mi Scaliger apud eruditos & cordatos causam tuam confecisti. Conatus est hinc Casaubonus Exercitatione 93. in Baronium, Symmista suo Scaligero suppetias ferre. Sed misere & infelicitè. S. Hieronymus Eusebio consentaneè, Migrationem virtutum in Passione Domini factam non semel scripsit. Paula & Euthochium ad Marcellam Epistola 17. *Postquam velum Templi scissum est, & circumdata ab exercitu Ierusalem, & Dominico cruore violata, tunc ab ea Angelorum præsidia & Christi gratiam recessisse. Denique etiam Iosephum, qui vernaculus scriptor est Iudæorum, asserere, illo tempore, quo crucifixus est Dominus, ex Adytis Templi virtutum caelestium erupisse voces, dicentium: Transemus ex his sedibus.* Epistola 150. ad Hebdibiam, Quæstione 8. *Velum quoque Templi scissum est in duas partes: ut compleretur illud, quod refert Iosephus, præsidēs Templi dixisse virtutes: Transeamus ex his sedibus.* Et in Matthæi 27. ad vers. 51. *Velum Templi scissum est. In Euangelio Nazæeorum cuius sæpè fecimus mentionem, superliminare templi infinite magnitudinis fractum esse atque diuisum legimus*

mus. Iosephus quoque refert virtutes Angelicas praesides quondam templi, tunc pariter conclamasse: Transeamus ex his sedibus.]

At idem S. Hieronymus in Isaia 66. ad vers. 6. ad tempus excidii Ierosolymitani Migrationem virtutum retulit, sic enim ait: Haud dubium quin Ierusalem significet Romano exercitu circumdatam, & in tres partes intus seditione diuisam. Quando praesides Templi consona Angeli voce dixerunt: Transeamus ex his sedibus, de quibus Iosephus Iudaica scriptor historia.] Maneat igitur tempus Migrationis virtutum in incerto: nisi quis non inepte fortassis cogitauerit, Iosephum odio religionis, prodigia quae in Dominica Passione contigerunt, ad alia tempora dolo malo reiecit.

Atqui de eisdem virtutibus tutelariis à Templo recedentibus Tacitus Historia 5. dum prodigia supremam cladem urbis famosae antecedentia recenset, eadem, quae Iosephus, prodidit dicens: *Expasse repente delubri fores, & audita maior humana vox, Excedere deos, simul ingens motus excedentium.*] Sed quod Eusebius & S. Hieronymus annotant, scilicet Templi velo in morte Domini, excessisse Templi virtutes praesides, Templumque auersatas reliquisse profanum, id ipsum confirmasse visus est S. Ephraem Syrus Sermone de Passione Domini, hisce verbis: *Spiritus ipse Sanctus conspiciens dilectum Filium Patris in ligno crucis pendentem, rupto mundissimo illo Templi velo, quod à sursum erat usque deorsum, in specie columba contrinno de Templo exiit.*] Verum eam ab Eusebio illatam de Abominatione desolationis interpretationem, nobis probare aut improbare in animo non est. Lector pro suo iudicio expendat.

CAPVT XI.

Sententia Patrum & Recentiorum, Antichristum fore Abominationem desolationis praedictam à Christo Domino, Matthaei 24. v. 15.

Perique veterum Patrum & posteriorum, per Abominationem desolationis stantem in loco sancto, de qua Christus à Daniele vaticinatus est, mystico saltem & arcaniori sensu, Antichristum ipsum à Domino significatum etiam existimauerunt. Nec tamen villo pacto putandum est, Patres ita desipuisse, ut quae Dominus de Abominatione desolationis ex Daniele praedixit, nullo pacto ad Ierosolymitanum excidium pertinere: sed de Antichristo dumtaxat praenuntiata crediderunt: cum luce meridiana manifestius sit, Christum suo & Danielis vaticinio, extremam urbis & Templi Ierosolymitani deuastationem praedixisse. Sed cum Patres intelligerent, Dominum primario & historico sensu de Ierosolymitano per Titum excidio fuisse locutum: secretiori tamen & reconditori sensu etiam de Antichristo sub nomine abominationis desolationis verba fecisse. Nam cum suprema Ierusalem & templi deuastatio, mundi quoque totius interitum, & rerum finem adumbrauerit, nihil mirum si abominatio desolationis urbis Ierusalem & Templi, abominationem desolationis totius orbis, id est, Antichristum ipsum allegoricè praesignificauerit. Antichristum autem abominationem desolationis appositissime potuisse nuncupari, nullus ambigit: his enim propter innumera & abominanda flagitia, ac praesertim quia se Deum verum appellabit ac supremum omnium

idolum constituet, rectissime abominatio dictus intelligitur: desolationis verò, propter strages, caedes, & stupendas desolationes, quas & Ecclesiae Christi, & toti orbi est illaturus, proprie appellatus agnoscitur: & ob eam etiam causam, quod & ipsum Peccati hominem proximè subsequetur totius mundi desolatio & interitus. Stans autem in loco sancto dicitur, quia asserente Paulo, in templo Dei sedebit, ostendens se tanquam sit Deus, uti copiose in superioribus explicauimus. Sed Patres iam audiamus.

S. Irenaeus lib. 5. aduersus Hæreses cap. 25. In templo quod est in Ierosolymis Aduersarius [Antichristus] sedebit tentans semetipsum Christum ostendere, sicut Dominus ait: *Quum autem videritis abominationem desolationis, quae dicta est per Danielem prophetam, stantem in loco sancto, qui legit, intelligat.*] Et inferius: *Deinde & tempus tyrannidis eius significat Daniel: in quo tempore fugabuntur sancti, qui purum sacrificium offerunt Deo. Et in dimidio hebdomadis, ait, tolletur sacrificium, & libatio, & in templo abominatio desolationis, & usque ad consummationem temporis consummatio dabitur super desolationem. Dimidium autem hebdomadae, tres sunt anni & menses sex: ex quibus omnibus nontantum quae sunt apostasia, manifestantur: & quae sunt eius, qui in se recapitulatur omnem diabolicum errorem: sed & quoniam vnus & idem Pater Deus, qui à Prophetis annuntiatus est, à Christo autem manifestatus. Sic enim quae à Daniele propheta sunt dicta de fine, Dominus comprobauit: Quum videritis, dicens, abominationem desolationis, quae dicta est per Danielem prophetam. Danieli autem Angelus Gabriel exolutionem visionum fecit.*] Aliquot S. Irenaei exemplaria pro libatio, habent leuatio, Feuardentius è Lxx. restituit libatio: Hebraice est, *Mincha*, quod est munus quod sensim & cum pompa defertur. Vnde sustineri potest leuatio; forsan S. Irenaeus respexit ad *Therumah*.

S. Hippolytus Martyr, apud S. Hieronymum in 9. Danielis; Nouissimam quoque Danielis Hebdomadam ponit in consummatione mundi: quam diuidit in Eliae tempora, & Antichristi: ut tribus, & semis annis vltimae hebdomadae Dei notitia confirmetur: de qua dictum est: *Confirmabit pactum multis hebdomada vnæ & tribus aliis annis sub Antichristo deficiet hostia & sacrificium. Adueniente autem Christo, & iniquum spiritu oris sui interficiente, usque ad consummationem & finem persueuet desolatio.*] Hæc S. Hieronymus de sententia S. Hippolyti. Verba autem S. Hippolyti Oratione de Consummatione Mundi, & Antichristo hæc sunt: *Atque ut animos attendamus in aduentum Aduersarii, ut ibidem Daniel praemonstrauit: inquit enim: Testamentum confirmabit multis hebdomada vnæ: & in medio hebdomada auferetur sacrificium & hostia. Vna hebdomada septennij demonstrationem indicat, posterioribus futuram temporibus. Ac dimidium hebdomada sument duo Propheta cum Ioanne ad denuntiandum per vniuersum mundum aduentum Antichristi, hoc est, mille ducentos sexaginta dies, amicti saccis.*] Et post multa: *Nam cum Daniel dixerit: Testamentum confirmabit multis hebdomada vnæ: septem annos declarauit. Dimidium hebdomadae predicabunt Prophetae: dimidium hebdomadae, hoc est, tres annos cum dimidio regnabit Antichristus super terram: post auferetur regnum illius & gloria.*] Ex his perspicue liquet S. Hippolytum abominationem desolationis in Templo stantem, à Daniele praedictam ad tempora Antichristi retulisse, atque eo nomine abominationis Antichristum intellexisse.

Origenes lib. 6. contra Celsum: ceterum quod et Paulo citauimus dicente, *sessurum cum* [Antichristum]

in templo Dei, & ostentaturum se pro Deo, id in Danielis lib. sic legitur: Et in templo abominatio desolationis usque ad consummationem temporis, consummatio dabitur ad desolationem.] Et Tractatu 29. in Matthæum: In hoc ergo loco Sancto Antichristus stabit, ostendens se quasi sit Deus: & ipse est abominatio desolationis.]

Apollinaris Laodicensis Danielis hebdomadas exponens, apud S. Hieronymum in 9. Danielis, hæc scribit: Quum autem quadringenti triginta quatuor anni post hoc fuerint evoluti, id est, sexaginta duæ hebdomadae: tunc ab Elia qui venturus est iuxta sermonem Domini Salvatoris, ut restituat cor patrum ad filios: in ultima hebdomada edificandam Ierusalem & templum per annos tres & semis: venturumque Antichristum, & iuxta Apostolum sessurum in templo Dei, & interficiendum spiritu Domini Salvatoris, postquam contra Sanctos dimicauerit: atque ita fieri, ut media hebdomada confirmet testamentum Dei cum Sanctis, & rursum media cessationem victimarum esse pronunciet sub Antichristo: qui ponet abominationem desolationis, id est, idolum & statuam proprii Dei in templo, & erit extrema vastitas & condemnatio populi Iudeorum, qui sprete veritate Christi, receperunt Antichristi mendacium.] Hæc Apollinaris: quibus ista subiicit S. Hieronymus: Afferit autem idem Apollinaris hanc se temporum capere coniecturam, quia Africanus scriptor temporum, cuius supra expositionem posui, ultimam hebdomadam in fine mundi esse testetur: nec posse fieri, ut hæc dividantur ætates: sed omnia sibi iuxta prophetiam Danielis, esse tempora copulanda.] Et sane qui septuagesimam Danielis hebdomadam in fine mundi complendam existimaverunt, nihil mirum, si abominationem desolationis à Daniele prædictam, & à Christo prænunciatam, Antichristum sunt interpretati: ipse enim tunc reuera erit Abominatio desolationis in templo stans, quum in Templo Dei sedebit, ostendens se quasi Deus. Quæ sententia fuit S. Irenæi, S. Hippolyti, Iulij Africani, & Apollinaris Laodicensis. Sed an ea vera sit vel falsa, non est huius loci pressius disquirere. Vide caput sequens.

S. Hilarius Canone 25. in Matthæum, elucidans verba Domini de abominatione desolationis, inquit: Sequitur deinde & iudicium aduentus futuri: Quum abominationem desolationis stantem in loco sancto viderint: tunc claritatis reditum intelligendum. Et de hoc quidem beatissimo Daniele, & Paulo prædicantibus, superfluum nos puto habere sermonem: de Antichristi enim temporibus locutus est. Abominatio ex eo dictus, quod adversus Deum veniens, honorem sibi Dei vendicat: desolationis autem abominatio, quia bellis & cadibus terram cum piaculo desolaturus sit: atque ob id à Iudeis susceptus, loco sanctificationis insisteret: ut ubi Sanctorum precibus Deus invocabatur, illic ab infidelibus receptus, Dei honore venerabilis sit.]

S. Cyrillus Ierosolymitanus Catechesi 15. Propterea sciens hanc adversarij [Antichristi] magnitudinem, consuluit Dominus pius, dicens: Tunc qui sunt in Iudæa, fugiant in montes.] Quibus verbis cum de temporibus Antichristi Dominum locutum S. Cyrillus intelligat, proculdubio, Abominationem desolationis, ob quam fugiendum in montes Dominus admonet, Antichristum accepit.

S. Gregorius Nazianzenus Oratione 47. Quod autem ad hunc locum attinet, abominatio desolationis stans in loco sancto, aiunt fore, ut Ierosolymitanum templum rursum exstruatur, atque Antichristus à Iudeis Christus credatur: in eoque sedeat, totiusque orbis terrarum rex esse videatur. Porro ad mundi desolationem & vastitatem veniet. Abominatio siquidem desolatio-

nis est.]

S. Ambrosius in 21. Lucæ Verè Ierusalem ab exercitu obsessa est, & expugnata à Principe Romano: unde & Iudei putaverunt tunc factam abominationem desolationis, eo quod caput porci in templum iecerint illudentes Romani Iudaica ritum observantia. Quod ego nec furens dixerim. Abominatio enim desolationis execrabilis aduentus Antichristi est: eo quod sacrilegiis infauis mentium interiora contaminabit: sedens iuxta historiam in templo, ut sibi diuina vendicat solium potestatis: iuxta interpretationem autem spiritalem, pulchrè inducitur stare, eo quod in affectibus singulorum vestigium perfidiae suae confirmare desideret, ex Scripturis contendens esse se Christum. Tunc appropinquabit desolatio, quoniam à vera religione plerique lapsi errore desciscunt. Tunc erit Domini dies: quod etiam Apostolus euidenter exposuit, dicens, Non timendum esse nobis quasi instet dies Domini: ne quis nos seducat ullo modo: quia nisi venerit discessio primum, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui aduersatur & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur: ita ut in templo Dei sedeat ostendens se tantquam sit Deus.]

Rufinus in Expositione Apostolici Symboli: De quo Antichristo Dominus in Evangelij dicit: Quum videritis abominationem desolationis stantem in loco sancto, sicut dicit Daniel propheta, qui legit, intelligat. Daniel ergo de aduentu erroris istius plenius & latius in suis visionibus edocet.]

S. Hieronymus Epistola 151. ad Algasiam, Quæstione 4. Quando abominatio desolationis steterit in loco sancto. Quod quidem iuxta litteram de aduentu Antichristi prædicari, nulli dubium est, quando persecutionis magnitudo compellit fugere. Licet quidam Titi & Vespasiani aduersus Iudeos & præcipue Ierusalem obsidionem, pugnamque significari velint.] Et Quæstione 11. Ipso Domino protestante qua ante consummationem mundi ventura sint, & quomodo venturus Antichristus, quando loquitur ad Apostolos: Quum videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele propheta, stantem in loco sancto, qui legit, intelligat.] Et in 11. Zachariæ: Qui [Antichristus] alio nomine & in Daniele propheta, & in Evangelio, & in Epistola Pauli ad Thessalonicenses, abominatio desolationis, sessurus in templo Domini prophetatur, & se facturus ut Deum.] Et in Matthæi 24. v. 15. Quum ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele propheta, stantem in loco sancto, qui legit, intelligat. Quando ad intelligentiam provocamur, mysticum monstratur esse quod dictum est. Legimus autem in Daniele hoc modo. Et in dimidio hebdomadis auferetur sacrificium & libamina: & in templo abominatio desolationis erit usque ad consummationem temporis: & consummatio dabitur super solitudinem. De hoc & Apostolus loquitur, Quod homo iniquitatis, & aduersarius, eleuandus sit contra omne quod dicitur Deus, & colitur: ita ut audeat stare in templo Dei, & ostendere quod ipse sit Deus: cuius aduentus secundum operationem satanae, destruat eos, & ad Dei solitudinem redigat, qui se susceperint. Potest autem simpliciter aut de Antichristo accipi, aut de imagine Caesaris, quam Pilatus posuit in templo, aut de Hadriani equestri statua, quæ in ipso Sancto Sanctorum loco usque in presentem diem stetit. Abominatio quoque secundum veterem Scripturam idolum nuncupatur, & id circo additur, desolationis, quod in desolato templo atque destructo idolum positum sit.]

S. Prosper in dimidio temporis cap. 10. In visione Danielis Angelus de Antichristo: Cor eius, ait aduersus tutamentum sanctum. Item ibi: Brachia ex eo exsurgent,

exsurgent, & polluent Sanctuarium fortitudinis, & auferent iuge sacrificium, & dabunt abominationem in desolatione. Firmat hac in Euangelio, Quum videritis, ait, alias, vastationem abominationem desolationis, quæ dicta est in Daniele propheta, qui legit, intelligat.]

S. Gregorius Turonicus lib. 1. Historiæ Francorum, sub initium: Antichristus verò primum circumcissionem inducet, se asserens Christum: deinde in templo Ierosolymis statuam suam collocabit adorandam, sicut Dominum dixisse legimus: videbitis abominationem desolationis stantem in loco sancto.]

S. Beda in 24. Matthæi: Quum ergo videritis abominationem desolationis &c. Hæc de aduentu Antichristi intelligi possunt, sicut manifestissime Apostolus Paulus predicat. Eadem habet in Marci 13.

Anselmus Laudunensis in Matthæi 24. Quum ergo videritis abominationem desolationis. Id est, Hominem peccati, qui aduersatur & extollitur supra omne quod dicitur Deus: qui destruet & ad solitudinem rediget suscepturos se.]

Auctor Operis Imperfecti in Matthæum, Homil. 49. Quum ergo videritis abominationem desolationis stantem in loco sancto. Similiter & in fine mundi, & in Antichristo intelligendum est spiritualiter, quando & hæreses, & fumes, & pestilentia, & illa omnia ante præcesserunt: nouissime autem abominatio desolationis stetit in loco sancto, id est, exercitus Antichristi, qui multorum animas reddidit desolatas à Deo. Et hoc est forte quod Apostolus dicit: Qui aduersatur & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur: ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se quasi sit Deus. Et post alia: Si quis autem abominationem desolationis intelligat esse ipsum Antichristum, qui postmodum venire speratur, & obrinere loca Ecclesiarum sancta, sub specie Christi, & multos fidelium desolare, non irrationabiliter dicit. Nam siue ista hæresis, quæ iam tenet, siue populus ille, qui postmodum cum Antichristo est futurus, recte exercitus intelligitur esse Antichristi. Et sic propheta verba significant magis de consummatione mundi: prophetia tamen, sicut docet Christus, ad utrumque est dicta. Sunt autem verba illa sic: In dimidio septimi anni auferetur iuge sacrificium, & abominatio desolationis stabit in loco sancto usque ad consummationem temporis: & consummatio dabitur super solitudinem. Illic exercitus Romanus dictus est abominatio desolationis, quia ad desolationem redacturus erat Iudaicum cultum: hic autem Antichristus dicitur abominatio desolationis, quia multorum Christianorum animas facturus est desolatas à Deo.]

Sed & recentiores orthodoxi scriptores non pauci, abominationem desolationis à Domino prænuntiata, mystico & spiritali saltem sensu Antichristum quoque præsignificare ingenuè professi sunt, Bredembachius, Iansenius, Zegerus, Maldonatus, Barradius in 24. Matthæi, Viguierus Institutionum Theologicarum cap. 21. §. 3. versu 3. Sanderus lib. 8. de visibili Ecclesiæ Monarchia, cap. 26. Suarez Tom. 2. in 3. Partem, Disputatione 54. Sectione 5. Acoſta lib. 2. de Nouissimis Temporibus, cap. 12. Benedictus Iustinianus in 2. Theſſalonic. 2. ad vers. 4. & alij. Et sane Romana Ecclesia eam intelligentiam haudquaquam repudiare videtur, quando Dominica 24. post Pentecostem, Euangelio quod legitur de abominatione desolationis, apposuit Homiliam ex Commentariis S. Hilarij desumptam, quæ abominationem desolationis Antichristum exponit. Vide Didacum Arziū Oratione 3. in Euangelium Dominicæ 24. post Pentecostem.

Quis igitur tanta Patrum & recentiorum auctori-

tate firmatam explanationem iure reiecerit? Quo circa miramur laualem illum & personatum Chrysostomum, qui oblitus eorum, quæ in eadem scripturæ pagella, quæque nos nuper ex eo recitabamus, hæc tamen non erubuerit addere: Legi quendam sic exponentem: Hoc quod dicit: Quum videritis abominationem desolationis stantem in loco sancto, & omnia quæ dicuntur deinceps, signa sunt consummationis future, & venturi filij Dei, qui in abominationem desolationis ipsum tradidit Antichristum. Quod autem staturus sit in loco sancto, dicit hoc modo: Re edificaturus est, inquit, sanctuarium, quod fuit in Ierosolymis quondam, & ibi staturus: ut videntes Iudæi credant in eum, non solum propter signa eius, sed etiam propter reparationem templi ipsius, æstimantes Prophetas in tempore illo esse impletos, qui de reparatione Ierusalem prophetauerunt: non intelligentes, quomodo Propheta de reparatione templi spiritalis locutus est, quam Christus impleuit: non de corporali, quam Antichristus est impleturus. Et paucis interiectis: Sed hoc de hac interpretatione dubitabile mihi videtur: si locus templi illius, ex quo dirutum est iam à Deo, postmodum sanctus vocatur, secundum quod hic dicit: Quum videritis abominationem desolationis stantem in loco sancto. Sed hunc auctorem quisquis fuerit, fuisse improbum errorum confarcinatorem, qui suas scriptiones multis, variisque ac planè interdum pugnantibus hæresibus sparserit, notius est, quàm ut pluribus opus sit ostendere. Sed deceptoris pudenda omnia sagaciter detecta sunt ab eruditis, Xysto Senensi lib. 4. Bibliothecæ sanctæ, Baronio Annali V. anno Christi 407. Numero 11. Bellarmino de Scriptoribus Ecclesiasticis, Possenino in Sacro apparatu. Quod verò idem Chrysostomianus obiicit, Templum illud, in quo sedebit Antichristus, non posse dici locum sanctum: facile refellitur: nam dicitur Templum Dei locus sanctus, nimirum à primæua sua conditione, quia in eodem loco extruetur, ubi antea Salomonicum illud, vel Zorobabelicum, aut Herodianum Deo dicatum fuit: & quia sic vocabitur tunc à Iudæis, Deo vero etiam ritu falso consecratum.

CAPVT XII.

Quodnam Danielis vaticinium de Abominatione desolationis Christus citauerit.

Produximus Capite 8. & 9. quatuor Danielis Oracula de abominatione desolationis: at cum Dominus dixerit Matthæi 24. 15. Quum videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele propheta, stantem in loco sancto, dubitatio exoritur, ad quod ex illis quatuor Danielis vaticiniis, in quibus de abominatione desolationis agit, Christus respuerit, quum ait, abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele propheta.

Vatablus Scholio 21. in 12. Danielis, Bredembachius in Matthæi 24. Alfonso Castrus lib. 10. de Hæresibus, verbo *Missæ*, Sa, & Maldonatus in 12. Danielis ad vers. 11. arbitrati sunt Christum citasse locum illum quartum Daniel. 12. 11. Et a tempore quo ablatus fuerit iuge sacrificium, & posita fuerit abominatio in desolationem, dies mille ducenti nonaginta. Quod oraculum ex professo elucidauimus lib. 9. cap. 11. demonstrabimusque de temporibus Antichristi esse intelligendum.

Forsterus & Mercerus in Radice SAKATZ, & alij ex Nouatoribus existimarunt, Christum respicere ad secundum illud oraculum Danielis 11. 31. Et

Et brachia ex eo stabunt, & polluent Sanctuarium fortitudinis, & auferent iuge sacrificium: & dabunt abominationem in desolationem. Quod de temporibus Antiochi Epiphanis & rebus ab eo gestis esse accipiendum, superius cap. 9. abundè docuimus.

Cæterum clarissimus in hac re Patrum & posteriorum consensus, meritò extra omnem controuersiam ponendus est, Christum Dominum suis verbis non aliud citasse, respexisse, aut intellexisse Danielis vaticinium, nisi illud primum, quod cap. 8. fusè enarrauimus, nempe Daniel. 9. 27. *Et erit in templo abominatio desolationis &c.* Id enim disertissime docent S. Irenæus lib. 5. aduersus Hæreses, cap. 25. Origenes Tractatu 29. in Matthæum, Eusebius Cæsariensis lib. 8. demonstrationis Euangelicæ cap. 2. S. Hieronymus in 24. Matthæi, S. Chrysostomus Oratione 2. contra Iudæos, S. Augustinus Epistola 80. ad Elychium, & omnes alij posteriores. Et quidem si cuncta exactè circumspiciantur, res videtur admodum perspicua. Nam cum Daniel nullo alio loco sub nomine Abominationis desolationis agat de supremo excidio Urbis & Templi Ierosolymitani per Titum, nisi illo cap. 9. v. 27. vt ex plurimis optimisque interpretibus constat: & Dominus omnium a Teueratione, eandem cladem eodem abominationis desolationis nomine describens, de ea Daniele laudet, & testem adducat: nullum dubium esse potest, quin illum ipsum locum Danielis. 9. 27. propriè citauerit, & intellexerit. Verum Daniele & Christum de vna eademque re vaticinantes, per Abominationem desolationis primario & historico sensu extremam Urbis & Templi Ierosolymitani per Titum deuastationem significasse: mystico verò & allegorico sensu Antichristum adumbrasse, satis, superque in superioribus demonstraui.

Nec mirum planè, nam quæ Daniel de Septuagesima hebdomada in Christo reuera complenda prædixerat, similia & affinia quodammodo esse iis quæ propè finem mundi sub Antichristo sunt euentura, Pates fati intellexisse videntur, cum hebdomadam illam ad Antichristi tempora extendunt, nimirum S. Irenæus, S. Hippolytus, Iulius Africanus, Apollinaris Laodicensis, vti præcedenti Capite notabamus: quam quòque sententiam secutus est Ioannes Maldonatus in 12. Danielis, ad vers. 11. Vnde nihil mirum videri debet, si quæ Daniel ipse prædixerat de abominatione desolationis in templo ponenda in Septuagesima extrema hebdomada, de Antichristo fuerint interpretati.

De qua hebdomada iis quæ dicimus, consentientia Auctor operis imperfecti Homilia 49. in Matthæum, in hunc modum scribit: *Prophetia tamen [Danielis de abominatione desolationis] sicut docet Christus ad vtrumque est dicta. Sunt autem verba illa sic: In dimidio septimi anni auferetur iuge sacrificium, & abominatio desolationis stabit in loco sancto, usque ad consummationem temporis: & consummatio dabitur super solitudinem. Illic exercitus Romanus dictus est abominatio desolationis, quia ad desolationem redacturus fuerat Iudaicum cultum: hic autem Antichristus dicitur abominatio desolationis, quia multorum Christianorum animas facturus est desolatas à Deo. Nam antequam caperem Romani Ierusalem, in dimidio hebdomadis Christus per suam doctrinam tulit de medio iuge sacrificium Iudaicum. Nam dicitur tribus annis & sex mensibus docuisse, qui numerus facit dimidium septem annorum: vt illud sacrificium quod iugiter fuerat in usu, tolleretur de medio, & offerretur sacrificium laudis in voce, & sacrificium iustitia in operibus, & sacrificium pacis per Eucharistiam. Usque ad finem autem seculi*

tumultus est, quia Iudaica consuetudo de sacrificiis offerendis numquam est reparanda. Item in dimidio hebdomadis, hoc est, tribus annis & sex mensibus, hoc sacrificium Christianorum tollendum est ab Antichristo, confugientibus Christianis ante eum per loca deserta, non erit qui aut in Ecclesiam intret, aut oblationem offerat Deo. Quoniam autem tribus annis & sex mensibus protendendum est Antichristi regnum multa scriptura significant, maxime tamen in Reuelatione sua Ioannes. Et solitudinem illam consummatio occupabit. Nam usque in finem tenebit Antichristus: quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui.] Hactenus Auctor oraculum Danielis & de tempore Ierosolymitanæ deuastationis, & de vltima mundi desolatione & Antichristo interpretatus.

Caictanus in Matthæi 24. verba Christi de Abominatione desolationis interpretans, hæc scribit: *Danielis 9. scribitur: Et erit in templo abominatio desolationis: & usque ad consummationem & finem perseuerabit desolatio. Nota prudens lector, quod Iesus afferens hanc Danielis prophetiam, adiunxit, qui legit, intelligat: procudubio ad reddendum nos cautos, ne fallamur in sensu prophetia huius, & consequenter in verbis ipsius Iesu. Videbat siquidem multos abominationis nomine intelligere, aut intellecturos simulachrum Aliquod futurum in templo: sicut fuerat tempore Antiochi, vt dicitur 1. Machabæorum 1. quod Auctor illius libri interpretatus est idolum desolationis, applicando prophetiam Danielis ad illud: & præueniens monet, qui legit, intelligat. Nullus melior interpret Luca Euangelista est: qui exercitum Romanorum docuit intelligendum nomine abominationis desolationis. Et vere ipsa Danielis verba hoc significant: nam non dicit, erit abominatio in templo: sed specificauit abominationem adiungendo desolationis. Ac si apertè diceret, Non dico erit abominatio, hoc est, abominandum simulachrum: sed erit abominatio desolationis, significando, quod non terra motu, non diluuiò, non celesti igne desolatio templi erit: sed ex abominabilibus idololatriis, vt rei probauit euentus.] Hæc Caictanus. Cuius verba tametsi in integrum sensum torqueri possent, quasi tantum voluerit asserere, Auctorem Machabaicum non quidem intellexisse aut exposuisse verba Danielis de idolo Antiochi: sed accommodasse duntaxat: at optauissemus à tanto viro non esse prolata: quæ Auctorem Machabaicum in crimen perperam intellecti aut interpretati Danilici oraculi arcessere videntur. Nec mirum, cum idem Caictanus ad finem Commentariorum in libros historicos veteris Testamenti vtrumque librum Machabæorum inter apocrypha reiecerit, atque existimauerit haud esse diuinæ auctoritatis ad firmanda fidei dogmata.*

Cæterum hanc Caictani sententiã acriter confutarunt Abrosius Catharinus lib. aduersus Caictanum, Melchior Canus lib. 2. de Locis Theologicis, cap. 11. Nicolaus Serarius in 1. Machabæorum 1. ad vers. 57. Nouantes inde quoque ansam arripuerunt ad euertendam diuinam librorum Machabaicorum auctoritatem: nam eodem vtuntur etiam argumento ad Auctoris fidem conuellendam, quod Danielis vaticinium de abominatione desolationis cap. 9. vers. 27. positum, impletum existimauerit, quando Antiochus Epiphanes abominandum idolum desolationis in Templo Ierosolymitano constituit, 1. Machabæor 1. 57. cum è contra Christus in suprema Ierusalem & Templi deuastatione per Titum, & Romanum exercitum, complendum esse prædixerit: quasi Auctor libri Machabæorum è diametro sententiæ Domini, oraculum Danielis fuerit interpretatus. Emanuel Sa in 1. Machabæor. 1. 57. ait:

Videretur quidem huc respexisse Daniel capite 9. nisi Christus aliter explicasset Matthæi 24. Videtur quidem hæc obliqua sagillatio auctori Machabaici, quasi detorserit ad suum institutum vaticinium Danielis. Nisi forsan sit id assumptum officinæ Geneuensis, ubi liber putatur excusus.

Attramen sacra & diuina Librorum Machabaicorum fides, non nouis nunc indiget argumentis, quæ omni probationum genere testata, & conspicua in Ecclesia Christi fulget: sed eam valide cum primis stabilire, Ioannes Driedo de Ecclesiasticis Scripturis, lib. 1. cap. 3. parte 2. Petrus Antonius Beuterus Annotatione 2. & 3. in Sacram Scripturam, Melchior Canus, lib. 2. de locis Theologicis, cap. 9. & 11. Michaël Medina de Recta in Deum Fide lib. 6. cap. 9. 12. 13. Alphonsus Castrus, lib. 13. aduersus Hæreses, verbo, Scriptura sacra, Franciscus Horantius, lib. 3. Locorum Catholicorum, cap. 22. Xystus Senensis, lib. 8. Bibliothecæ Sanctæ, Hæresi 8. Gilbertus Genebrardus, lib. 2. Chronographiæ, pag. 203. Robertus Bellarminus, lib. 1. de Verbo Dei, cap. 10. & 15. Georgius Ederus lib. 2. Oeconomix Bibliorum, Iulius Rogerius Opusculo de Libris Canonicis, cap. 11. Iodocus Cœcius Tomo 1. Thesauri Catholici, lib. 6. Articulo, Nicolaus Serarius in libros Machabæorum, Prologo 3. Iosephus Stephanus in libros Machabæorum Prolegomeno 4.

Sed vt cernant Nouantes, quam temere, ac sine iudicio sacrosancto Auctori Machabaico calumniam struxerint, verba ipsius reddamus in medium, sic enim ait: *Die quintadecima mensis Casleu, quinto & quadragesimo & centesimo anno. edificauit rex Antiochus abominandum idolum* [Græca, abominationem desolationis] *super altare Dei.* Primum quid nos adigit, vt cogamur asserere diuinum Auctorem hisce verbis interpretari voluisse prophetiam illam Daniel 9. 27. cuius quidem nullam facit mentionem? nonne verum est quod scribit, Antiochum ædificasse, seu constituisse in altari abominationem desolationis, id est, abominandum idolum? Quid enim verabat eum in simili re verbis Danielis vii, quamuis de eadem re nollet cum Daniele loqui? Num propterea culpandus S. Bernardus, aut Ecclesia ipsa, quum interdum per accommodationem verbis sacrae Scripturæ vtuntur ad alias res edicendas, quàm sint illæ, de quibus in sacris litteris eadem ipsa verba dicuntur? Vide de his Canum lib. 2. de Locis, cap. 11. Iansenium cap. 11. Commentariorum in Concordiam Euangelicam, Bellarminum, lib. 1. de Verbo Dei, cap. 15.

Deinde cur eadem prophetia non potuit simul & ad idolum Antiochi, & ad exercitum Romanum, seu ad Templi per Titum desolationem pertinere? Cur Templi stupenda & horribilis contaminatio per Antiochum facta, typus & umbra esse nequiuit horrendæ deuastationis Templi per Romanos? Quis vnquam ignorauit sacros vates interdum vno & eodem sermone, & typum, & rem expressam significasse? Aut quem later, vnum & idem vaticinium plerumque res distinctas, sed similes includere? Sic Daniel frequenter vno eodemque verborum contextu de Antiocho, & de Antichristo loquitur. Sic Isaias eisdem verbis & Nabuchodonosor; & Lucifericatum. deplangit: sic alibi liberationem populi per Cyrum & per Christum, vno eodemque sermone decantat. Et huius generis passim occurrunt in Scripturis exempla. Vide Canum lib. 2. cap. 11.

Verum quantumuis ista abundè sufficerent ad Nouantium temeritatem conuincendam: at illud est exploratissimum, Auctorem Machabaicum haud respexisset, aut cirasse, seu exposuisse oraculum illud

Tom. II. De Antichristo,

Danielis 9. 27. de abominatione desolationis: sed alterum longè diuersum, de abominatione etiam desolationis, quod habetur Danielis 11. 31. his verbis: *Et brachia ex eo stabunt, & polluent Sanctuarium fortitudinis: & auferent iuge sacrificium: & dabunt abominationem in desolationem.* Est & aliud vaticinium huic per omnia simile Danielis 8. v. 13. *Vsq; quo visio & iuge sacrificium, & peccatum desolationis, quæ facta est: & Sanctuarium, & fortitudo conculcabitur?* Vtrumque enim locum de persecutione & horrenda deuastatione quam Antiochus Epiphanes vrbi Ierusalem, ac templo intulit, vti lib. 1. Machabæorum latè describitur, esse intelligendum, ex Iosepho, ex Porphyrio, ex Sancto Hieronymo, ex omnibus Patribus & Interpretibus, superius cap. 9. perspicuè demonstrauimus. Sicque Machabaicus Scriptor quæ Daniel binis istis oraculis de Antiochi abominatione desolationis prædixerat, in eodem ipso Antiocho re ipsa fuisse completa, verè, diuersèque perscripsit: nimirum Daniel prophetiam, Machabaicus historiam texens: vti annotarunt, Iansenius cap. 12. in Concordiam Euangelicam, Veldius, Peterius, Maldonatus in Daniel. 11. v. 31. Serarius, & Stephanus in 1. Machabæor. 1. v. 57. neque qui mente valent, aliter sentire possunt: vt ex S. Hieronymo, Theodoro etiam in 11. Daniel. vers. 31. apertissimè liquet.

CAPVT XIII.

*Delira multorum exempla, qui se Deos credi
& adorari voluerunt, consimili
Antichristi insania.*

NE quempiam admiratio hæsitare compellat, quonam pacto fieri possit, vt vilis homuncio, cui sanum, integrumque mentis iudicium constiterit, ad tantum furorem ruat, vt se verum Deum constituere audeat, ac pro Deo vero ab omnibus adorari etiam per extrema supplicia imperet: quædam nonnullorum insanissimorum hominum exempla recitare visum est, qui se Deos fecerunt: vt minus iam noua aut mirabilis videri queat Antichristi demencia.

NABUCHODONOSOR.

De Nabuchodonosor Assyriorum rege Iudith 3. 13. refertur: *Præceperat Holoferni Nabuchodonosor, vt omnes Deos exterminaret: videlicet, vt ipse solus diceretur Deus ab iis nationibus, quæ potuissent Holofernis potentia subiugari.* Et cap. 5. v. 29. *Vt sciat omnis gens quoniam Nabuchodonosor Deus terræ est, & præter ipsum alius non est.* Et cap. 6. v. 2. *Quoniam non est Deus, nisi Nabuchodonosor.*

REX TYRI.

De hoc rege superbo apud Ezechielem Dominus cap. 28. 2. *Fili hominis, dic Principi Tyri: Hæc dicit Dominus Deus: Eo quod eleuatum est cor tuum, & dixisti, Deus ego sum, & in cathedra Dei sedi in corde maris: cum sis homo & non Deus.*

PSAPHON LIBA.

Cælius Rhodiginus lib. 3. Lectionem Antiquarum, c. 5. hæc scribit: *Græcorum commentarius proditum nouit eruditus*

eruditus quisque, fuisse in Lybya virum nomine Psaphonem, qui nimio plus natura bonis instructus, cum intra ceterorum pelliculam se haud quaquam posset comprimere, insula animi magnificentia latius sese expendente, consilio admodum ingenioso & vafro diuinitatis opinionem adsciscere sibi adortus est: captisque auiculis quæ ad humanum sermonem pernoscentur dociles, subinde illas artificii consilio instruere cepit, ut articulatione prorsus enuntiarent, μέγας θεός Ψάφω, Magnus est Deus Psaphon. Quæ ubi dictatam fabulam expedite perdidicisse sunt visa, emisit eas Psaphon. Ille vero passim, ut assolet, cantillantes eandem repetebant. Quod audientes incolæ, putantesque fieri diuinitus, ut qui commentum forent nescij, Psaphonem ut Deum sunt venerati.] Sed & Erasmus in Chiliadibus: Narrant in Libya fuisse quendam nomine Psaphonem, qui diuinitatis opinionem affectans, quam plurimas aues cepit vocales, & humani sermonis dociles: eas sonare docuit. Hæc verba, μέγας θεός Ψάφω, id est, Magnus Deus Psaphon, atque ita doctas emisit in montes. At illa quæ didicerant, canebant: ac reliquas item aues sonare hoc docebant. Porro Libyes, cum ignorarent commentum, credentes id diuinitus accidere, Psaphoni rem diuinam facere instituerunt, ipsumque in Deorum numerum retulerunt. Proverbium in Collectaneis Apostoly reperitur.] De Proverbio, Psaphonis aues, vide ipsum Erasmus. Pierius lib. 33. Hieroglyphicorum, in Psittaco: Psaphon Lybicus cum aliquin vir esset perditissimus, & omni scelerum obscenitate contaminatus, viam excogitauit, qua non modo se purgaret infamia, sed diuinos etiam honores post mortem, assequeretur. Aues enim magno numero in seductum penetrabile clausit, quas cicuratas nemine conscio, docuit canere, μέγας θεός Ψάφω, Magnus Deus Psaphon: mandauitque moriens, ut penetrabile illud nulla interposita mora, desicctis fenestris patefieret, atque ita pronolantibus per urbem totam, totumque agrum auibis, & Magnus Deus Psaphon, ubique Gracæ concinentibus, factum, ut sit creditus Deus, & templa, sacraque illi fuerint instituta.]

Hunc Psaphonem Carthaginiensem Hasdrubalis filium missum Præfectum in Hispaniam, res in provincia gessisse circa annum urbis conditæ CCLXXXIII, ex veteribus monumentis produnt Hispanici Scriptores Florianus Docampus lib. 1. cap. 2. 3. 4. Ioannes Mariana lib. 1. cap. 30. qui de eodem Psaphone hæc refert: Psaphoni in patriam reduci magni honores habiti, tantos spiritus ex eo sumentis, ut non tyrannidem inuadere, sed diuinitatem meditaretur: plures enim auiculas vocales docuit proferre, atque ingeminare tria Verba, Magnus Deus Psaphon. Quæ libere abire permissa, cum his vocibus pronuntiatis, Psaphonis famam per agros dissipasset: facile à provincialibus rei miraculo attonitis, ante obitum diuinitati consecratus est, nomenque templis datum: quod ante id tempus acciderat nemini. Plinius] Alianus voluit dicere] hoc factum ad Hannonem ablegat Psaphonem fama tenuit, veteri proverbio consecrata, munitaque.] Isaacus Casaubonus in Commentariis ad Satyræ 1. Persij inquit: Sic Apsephæ regis Lybiæ psittaci, quos dimisit doctos canere, Αψεφᾶς θεός ἐστίν.]

EUTHYMVS PYCTA.

Plinius lib. 7. cap. 47. Consecratus est vinus, sentiensque oraculi eiusdem Delphici iussu & Iouis Deorum summi adstipulatu Euthymus Pyctæ, semper Olympia victor, & semel victus. Patria ei Locri in Italia. Ibi imaginem eius, & Olympia alteram eadem die tactam fulmine, Callimachum, ut nihil aliud miratum video, Deumque iussisse sacrificari, quod & vino facti-

tatum & mortuo. Nihilque adeo mirum aliud quam hoc placuisse Diis.] De hoc Euthymo miranda prodit Pausanias, lib. 2. Eliacorum, quomodo singulari certamine cum spectro congressus fuerit, quæ tu per otium consules.

HANNO CARTHAGINIENSIS.

Alianus lib. 14. Variæ Historiæ, cap. 30. Annon Carthaginienfis præ nimio fastu, noluit intra hominem septa permanere, sed præstantiorem de se famam euulgare statuit, quam natura quam sortitus erat, pateretur. Itaque plurimas aues ad perdiscendas cantiones idoneas coëmit, & in tenebris, obscuroque aluit, solamque vnâ cantilenam eas docuit, Annon est Deus. Quæ quum hac vna dumtaxat audita voce, eam complexæ essent consuetudine, aliam aliò in diuersas plagas dimisit, arbitratus hoc animum carmen de se vulgatum iri. At illa semel alis soluta, libertatemque adeptæ, & ad consuetum sibi vitæ reuerse, naturalem cantum ediderunt, & animum modulationes recoluerunt, longo vale Annoni, doctrinaque, qua in seruitute fuerant imbutæ, dicto.]

ALEXANDER MAGNVS.

Peregratissimum est ut Alexander se Deum esse voluerit, ac Iouis filium nuncupauerit: quam eius stulticiam, Quintus Curtius lib. 4. Plutarchus in Alexandro, Arrianus lib. 3. Iustinus lib. 11. & ante omnes Diodorus Siculus lib. 17. Numero 589. fusè referunt. Alianus lib. 2. Variæ Historiæ, cap. 19. Alexander superato Dario, & Persarum regno in suam potestatem redacto, sapiens alium, ob prosperam fortunam, qua tum usus fuerat, diuinos spiritus gerens, Græcis scripsit, ut se Deum facerent, satis equidem stultè. Neque enim quæ natura ei largita non fuerat, hæc ab hominibus petendo consequebatur. Itaque aliis aliter stantibus, Lacedæmonij decretum eiusmodi fecerunt: Quoniam Alexander Deum esse vult, esto Deus. Laconice simul & patrio more redarguentibus Lacedæmoniis, stuporem & vecordiam Alexandri.] Plutarchus in Laconicis Apophthegmatis: Datus ad postulata ab Alexandro missa, quibus decreto se in numerum Deorum referri iubebat: Concedimus, inquit, Alexandro, ut si ita vult, Deus vocetur.]

Idem Alianus lib. 5. Variæ Historiæ, cap. 12. Non possum non hoc factum Atheniensium exosculari. Conuocata Atheniensium concione, Demades surgens, decreto iussit, ut Alexander scriberetur Deus decimus tertius. At populus impietatis magnitudinem non ferendam ducens, Demadi irrogauit multam centum talentorum, quod Alexandrum mortalem & hominem adscripsisset Olympicis.] Eadem narrat Athenæus lib. 6. cap. 13. Idem Alianus lib. 9. cap. 37. Anaxarchus cognomento Eudæmonicus, ridebat Alexandrum, quod se ipsum Deum faceret. Quum autem aliquando in morbum incidisset Alexander, & ei medicus sorbitionem imperaret fieri, ridens Anaxarchus: At nostro Deo, inquit, in cochlearis sorbitione spes sita est.] Et lib. 13. cap. 30. Olympias Alexandri mater cum audisset, longo tempore iam filium sepulchro carere, grauiter ingemiscens atque acerbissime plorans: O fili, inquit, tu verò cum inter calites locari volueris, & id perficere summo studio conatus sis, nunc neque illorum quidem, quorum omnibus mortalibus æquale & par ius est, particeps fieri potes, terra, sepulchraque. Et sic simul infortunium suum luxit, simul etiam fastum & inanem filij superbiam taxauit.] Plutarchus in Alexandro: Aiunt Olimpiadem dixisse. Non desinet Alexander in crimen me apud Iunonem vocare?] Quod se Iouis ex Olympiade Iunonis pellice filium iactaret. Verum efferam & immanem Alexandri ambitionem Ioannes Monarchus in eius Vita ita

ita prodit : Prædicant etiam Regem, cum omnem viuendi spem abiicisset, voluisse clanculum se in Euphratem demergere, ut eam de se relinqueret opinionem, veluti ab hac vita ad Deos migrasset : prohibitum autem ne id faceret, à Roxane persentiente : cui cum magno gemitu illud ab eo exprobratum sit : *Mibi, ô mulier, diuinitatis famam, ne mortalis fuisse crederer, inuidisti.*] Hoc ipsum quoque tentasse Iulianum Apostatam, cum ad ripam Euphratis moribundus iaceret, S. Gregorius Nazianzenus Oratione 2. in Iulianum, testatur his verbis : *Sed ne hoc quidem prætereundum est, quod præter alia multa, maximum perdita illius amenitas argumentum habet. In fluminis ripa jacebat, grauitè ex vulnere egrotans. Cum autem permultos eorum qui ante ipsius ætatem gloriam consecuti fuerant, ut humana conditione maiores censerentur, artibus quibusdam ex hominum oculis sese subduxisset, eamque ob causam pro diis habitos fuisse sciret : eiusdem gloria cupiditate captus, simulque mortis sue modum propter temeritatis infamiam erubescens, quid molitur ? quid facit ? (neque enim simul cum vita improbitas exstinguitur) in profluentem corpus suum proicere conatur, ad eamque rem nonnullorum quos maxime fidos, arcanorumque confcios habuerat, opera utebatur. Quod nisi quispiam ex aulicis eunuchis hac re cognita, scelerisque odio, & detestatione, aliis patefacta, huic conatui obstitisset, nouus vique alius ex calamitate Deus stolidis hominibus exstisset.*] Hæc ille. Qui autem fuerint illi, qui artibus quibusdam ex hominum conspectu se subdlexerunt, ut dii haberentur : Elias Cretensis in Commentariis ad eam Orationem notat fuisse Empedoclem, Aristæum & Empedotimum, aliosque non paucos : de quibus idem S. Gregorius Nazianzenus Oratione 1. in Iulianum : *Hæc sanè apud illos velut animi causa faciant Empedocles, & Aristæus, & Empedotimus quidam, ac Trophæus, atque huiusmodi miserrorum hominum chorus. Ex quibus ille, cum per Sicula foramina diuinitatem, ut sibi opinione fingeat, comparasset, seque ad meliorem sedem transmississet, charissimo calceo, ignis astu eiecto, proditus est : atque ita non Deus post hominem ostensus est, verum inanis gloria studiosus, philosophique post mortem expertus, ac ne communi, quidem sensu præditus. Hi autem cum eodem morbo gloriaque amore affecti, in penitissimos quosdam terra recessus sese abdidissent, deprebensa postea fraude, non plus honoris ex huiusmodi furtiuo secessu adepti sunt, quàm contumelia ob compertam fraudem.*] At de his latius vide Commentaria Eliæ, & Scholia Billij.

Sed ad Alexandrum redeamus, de quo Socrates lib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 19. ista perscribit : Porro Alexandro Macedonum regi in Asiam proficiscenti Amphyctiones dona attulerunt. De quo illo Pythia istud edidit oraculum :

*Thure Iouem placate, sacris ornate Mineruam,
Atque potens fragili tectum sub imagine numen,
Numen Alexandrum, tremulis qui missus ab
astris,*

Huc venit effrauem compescere legibus orbem.

Ista verba demon, qui in Pythia pectore habitabat, de Alexandro fudit.] Eadem quoque ex Socrate Nicephorus descripsit lib. 10. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 36.

IULIUS CÆSAR.

De hoc Suetonius cap. 76. Non enim honores modo nimios recepit, ut continuum Consulatum, perpetuam Dictaturam, Præfecturamque morum, insuper præu-

men Imperatoris, cognomen Patris patriæ, statuum inter reges, suggestum in orchestra : sed & ampliora etiam humano fastigio decerni sibi passus est : sedem auream in Curia & pro tribunali, ibensam & ferculum Circensi pompa, templa, aras, simulachra iuxta Deos, puluinar, flammam, Lupercos, appellationem mensis è suo nomine.] Perscribit hæc eadem latius Dio lib. 44. & de diuinis honoribus Cæsari tributis ista annotat : *Vique in omnibus urbibus, omnibusque Romæ templis eius statua poneretur, sicut & mensam, in quem Cæsaris natalis competeat, Iulium cognominauerunt : ut per fortunam eius insurandum conciperetur : ut Quinquennalia ei tanquam Heroi festa agerentur : tertium item quoddam collegium sacerdotum, qui Lupercalia celebrarent, institutum, idque Iulium vocatum fuit : unusque ei ludorum gladiatorum singulorum, siue in Roma, siue alibi in Italia ederetur, dies consecratus est. Iam in theatra etiam sellam eius auream, coronamque gemmis, aurisque insignem (qui honor alias Diis tribui solebat) inferri, atque in Circum etiam introduci à multitudine iusserunt : denique Iouis Iulij cognomentum ipsi palam imposuerunt : templumque ei Clementia dedicari iusserunt, sacerdotioque eius Antonium, quasi Flaminem Dialem aliquem præfecerunt.]*

CAIVS CALIGVLA.

De quo Suetonius cap. 22. Verum admonitus & principum & regum se excessisse fastigium, diuinam ex eomaiestatem asserere sibi capit. Daroque negotio, ut simulachra numinum, religione & arte præciara, interque Olympici Iouis, apportarentur è Græcia, quibus capite dempto suum imponerent, partem Palatii ad forum usque promouit, atque ade Castoris & Pollucis in vestibulum transfigurata, consistens sape inter fratres Deos, medium se adorandum aduentibus exhibebat : & quidam cum Latialem Iouem consalutauerunt. Templum etiam numini suo proprium, & sacerdotes, & excogitatissimas hostias instituit. In templo simulachrum stabat aureum iconicum. Amiciebaturque quotidie veste, quali ipse uteretur. Magisteria sacerdotum ditissimus quisque & ambitione & licitatione maxima vicibus comparabant. Hostie erant phænicopteri, pauones, tetraones, Numidica, meleagrides, phasianæ, quæ generatim per singulos dies immolarentur. Et noctibus quidam plenam, fulgentemque lunam inuitabat assidue in amplexus, atque, concubium : interdum vero cum Capitolino Ioue secreto fabulabatur, modo insurans, ac præbens inuicem aures, modo clarius, nec sine iurgiis : nam vox comminantis audita est, *Εἰς γὰρ τὴν Δαυαὼν πηγάω σε,* idest, In terram Danaum transferam te. Donec exoratus, ut referebat, & in contubernium ultro inuitatus, super templum Diui Augusti ponte transmissus, Palatium, Capitoliumque coniunxit. Mox quo propior esset, in area Capitolina nouæ domus fundamenta iecit.]

Dio liber 59. Proinde aliis cum Herodem, aliis Deum vocantibus vehementi insania correptus est. Iam ante quoque humano fastigio altior haberi volebat, seque cum luna coire, & à victoria coronatum esse videri. Iouem etiam se fingeat, eaque occasione cum multis aliis mulieribus, & cum sororibus congressum esse præse ferebat. Sape Iuno, Diana, Venusque fiebat, mutato cum nomine etiam omni habitu. Inde aliquando muliebri ornatu conspiciebatur, crateram, ac thyrsum gerens : modo viriliter compositus clauam, & leonis pellem gestabat : alias barbatus conspiciebatur, alias imberbis : nunc tridentem tenens, nunc fulmen vibrans : iam virgini bellatrici se

ad simulabat, mox in mulierem transformabatur: denique compositione vestitus, & ornatu imposito sibi, ac circumiecto, mirifice variabatur: quidvis potius, quam homo videri cupiens. Hoc igitur habitu se induebat, quum Deum se fingere vellet: supplicationesque ei & vota, & sacrificia pro singulorum ratione fiebant.] Et post alia: Aliquando Caius rem sibi esse cum luna dixit, percontatusque est Vitellium, vidissetne se cum dea congressi. Tum Vitellius, quasi attonitus, oculis in terram demissis, tremens, exigua voce: Solis, inquit, Domine, vobis diis licet inimicem videre. Eoque facto initio Vitellius, omnes reliquos adularum superavit. Caius vero ulterius profectus, Roma sibi templum extruxit: ac in Capitolio quidem mansionem sibi adificauerat, ut posset cum Ioue, sic enim ferebat, conuersari: sed indignum putans, se in eo contubernio posteriores ferre, incensato simul Ioue, quod Capitolium occupauisset, ipse in Palatio sibi properato templum posuit. In eo cum statuisset Olympi Iouis simulachrum suam in effigiem commutatum collocare, neque posset id perficere: (nam nauis ad id ferendum parata fulminibus absumpta fuit, exauditusque multus risus, quoties quis sacrarium eius tacturus accederet) minatus ei, aliud fanum sibi instituit. Ergo dissecta Castoris & Pollucis ade qua est in foro Romano, ingressum per media Geminorum simulachra in Palatium struxit, dicens, Velle se Ianitores sibi esse Iouis & Leda filios. Tum se Iouem Latialem appellans, sacerdotes addidit Caesoniam uxorem suam, Claudium, aliosque ditissimos, centies sestertium à singulis eo nomine accipiens. Ipse etiam sibi Sacerdos fuit, equumque suum [Incitatum nomine] collegam asciuit. Immolabantur autem ei singulis diebus aues delicatae, ac magnipretij. Machinam habebat, qua tonitribus ostreperet, ac contra fulgura fulguraret: ac quoties fulmen decidisset, lapidem eiacebatur, semper Homericum illud addens, Tollito me, vel ego te. Is proinde Deus, is Iupiter &c]

Athenæus lib. 4. cap. 12. Caius vero Imperator cognominatus Caligula, quia in exercitu & in castris natus fuisset, non solum nouus Bacchus nominabatur, sed Bacchicam vestem totam indutus, prodibat in publicum, & cum eo vestitu ius reddebat.] Iosephus 19. Antiquitat. cap. 1. Se vero Caius pro Deo gerebat, non contentus humanis honoribus coli à subditis, & Capitolium frequentans Templorum omnium in urbe celeberrimum, Iouem eius presidem appellatione fratris salutare ausus est.]

Philo de Legatione ad Caium: Non amplius se continuit intra humana natura terminos, sed ad diuinos honores aspirauit, hinc ut aiunt, nactus occasionem eius dementia. Persuasum ei fuit, sicut aliorum gregum magistris, opilionibus, caprarij, bubulci, nec boues sunt ipsi, nec arietes, sed homines his longe praestantiores modis omnibus: sic praefectum gregi humani generis optimi, censendum maiorem homine, referendumque in Deorum numerum. Hanc opinionem ubi concepit, amplectens est fatuus pro veritate fabulam. Tandem ausus in vulgus efferre impiam sui consecrationem, pergebat ulterius, & quasi per gradus quosdam paulatim ascendebat. Nam primo emulabatur semideos, quos vocant, Liberum, Herculem, Castores, Throphonium, Amphiarum, Amphilochem, & similes, irridens eorum oracula, orgiaque ad suam collata potentiam. Deinde quemadmodum in theatris solent scenici, aliis alium cultum sumebat, nunc clauam, & leonis exuium, sed haec aurata utraque, scilicet, transformatus in Herculem: nunc pileum imponebat capiti, quoties Castores ageret: interdum hedera, thyrsoque, ac hinnuleorum exuiis representabat Patrem Liberum. Verum ta-

men hanc sibi prerogatiuam usurpabat interim, quod cum illorum quisque contentus propriis caeremoniis ac honoribus, alienos non requireret; ipse vniuersos iubebat sibi cogeri, ut eos quibus inuidebat, vinceret.] Et post alia: Tanta autem inerat ei rabies, tam insana vacordia, ut non tentus se equiparari semideis, ad maiores Deos versis, amulationem cum eis susciperet, cum Apolline, Marte, ac Mercurio. Huius primum caduceo, talaribus, chlamydeque ornatus, ordinem in perturbatione, seriem in confusione, rationem ostentabat in dementia. Deinde ubi collibuit, his depositis, refingebatur in Apollinem, corona radiata caput redimitus, arcum & sagittas sinistra tenens, dextra porrigens gratias, quod ita deceret in promptu esse id quod melius, penas vero suppressi, & ad sinistram retrudi in locum posteriorem. Moxque institui sunt chori, ut paeanas canerent in eum quem paulo ante Bacchum, Euium, Lyaeum hymnis suis appellauerant, quando Liberi habitum sumpserat. Sape etiam thoracatus, galeatus, clypeatusque prodibat, stricto gladio pro Marte se ostentans, utrumque latus stipatus nouis Salis, homicidis quibusdam paratis ad saeva ministeria explendamque crudelitatem sitientis humanum sanguinem. Hac iniustata specie terror incutebatur populo.] Atqui plura de Caii inani diuinitate persequitur, quem lector per maius otium consulat.

NERO CÆSAR.

Tacitus Annali 15. extremo: Reperio in commentariis Senatus, Cerialem Anticum Consularem designatum, pro sententia dixisse, ut templum Diuo Neroni quam maturrime publicâ pecunia poneretur. Quod quidem ille decernebat, tanquam mortale fastigium egresso, & venerationem (numinum) hominum merito, quod ad omnia olim sui exitus verteretur: nam Deum honor Principi non antè habetur, quam agere inter homines desierit.] Et Historia 2. Inter magnorum virorum discrimina,] nimirum bello inter Vitellium & Othonem ardente] pudendum dictu!) Maricius quidam, è plebe Boiorum, inferere sese fortune, & prouocare arma Romana, simulatione numinum ausus est. Iamque assertor Galliarum, & Deus (nomen id sibi indiderat,) concitis octo milibus hominum proximos Aduorum pagos traherebat: cum grauissima ciuitas, electa iuuentute, adiectis à Vitellio cohortibus, fanaticam multitudinem disiecit. Captus in eo pralio Maricius, ac mox feris obiectus, quia non laniebatur, stolidum vulgus inuolabilem credebatur: donec spectante Vitellio interfectus est.]

SIMON MAGVS.

Hunc quoque pestilentissimum nebulonem se Deum fecisse: atque ei Romæ publicè statuam fuisse constitutam, cum inscriptione, SIMONI DEO SANCTO, lib. 1. cap. 12. copiosè narrauimus.

DOMITIANVS.

Suetonius cap. 13. Pari arrogantia cum procuratorum suorum nomine formalem dictaret epistolam, sic capit: Dominus & Deus noster sic fieri iubet. Vnde institutum post hac, ut ne scripto quidem ac sermone cuiusquam appellaretur aliter.] Eutropius lib. 7. extremo: Domitianus Dominum & Deum primum se appellari iussit.] Eadem ex Eutropio S. Hieronymus in Chronico Eusebii. Orolius. lib. 7. cap. 10. Is in tantam superbiam prolapsus fuit, ut Dominum (se ac Deum vocari, scribi, colique iusserit.] Eadem Paulus Diaconus: lib. 9. Miscellæ, cap. 11. Martialis de eodem Domitiano:

Edicto Domini, Deique nostri.

Et lib. 8. Epigrammate ultimo :

*Posse Deum rebus pariter, musisque vacare
Scimus —*

Et Statius lib. 4. Silvae eidem Principi adulatur :

*En hic est Deus, hunc iubet beatis
Pro se Iupiter imperare terris.*

Aurelius Victor de Cæsaribus, cap. 10. *Plusquam
superbè vivens Patribus: quippe qui se Dominum, Deum-
que dici cogerit: quod Confestim ab insequentibus re-
morum, validius multò post hac deinceps retulere.* Et in
Epitome: *Mare Caligula Dominum Deumque
dici cogerit.* Eadem Cedrenus & Zonaras in An-
nalibus.

COMMODOVS.

Herodianus lib. 1. *Eoque vacordia, petulantiaque
processit, ut paternum primò cognomen repudiaret, ac
pro Commodo Marci filio, Herculem se Iouis filium
iussit appellari. Depositoque Principum Romanorum
cultu, leonis pellem substerneret, manuque clauam gesta-
ret.* Dio lib. 72. *Multa verò cognomina sibi sumpsit
Commodus, sed præcipue Herculis. Pleraque statua ha-
bitu Herculis ei collocata sunt, decretumque fuit, ut id
tempus quo principatum teneret, nominaretur Saculum
Aureum. Hic verò aureus, hic Hercules, hic Deus, (iam
enim audiebat hæc nomina) &c.* [Ælius Lampridius in
Commodo, cap. 8. *Appellatus est etiam Romanus
Hercules. Seipsum Commodum Herculem, & Deum
appellans.*] Athenæus lib. 12. cap. 9. *Quid igitur mirum
si Commodus Imperator apud nos, in curru appositam ha-
buit clauam Herculeam, substrata ipsi leonis pelle, &
Herculem vocari se voluit?*

DIOCLETIANVS.

Eutropius lib. 9. extremo: *Solertissimus Princeps,
& qui Imperio Romano primus regia consuetudinis for-
mam magis, quam Romane libertatis inuexit: adorari-
que se iussit, cum ante eum cuncti salutarentur, ornamen-
ta gemmarum vestibus, calceamentisque indidit. Nam
prius Imperij insigne in chlamyde purpurea tantum erat:
reliqua communia.* Eusebius in Chronico, seu potius
S. Hieronymus, Numero M. mccc. *Primus Diocle-
tianus adorari se ut Deum, & gemmas vestibus, calcea-
mentisque inseri iussit: cum ante eum omnes Imperatores
in modum Iudicum salutarentur, & chlamydem purpu-
ream à privato habitu plus haberent.* Aurelius de Cæ-
saribus, cap. 39. *Namque se primus omnium caligula
post, Domitianumque, Dominum palam dici passus,
& adorari se, appellarique uti Deum. Quæ rebus,
quantum ingenium est, compertum habeo, humillimos
quosque maxime ubi alta accesserunt, superbia atque
ambitione immodicos esse.* Eadem Zonaras Tomo 2.
Annalium.

Socrates lib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 19.
*Cyziceni etiam Adrianum Imperatorem decimum ter-
tium Deum appellarunt.* Eadem Nicephorus lib. 10.
cap. 36. *sed non aiunt, an viuentem. Sed ut cernas gen-
tium in hac re furor, de Ætiopibus Diodorus Sici-
lus lib. 3. Numero 101. Populus regem creat, statim-
que flexis genibus adorat tanquam Deum, aliisque hono-
ribus, ut cui diuina providentia magistratus sit com-
missus, demeretur.* Strabo lib. 17. pag. 565. de eis-
dem: *Reges colunt ut Deos, qui ferè clausi domi se-
dent.*

Mauros, suos reges ut Deos colere, auctores sunt
Tertullianus Apologetici, cap. 24. S. Cyprianus, de
Idolorum vanitate, Lactantius lib. 1. cap. 15. Præcla-

rè in horum omnium insaniam dici illud potest
Quinti Curtij lib. 3. *Homines cum se permiscere fortuna,
etiam naturam dediscere.*

Memorable superbiæ exemplum Iosephus Acofta
lib. 2. de Nouissimis Temporibus cap. 11. refert,
Francisci de Cruce Theologi in prouincia Petriana
Noui Orbis, qui nostris propè temporibus, eò de-
mentia prouolutus est, ut iactaret, concessam sibi
sanctitatem super omnes Angelos, & choros caele-
stes, ac super omnes Apostolos: se futurum Regem
& Summum Pontificem, Apostolica Sede in Nouum
Orbem translata, ultro sibi à Deo oblatam vnionem
Hypostaticam, sed à se non admissam: datum se Re-
demptorem orbis quoad efficaciam, quod Christus
quoad sufficientiam dumtaxat fuerit. Hæc adeo de-
lita & absurda, asseuerabat se Scripturæ testimoniis
validius & efficacius comprobasse, quam Paulus
ostenderit Christum esse Messiam. Miracula autem
edidisse se adeo ingentia, ut Christi resurrectio non
fuerit maius. Nam se mortuum fuisse & resurrexisse
dicebat: & alia multa eiusmodi tam insana prædi-
cabat, ut quibus quam maxime mentis emotæ,
absurdiora effutire nequireret, cum alioqui integris sen-
sibus, & iudicio constaret. Sed igne tandem furoris
pænas exsoluit. Vide latius de his Acoftam, ex quo
descripserit Martinus Delrius lib. 4. Disquisitionum
Magicarum lib. 4. cap. 1. Quæstione 3. Sectione 3.
Iacobus Gaultierius in Chronographia, pag. 806.
column. 3. Atqui ex his quæ retulimus exemplis va-
nissimorum hominum qui sibi diuinitatem arroga-
runt, facile omnis admiratio adimi poterit, Antichri-
stum eò superbiæ & insaniz ruiturum, ut Deum se
iacter, & pro Deo à cunctis haberi & adorari velit:
hominesque qui tum viuent, tantum deliratos, ut
scelestissimum impostorem pro Deo venerari
non dubitent: illa enim potentia, opes, miracula,
artes Antichristi, studia dæmonum in eam rem po-
tissimum incumbunt, ut Antichristus pro Deo ado-
retur.

Consideret hîc pia lectoris mens infelicitissimam
tunc Iudæorum sortem, qui cum aliis retro sæcu-
lis, nunquam passi sint se viuentibus & videntibus,
in Dei Templum imagines quasuis Deorum, homi-
numue inferri: vel illud Templum alteri quàm vero
Deo sacrari: (nam quid egerint, quidue passi sunt
ne Caius caligula in illo suam imaginem poneret:
aut illud suo numini, nomine Iouis illustris dedica-
ret, Philo de Legatione ad Caium, Iosephus lib.
18. Antiquit. cap. 11. plenissimè exponunt.) Nec po-
tuit iuuenis Imperator immani ferox superbia,
quamuis flagrantissimè concupiisset, nec vires,
opesuè summæ potentia deessent, quod animo de-
stinauerat, perficere. Semper enim natio patriarum
legum tenacissima, parata fuit ante mille mortes
occumbere, quàm ferre ut Templum ac diuina
religio, vel minimum læderetur: & tamen tempore
Antichristi ipsis cernentibus, & patientibus, An-
tichristus statuam suam in medio Templo consti-
tuet, & se ut Deum ab omnibus adorari faciet:
templumque illud Ierosolymitanum sibi, nu-
minique suo consecrabit, quo maius &
execrabilius idolum nunquam
in templo extitit.

* *

CAPVT XIV.

*De Deo Maozim, quem colet & adorabit
Antichristus.*

A Bundè cap. 3. & sequentibus huius libri, demonstratum est, Antichristum ablaturum idola, & omnem Deorum cultum: ac verum ipsum Deum mundi opificem, cunctasque religiones amoliturum: sed se solum pro vero & supremo Deo venditaturum: iam nunc existit difficultas, quid est illud, quod Daniel affirmat, Antichristum adoraturum Deum Maozim? quisnam est iste Deus Maozim. Verba Sacri Vatis sunt, cap. 11. v. 37. *Et Deum patrum suorum non reputabit: nec quenquam Deorum curabit, quia aduersum uniuersa consurget.* 38. *Deum autem Maozim in loco suo venerabitur: & Deum quem ignorauerunt patres eius, colet auro, & argento, & lapide pretioso, rebusque pretiosis.* 39. *Et faciet, ut muniat Maozim cum Deo alieno, quem cognouit.*

Ante omnia verba S. Hieronymi obscurum hunc locum explanantis, tanquam prælucentem faciem reddamus: ea sunt: *Rursum pro Deo Maozim, quod habebatur in Hebraico, Aquila transtulit, Deum fortitudinum. Septuaginta, Deum fortissimum. Deum Maozim ridicule Porphyrius interpretatus est, ut diceret, in vico Modim (vnde fuit Matthathias, & filij eius) Antiochi duces, Ionis posuisse statnam, & compulisse Iudeos, ut ei victimas immolarent: id est, Deo Modim. Quod autem sequitur: Et Deum quem ignorauerunt patres eius, colet: hoc magis Antichristo, quam Antiocho conuenit: legimus enim Antiochum idolorum Græcia habuisse cultum, & Iudeos atque Samaritanas ad venerationem suorum Deorum compulisse. Necnon & hoc quod infert, Et faciet, ut muniat Maozim cum Deo alieno, quem cognouit: & multiplicabit gloriam, & dabit eis potestatem in multis, & terram diuidet gratuito: Theodotio ita interpretatus est: Et ager hac, ut muniat præsidia cum Deo alieno: & cum eis ostenderit, multiplicabit honorem & dominari eos multis faciet, & terram diuidet gratis. Pro, præsidis, confugia interpretatus est Symmachus, quod Porphyrius ita edisserit: Faciet hæc omnia, ut muniat arcem Ierusalem & in cæteris urbibus ponat præsidia, & Iudeos doceat adorare Deum alienum, haud dubium, quin Iouem significet. Quem cum illis ostenderit, & adorandum esse persuerit, tunc dabit deceptis honorem, & gloriam plurimam & faciet cæteris, qui in Iudæa fuerint, dominari: & pro præuicatione possessiones diuidet, & dona distribuet. Antichristus quoque multa deceptis munera largietur: & terram suo exercitui diuidet: quosque terrore non quinerit, subigabit auaritia.]*

Ex his perspicuè noscitur, aliquos existimasse Danielem hoc loco primario sensu, de Antiocho Epiphane fuisse locutum, quod is Ierosolimis firmissimam construxerit arcem, & in ea, aliisque urbibus Iudææ valida præsidia posuerit, adorans & adorari faciens Deum Maozim, Deum scilicet alienum, & falsum, hoc est, Iouem Olympium, & Hospitalem, ut scribitur 1. Machabæorum, r. v. 35. 57. & 2. Machabæori. 6. v. 2. quem proinde Daniel appellauerit Deum Mahuzim, id est, Deum munitionum, seu præsidiorum. Ad hunc modum Danielis Oraculum interpretantur, Petrus Comestor in Historia Scholastica Danielis, cap. 12. Isidorus, Clarius, Tremellius, Iunius, Pererius, Veldius, Maldonatus: quamuis hi non negent de Antichristo quoque secundario sensu posse intelligi. At præstat Danielem primario ac præcipuo sensu de Antichristo vaticinatum intelligere, uti S. Hieronymus ex communi haud dubiè Patrum sententia nuper asserbat, subscribere Strabus, Anselmus

Laudunenſis, Lyranus, Vatablus, Pintus, Sa in Daniel. 11. Sanderus lib. 8. de Visibili Ecclesiæ Monarchia, cap. 27. Bellarminus lib. 3. de Romano Pontifice, cap. 14. & lib. 1. de Missa, cap. 1. Iosephus Acoſta lib. 2. de Nouissimis Temporibus, cap. 13. Florimundus libro de Antichristo, cap. 30. Becanus lib. 2. de Antichristo, cap. 8. Lessius Disputatione de Antichristo, Demonstratione 7. & alij. Sed & Theodoretus multis ostendens, præfata verba Danielis in Antiochum haud rectè competere, hæc inter alia ait: *Nequaquam itaque in Antiochum hæc congruunt, sed in ipsum exemplar Antiochi, cuius imago & typus Antiochus impietate omnes superiores reges vicisse contendit. De Antichristo itaque hoc dicit.* Quocirca neutiquam probandum est, quod Suarez Tomo 2. in 3. Partem, Disputatione 54. Sectione 4. dixit, forſan de ſolo Antiocho verba Danielis intelligi.

Iam quis sit Deus Maozim, accuratè disquirendum: Hebraicè, ELOAH MAVZIM, quod variè sunt interpretati. Lxx, uti citat S. Hieronymus, *Deum fortissimum.* Cum tamen in editionibus Complutenſi, Regia, Roberti Stephani, & Romana habeant. *Deum Maozim.* Aquila, Sanctes in Theſauro, Vatablus, Montanus, Maldonatus, Auenarius, *Deum fortitudinum.* Forſterus, Mercerus, Schindlerus, *Deum munitionum.* Tremellius, Iunius, Marinus, Buxtorſius, *Deum roborum, vel Deum ſummi roboris.* Alij, *Deum arcium, Quidam, Deum præſidiorum.* S. Hieronymus in Iſaiæ 30. ad verſ. 3. inquit. *Quod in Danielis extrema legimus viſione Deum Maozim, non ut Porphyrius ſomniat, Deum viculi Modim: ſed robustum Deum & fortem intelligamus.* Somnium Porphyrij ſequi maluit Conradus Pellicanus, ineptiſſimè. Exploratum eſt, ſingulare MAOZ, cuius plurale eſt Mahuzim hoc loco poſitum, propriè ſignificare robur, fortitudinem, obſirmationem, corroborationem, vires, potentiam: ac interdum locum natura, vel arte munitum, in quem præſidij cauſa confugere ſolent homines, quaſi dicas, Munitionem, Fortalitium, ut ſunt petrae, rupes, arces, propugnacula, munimenta, præſidia, uti notant Forſterus, & Mercerus in Radice AZAZ, Forerius Iſaiæ 17. v. 9. c. 30. v. 2. Et c. 23. v. 14. exempla ſunt paſſim obuia quæ in Lexicis notantur, ut Iudicum 6. 26. & alibi ſæpius.

Cæterum hoc loco plerique nomen MAOZIM ininterpretatum reliquerunt, indicantes proculdubio nomen eſſe proprium Dei cuiuſpiam, quem colet Antichriſtus. Ita Lxx, Noſter Vulgatus, Sanctes, Lyranus, Leo Iudas, Iſidorus Clarius, imo omnes fermè Latini poſt S. Hieronymum. Quidam igitur Mahuzim putarunt, ipſum eſſe diabolum, quem Antichriſtus tanquã Deũ occultè colet, & adorabit. Exiſtimant enim Antichriſtum, tametſi palam, apertèque omnes Deos ſit eliminaturus, ut ſe ſolum verum Deum venditet: clanculum tamen in abditiffimis locis; quoniam uti prædiximus magnus nefandiſſimus erit, diabolum ut ſuũ Deum adoraturum, qui ſanè rectè Deus Maozim nuncupatus intelligatur, vel quia ab eo monarchiam, opes, exercitus, miraculorũ vim effectricem: atque illi vires, potentiam, dignitatem, robur accepta referet: quem ut auctorem tanti faſtigij colet: vel quia id erit nomen proprium funeſtiſſimi illius cacodæmonis, quem ut Deum, Adorabit Antichriſtus: Maozim dictus, quaſi arx & præſidium, roburque totum Antichriſti, cuius ope, & auxilio, quæcumque volet, conficiet Antichriſtus. Seu quia dæmon ille ſe omnium robuſtiſſimum & potentiffimum iactabit, cuius imperio cæteri omnes pareant. Aut, quia illum Antichriſtus in Maozim, id eſt, in ſuis arcibus, & munitionibus, nempe locis tutiſſimis & abditiffimis venerabitur, in quibus ſuos theſauros, atque diuitias habebit: ibi enim inter immen-

fos auri & argenti, vnionum, gemmarum, rerum pretiosissimarum acervos diabolum exquisito ritu colet Antichristus, ac tanquam Deo tutelari, auctori suae potentiae, virtutis, dignitatis, opum, felicitatis, miraculorum, sacrificabit. Hanc de Deo Maozim sententiam non pauci amplexi sunt, Strabus, Anselmus Laudunensis, Petrus Comestor, Lyranus, Pintus, Pererius, Sa, Bellarminus, Acofta, Suarez, Florimundus, Becanus, Lessius, locis suis citatis.

Ex vicina vocis Ez, caper, seu capra subit mihi in mentem, ne fortè possit hic exponi Deum Maozim, id est, Deum caprarum, vel caprum, aut caprinum, vt Satyrum, Paniscum: solent enim magi, & strigae daemones in forma hirci vel capri adorare, quod & de Antichristo suspicari rectè possumus, cum sit futurus magus insignis. Maldonatus hæc annotat: *Interpretor, Deum fortitudinum ex falsa Graecorum opinione Iouem appellari, qui deorum princeps, ac potentissimus habebatur: quemadmodum Deus noster, Deus virtutum, & Deus exercituum in sacris litteris appellatur.* Sanctes, & Marinus, suspicati sunt, Deum Mahuzim, hoc est, Deum roborum, seu virium, fortitudinum, appellatum à Daniele Martem ipsum, quem poëtae finxerunt, Deum fortitudinum, bellorum, ac praeliorum. Quem Antichristus secretò in locis, semotissimis adorabit: à quo putabit sibi robur, vires, exercitus, monarchiam, victorias conferri: ac si dicat Propheta: Antichristus nullum Deum colet, nisi occultò Martem, Deum roborum. Acofta inquit: *Quisnam iste Maozim sit, vel quid designet, equidem non sum affectus. Esse verò commentitium Deum ab illo mundi eversore primum inuentum, cumque externo cultu auri & argenti, & gemmarum exornandum, vt idola gentium solent, nemo qui hæc legit, non intelliget.* Sed postmodum Deum Maozim putat esse diabolum.

Alij verò potius sunt arbitrati, Deum Maozim ipsum esse met Antichristum, qui se Deum fortitudinum, hoc est, Potentissimum, fortissimum proprio nomine Maozim nuncupabit: ac si dicat: Seipsum Deum omnipotentem appellabit, & adorari faciet. Theodoretus: *Cum maiores Antichristi agnita propria natura conditione, Deum qui omnibus præ est, seipsos nominare ausi non fuerint, ipse Antichristus Deum fortem, ac potentem, hoc enim significat Maozim, se ipsum appellabit. Illud enim in loco suo, pro se ipsum posuit. Eriget enim sibi ipsi templa, & auro, & argento, & lapidibus pretiosis ipse exornabit.* Hanc Theodoretæ interpretationem amplexi sunt, Strabus, Anselmus Laudunensis, Sanderus, Bellarminus, Pererius, Suarez: & nobis mirifice placet. Nimirum Antichristus nullum alium Deum seu verum, seu falsum cognosceret, aut colet, nisi seipsum, suum robur, potentiam, fortitudinem, vires, vt impius ille Mezentius apud Maronem, 10. *Æneidos*:

Dextra mihi Deus, & telum quod missile libro.

Et Capaneus apud Statium lib. 2. *Thebaidos*:

— Virtus mihi numen, & ensis.

Quem teneo. —

Et lib. 10.

— Ades ô mihi dextera tantum

Tu præses bellis, & inenutabile numen:

Te voco, te solum superum contemptor adoro,

Deum enim Maozim se Antichristus vocabit, id est, Fortissimum, & omnipotentem, ac supremum Deum.

Et verò quamvis Danielis verba appositissime conveniant, cum quavis ex dudum allatis eorundem explanationibus, & sententiis de Deo Maozim: huic

tamen nostræ posteriori luculentius & proprius adaptari ex Hebraico ipso contextu facillè demonstrabimus. Hebræa ad verbum. *Et Deo [vel ad Deum] Mahuzim.* Hoc est, sibi ipsi Deo omnipotenti & fortissimo, verisimile est, Antichristum idcirco hoc se nomine appellaturum, quod insolenter nimis ac ventose vires suas, ac summum robur, supremamque in omnibus potentiam sit crebrò iactaturus. Si Mahuzim pro nomine appellatiuo acceperimus, reddit illud alicubi Noster, Imperia, seu Imperium, Danielis 11. 19. *Et conuertet faciem suam ad Imperium terra suæ.* Equidem rectè sic nuncupatur Imperium propter robur & fortitudinem, nam Hoz etiam quod ex eodem themate est, Imperium, seu regnum quoque significat, vt Psalm. 85. 16. *Da Imperium tuum puero tuo.* Nec alienè hic exposueris, *Et Deum Imperij, seu Imperiorum.* Id est, se summum Deum, ac Imperatorem omnium, in cuius manu sunt omnium potestates, & omnium iura regnorum. Vel si Mahuzim velimus munitiones & arces significare, dictum intelligemus Deum arcium & munitionum propter superbissima & magnificentissima templa instar ingentium & fortissimarum arcium ac munitionum constructa, quæ vbique numini suo constituet Antichristus. David de Pomis interpretatur, *Deum praefectorum, seu magnatum.* Videant crassus & opulenti praefecti, nobilesque profani, quem Deum sint habituri.

Super sedem suam. CHEN, multa significat. Forsterus, & Schindlerus, *super loco suo, vel in loco illius.* Forsterus, *super sede sua.* Tremellius & Iunius, *in sede eius* Leo Iudas & Auenarius, *in ditone sua,* quasi dicat, Antichristus, per totam suam ditionem & Imperium se vt Deum adorari iubebit, Montanus, *super basi sua,* quasi ingentes statuas, magnis impositas basibus, Dei Mahuzim Antichristus sit vbique erecturus. *Proprie, super loco-residentia-constitutio- & firmo illius.* Possis exponere, *super plantatione, [trunco, stipite, caudice] sua,* quasi dicat, sibi implantatum, insertum, quasi germen in trunco, nempe Deum Mahuzim sibi, vel in se insertum & implantatum; inseret sibi & implantabit Dei Mahuzim diuinitatem. Ex verbo, *super aptatione sua,* id est, sibi adaptatum: ac si dicat, Et Deum Mahuzim sibi adaptabit, accommodabit, imponet, induet, id est, ornabit se nomine Dei Mahuzim. Aliter, *super apparatu suo.* Nec aliene reddideris, *super abaco suo,* quod CHEN abacum quoque significare possit Psalm. 79. 16. vt annotauit Galatinus lib. 7. *Arca-norum,* cap. 3. de qua notione dicemus alibi. Est autem Abacus, teste Budæo in Pandeclas, genus mensæ, seu scrinij super quod in tricliniis argentea vascula, vel etiam aurea exponi solent, Gallicè *Dressorium,* Hispanicè, *Aparador.* Quasi Antichristus in scriniis suis & abacis, ac tricliniis inter thesauros suos, inter pretiosissimarum rerum apparatus, in aula, in cubiculis, in publicis etiam locis suam imaginem, seu statuam Dei Mahuzim, nempe Dei omnipotentis, quem se appellabit, sit perpetuo repositurus, ornatam semper auro, argento, gemmis, margaritis, & præstantissimo quouis apparatu. Nec mirum quod secum in cubiculo eam imaginem sit habiturus, more priscorum, qui cubicales imagines colebant, de quo Suetonius in Augusto, cap. 7. & in Tiberio cap. 43. & in Caligula, cap. 7. Plinius lib. 35. cap. 2. & alij. Vide de his Casaubonum in Animaduersionibus ad Suetonij Augustum, cap. 7. Noster *in loco suo,* hoc est, loco sui, seu pro seipso, vt Theodoretus exposuit, hoc sensu, *Et Deum Mahuzim seipsum.* De significato vocis

CHEN diximus etiam lib. 6. cap. 11. Tanta est facunditas Linguae sanctae!

Honorabit. Lxx. *glorificabit*, propriè est aggruare, hic, gloria, honore, cultu, veneratione. IECABED, ex Piel, significatum intendit: id est, impensissimè colet, honorabit, venerabitur, adorabit. Potest transitiue exponi, honorari faciet.

Et Deo, [vel ad Deum] quem non cognouerunt cum [vel ipsum] patres eius. Elegans linguae traectio, hoc est, Et eum Deum, vel, & Deum ipsum, quem non nouerunt patres eius, nec adiectio pro nominis superuacanea est, ritu linguae: seruire enim emphasibus solet: ac si dicat: Et Deum ipsum illum, inquam, talem, tamque execrandum, quem ne per somnium quidem patres Antichristi, Iudaei veteres sancti ac fideles nouerunt.

Honorabit. Et idem verbum IECABED, in auro, & in argento, & in lapide pretioso, & in desiderijs. Sanctes, Marinus, Auenarius, & desiderabilibus. Lxx, & Vatablus, & in concupiscentijs. Sanctes in Thesauris, & concupiscibilibus. Mercerus, & desiderijs, seu, appetitionibus. Tremellius & Iunius, ac rebus desideratissimis. Forsterus, & ex lapide pretioso, & appetibilibus. Leo Iudas, & rebus pretiosis. Vim vocis CHAMVDOTH expendimus lib. 6. cap. 16. indicat enim expetibilia, pulcherrima, praestantissima, iucundissima, exquisitissima, pretiosissima, & vox ipsa per se & forma abstracta magnam emphasim. habent. Ut ista rectè conueniant, cum explanatione illa, quam nuper posuimus, super abaco suo.

Et faciet munitionibus [datiui casus, vel, ad munitiones] *Mabuzim*. Locus obscurus, quem variè reddunt. Lxx. in Romana editione, & apud Theodoretum, *Et faciet munitionibus confugiorum*, vel, *refugiorum*. In complutensi, Regia, & Roberti Stephani, *Et faciet munitionibus urbium*, seu, *ciuitatum*. Theodotion, & aget hac, ut muniat praesidia. Symmachus, *Et faciet, ut muniat confugia*. Sanctes, *Et faciet adificia munitionibus Mabuzim*. In Thesauris verò: *Et faciet munitionibus fortitudinum*. Ita etiam Marinus. Forsterus, *Et faciet cum munitionibus praesidorum*. Isidorus Clarius, *Et faciet ista munitionibus fortissimis*. Leo Iudas, *Et vertet in munimenta [Dei] Mayzim*. Vatablus, *Et faciet [hac omnia seu, praedicta] in munitionibus fortitudinum*. Id est, in locis munitissimis ac fortissimis, quasi dicat, colet nouum istum Deum in munitissimis locis. Tremellius & Iunius: *Et faciens munitionibus roborum cum Deo alieno*. Vel, *Committensque munitiones Dei summi roboris Deo alieno*, Maldonatus, *Et faciet ad munitiones praesidorum*. Possit reddi, *Et faciet munitiones Mabuzim*. Hoc est, edificabit immania templa instar ingentium arcium & munitionum, Deo Mahuzim, in quibus ipsum, id est, se coli & adorari iubebit. Vel, *Et aptabit munitionibus Mabuzim*, id est ipsum se Deum Mahuzim Templis maximis imponet, indet, consecrabit ei varia templa munitissima, & magnificentissima, ornabitque illa omni genere opum, diuitiarum, sacrificiorum. Theodoretus in hunc locum: *Eriget enim sibi ipsi templa*, inquit, & argento, & auro, & lapidibus pretiosis ipsa exornabit. Nec alienè, *Et faciet munitionibus Mabuzim*. Hoc est, sacrificabit in Templis Deo Mahuzim, seu sibi ipsi, sub nomine isto Mahuzim. Facere pro sacrificare in Scripturis, exemplis vulgatus est, quàm ut opus sit obseruatione, Exodi 10. 25. Leuitici 16. 9. & alibi passim. Et Maro: *Quum faciam* ita melius legitur, quàm *vitula* in sexto casu, *vitulam pro frugibus, ipse venito*. Vide cuncta Lexica Hebraica. Traducendus hic erat stu-

por, & delirium Forsteri in Praefatione ad suum dictionarium, qui rem tritissimam & peruagatissimam ausus est inficias ire. Cum tamen in verbo. ASAH, id negare nequiuert. Nostrium, cum dixit, *Et faciet ut muniat Maozim*, sensum rectè expressisse, non est dubium. Idem enim est ac quod Hebraicè dicitur, *Et faciet munitiones Mabuzim*. Id est, Edificabit templa & arces Deo Maozim.

Cum Deo alieno. Hinc se accipere putant Lyranus, Pintus, Bellarminus, & alij, Mahozim non esse nomen proprium Dei alicuius quem colet Antichristus: sed vel esse nomen proprium munitionum vel arcium Antichristi, vel appellatiue significare arces, & fortalitia Antichristi munitissima: nam perspicuè hic Mahozim à Deo alieno distinguitur: sicque locum interpretantur: Muniet loca Maozim, vel arces firmissimas, in quibus colet Deum suum alienum. Kimichi locum ad verbum reddendum putat, *cum Deo alienationis*, seu *extraneitatis*. Forsterus tamen & Mercerus, cum Deo incognito, notho, spurio, illegitimo, ignobili, extraneo. Et quidem si hic Mahozim pro appellatiuo, munitiones interpretemur, facilis redditur & apta intelligentia: *Et faciet munitiones munitionum*, id est, munitissimas & fortissimas, *cum Deo alieno*, hoc est, construet templa magnifica opere munitissimo, in quibus se Deum spurium & nothum adorari faciet, in quibus se Deum alienum reponet, constituet, & glorificabit. Si verò Mahuzim proprium nomen accipiamus Dei quo se Antichristus iactabit, quodque sibi imponet & indet, erit sensus: *Et faciet munimenta ipsius Mabuzim*, hoc est templa Antichristi, qui se Mahuzim appellabit, id est Deum Mahuzim, seu Omnipotentem, *cum Deo alieno*, id est, qui tamen erit Deus spurius & illegitimus, vel in quibus se collocabit Deum extraneum, alienum, falsum.

Obseruamus etiam partiuciam אַמִּי, interdum sumi pro, id est, nimirum, scilicet, Estque insignis locus 2. Samuelis, 6. v. 4. Hebraice: *Et leuauerunt eam [scilicet Arcam Dei] de domo Abinadab, quae in Ghibbath cum arca Dei, seu id est, vel, scilicet, arcam Dei*. Ita hic: *Faciet munitionibus Mabuzim, id est, [scilicet] Dei alieni*. Ad haec si puncta vel motiones Hebraicas à Massoretis appositae negligamus, possumus, eisdem litteris, mutato tantum Chirik in Patach, legere אַמִּי, populus, dissulabitque haec expositio: *Et faciet munitiones, vel munitionibus Mabuzim populus Dei alieni*. Hoc est populus & sectatores Antichristi, qui erit Deus spurius & alienus, quem cognouit. Hebraea praefertur geminam lectionem, nam in futuro & in praeterito legi possunt. Sed sensus semper idem. Recentiores malunt futurum, quem cognoscat, vel quem cognoscere faciet, quia verbum est ex Hiphil. hoc est, quem Antichristus satis sibi notum & familiarem, ac intimum habebit nempe seipsum: quemque cognosci, venerari & adorari ab omnibus faciet. Fons alios sensus etiam fundit, qui apparebit, ostendetur, aperietur, denudabitur, manifestabitur, ut sit illud Pauli: *Et tunc reuelabitur ille iniquus*. Vel, *Qui aduersabitur*, opponetur, contra, ex aduerso apparebit, ut sit illud Pauli, *Qui aduersatur, & exollitur &c.* Vel, *Qui erit impudens, audax, temerarius*, ut sit illud Danielis, *Consurget rex impudens facie*. Vel *Qui insultabit Diis & hominibus vel, qui erit durus, asper, crudelis*. Vel *Qui erit probrosus, ignominiosus, pudendus*, omnibus nimirum vitiis, sceleribus, probris coopertus. Vel *Qui superbiat*, vel, *qui intrudet sese*, ut sit Deus intrusus. Omnia ista verbum Hacar, seu Nacar complecti, sciunt eruditi. Nescio quid conceperit Sanctes,

ut quàm alienissimè exponeret, ut agnoscere faciat vul-
tum eorum. Vide Lexica Hebraica, seorsim Reuchli-
ni, Sanctis, & Marini, & Forerium in Isaia 3. v.
9. Vide quoque elegantem Hebraicam paronoma-
siam, cum Deo Necar, quem Hachir. Sed ut cernas
vbertatem fontis, subsunt etiam hi sensus: Quem
abscondet, occultabit, vel, Quem claudet, aut Quem
alienabit. Ut indicet, vel quod in occulto Antichri-
stus adoraturus sit diabolum, ut multi volunt, vel
quod in locis munitissimis præcipuè adorationem
Dei Maozim falsi & alieni instituet.

CAPVT XV.

*Quidnam de se, ac de Deo, aliisque rebus
religionis intus in animo crediturus
sit Antichristus.*

Difficilis & ardua videtur hæc peruestigatio: sed
ex gestis, verbisque Antichristi coniecturâ,
nonnulla de his videmur indagare posse. Primum
quum se inter initia regni, Messiam, ut Iudæis im-
ponat, prædicabit: existimamus nihil tale de se cre-
diturum in mente: cum apertè videbit nihil se cum
vero Messia in Scripturis prænunciato commune ha-
bere: sed eam dese famam & opinionem sparsurum,
ut infelices Iudæos ciere turbas & seditiones naros,
decipiat & in partes trahat. Vide Suatem Tomo 2.
in 3. Partem, disputatione 54. Sectione 4. Nisi fortè
existimare quis malit, Antichristum signis & argu-
mentis, ita dementandum à diabolo, ut se verum
Messiam reuera credat.

Insuper, quum Antichristus in horrendam illam
blasphemiam prorumpet, ut repudiato nomine Mes-
siae, ac vero Deo obnegato, se verum Deum mundi
conditorem affirmet, res est difficilis coniectari,
quid de Deo, quid de religione intus in animo sen-
tiet. Visum est Petro Lombardo, Lyrano in Psalm.
9. v. 32. Suari ibidem, alitque, Antichristum fu-
turum atheum, nullumque verum Deum, aut diui-
nam providentiam crediturum: insuper nulla præ-
mia, nullumque supplicium post hanc vitam bene
vel malefacta hominum manere: nullam Deum cu-
ram, aut providentiam esse, ut in illum recte con-
ueniat illud Psalm. 9. 32. *Aurrit faciem suam, ne
videat in finem. Et illud Maronis Egloga 8. v. 35.*

Nec curare Deum credis mortalia quemquam.
Et Lucretij de Deo, lib. 1.

Nec bene pro meritis capitur, nec tangitur ira,
Nec mirum Antichristum futurum atheum, & Deum
contemptorem, multo impudentiorem quàm vllum
quemuis ex atheissimis, & diuinæ providentiæ nega-
toribus: in quo numero censentur Protagoras, Dia-
goras, Theodorus Cyrenæicus, Epicurus, Lucre-
tius, Plinius, Cornelius Tacitus, Lucianus Samo-
satenis, & alij.

Verum ut prius quisque & disertus obseruet, quàm
facile quoduis quantumvis excellens & præstans in-
genium, si diuinæ illustrationis gratia desit pessum
eat, & in profundum errorum barathrum ruat, audi
præclaram illam & in rerum natura prodenda admi-
rabilem Plinij mentem, delire & fanaticè errantem
in explicanda diuinitate. Sic enim lib. 2. cap. 7. dis-
ferit: *Quapropter effigiem Dei, formamque querere,
imbecillitatis humane reor. Quisquis est Deus, (si modo
est alius) & quacumque in parte, totus est sensus, to-
tus visus, totus auditus, totus anima, totus animi, totus
sui.* Et post alia in multitudinem varietatemque
Deorum egregiè declamata, addit. *Deus est mortali*

inuare mortalem, & hac est ad æternam gloriam via.
*Hæc procures iere Romani: hæc nunc celesti passu cum
liberis suis vadit maximus omnis cui rector Vespasianus
Augustus, fessis rebus subueniens. Hic est vetustissimus
referendi benemerentibus gratiam mos, ut tales numinibus
adscribatur. Quippe & omnium aliorum nomina Deorum,
& qua supra retuli siderum, ex hominum nata sunt meri-
tis. Iouem quidem aut Mercurium, aliterne alios inter se
vocari, & esse caelestem nomenclaturam, quis non inter-
pretatione natura fateatur. Irridendum verò, agere cu-
ram rerum humanarum illud quidquid est summum.
Anne tam tristi, atque multipli ministerio non pollui
credamus, dubitemus? Vix prope est iudicare utrum
magis conducatur generi humano, quando aliis nullus est
deorum respectus, alijs pudendus. Externis famulantur
sacris, ac digitis Deos gestant, & monstra quoque co-
lunt: damnant & excogitant cibos: imperia dira in
ipsos, ne somno quidem quieto, irrogant. Non matri-
monia, non libros, non denique quidquam aliud, nisi
iubentibus sacris deligunt. Alij in ipso capitolio fallunt,
as fulminantem peierant Iouem: & hos iurant scelera:
illos sacra sua panis agunt.*

Inuenit tamen inter has virasque sententias medium
sibi ipsi mortalitas numen, quo minus etiam plana de
Deo coniectatio esset. Toto quippe mundo, & locis om-
nibus, omnibusque horis, omnium vocibus Fortuna sola
innocatur: una nominatur una accusatur, una agitur
rea, una cogitur, sola laudatur, sola arguitur,
& cum conuiciis colitur: volubilis, à plerisque vero &
caca etiam existimata, vaga, inconstans, incerta, varia
indignorum fauorix. Huic omnia expensa, huic omnia
feruntur accepta: & in tota ratione mortalium, sola
utramque paginam facit. Adeoque obnoxia sumus sortis,
ut Sors ipsa pro Deo sit, qua Deus probatur incertus.
Pars alia & hanc pellit, astroque suo euentus assignat,
& nascendi legibus: semelque in omnes futuros unquam
Deo decretum: in reliquum verò otium datum. Sedere
cepit sententia hac pariterque & eruditum vulgus, &
rude in eam cursu vadit. Ecce fulgurum monitus, ora-
culorum præcæta, aruspicum prædicta, atque etiam
(parua dictu) in augurijs sternutamenta, & offensio-
nes pedum. Diuus Augustus laeuum prodidit sibi cal-
ceum præposterè inductum, quo die seditione militari
prope afflictus est. Quæ singula improvidam mortalita-
tem inuolunt: solum ut inter ista certum sit, nihil esse
certi, nec miserius quidquam homine, aut superbius.
Ceteris quippe animantium sola victus cura est, in quo
sponte naturæ benignitas sufficit: uno quidem vel præse-
rendo cunctis bonis, quod de gloria, de pecunia, ambi-
tione, superque de morte non cogitant.

Verum in his Deos agere curam rerum humanarum
credi ex usu vite est: penasque maleficiis aliquando seras,
occupato Deo in tanta mole, nunquam autem irritas
esse, nec ideo proximum illi genitum hominem, ut vilita-
te iuxta belluas esset. Imperfecta vero in homine naturæ
præcipua solatia, Ne Deum quidem posse omnia. Nam-
que nec sibi potest mortem consciscere, si velit, quod
homini dedit optimam in tantis vitæ pænis: nec mortales
æternitate donare, aut renocare defunctos: nec facere, ut
qui vixit, non vixerit: qui honores gessit, non gesserit:
nullumque habere in præterita ius, præterquam obliuio-
nis: atque (ut facietis quoque argumentis societas hæc
cum Deo copuletur) ut bis dena viginti non sint: ac mul-
ta similiter efficere non posse: per quæ declaratur haud
dubie naturæ potentia: idque esse quod Deum vocamus.
In hac diuertisse non fuerit alienum, vulgata propter
assiduam questionem de Deo. Hactenus Plinius. Vides
quam impiè, ineptè, ridiculè dissertationem de
Deo peregerit.

Nec dissimili impietate Cornelius Tacitus Anna-
li

li 6. cap. 22. *Sed mihi hæc ac talia audienti, in incerto iudicium est, fatone res mortalium & necessitate immutabili, an forte voluantur, quippe sapientissimos veterum, quippe sectam eorum amulantur, diversos reperies: ac multis insitam opinionem, non initia nostri, non finem, non denique homines diis curæ: ideo creberrima & tristitia in bonos, læta apud deteriores esse. Contra alij, fatum congruere rebus putant, sed non è vagis stellis, verum apud principia & nexus naturalium causarum ac tamen electionem vitæ nobis relinquunt: quam ubi elegeris, certum imminentiū ordinem, neque mala vel bona, quæ vul guspudet: multos qui conflictari aduersis videantur, beatos, ac plerisque quamquam magnas per opes, miserimos: si illi grauem fortunam constanter tolerent, hi prospera inconsulte utantur.*] Affinia his passim reperies in Luciani Dialogis de despectu & irrisu diuinitatis.

Sic igitur existimamus, Antichristum cum extrema superbia se Deum faciet, crediturum certè nullum esse Deum, nullam rerum humanarum diuinam gubernationem aut prouidentiam: sed omnia fato, vel fortè volui. Nihilque amplius curaturum, quam vt omni ope & studio Imperium, gloriam dignitatem, diuitias, voluptates, augeat, stabilit, firmet. Verum illud est coniectatu difficile, quum se Deum iactabit, num reuera eam de se opinionem in animo sit habiturus, se verum Deum esse. Nam sanè cum probe sit futurus mentis compos, quando naturam suam intuebitur, corporisque constitutionem, necessitates, imbecillitates, aspiciet, mirum valde est, sic posse desipere hominem alioqui acutissimum & ingeniosissimum, vt se verum Deum putet, veramque sibi diuinam inesse naturam, cum humanam, carneam, fragilem, vitiisque corporeis obnoxiam experietur. Neque enim tam amens fuit Alexander Magnus, vt cum Deum se assereret, ac Deus à suis diceretur: ipse tamen se Deum, non hominem crediderit. Siquidem hæc de illo, sagitta in crure vulnerato scribit Q. Curtius lib. 8. *Ceterum cum crus saucium penderet; & cruore siccato frigescentis vulnus aggrauaret dolorem, dixisse fertur: Se quidem Iouis filium dici, sed corporis agri vitia sentire.*] Plutarchus Oratione 2. de Fortuna Alexandri: *Ad Afficana Indico telo sauciatus talum est: quoquidem tempore adulatoribus subridens, dixit: Hic quidem sanguis est.*

Non ichor, qualis stillat de sanguine diuinum.] Et in Discrimine Adulatoris & Amici: *Alexander aiebat somno potissimum ac re Venerea se doceri, fidem non esse habendam iis qui ipsum Deum appellabant: quod his duabus in rebus se ipso deterior esset, ac amplius aquo afficeretur.*] Vide plura de his apud Athenæum lib. 6. cap. 13. qui ait *Aristobolus Cassandreu* refert *Dioxippum Atheniensem* *Quinquentionem*, cum vulneratus aliquando fuisset *Alexander*, manante sanguine, dixisse:

Est sanguis qualis diuis fuit ipse beatis. *Philarchus* lib. 6. *Historiarum* tradit, *Nicesiam Alexandri assentatorem*, cum Regem videret sumpto medicamento, cruciari torminibus, dixisse: *Quid o Rex, nobis fiet, quando vos Deos hæc tormenta premunt? Alexandrumque respondisse vix sublati oculis: Quales Deos esse nos aut vereor equidem, ne inuisi diis, inimicique simus.*] *Diogenes Laertius* lib. 9. cap. 10. *Anaxarchus Alexandrum Deum se esse existimantem castigauit: ubi enim quodam ex vulnere sanguinem ei vidit effluere, digitum ad eum intendens, ait: Iste quidem sanguis, & non cruor, qualis sane fuit beatis diuis.* *Plutarchus* autem ipsum *Alexandrum* hoc amicis dixisse ait.] Hæc *Diogenes*. Est autem ille versus *Homericus*.

Verisimile est, Antichristum cum nullum esse ve-

rum Deum, rerum opificem ac prouidentem sit existimaturus, illud proculdubio de se cogitaturum, nimirum, cum ipse ex familiari & intimo conuictu & contubernio dæmonum, eorum mirificas ac præpotentes vires ad quæuis magna patranda, (nam tunc à Deo soluti effusius grassabuntur) sit probe perspecturus: se vnā esse ex consimilibus virtutibus, & naturis, ex naturalium causarum vel fortuito concursu, vel occulto & necessario nexu in corpore enatam, cæterisque validiorem ac potentiorē, cui necessitate quadam fatali aliæ videantur esse subiectæ: quum viderit aereas ipsas & infernas potestates, totamque dæmonum naturam, sibi præstò ad nutum semper adesse, & iussa capessere. Nec dubitamus diabolū tunc, quia perse ita commodè non poterit, quo per improbiſſimum homuncionem orbem corrumpat ac perdat, suæ cessurum superbiz, atque se Antichristo subiectum simulatorum, illique omnem suam operam nauaturum, vt ita dementato scelestissimo nebulone, tragædia impietatis ad viuum peragatur in mundo.

Facile quoque in eam sententiam adducimur, dæmones ipsi Antichristo persuasuros, & illum certissimè imbibiturum, se immortalem haud dubiè futurum. Nec adeo mirabile eam de se opinionem habiturum, cum alij neutiquam in rerum magnitudine cum Antichristo comparandi, eiusmodi grandia de se crediderint, immortalēsque se futuros sperarint. De Pythagora *Ælianus*, lib. 4. *Varia Historiæ*, cap. 15. *Pythagoras homines docuit, se præstantiorum seminum commistione natum esse, quam quod mortalitati esset obnoxius. Nam eodem die, & eadem hora visus est in Metapontio & Crotone: tum in Olympia alterum femur aureum ostendit.*]

De *Ptolemæo Philadelpho* *Ægypti rege*, *Athenæus* lib. 12. cap. 9. hæc scribit: *Idem Scriptor Phylarchus libro vigesimo secundo Historiarum, tradit, Ptolemæum secundum* *Ægypti regem*, omnium suo sæculo Principum grauissimum, & si quis aliis humanioribus disciplinis tractum, ac eruditum, sic dementatum ac perditum importuno luxu, vt sempiternam vitam sibi futuram somniaret, stulte iactans, à se solo repperitam fuisse immortalitatem. Cum igitur per multos dies articulari pedum morbo afflictatus esset, ubi conualuit, per fenestras deorsum apertas *Ægyptios* intuitus ad flumen prandentes, & iis vescentes quæ forte aderant, in sabulo temerè distentos, ac iacentes, *Me miserum, inquit, quod non ex illis vnus sim.*] Sed & *Tribonianus* magni nominis Iurisperitus, qui leges *Iustiniano* Imperatore dictabat, & conscribebat, quas ille promulgabat, eidem *Iustiniano* persuasit, ipsum futurum mortis expertem, de quo *Suidas* ista prodicit: *Tribonianus Macedoniani filius à Dicegoris Hyparchis, gentilis fuit, & impius, omnibus modis à Christiana Religione alienus, adulatori, & impostor: qui persuadere conabatur Iustiniano, cum non moriturum sed cum carne in celum assumptum iri. Fuit autem Questor Iustiniani. Hic & ingenij facultate utebatur, & ad summam peruenerat eruditionem, nemine suæ ætatis inferior &c.*] De eodem *Hesychius Mileſius* de viris claris: *Tribonianus Iustiniano Imperatori adulari, ei persuasit, non moriturum ipsum, sed vna cum corpore raptum, calo immigraturum: erat autem paganus & impius.*] *Sinarum Reges*, proceres, ac Magistratus hoc delirio teneris, vt putent sibi arte, vel medicamentis posse immortalitatem comparare, *Nicolaus Trigauſius* de rebus *Sinicis* lib. 1. cap. 9. pluribus narrat.

Verum de Antichristo æstimet quisque vt libuerit, nos enim ita pro capto nostro differuimus: alioqui non

non nescij, adeo rebus secundis interdum desperatè afferrè humanum ingenium, vt quiduis potius dese quàm humanitatem credat.

ALTERA LIBRI VIII.
PARS, DE MIRACVLIS
ANTICHRISTI.

CAPVT XVI.

*Antichristum ingentia miracula
patraturum.*

INTER omnia quibus maxime capitur, ac persuadetur genus humanum, nihil esse potentius atque efficacius ipsis miraculis, in confesso semper apud omnes fuit. Cum enim vera miracula confici nequeant, nisi virtute diuina, nihil aliud equidem miracula esse videntur nisi patentia quædam edita à Deo testimonia, & inuicta quædam autenticaque veritatis sigilla & oblationes, quibus refragari non possint homines. Sic profectò quorumcumque missionem, legationem, vitam, mores, instituta, prædicationem, doctrinam, attestatione sua comprobare Deus voluit, conspicuamque, ratam ac firmam auctoritate diuina reddere statuit, iisdem planè dotem efficiendorum miraculorum impertiuit: quæ sunt clarissima & firmissima, atque irrefragabilia veritatis signa.

Ita cum Dominus Moſen legatum ad Israeliticum populum amandaret, Moſesque exciperet, Exodi 4. 1. *Non credent mibi, neque audient vocem meam.* Statim illi Dominus amplam miraculorum potestatem tribuit, dicens, vers. 5. *Vt credant, quod apparuerit tibi Dominus.* Et vers. 8. *Si non crediderint, inquit, tibi, neque audierint sermonem signi prioris, credent verbo signi sequentis.* 9. *Quod si nec duobus his signis crediderint, neque audierint vocem tuam, sume aquam fluminis, & effunde eam super aridam, & quidquid hauserit de fluuio, vertetur in sanguinem.* Et vers. 17. *Virgam quoque hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa.* Manifestè eum armat virtute miraculorum, vt fidem ei diuinæ legationis conciliat.

Christus Dominus mittens in mundum Apostolos legatos suos, ad prædicandum Euangelium, & fidem Christianam in cordibus hominum inserendam, cum dixisset, Matthæi 10. 7. *Euntes autem prædicare, dicentes: Quia appropinquauit regnum celorum, immediate subiungit: Infirmos curate, mortuos suscite, leproſos mundate, demones eiicite.* Et de se Dominus Ioannis 5. 36. *Ego autem habeo testimonium maius Ioanne. Opera enim quæ dedit mibi Pater vt perficiam ea: ipsa opera quæ ego facio, testimonium perhibent, de me, quia Pater misit me.* Et Ioannis 10. 38. *Si mibi non vultis credere, operibus credite: vt cognoscatis & credatis quia Pater in me est, & ego in Patre.* Et Ioannis 15. 24. *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Hinc cum Ioannes Baptista misisset ad Christum duos de discipulis suis, dicens illi: *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* Respondens Iesus, ait illis: *Euntes renunciate Ioanni quæ audistis, & vidistis. Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt.* Et de Apostolis missis à Christo post suam Ascensionem, ad prædicandum Euangelium, ait Marcus 16. v. 20. *Illi autem profecti prædicauerunt ubique, Domi-*

no cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.

Et Paulus de se 1. Corinthior 2. 4. *Sermo meus; & prædicatio mea non in persuasibilibus humana sapientie verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis.* Et 2. Corinth. 12. 12. *signa tamen Apostolatus mei facta sunt super vos in omni patientia, in signis & prodigiis, & virtutibus.* Et 2. Theſſalonicenſ. 1. 5. *Quia Euangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantum, sed & in virtute, & in Spiritu sancto, & in plenitudine multa.* Et Hebræorum 2. 3. *Quæ salus cum initium accepisset enarrari per Dominum ab eis qui audierunt, in nos confirmata est, contestante Deo signis & portentis, & variis virtutibus.*

Antichristus igitur natus ad orbis perniciem, vt suam veneno plenissimam doctrinam, & leges, quibus mortales perdantur: ac diuinitatem suam falsam & eumentiam, validè confirmet ac stabiliat, miraculorum operationem mentiri ac suffurari modis omnibus conabitur. Edetque ad obſtupesciendos, & in admirationem, atque errorem propellendos homines, signa ingentia, atque prodigia, nimirum opera in speciem maxime admiranda, & prorsus stupenda: quæ vera miracula, virtute diuina designata reputari etiam à prudentissimis possint: cum tamen futura sint reuera falsissima. De quibus iam fideles suos multo ante Christus præmonuit, Matthæi 24. 23. *Tunc si quis vobis dixerit, Ecce hic est Christus, ecce illic, nolite credere: surgent enim pseudochristi, & pseudoprophete, & dabunt signa, & prodigia, vt in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi.* Hunc enim locum præcipue de Antichristo, eiusque ministris intelligi, qui sint extremo mundi tempore admiranda multa prodigia in confirmationem erroris effecturi, inferius lib. 9. cap. 10. copiose ostendemus.

Paulus etiam de Antichristo, omnium consensu, loquens 2. Theſſalonicenſ. 2. 9. inquit: *Cuius est aduentus secundum operationem satanae, in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacibus, in omni seductione iniquitatis, iis qui pereunt.* Ioannes etiam citra controuersiam de Antichristo vaticinans, Apocalypſ. 13. 2. ait: *Et dedit illi [Antichristo] draco [diabolus] virtutem suam, & potestatem magnam.* Et vidi vnum de capitibus eius quasi occisum in montem: & plaga mortis eius curata est. Et admirata est vniuersa terra post bestiam. Et de Armigero seu Antesignano vel Præcurſore Antichristi, ita scribit vers. 13. *Et fecit signa magna, vt etiam ignem faceret de calo descendere in terram, in conspectu hominum: et seduxit habitantes in terra propter signa, quæ data sunt ei facere in conspectu Bestiæ [Antichristi] Et datum est illi, vt daret spiritum imagini Bestiæ, & vt loquatur imago Bestiæ.*

Patres quoque omnes admirabili consensu docent, Antichristum innumera, maximaque miracula effecturum: cum nulli dubium esse possit, Patres & quouis Orthodoxos, nihil aliud de miraculis Antichristi potuisse procedere, contra quàm de his in sacris litteris esset expressum. At quanam peculiariter sint ab Antichristo patranda miracula, disquiramus. lib. 2. Pseudosibyllinorum hæc canuntur.

*Humani generis strages, & maxima messis
Instat: cum quidam pro vatibus insinuat,
Fallaces aderunt in terris vaticinantes:
Et Belial veniet, facietque insignia multa
Inter mortales, tunc sancti funditus, atque
Electi, fidelique, euerſi diripientur.*

Et initio lib. 8.

*Ex Sebastenis, [id est Augustinis, vel Augustanis]
autem volentibus annis,*

Adueniet

Adueniet Belial, qui celsa cacumina montes,
 Qui mare, qui magni lucentem, lampada solis,
 Qui claram lunam, qui sistet lumine cassos,
 Multaque signa quidem faciet mortalibus, at non
 Vera, sed error ibi suberit, fallētque frequentes
 Fidos, electos, Hebraeos, lege carentes,
 Atque alios, nondum quibus est audita Dei mens.
 Sebastianus Castalio istis huiusmodi affixit notam:
 Ex Augustinis. Augustinos vocat ciuitatem qua paruit
 Augustis, qua in Apocalypsi, ut & à Sibylla pag. 195.
 Septicollis appellatur. Ex hac venturus est Belial, qui
 à Sibylla Belias vocatur: sicut à Græcis Annibas dicitur,
 qui est Annibal. Quamquam Belier paulo post
 appellatur. Sed nihil refert. Is est, qui in sacris litteris
 vocatur Antichristus & Homo perditus. Nam hoc significat
 Hebraico sermone Belial. Est autem diligenter
 animaduertendum, quemadmodum Christus cum iam
 adesset, tamen expectabatur: idem etiam in Antichristo
 accidere.] Vides, lector quod hæc Nouatoris spectent:
 nempe quod Antichristus è Roma veniat, & quod
 iam sit in Romanis Pontificibus. Os blasphemum.
 Guillelmus Alabaster Angelus in Apparatu in Reuelationem
 Iesu-Christi, cap. 12. pluribus contendit Sibyllinum istud
 oraculum propriè de Martino Luthero editum, mirificèque in illum
 conuenire. Tu ipsum consule. Cæterum castalionis Notæ hanc
 aliam subiecit Ioannes Obsopæus Brettanus: Censet
 verò vir doctissimus Ioannes Sanctandreas Sebastionem
 potius de Samaritanis accipiendum, quod Herodes Samariam
 olim solo equatam a fundamentis suscitans, in honorem Augusti,
 Sebastem, hoc est, Augustam appellauerit, interprete D. Hieronymo in
 Eusebii chronico: & Stephanus de Urbibus, gentile Sebastenos à
 Sebastè Samaria urbis deriuauerit. Antichristum autem è
 Samaria verisimile est, proditurum, cum olim ex illa impietas,
 & idololatria in populum Israeliticum disseminata fuerit.
 Vnde Deus per Prophetam ait: propter impietatem Iacob omnia
 hæc, & propter peccatum domus Israel. Que impietas Iacob?
 nonne Samaria? Videtur attamen Castalionis interpretatio non malè
 quadrare, cum Sebastos secundum Pausaniam, secundum
 Romanam linguam Augustus dicatur. Sed nollem Sebastionem
 ad certam urbem restrinxisset, cum generaliter omnibus locis
 Augustorum siue Caesarum Imperio, tam in Oriente quam in
 occidente subiectis, id interpretari licet. Quamquam Irenæus è
 Latina Ecclesia Antichristum oriundum arbitretur, quod littere dictio-
 nis *κατ' ἐν*, Bestia numerum in Apocalypsi reuelatum conficiant.
 Post ista litteris mandata monuit me vir optimus Petrus Pithecius, Ex Sebasthenis, simpliciter,
 Ex Augustis vertendum, & per Belial Neronem Augustum
 intelligendum esse, qui vltimus Caesarum fuit, & Antichristus
 futurus putabatur, non modo à Sibyllinorum carminum auctore,
 sed etiam ab aliis.] Hæc ille. At Antichristum nec oriturum,
 nec venturum è Roma superius lib. 3. cap. 17. & lib. 6. cap. 1. satis
 demonstraui. Illud verò, Antichristum oriturum ex Ecclesia latina
 falso falsius, & impium est, ut toto hoc opere euincimus.
 Ego simpliciter, Ex Sebastenis, id est, ex Samaritis aut
 Samaria venturum Antichristum intellexerim, quod in ea
 Palæstinæ parte potissimum versabitur, & quod Samariæ impietas
 acriter in Scriptura proscinditur: vel post deletum Romanum
 Imperium Augustum.

S. Hippolytus Martyr Oratione de Consummatione mundi, hæc de miraculis Antichristi planè stupenda refert:
 Antichristus edet prodigia, leprosos mundando, paralyticos excitando,
 expellendo demones, longinqua non aliter quam presentia denuntiabit,
 excitabit mortuos.] Et post alia: *Ve uniuersum genus ho-*

minum in fossam interitus coniciat, signa falsa multiplicabit. Cunctis enim populis fausta omnia acclamantibus,
 propter obiectas species, vehementi & grandi voce clamabit, ita ut moueatur locus, in quo turba adstiterint
 ei: Perspicite populi, tribus, ac gentes, magnam meam potestatem ac
 potentiam, vireſque imperij mei. Quis princeps tam potens atque ego?
 quis Deus magnus præter me. Potentia mea quis resistet? Transferet montes
 ante oculos spectantium, siccis pedibus ambulabit super mare,
 deducet ignem è calo, conuertet diem in tenebras, & noctem in diem:
 solem circumaget quò libuerit: & ut semel dicam, elementa omnia terra,
 marisque vi oblata apparitionis a se coram spectantibus obtemperare sibi demonstrabit.] Et inferius: demones enim suos velut splendentes
 Angelos reddet, innumerasque copias spirituum incorporeorum adducet:
 & coram omnibus in calum assumi se demonstrabit, cum tubis, sonis, & clamore
 valido prædicantium illum hymnis indicibilibus. Itaque ille tenebrarum
 hares, instar lucis fulgens, interdum volitans in calos, quandoque
 descendens cum gloria magna super terram, nonnumquam demonibus
 imperans, velut angelis, ad iussa sua peragenda cum timore, &
 tremore multo, confestim mittet demonum cohortes, &c.] Hactenus
 S. Hippolytus, cuius vestigia se-
 statas.

S. Ephraem Syrus Sermone de Antichristo hæc scribit: Prodigia quoque ac signa, terroresque portendens,
 ut si fieri posset, in errorem etiam ipsos conduceret Dei electos:
 omnesque decepturus in falsis ac mendacibus signis, prodigiorumque
 imaginationibus, qua ab illo fient. Signa & prodigia in magna
 potestate a sceleratissimo dracone perscuerentur: quando rursus
 seipsum ut Deum ostentabit, formidabilibus portentis per aera
 volitans, cunctique demones in forma Angelorum cum timore
 coram Tyranno in aere sublimes volitare conspicientur. Clamabit
 enim cum fortitudine, etiam formas immutans, ad immensum
 terrorem cunctis incutiendum hominibus.] Et post multa: Antichristus
 signa varia atque terrores multiplicans falsò etiam & non vere eius-
 modi ostentabit. Montes autem hoc modo transferre atque mouere
 fallaciter & minime verè videbitur: Et enim adstante circumcirca
 maxima populorum, gentiumque multitudine, eum propter phantasmata
 laudantium, vehementissimam emissurus est vocem sceleratus, adeo
 ut locus totus moueatur, in quo turba ei assistebant: palamque
 tanquam Deus dicturus est impiis: cognoscite vniuersi populi,
 magnam potestatis mee virtutem. Ecce ego coram vobis omnibus,
 præcipio monti huic magno atque excelsò, qui è regione est,
 ut emigret è loco ubi est transietum, huc nunc ad nos, in verbo meo.
 Dicitque sceleratus ille, Tibi mons iubeo, uti huc confestim inde per
 mare transietes. Et currere videbitur mons coram cunctis
 turbis spectantibus, licet omnino à suis limitibus fundamentis
 non sit motus. Nam qua altissimus ab initio creationis firmavit,
 & in sublime exiit, in iis nequaquam sceleratissimus ille
 potestatem habebit: sed mundum magicis suis portentis decipiet.
 Rursus autem alteri monti, in profundo maris magni insula maxime
 sita iubebit sedem, locumque mutare, & in arida consistere,
 in incundis littoribus, ad oblectationem spectantium. Et licet
 insula omnino non moueatur ex mari, tamen sicut mons in
 arida, conuentibus apparebit. Rursusque idem illa Draco
 expansis manibus innumera-bilem multitudinem congregabit
 serpentum, & auim, carnibus humanis vescentium. Super
 abyssum similiter incedet, & in ea ut super terram se ambulare
 simulabit. Ficta autem ab eo erunt omnia, & multi his credent,
 & ut Deum fortem ipsum glorificabunt.] Hæc S. Ephraem.

Lactantius Firmianus lib. 7. cap. 17. de Antichristo

sto: Et dabitur ei potestas, ut faciat signa & prodigia, quibus visis, irretiat homines, ut adorent eum. Iubeat ignem, descendere de celo, & solem à suis cursibus stare, & imaginem loqui. Et fient hæc sub verbo eius: quibus miraculis etiam sapientium plurimi allicientur ab eo.] Rabbanus Opusculo de Antichristo: Faciet quoque signa multa, magna, mirabilia & inaudita: arbores scilicet subito florere, & arescere, mare turbare, agitari aëra ventis, & multimodis commotionibus, & cætera innumera & stupenda: mortuos in conspectu hominum suscitari. S. Anselmus in Elucidario: Faciet enim stupenda miracula, ut iubeat ignem de celo descendere, & aduersarios suos coram se consumere: & mortuos surgere, & sibi testimonium dare.] Alias Patrum sententias de miraculis Antichristi, reddemus infra, cap. 26.

Et facile suspicari quisque poterit, Antichristum initio, præcipue illa exhibiturum miracula, quæ Iudæis genti vanissimæ sciet fore maximè concupita, atque gratissima. Ut signa de celo, quæ à Christo Domino impudenter efflagitarunt: nimirum, More Iosue Imperatoris solem sistere: & Ezechia, retro agere: Æstiuo tempore mugire tonitrua, imbres ruere, ut à Samuele quondam factum est: Ignem de celo deducere ad vindictam sibi aduersantium, aut certè ad stuporem admirationemque visentium, quale olim Elias non semel fecit. Insuper memorabilia illa facinora à Mose in Ægypto, & in Exodo patrata, maiori ex parte, imò forsitan omnia, ac longe plura ac maiora perficere tentaturum, ut se quoque Mose præstantiorem demonstret: unde, Mare diuidet, Manna de celo prolucet: Aquas largissimas exdurissimis cautibus exprimit: Aues rarissimas & saporis exquisitissimi, Mosais coturnicibus meliores ad nauseam vsque suorum in cibum conuolare faciet: Columnas igneas, micatus flammantes, siderum monstrificos concursus, mirabiles casus, ac commotiones in celo efficere videbitur. Ut nihil planè à quoquam vel propheta, vel magno viro olim in veteri Instrumento arduum & admirandum factum prodatur, quod ipse Antichristus potentius & mirificentius non perficiat. Existimamus etiam, miracula quæ propheta cecinerunt Christum effecturum, & quæ Iudæi sperant à suo Messia, Antichristum ostensurum, ut votis eorum abunde satisficiat, ac se illi Messiam prober. Quocirca in verticibus montium locis alioqui aridis, ac sterilibus vberissimum frugum ac segetum prouentum edet, quod Iudæi è Psalm. 71. 16. futurum credunt. Rursus crudeles & indomitas feras mansuefaciet, depositaque feritate herbas cum securibus animantibus mandere imperabit. Venenatis & noxiis serpentibus, ut aspidibus, viperis, regulis, & id genus virus obtundet, volèque videri prorsus innocuas. Quæ omnia Iudæi suum putant præstaturum Messiam, è vaticiniis Isaia 11. vti obseruauerunt Galatinus lib. 5. Finis lib. 7. Costus in Typo Messia, & alij.

Addunt alij, Antichristum ea potissimum repræsentaturum miracula, quæ stulto vulgo, & indoctis ac curiosis hominibus ingentem admirationem ac stuporem adferre solent. Istius generis sunt, facere muta animalia humano loqui sermone: infantes & idiotas variis loquilinguis: & de abstrusissimis Theologiæ ac diuinæ Scripturæ difficultatibus, atque de Scientiarum diuersarum subtilissimis quæstionibus clarè & distinctè disserere. Eticere palà dæmonia ex obsessis corporibus, exerta voce clamantia, ipsum esse Messiam, ac verum Deum. Cælum rescindere, indeque fulgentissimos Angelos deuolare super ipsum, circumstare, circumfundi, & in morem Cherubinorum obtegere Tonitrua illa fulgura, nubes, nebulas, fragores, gloriam, signa diuinæ præsentia, quibus olim Deus in veteri Instrumento

Tom. II. De Antichristo.

vtebatur, circū se constituere. Et iis innumera alia quæ vix mète concipi possint. Vide Pereriu 1. 14. in Danielé.

CAPVT XVII.

Antichristum ea potissimum effecturum miracula, quæ magis mirentur homines.

Admiranda illa quæ ethnici poetæ tradunt magicis carminibus patrari: quæque horrenda & prodigiosa vnquam in mundo contingere, haud dubie efficere tentabit Antichristus. Qualia illa apud Virgilium 4. Æneidos.

Sistere aquam fluminis, & vertere sidera retro.

Et Ecloga 8.

Carmina vel calo possunt deducere lunam.

Ouidius de Canente Pici vxore, 14. Metamorphoseos:

siluas & saxa mouere,

Et mulcere feras, & flumina longamori

Ore suo, volucresque vagas retinere solebat.

Tibullus Lib. 1. Elegia 2. de maga:

Hanc ego de calo ducentem sidera vidi,

Fluminis hæc rapidi carmine vertit iter.

Hæc cantu finditque solum, manesque sepulchris

Elicit, & rapido deuocat. ossa rego.

Quum lubet hæc tristi depellit nubila calo:

Quum libet æstinas deuocat ore niues.

Et Eligia 8.

Cantus vicinis fruges traducit ab agris

Cantus & irati detinet anguis iter.

Cantus & è curru lunam deducere tentat,

Et faceret, si non era repulsa sonent.

Ouidius de Mædea:

Ille reluctantem cursu deducere lunam

Nititur, & tenebris abdere solis equos.

Ille refrenat aquas, obliquaque flumina sistit,

Ille loco siluas, vniague saxa mouet.

Et ipsa Mædea apud eundem Ouidium iactat:

Quum volui ripis ipsis mirantibus, amnes

In fontes redire suos, concussaque sisto,

Stantia concutio, cantu freta, nubila pello,

Nubilaque induco, conuulsaque roborata terra,

Et siluas moueo, iubeoque tremiscere montes,

Et mugire solum, manesque exire sepulchris.

Te que Luna traho. —

Horatius Epodis, Ode 5. de maga Folia:

Quæ sidera excantata voce Thessala.

Lunamque calo deripit.

Et Ode vltima:

— & polo

Deripere lunam vocibus possum meis,

Possum crematos excitare mortuos.

Petronius Arbitr in Satirico, pag. 187. inducit Enotheam magam gloriantem:

Quidquid in orbe vides, paret mihi, florida tellus,

Quum volo, siccat, arescit languida succis:

Quum volo, fundit opes, scopuli atque horrida saxa

Niliacas iaculantur aquas: mihi pontus inertes

Summittit fluctus, Zephyrique tacentia ponunt.

Ante meos sua flabra pedes: mihi flumina parent:

Hircanæque tygres, & inssi stare dracones.

Quid leniora loquor? Luna descendit imago

Carminibus deducta meis, trepidusque furentes

Flectere Phæbus equos reuoluto cogitur orbe:

Tantum dicta valent! —

— his ego callens

Artibus I dæo frutices in gurgite sistam

Et rursus flumens in summo vertice ponam.

Nemesianus Ecloga. 4.

Cantauit quod luna timet, quo rumpitur anguis,

Quo currunt scopuli, migrant saxa, vellitur arbor.

Lucanus 6. Pharsaliæ de magica potentia:

K

Cessauere

Cessare, vices rerum, dilataque longa
 Hæsit nocte dies: legi non paruit æther.
 Torpuit & præceps audito carmine mundus:
 Axibus, & rapidis impulsos Iupiter vrgens
 Miratur non ire polos: nunc omnia complent
 Imbribus, & calido producunt nubila Phæbo,
 Et tonat ignaro calum Iove, vocibus iisdem
 Hæmantes latè nebulas, nimbosque solutis
 Excussere comis, ventis cessantibus, æquor
 Intumuit: rursum vetitum sentire procellas
 Conticuit turbante Noto, puppimque ferentes
 In ventum tumuere sinus. De rupe pependit
 Abscissa fixus torrens, amnisque cucurrit,
 Non qua pronus erat. Nilum non extulit ætas,
 Meander direxit aquas, Rhodanumque morantem
 Precipitavit Arar. summisso vertice montes
 Explicuere iugum, nubes suspexit Olympus,
 Solibus & nullis Scythica quum bruma rigeret,
 Dimaduere nives: impulsam sidere Tethyn
 Reppulit Emonidum, defenso littore carmen.
 Terra quoque immoti concussit ponderis axem,
 Et medium vergens titubavit nixus in orbem.
 Tanta molis onus percussum voce recessit,
 Prospectumque dedit circumlabentis Olympi.
 Et post pauca, de eisdem carminibus magicis:

— An habent hæc carmina certum
 Imperiosa Deum: qui mundum cogere, quidquid
 Cogitur ipse, potest? Illis & sidera primum
 Precipiti deducta polo, Phæbeque serena
 Non aliter diris verborum obfessa venenis
 Palluit, & nigris, terrenisque ignibus arsit,
 Quam si fraterna prohiberet imagine tellus
 Insereretque suas flammis celestibus umbras:
 Et patitur tantos cantu depressa labores,
 Donec suppositas propior desumet in herbas.
 Apud Senecam in Medea, Actu 4. ait Medea:
 Nunc meis vocata sacris noctium sidus veni,
 Pessimos induta vultus, fronte non una minax.
 Et euocavi nubibus siccis aquas,
 Egique ad ima maris: & Oceanus graues
 Interius undas æstibus victis dedit:
 Pariterque mundus, lege confusa ætheris,
 Et solem & astra vidit: & vetitum mare
 Tetigisti Vrsa. temporum flexi vices:
 Æstiva tellus floruit Cantu meo:
 Messum coacta vidit hibernam Ceres,
 Violenta Phæbis vertit in fontem vada,
 Et Ister in tot ora diuisus, truces
 Compressit undas omnibus ripis piger:
 Sonuere fluctus, sonuit insanum mare
 Tacente vento: nemoris antiqui domus
 Amisit umbram, vocis imperio mea.
 Die relicto Phæbus in medio stetit:
 Hyadesque nostris cantibus mota labant.
 Et in Hercule Oetæo, Actu 2. maga inquit:
 Vernare iussi frigore in medio nemus,
 Missumque fulmen stare: concussi fretum
 Cessante vento, turbidum explicui mare:
 Et sicca tellus fontibus parui nouis:
 Habuere motum saxa, discussi fores:
 Umbra stetiſtis, & mea iussi prece,
 Manes loquuntur, sonuit infernus canis:
 Mare, terra, calum, & tartarus seruit mihi.
 Nox media solem vidit, & noctem dies.
 Nihilque leges ad cantus meos tenent.

Claudianus lib. 1. in Rufinum:

— Noui quod Thessala cantu
 Eripiat lunare inbar. —
 Ire vagas quercus, & flamina stare coëgi,
 Versaque non prono curuavi flumina lapsu,

In fontes reditura suos. —

Lucianus in Philopseude de Chaldaeo quodam: *Tura lunam detraxit.* [Apulejus, lib. 1. Agni: *Ain tandem? inquam: potens illa & regina canpona, quid mulieris est? Saga, inquit, & diuini potens, calum deponere, terram suspendere, fontes durare, montes diluere, manes sublimare, Deos infirmare, sidera extinguere, tartarum ipsum illuminare.*] Et lib. 2. de Pamphile: *Maga primi nominis, & omnis carminis sepulchralis magistra creditur: quæ surculis, & lapillis, & id genus friuolis inhalatis, omnem istam lucem mundi fæderalis, cinis tartari, & in vetustum chaos submergere nouit.*]

De Annibus verò tetto fluentibus Dionysius Halicarnasseus lib. 7. Tito Gegano, Publio Minutio Coss. admirandum prodigium apparuit, quale nunquam aut apud Græcos, aut Barbaros vsquam accidisse memoratur. Nam amnes, quorum alter Vulturius, alter Glanis vocantur, omisso naturali cursu, aquas reuolserunt, & ab ostiis ad fontes suos recurrerunt, eumque cursum diu tenuerunt. [Et Plinius lib. 2. cap. 103. *Amnes retrò fluere, & nostras vidit ætas Neronis Principis annis supremis, sicuti in Rebus eius retulimus.*] Robertus de Monte in Chronico, anno Domini 1118. *Mosa etiam fluminis iuxta Abbatiam, quæ dicitur Sustula, quasi pendens in aëre fundum suum visus est deseruisse.*] Chronica Hirsaugiensia, auctore Ioanne Trithemio, anno Domini 1117. *Padus etiam unus de quatuor Europe maioribus fluuiis, de suo loco in altum se erigens, ita in modum fornicis à terra stabat eleuatus ut inter terram & aquam via pateret transcurrentibus. Quumque sic diuini aqua penderet in aëre, tandem in semetipsam collisa cum tanto strepitu ab alto dimittitur, ut sonitus illius per multa miliaria audiretur.*]

Plinius lib. 2. cap. 8. Non minus mirum ostentum & nostra cognouit ætas, anno Neronis Principis supremo, sicuti in Rebus eius exposuimus, prætis, oleisque intercedente via publica, in contrarias sedes transgressis, in agro Marrucino, prædiis Vectij Marcelli equitis Romani, res Neronis procurantis. [Et lib. 17. cap. 25. *Super omnia quæ unquam audita sunt, erit prodigium in nostro aëre, Neronis Principis ruina factum in agro Marrucino, Vectij Marcelli è primis equestriſ ordinis oliueti uniuerso viam publicam transgresso, aruisque inde è contrario in locum oliueti profectis.*] In Peruenſi regione anno Domini 1581. oppidum Angoangum motu terræ loco diuulsam & excussum decurſiſse integrum spatio ferme duarum leucarum, ac substituisse, Auctor est Iosephus Acoſta in Rebus Indicis lib. 2. cap. 28.

In Miscella Historia lib. 21. cap. 19. hæc produntur: In ipſo anno decimo Imperij Leonis, [qui ipſi auctori est Christi 719. aliis 726.] æstiuo tempore, vapor ut ex camino ignis visus est ebullire inter Theram & Theraſiam inſulas ex profundo maris, per aliquot dies: quo paulatim incrassato & dilatato, igniti æstus incendio totus fumus igneus monstrabatur. Porro crassitudine terrena substantia petrinis pumices grandes, ut cumulos quosdam transmisit per totam minorem Asiam, & Lesbos, & Abidum, & maritima Macedonia. ita ut tota superficies Maris his pumicibus eſſet repleta. In medio autem tanti ignis, inſula ex terra congerie facta, inſula qua Sacra dicitur, copulata eſt, nondum prius exiſtens. Verum sicut prædicta Thera, & Theraſia inſula quondam ebullierunt, &c.] Eadem ad verbū habet Cedrenus in Annalib. pag. 373.

Sed multo ante Strabo lib. 1. in eisdem inſulis simile portentum accidisse refert, in hunc modum: Nam medio inter Theram & Theraſiam loco, è mari flamme emicuerunt per dies quatuor, adeo ut totum ferueret, atque arderet mare: eaque paulo elatam veluti inſtrumentis quibusdam atque è massis compositam inſulam ediderunt, ambitu duodecim ſtadiorum, postquam

postquam illud incendium cessauit, primi omnium Rhodij tunc maris imperium tenentes, ausi sunt ad locum istum nauibus accedere. Et sanum Neptuno Asphalio (qua vox stabilitorem aut fundatorem indicat) in ista insula ponere.] At de his vide latius Senejam lib.6. Naturalium Quaestionum, cap.21. Plinium, lib.2. cap.87. Iustinum, lib.30. Eusebium in Chronico, Numero M. DCCC. XVIII. Casaubonum in Notis ad Strabonem, & Scaligerum in Animaduersionibus ad Chronicon Eusebij: nam non semel eam insulam enatam, ex auctoribus liquet.

In eadem Historia Miscella, lib.22. cap.22. mirabile portentum narratur, hisce verbis: Anno vero eodem [Constantini Copronymi nono, qui auctori est Domini 742. alij 749.] terremotus factus est in Syria, & ingens ac terribilis casus: unde ciuitatum alia quidem penitus exterminata sunt, alia vero mediocriter, alia autem à montanis ad subiecta campestria cum muris & habitationibus suis integra migrauerunt & saluae, quasi ad miliaria sex, vel etiam modicum quid ultra. Denique adfenerauerunt hi qui propriis visibus terram Mesopotamiae contemplati sunt, in longitudine disruptam fuisse ad miliaria duo, & ex profundo eius ascendisse aliam terram nimis albam & arenosam, de cuius medio ascendit, ut aiunt, animal multum incontaminatum, loquens humana voce, & praenuntians gentis incursionem ab eremo aduersus Arabes, quod & factum est.] Eadem habet Cedrenus in Annalibus, pag.380.

Plinius lib.2. cap.83. Factum est semel, quod eundem in Hetrusiae disciplina voluminibus inueni, ingens terrarum portentum, L. Marcio, Sexto Iulio Coss. in agro Mutinensi. Namque montes duo inter se concurrerunt, crepitu maximo assultantes, recedentesque: inter eos flamma, fumoque in caelum exeunte interdiu, spectante è via Emilia magna equitum Romanorum, familiarumque, & viatorum multitudine. Eo concursu villa omnes elise, animalia permulta, qua intra fuerant, exanimata sunt, anno ante sociale bellum: quod haud scio an funestius ipsi terrae Italia fuerit, quam ciuilia.] In Historia Miscellae lib.22. cap.4. refertur: Eodem anno [secundo Constantini Copronymi, & Christi 734. aliis, 742.] pluuia defectus, & terremotus per loca facta sunt, ita ut montes vnirentur ad inuicem per eremum Saba, & Castella in terram mergerentur absorpta.] Eadem scribit Cedrenus in Annalibus, pag.378. Sigebertus in Chronico: Anno Domini 562. in Gallia mons super Rhodanum fluitum multis diebus dans mugitum, tandem ab alio monte sibi vicino discissus, cum Ecclesiis & domibus, hominibus, & bestiis, in Rhodanum precipitatus est.] Genebrardus lib.4. Chronographiae: Anno 1571. in Anglia mons sat procul à mari distans, motus est suo loco euerfis radicibus arboribus, &c.]

Montes vero ex vno in alium locum fide & precibus quorundam sanctissimorum virorum translatos aliquando fuisse, constat. Nam S. Gregorium Thaumaturgum Neocaesarea urbis in Ponto Episcopum verbo montem dimouisse, ut locus condendae Ecclesiae suppeteret. S. Gregorius Nyssenus in Vita eiusdem Thaumaturgi, & S. Gregorius Papa Dialogo 1. cap.7. perscribunt. Idem praestitisse S. Nonnosum Abbatem, idem S. Gregorius Papa eodem loco narrat, & attestatur etiam Romanum Martyrologium 2. Septembris. Hoc etiam fecisse virum quendam Christianum apud Mahometanos in vrbe Taurisij, auctor est Marcus Paulus, lib.1. Regionum Orientalium, cap.18. S. Theodorum Siceotam Anastasiopolis Episcopum ingens saxum loco separasse, Georgius Presbyter in eius Actis apud Surium Tomo 2. testatur,

Sed & de S. Agapito Synnadae in Phrygia Episcopo haec refert Suidas. Agapetus Synnadorum Episcopus, quem Eusebius Pamphylus multum celebrat, mentionem faciens ingenium eius miraculorum: ut sunt, Translationes montium & fluminum: Et mortuorum resurrectiones: quem dum miles esset, Maximinus ut Christianum occidere voluit, quod multos eius facta supra modum mirari videret.] Haec Eusebij nunc non extant.

Inferenda quoque hic sunt miranda quae Guilielmus Neubringensis, lib.1. de Rebus Anglicis, cap.27. ita narrat: Nec praetereundum videtur inauditum seculi prodigium, quod sub rege Stephano in Anglia, noscitur euersisse. Et quidem diu super hoc cum tamen à multis predicaretur, haesitavi: remque vel nullam, vel abditissimam rationis in fidem recipere ridiculum, mihi videbatur: donec tantorum & talium pondere testium ita sum obrutus, ut cogere credere & mirari, quod nullus animi viribus possum attingere vel rimari. Vicus est in Estanglia, quatuor vel quinque, ut dicitur miliaris distans a nobili monasterio beati regis & martyris Edmundi. Iuxta quem vicum quadam antiquissima fossa visuntur, quae sermone Anglia Vulpaeus, id est, luporum fossa dicuntur, & vico, cui adjacent, suum nomen indulgent. Ex his fossis tempore messis, & occupatis circa frugum collectionem per agros messoribus: emerferunt duo pueri, masculus & femina, toto corpore virides, & coloris insoliti, ex incognita materia veste operiti. Cumque per agrum attoniti oberrarent, comprehensi à messoribus, ducti sunt in vicum: multisque confluentibus ad tantae nonitatis spectaculum, per dies aliquot tenti sunt cibi expertes. Cum ergo inedia iam penè deficerent, nec tamen aliquid ciborum, qui offerebantur, attenderent: fortè ex agro contigit fabas inferri: quas illico arripientes, legumen ipsum in thyrsis quaesierunt, & nihil in concauitate thyrsorum inuenientes amare fleuerunt. Tunc quidam eorum qui aderant, legumen ex cortibus erutum porrexerit eis, quod statim libenter acceptum, comederunt. Hoc cibo aliti sunt per menses aliquot, quousque panis usum nouerunt. Denique colorem proprium, ciborum nostrorum praevalente natura, paulatim mutantes, & similes nobis effecti: nostri quoque sermonis usum didicerunt. Visumque est prudentibus, ut sacri Baptismatis perciperent sacramentum, quod & factum est. Sed puer qui minor natu videbatur, post baptismum breui viuens tempore, immatura morte decessit sorore incolumi permanente, & nec in modico à nostri generis feminis discrepante. Quae nimirum post apud Lennam, ut dicitur, duxit maritum & ante annos paucos superstes esse dicebatur.

Sanè cum iam nostra usum loquela haberent, interrogati, qui & unde essent, respondisse feruntur: Homines de terra Sancti Martini, qui scilicet, in terra natiuitatis nostra praecipua venerationi habetur: consequenter interrogati ubinam esset terra illa, & quomodo exinde aduenissent huc, utrumque, inquirunt, nescimus. Hoc tantum meminimus, quia cum quodam die pecora patris nostri in agro pascemus, sonitum audiuimus, qualem nunc apud Sanctum Albanum, quum signa concrepare dicuntur, audire solemus. Cumque in sonitum illum quem admirabamur, animo intenderemus: repente tanquam in quodam mentis excessu positi, inuenimus nos inter vos in agro, ubi metebatis. Interrogati, utrum ibidem vel in Christum crederetur, vel sol oriretur: terram illam Christianam esse, & Ecclesias habere dixerunt. Sed sol, inquirunt, apud nostrates non oritur, & eius radiis terra nostra minimè illustratur, illius claritatis modulo contenta: quae apud nos solem vel orientem praecedit, vel sequitur Occidentem. Porro terra quadam lucida non longe à terra nostra aspicitur amne largissimo

utramque dirimente. Hæc & multa alia, quæ retexere longum est, curiose percontantibus respondisse feruntur. Dicat quisque quod voluerit, & ratiocinetur & his, ut poterit: me autem prodigiosum, mirabilemque euentum exposuisse non pigeat.] Huc usque Guilielmus.

Sed non pigeat eandem narrationem verbis quoque Radulphi Cisterciensis Monachi, qui Guilielmo fuit Synchronos, uti à Ioanne Picardo in Notis ad Guilielmum adducuntur, hinc describere: ait enim: Aliud quoque mirum priori [hominem sylvestrem eodem repertum tempore intelligit] non dissimile in Suffolke contigit apud sanctam Mariam & Vulpes: Inuentus est puer quidam cum sorore sua ab accolis loci illius iuxta oram foveæ, quæ ibidem continetur, qui formam omnium membrorum ceteris hominibus similem habebant: sed in colore cutis ab omnibus mortalibus nostra habitabilis terra discrepabant. Nam tota superficies cutis eorum, viridi colore tingeatur. Loquelam eorum nullus intelligere potuit. Hi igitur ad domum Domini Richardi de Culne cuiusdam militis, præ admiratione apud Vikes adducti, inconsolabiliter flebant. Panis ac cetera cibaria eis apposita sunt: sed nullis escis, quæ eis apponebantur, vesci volebant: cum utique maxima famis inedia diutius cruciarentur, sicut puella postmodum confessa est: tandem cum fabæ noviter cum stipitibus abscissa in domum adportarentur: Cum maxima aviditate innuerunt, ut illæ darentur sibi. Quæ coram eis allatæ, stipites aperuerunt, non fabarum folliculos, putantes in concavitate stipitum fabas contineri. Sed fabis in stipitibus non inuentis iterum flere ceperunt. Quod ubi adstantes animadverterunt, folliculos aperuerunt, fabas nudas ostendunt, ostensis cum magna hilaritate vescuntur, nulla alia cibaria ex multo tempore penitus contingentes. Puer verò semper quasi languore depressus infra breue tempus moritur. Puella verò sospitate continua perfruens, ac cibariis quibuslibet assueta, illum prasinum colorem penitus amisit: atque sanguinem habitudinem totius corporis paulatim recuperavit. Quæ postmodum sacri baptismatis lauacro regenerata, ac per multos annos in ministerio prædicti militis (sicut ab eodem milite, & ab eius familia frequenter audivimus) commorata, nimum lasciva, & petulans exiit. Interrogata verò frequenter de hominibus sue regionis: asseruit, quod omnes habitatores, & omnia quæ in regione illa habebantur, viridi colore tingerentur: & quod nullum solem cernebant, sed quadam claritate fruebantur, sicut post solis occasum contingit. Interrogata autem quomodo in hanc terram devenisset cum puero prædicto, respondit: quod cum pecora sequerentur, devenissent in quandam cavernam. Quam ingressi, audierunt quendam delectabilem sonum campanarum: cuius soni dulcedine capti, per cavernam diutius errando incedebant, donec ad exitum illius devenirent. Qui inde emergentes, nimia claritate solis, & insolita aeris temperie quasi attoniti, & exanimis effecti, diu super oram speluncæ jacuerunt. Cumque à supervenientium inquietudine terrentur, diffugere voluerunt: sed introitum speluncæ minimè reperire potuerunt, donec ab eis comprehenderentur.] Hactenus Richardus monachus.

Hæc de pueris viridibus reuocant nobis in memoriam, quæ Lucianus in Dialogo Prometheus es in verbis, narrat de homine bicolore, hisce verbis: Ptolemaus Lagi filius cum aliquando in Egyptum adduxisset hominem bicolorem, cuius altera pars planè nigra, altera autem excellenter candida erat, per totum corpus aqualiter distincta atque diuisa: ad hominis intuitum plerique ridebant: alij autem etiam ut monstrum aliquod ipsum auersabantur.] Philostratus in Vita Apollonij lib. 3. cap. 1. [Iisdem in locis India & mulierculam invenisse perhibent à capite usque ad mammas nigram, infra verò usque ad pedes albam: quam visam ceteri

velut portentum extimere: at Apollonius ea manu apprehensa, quam esset, agnoscere voluit. Comperit autem Veneri mulieres eiusmodi sacratas esse: & similiter quidquid ex tam varia muliere nascitur.]

Pergit autem Guilielmus Neubringensis eodem lib. 1. cap. 28. Alia quoque mira, & prodigiosa nostris temporibus contigerunt, ex quibus pauca retexam. Mira verò huiusmodi dicimus non tantum propter raritatem, sed etiam quia occultam habent rationem. Dum in lapidicina quadam petra ingens ferramentis funderetur: apparuere duo canes, capacem sui in eadem petra concavitate replentes absque omni spiraculo. Videbantur autem esse ex eo canum genere quos leporanos vocant, sed vultu truces, odore graues, pilorum expertes. Et unus quidem eorum, ut dicitur, cito defecit: alterum verò stupendæ, ut aiunt, edacitatis Henricus Vintoniensis Episcopus diebus plurimis in delitiis habuit. Refertur etiam quod in alia lapidicina, dum pro eruendis fabrica necessariis lapidibus altius foderetur; repertus sit lapis formosus duplex, idest, ex duobus subtili agglutinatione compactus lapidibus. Mirantibus operariis, Episcopo, qui non longe aberat, exhibitus, designari iussus est, ut innotesceret, siquid in eo lateret mysterij. Inuentaque in eius concavitate bestiola, quam bufonem vocant, catenulam auream circum collum habens.] At hæc omnia arte dæmonum contigisse, idem Guilielmus prudenter admonuit.

CAPUT XVIII.

Prodigia mira quæ Antichristus vi herbarum, verè vel fictè designabit.

Neque dubium esse potest, Antichristum, quæcumque Magi vnquam iactarunt se verbis & herbis potentibus operari, etiam effecturum, vel verè vel præstigiòse. De Apione Grammatico, quem Tiberius Imperator appellabat cymbalum mundi, Plinius lib. 30. cap. 2. hæc scribit: Querat aliquis quæ sint mentiti veteres Magi, cum adolecentibus nobis visus, Apion Grammatica artis, prodiderit Cynocephalam herbam, quæ in Egypto vocaretur Osyrites, diuinam, & contra omnia veneficia; sed si ea erueretur, statim eum, qui eruisset, mori. Séque euocasse umbras ad percontandum Homerum, quæ patria, quibusque parentibus genitus esset: non tamen ausus profiteri, quid sibi respondisse diceret.] Et libro 26. cap. 4. Super omnia adiuuere eum [Asclepiadem] magica vanitates, in tantum euectæ, ut abrogare herbis fidem cunctis possent. Ethiopide herba amnes ac stagna siccari coniectu, tactu clausa omnia aperiri. Achamenide coniecta in aciem hostium, trepidare agmina, ac terga vertere. Latacen dari solitam à Persarum rege legatis, ut quocumque venissent, omnium rerum copia abundarent: ac multa similia.]

Quod de Cynocephalia herba ex Apione retulit Plinius, reducit nobis in mentem ea, quæ de Baaras radice miranda Iosephus lib. 7. Belli, cap. 25. in hunc modum memorat: Vallis autem, quæ ciuitas [Machærontis] à parte Septentrionali cingitur, quidam locus Baaras appellatur: ubi radix eodem nomine gignitur: quæ flamma quidem adsimilis est colore, circa vesperam verò veluti iurare fulgurans, accedentibus, eamque euellere cupientibus, facilis non est: sed tamdiu refugit, nec prius manet, quam si quis urinam muliebrem, vel menstruum sanguinem super eam fuderit: quin etiam tunc si quis eam tetigerit, mors certa est, nisi forte illam ipsam radicem ferat de manu pendentem. Capitur autem alio quodam modo sine periculo, qui talis est: Totam enim circumfodiunt, ita ut minimè ex radice terra sit cõditus: deinde ab ea religant canem: illoque sequi eum, à quo religatus est, cupiente,

cupiente, radix quidem facile euellitur: canis verò continuo moritur, tanquam eius vice à quo herba tollenda erat, traditus: nullus enim postea accipientibus metus est. Tantis autem periculis propter unam vim capi eam, operæ pretium est! Nam quæ vocantur demonia, pessimorum hominum spiritus, viuis immersa, eosque necantia quibus subuentum non fuerit; hæc citò, etiam si tantummodo admoneatur egrotantibus, abigit.] Eadem exscripsit Cedrenus in Annalibus pag. 251.

Nec dubium est hanc illam esse radicem, cuius vi à Salomone monstrata Eleazarus quidem Iudæus ad effuganda ex obsessis corporibus demonia potenter utebatur: de qua idem Iosephus lib. 8. Antiquit. cap. 2. hæc prodit: Quin & eam artem diuinitus consecutus est Salomon ad uitilitatem & medelam hominum, quæ aduersus demones est efficax. Incantationes enim composuit, quibus morbi pelluntur: & coniurationum modos scriptos reliquit, quibus cedentes demones ita fugantur, ut in posterum nunquam reueri audeant: atque hoc sanationis genus nunc usque plurimum apud nostrates pollet. Vidi enim ex popularibus meis quendam Eleazarum, in præsentia Vespasiani, & filiorum, & tribunorum, reliquorumque militum, multos arreptitios percurante. Modus vero curationis hic erat: Admoto naribus demoniaci annulo, sub cuius sigillo inclusa erat radicis species à Salomone indicata, ad cuius olfactum, per nasum extrabebatur demonium: & collapsus mox homine, adiurabatur id, ne amplius rediret: Salomonis interim mentionem faciens, & incantationes ab illo inuentas recitans. Volens dein Eleazarus his qui aderant ostendere suæ artis efficaciam, non longè inde ponebat poculum aut polubrum aqua plenum, imperabatque demonio hominem exeuntem, ut iis subuersis signum daret spectantibus, quod reliquisset hominem. Quo factò nemini dubium erat, quanta fuisset Salomonis scientia & sapientia: quam ob rem libuit hoc quoque narrare, ut omnibus nota sit eximia Regis huius natura, quamque charus Deo fuerit, & in omni genere virtutum excellentissimus.] Ex eo numero & ordine quo exitit Eleazarus, illi quoque apud Iudæos Exorcistæ fuisse putantur, quorum fit mentio Matthæi 12. 27. Lucæ 11. 19. Actorum 19. 13. vti annotantur Iansenius, Maldonatus, Franciscus Lucas, Barradius in Matthæi 12. Baronius Annali 1. Anno Christi 56. Numero 2. Lorinus in 19. Actorum. At quam ratione virtute radicis alicuius, aut cuiusvis alterius rei corporeæ demones qui sunt incorporei, pelli, fugarique possint, non est huius instituti disquirere: consulendi de hac re Pererius, lib. 4. in Daniele, Serarius in Tobia 8. Quinque integris questionibus, sed præsertim Questione 5. §. 2. Deltius lib. 6. Magicarum Disquisitionum, cap. 2. Questione 3. Sectione 2. Tyreus de Dæmoniis, cap. 48.

Nec tamen hic prætermittere possumus quin de Scythica herba, Agnus dicta, pauca inseramus. Sigismundus Liber in Commentario Rerum Moscoviticarum, pag. 99. hæc scribit: Inter Vuolgam & Iacik fluuios, circa mare Caspium, habitabant quondam Samolthenes reges. Apud hos Tartaros rem admirandam, & vix credibilem. Demetrius Danielis, vir, ut inter Barbaros, gravis ac fide singulari nobis narrauit: Patrem suum aliquando à Principe Moscovia ad Samolthensem regem missum fuisse: in qua dum esset legatione, semen quoddam in ea insula melonum, semini, paulo maius ac rotundius, aliqui haud dissimile vidisse: ex quo in terram condito, quiddam agno persimile, quinque palmarum altitudine succrescere: id quod eorum lingua Boranetz, quasi agnellum dicas, vocaretur, nam & caput, oculos, aures, ceteraque omnia in formam agni recens editi, pellem præterea subtilissimam habere: qua plurimi in eis regionibus ad subducenda capitis tegumenta uterentur. Eiusmodi pelles vidisse se, multi coram nobis testabantur. Aiebat

insuper, plantam illam, si tamen plantam vocari fas est, sanguinem quidem habere, carnem tamen nullam: verum carnis loco, materiam quandam cancrorum carni persimilem: ungulas porro non ut agni corneas, sed pilis quibusdam ad cornu similitudinem vestitas: radicem illi ad umbilicum, seu ventris medium esse: viuere autem tamdiu donec depastis circum se herbis, radix ipsa inopia pabuli arescat. Miram huius plantæ dulcedinem esse: propter quam à lupis, ceterisque rapacibus animalibus multum appeteretur. Ego quamuis hoc de semine & planta pro commento habuerim: tamen & antea tanquam à viris minime vanis auditum retuli: & nunc tanto libentius refero, quod mihi vir multa doctrina Guilhelmus Postellus narrauit, se auduisse à quodam Michæle, apud Rempublicam Veneram publico Turcica & Arabica lingua interprete, quod viderit à finibus Samarcandæ ciuitatis Tartarica, ceterarumque regionum quæ ad Euroaquilonem, mare Caspium respiciunt, usque in Chaltontidem, deferri quasdam pelles delicatissimas, plantæ cuiusdam in illis regionibus nascentis, quæ aliqui Mussulmani ad capita sua rafa fouenda, mediis pileis inferere, ac pectori quoque nudo applicare soleant. Plantam sibi tamen non visam esse, nec nomen se scire, nisi quod illic Samarcandos vocetur, eamque esse ex animali instar plantæ in terram defixæ. Quæ cum ab aliorum narratione non dissideant, Mihi, inquit, Postellus, penè persuadent, ut hanc rem minus fabulosam esse putem, ad gloriam Creatoris, cui omnia sunt possibilis. Agunt etiam ex professo de eadem Agno herba Iulius Cæsar Scaliger De Subtilitate ad Cardonum, Exercitatione 181. cap. 29. Laurentius Surius Commentario Rerum in orbe gestarum, Anno 1504. Andreas Libanius Singularium Parte 2. Disputatione peculiari de Agno Scythico, Martinus Deltius, Disquisitionum Magicarum, lib. 4. cap. 2. Questione 7. Sectione 1. Rabbinus confingunt Ieduah esse animal quoddam humana forma, cuius ex umbilico medio funiculus ducebatur quo terræ adhærescebat, & quantum funiculi longitudo patiebatur, circum circa omnem terræ fructum depascebat: Capi autem à venatoribus non posse nisi sagitta funis præcidatur: tunc statim spirare. Per eius autem ossa, certo ritu in ore gestata, vaticinari eos quos Scriptura Leuitici 19. 31. 1. Samuelis. 28. 4. & alibi, IDGONIM (IDONIM), & Noster Diuinos, seu Atrios appellat. Meminere fabulosi huius IEDVAH, R. Scelomoh, Kinchi, & alij Hebræi, Vide Lexica Hebraica Renschlini & Sanctis, & Deltium loco nuper citato. Videtur IEDVAH cognationem habere cum Agno Scythico.

CAPVT XIX.

Præstigia Antichristi.

MIta sunt in hoc genere, quæ & olim effecta, & suo tempore designabit Antichristus. Apuleius 1. de Asino: Et tamen Athenis proximo, & ante Pacilem porticum, isto gemino obtutu circulatorum asperi equestrem, spatham præacutam mucrone infesto deuorasse: ac mox eundem inuitamento exigua stipis, venatoriam lanceam, qua parte minatur exitum, in ima viscera condidisse. Et ecce ponè ferrum, quæ bacillum inuersi teli ad occipitum, per inguen subit, puer in molliem decorus insurgit: inque flexibus tortuosis eneuam, & exosam saltationem explicat, cum omnium qui aderamus, admiratione.] Plutarchus in Apophthegmatis: Præstigiatores enses deglutiunt.] Complures ignem & flammam ore efflasse, annotauimus lib. 1. cap. 14. Præstigias Simonis Magi latè descripsimus lib. 1. cap. 12.

De Eudone insigni præstigiatore miranda refert Guillelmus Neubringenſis lib. 1. Rerum Anglicarum, cap. 19. ac inter alia: Videbatur autem eſſe cum ingens gloria, apparatus, faſtusque regius: & qui cum eo erant, ſollicitudinis, laborisque expertes, pretioſè indui, ſplendide epulari, & in ſumma latitia agere videbantur.] Vide plura apud eundem Thiremius in Chronicis Hirſaugienſibus: Anno Domini Octingentiſimo ſeptuageſimo octavo, fuit quidam Iudeus nomine Sedechias, olim, ut fama eſt, Phyſicus, & medicus Ludouici Imperatoris, magicis diſciplinis imbutus, qui faciebat multa miranda & ſtupenda ludibria publice coram Principibus, & quibuſcumque aliis. Egit namque arte ſua, ut hominibus videretur deuorare hominem armatum, equo & omnibus armis. Currum quoque onuſtum ſeno cum ipſo ſeno, equis, & auriga. Amputabat hominibus capita, manus, aut pedes, quæ pelui coram impoſita, cum ſanguine deſuente, omnibus videnda præbuit: quæ ſtatim ad loca, unde videbantur abſciſſa, ſine detrimento hominis reſtatu. In aëre tranſiens videbatur & audiebatur ab omnibus, qui venationes, curſus, & alia quæ homines ſuper terram exercere ſolemus, in nubibus, & aëre, facere putabatur. Tam multas, & varias ludificationes, faciebat, ut omnes, ultra quam credi poteſt, mirarentur.]

Nicetas Choniata lib. 4. de Imperio Manuelis Comneni: Michaël Sicidites verò præſtigis quibuſdam rerum earum conſpectum eripiebat, quas oculi intuebantur, & totas demonum cohortes immittebat iis quos volebat exterritos. Cum autem aliquando ex editiori Palatii Conſtantinopolitani loco nauiculam vidisset, quæ olla & patinæ vehebantur, adſtantes interrogauit, quid daturi eſſent, ſi eſſiceret, ut nauia alienata mente, nauigatione omiſſa, remo ad comminuenda ſictilia vteretur? Qui cum ei pollicerentur quidquid poſtulaſſet: nauia paulo poſt exurgit, & vaſa non prius ferire deſtitit, quam in puluerem redegiſſet. Quo conſpectu illi riſu emori, factum illud admirantes. Nauia verò paulo poſt barba prehena, lamentari, amotæque caligine illa, ſe ut ira numinis agitatam deplorare. Rogatus, cur merces ſuas ita tractaſſet? cum dolore narrabat, ſe remis intentum, horribilem ſerpentem ſupra vaſa porrectum, oculis inconſuetibus in ſe conuerſum, inſtar deuoraturi vidisse: qui prius volutari non deſtiterit, quam ſictilia conſracta eſſent: inde ſubito ex oculis euariſſe. Fecit & aliud non diſſimile: In balneo lauans, rixari cum quibuſdam capit, & e conclauis egreſſus eſt: paulo poſt & ceteri anhelantes & trepidati, præ metu ac feſtinatione inuicem conculcantes: narrant ex canali calida aqua viros pice nigriores exiliſſe, à quibus nates ipſorum plantis pedum ferientibus, balneo exacti eſſent.] Hæc Nicetas.

De Paſete quodam Suidas: Paſetis ſemiobolus. Paſes autem hic mollis fuit natura, ſed omnes mortales magia ſuperauit: adeo ut ex incantationibus eius, & cæna ſumptuoſa apparerent, & miniſtrantes quidam. Habuit autem ſemiobolum ex magia à ſe factum, quem cum vendentibus, à quibus emere aliquid volebat, daret, cum volebat, ad eum redibat. Meminit eius etiam Apion Grammaticus in lib. de Mago.] Vide apud Eraſmum Adagium, Paſetis ſemiobolus. Et de cænis magicis habes etiam à Numa exhibitas, ſupra lib. 7. cap. 7.

Ioannes Drubanius Olmazensis Olomuſcepiſ Episcopuſ reru Boëmicarum lib. 23. de Ziitone Boëmo mago ſtupenda narrat, in hunc modum: Vuenceſlaus Imperator & Boëmorum rex, aſſinitatem cum Principe Banaria Ioanne inuit, ducta in uxore filia eius Sophia Socer ubi generum ludicriſ ſpectaculis & magicis præſtigiis delectari cognouit, plenum ludionum & præſtigiatorum planſtrum ſecum vexit. Ibi dum præſtantiſſimus artiſticum ludibria artis, ad permulcendos oculos explicat, ad eſt inter ſpectatores Zyio Vuenceſlai Magus, ore uſque

ad aures debiſcente, accedensque propius, artiſticum illum Banari cum omni apparatu protinus deuorat, ſolos dumtaxat calceos, quia luto obſiti videbantur, expuens: ſeſſumque inde petens, ventrem inſolita eſca grauem, in ſolum aqua plenum exonerat: præſtigiatoſemque adhuc madidum ſpectatoribus reſtituit, paſſim deridendum, adeo ut ceteri quoque eius ſocij à Ludo deſiſterent.] Et plures alias Ziitonis præſtigias percenſens, inquit: Hic arcem ſuam oſtentans, nunc ſua, nunc aliena facie, ſtaturaque item in purpura & ſerico ac conſeſtim in lana ac panno ſordido Regi ſe offerebat, ambulantiſque in terra, ipſe tanquam in aqua adnauigabat: aliquoties equis rhedariis vectum, gallis gallinaceis ad epirhedium ſuum alligatis, ſubſequabatur. Conuiuas præterea Regis varie ludebat: interdum manes illorum, ne illas ad patinas porrigere valerent, in pedes bouum, interdum in ungulas equorum transformans. Et aliquoties fronti illorum cornua ceruina latiffima adiciens, quoties videlicet è fenestris ad ſubitum ſpectaculum proſpicerent, ne ruſus caput, & ora ad menſam referre poſſent. Atque ut oſtenderet ſe pecuniam quoque pro uſu ſuo facile conſiare poſſe, triginta ſui bene ſaginataſ, ex manipulis ſeni eſſingit, illoſque paſtum proximè Michaëlis cuiuſdam piſtoris locupletis extrudit, proponitque vanales, quo piſtor voluit pretio: hoc tantum emptorem monens, ne gregem nouum ad ſummen lotum compellat. Qua ille monitione contempta, cernit in ſumine manipulos ſuſcitantes, ſuibz ſubmerſis. Ergo diu venditore quaſito, atque in taberna vinaria tandem reſpecto, in qua porrectis pedibus in ſcamno recubabat, dum ſtomachabundus altero pede correptum excitare vult, eum à corpore protinus cum coxendice auellit: clarè Ziitone queritante, & oborto collo emptorem ad iudicem trahente. Quid faceret piſtor in manifeſto deprehenuſ, ut ſibi videbatur, facinore, niſi ut damnum damno adderet, atque de hac inſuper iniuria cum Ziitone decideret?] Haſtenus Dubrauius.

Landolphus Sagax in Hiſtoria Miſcella lib. 16. cap. 23. Eodemque anno decimo ſeptimo Imperij Iuſtiniani apparuit quidam ex regione Itatorum, per villas diſcurrere, nomine Andreas, habens ſecum canem ruſum & cacum, qui iuſſus ab eo faciebat miracula. Cum enim ſtaret ipſe in foro, & turba in circuitu adſeſt, clam eodem cane, deſerebantur adſtantium annuli aurei, & argentei, & ferrei, & ponebantur in panimento: quos ille cooperiebat, & præcipiebat cari: & tollebat, & dabat unicuique ſuum. Similiter & diuerſorum Imperatorum numiſmata mixta, porrigebat per nomina. Sed & præſto turba adſtante, virorum ſcilicet ac mulierum, interrogatus oſtendebat in vtero habentes, & fornicarios, & adulteros, & auaros, & magnanimos: oſtendebat omnes in veritate: unde dicebatur, quia ſpiritum habet Pythoniſ.] Eadem omnino ſcribunt Cedrenus, & Zonaras in Annalibus: Sed quis non videat, canem illum fuiſſe dæmonem? Admiranda ſunt quæ Nicephorus Gregoras lib. 8. Hiſtoriar. cap. 21. refert de quibuſdā circulatoribus circumforaneis, qui præſtigias raras edebant, tu ipſum per otium conſule. De quibus iam ſatis, nam hiſ pleni ſunt Commentarij eorum qui Magica perſcripſerunt.

C A P V T XX.

Metamorphoſes, quas edet Antichriſtus.

TRANSFORMATIONES corporum duplicis generis ſunt, aliæ magicæ, præſtigioſæ; ſictæ, arte dæmonum effectæ: aliæ veræ & reales vi naturæ conſectæ: de utriſque diſſeremus: de primis, Apuleius lib. 1. Afini, de inſigni Saga: Sed quod in conſpectu plurimum perpetravit, audi: Amatorem ſuum, quod in aliam temeraſſet, unico verbo mutauit in ſeram caſtorem: quod ea beſtia captiuitati

captivitate metuens, se ab insequentibus reprecissione genitalium liberat: ut illi quoque simile, quod venerem habuit in aliam, proveniret. Cauponem quoque vicinum, atque ob id amulum, deformavit in ranam: & nunc senex ille dolium innatans vini sui, aduentores pristinos, in face submissus, officiosis roncibus rancus. Alium de foro quidem, quod adversus eam locutus esset, in arietem deformavit: & nunc aries ille causas agit. Eadem amatoris sui uxorem, quod in eam dicaculæ probrum dixerat, iam in sarcinam pragnationis obsepto utero, & repigrato fetu, perpetua pragnatione damnavit. Et ut cuncti numerant, octo annorum onere misella illa velut elephantum paritura distenditur.] Et lib. 2. de Pamphile maga vxore Milonis: Nam simul quemque conspexit speciosa forma juvenem, venustate eius capitur, & illico in eum & oculum & animum detorquet: minus morigeros & viles fastidians, in saxa, & in pecua, & quodvis animal puncto reformat.]

Plinius lib. 8. cap. 22. Homines in lupos verti, rursusque restitui sibi falsum esse, confidenter existimare debemus, aut credere omnia, quæ fabulosa tot sæculis comperimus. Unde tamen ista vulgo infixa sit fama, in tantum ut in maledictis versipelles habeat, indicabitur. Euanthes inter auctores Græcia non spreteus tradit Arcadas scribere, ex gente Antai cuiusdam sorte familia lectum ad stagnum quoddam regionis eius duci, vestituque in quercu suspensio, tranare, atque abire in desertum, transfigurarique in lupum, & cum ceteris eiusdem generis congregari per annos novem. Quo in tempore, si homine se abstinerit, reuertere ad idem stagnum: & cum tranauerit, effigiem recipere, ad pristinum habitum addito novem annorum senio. Id quoque Fabius eandem recipere vestem. Mirum est, quod procedat Græca credulitas. Nullum tam impudens mendacium est, ut teste careat. Itaque Agriopas, qui Olympionicas scripsit, narrat, Demanetum Parrhasium in sacrificio, quod Arcades Ioui Lycao, humana etiam cum hostia faciebant immolati pueri exta degustasse, & in lupum se convertisse: eundem decimo anno restitutum athletica, certasse in pugilatu, victoremque Olympia reuersum.]

Plato lib. 8. de Republica: Quod circa templum Lycai Iouis in Arcadia fabula refert. Quidnam? quod quisquis, humana viscera cum aliarum victimarum incisa visceribus forte gustarit, lupus fieri cogitur. Nonne fabulam audiuistis?]

De Arcadibus Plautus in Amphitruone:

Nam verum est, quod olim est auditum
Fabularier, mutatos Anticos in Arcadia homines,
Et seuas belluas mansisse, nec unquam denuo parentibus Cognitos.

De Demaneto, seu Demarcho Parrhasio Pausanias lib. 2. Eliacorum, Numero 185. De pugile vero Parrhasio ex Arcadia, cui nomen Demarcho, quæ memoria prodita sunt, præter Olympicam victoriam, fabulatorum hominum figmenta esse arbitror: quod scilicet Iouis Lycai sacris in lupum se verteret, ac decimo rursus anno pristinam reciperet hominis figuram. Quod certe commentum ex Arcadum ipsorum sermone neutiquam ortum videri potest.] Virgilius Ecloga 8.

Has herbas, atque hæc Ponto mihi lecta venena

Ipsæ dedit Maris, nascuntur plurima Ponto.

His ego sæpè lupum fieri, & se condere silvis

Mœrim, sæpè animas imis excire sepulchris,

Atque satas aliò vidi traducere menses.

Pomponius Mela lib. 2. cap. 1. Neuri statum singulis tempus est, quo si velint, in lupos iterumque in eos qui fuerint, mutantur.] Solinus in Polyhistore, cap. 20. Verum Neuri, ut accepimus, statis temporibus in lupos transfigurantur: deinde exacto spatio, quod huic sortis attributum est, in pristinam faciem reuertuntur.]

At Herodotus lib. 4. cap. 105. At Neuri Scythicis utuntur moribus. Idem periculum faciunt, se homines esse maleficos, quod dicuntur à Scythis, & ab his qui in Scythia incolunt Græcis, semel quotannis singuli ad aliquot dies effici lupi, & rursus in pristinum habitum redire. Quod tamen dicentes, mihi non persuadent: nihilominus tamen illi aiunt ita esse, ac deierant.]

S. Augustinus lib. 18. de ciuitate Dei cap. 16.

Diomedisque socios in volucres fuisse conuersos perhibent: non fabuloso, poeticoque mendacio, sed historica attestacione confirmant.] Et cap. 17. Hoc Varro, ut adstruat, commemorat alia non minus incredibilia de magna illa famosissima Cir, quæ socios quoque Ulyssis mutauit in bestias: & de Arcadibus, qui sorte ducti transnabant quoddam stagnum, atque ibi conuertebantur in lupos: & cum similibus feris per illius regionis desertum vinebant. Si vero carne non vescerentur humana, rursus post nouem annos, eodem renatato stagno, reformabantur in homines. Denique etiam nominatim expressit quendam demanetum, cum gustasset de sacrificio quod Arcades immolato puero, Deo suo Lycao facere solebant, in lupum fuisse mutatum: & anno decimo in figuram propriam restitutum, ad pugilatum sese exercuisse, & Olympiaco vicisse certamine. Nec idem propter aliud arbitratum Historicus in Arcadia tale nomen affictum Pani Lycao, & Ioui Lycao, nisi propter hanc in lupos hominum mutationem, quod eam nisi vi diuina fieri non putarent. Lupus enim Græcè Lycos dicitur: unde Lycai nomen apparet inflexum. Romanos etiam Lupercos, ex illorum mysteriorum velut semine dicit exortos.]

Et cap. 18. sed de ista tanta ludificatione demonum, nos quid dicamus, qui hæc legent, fortassis expectant, quid Christiani agere debeant, quando inter idola gentium miracula fieri asseruntur. Et quid dicemus, nisi de medio Babylonis esse fugiendum? Quanto quippe in hac ima potestatem demonum maiorem videmus, tanto tenacius mediatori est inherendum, per quem de imis ad summa conscendimus. Si enim dixerimus ea non esse credenda, non desunt etiam nunc, qui eiusmodi quadam, vel certissima audisse, vel etiam expertos se esse assueverunt. Nam & nos cum essemus in Italia, audiebamus talia de quadam regione illarum partium: ubi stabularias mulieres imbutas his malis artibus, in caseo dare solere dicebant, quibus vellet, seu potius viatoribus, unde inimenta illico verterentur, & necessaria quaque portarent, postque perfuncta opera, iterum ad se redirent: nec tamen in eis mentem fieri bestialem, sed rationalem, humanamque seruari, sicut Apuleius in libris quos Asini Aurei titulo inscripsit, sibi ipsi accidisse, ut accepto veneno, humano animo permanente, asinus fieret, aut indicauit, aut finxit, Hæc vel falsa sunt, vel tam iniustata, ut merito non credantur. Firmissime tamen credendum est, omnipotentem Deum omnia posse facere quæ voluerit, siue vindicando, siue præstando: nec demones aliquid operari secundum naturæ suæ potentiam, (quia & ipsa angelica creatura est, licet proprio sit vitio maligna) nisi quod ille permiserit: cuius iudicia occulta sunt multa, iniusta nulla. Nec sanè demones naturas creant, si aliquid tale faciunt, de quolibet factis ista vertitur questio: sed specie tenus, quæ à vero Deo sunt creata commutant, ut videantur esse quod non sunt. Non itaque solum animum, sed nec corpus quidem ulla ratione crediderim demonum arte vel potestate in membra, vel lineamenta bestialia veraciter posse conuertere: sed phantasticum hominis, quod etiam cogitando, siue somniando per rerum innumerabilia genera variatur: cum corpus non sit, corporum tamen similes mira celeritate formas capit, sopitis, aut oppressis corporeis hominis sensibus, ad aliorum sensum nescio quo ineffabili modo figura corporea posse perducere: ita ut corpora ipsa hominum

minum alicubi iaceant, viuientia quidem, sed nullo grauius atque vehementius, quam somno suis sensibus obferatus. Phantasticum autem illud veluti corporatum in alicuius animalis effigie appareat sensibus alienis, talisque etiam sibi homo esse videatur, sicut talis sibi videri posset in somnis, & portare onera: qua onera, si vera sunt corpora, portantur à demonibus, ut illudatur hominibus, partim vera onerum corpora, partim iumentorum falsa cernentibus. Nam quidam nomine Præstantius patri suo contigisse indicabat, ut venenum illud per caseum in domo sua sumeret, & iaceret in lecto suo quasi dormiens, qui tamen nullo modo poterat excitari. Post aliquot autem dies, cum velut euigilasse dicebat, & quasi somnia enarrasse qua passus est, caballum se scilicet, factum annonam inter alia iumenta baiulasse militibus, qua dicitur retica quoniam ad retia deportatur. Quod ita ut narravit, factum fuisse compertum est: qua tamen ei sua somnia videbantur. Indicavit & alius, se domi sue per noctem, antequam requiesceret, vidisse venientem ad se quemdam Philosophum sibi notissimum, sibi quoque exposuisse nonnulla Platonica, qua antea rogatus exponere noluisse. Et cum ab eodem Philosopho quasitum fuisset, cur in domo eius fecerit, quod in domo sua petenti negauerat: Non feci, inquit, sed me fecisse somniaui. Ac per hoc alteri per imaginem phantasticam exhibitum est vigilanti, quod alter vidit in somnis. Hac ad nos non quibuscumque qualibus credere putarem indignum, sed eis referentibus perueniunt, quos nobis non existimarem fuisse mentitos.

Proinde, quod homines dicuntur, mandatumque est litteris, à diis, vel potius à demonibus Arcades in lupos solere conuertere: & quod carminibus Circe socios mutauit Ulyssis: secundum istum modum mihi videtur fieri potuisse, quem dixi: si tamen factum est. Diomedæas autem volucres, quandoquidem genus earum per successionem propagatum durare perhibetur, non mutatis hominibus factas, sed subractis credo fuisse suppositas: sicut cerua pro Iphigenia regis Agamemnonis filia. Neque enim demonibus iudicio Dei permissis huiusmodi præstigia difficiles esse potuerunt: sed quia illa virgo postea viuam reperta est, suppositam pro illa ceruam esse, facile cognitum est. Socy vero Diomedis, quia usquam subito comparuerunt, & postea nullo loco apparuerunt, perdentibus eos ultioribus angelis malis, in eas aues qua pro illis occultè ex aliis locis, ubi est hoc genus auium, ad ea loca perducta sunt, ac repente supposita, creduntur esse conuersi.] Hactenus S. Augustinus prudenter sanè disseruit.

S. Isidorus lib. 8. originum cap. 9. Legitur & de sacrificio quod Arcades Deo suo Lyco immolabant, ex quo quicumque sumerent, in bestiarum formas conuertebantur.]

Luithprandus Ticinensis lib. 3. Rerum Europæ, cap. 8. de Baiano Symeonis regis Burgatorum filio, hæc scribit: Baianus artem adeo fertur didicisse magicam, ut ex homine fieri lupum, & quancumque vellet aliam, cerneret figuram.] Eadem habet Sigebertus in Chronico, Anno 967.

Olaus Magnus lib. 18. Gentium Septentrionalium, cap. 45. hæc refert: Pretium opera me facturum esse arbitratus sum si in fine huius libri, luporum genus ex hominibus conuersum, quod Plinius lib. 8. cap. 22. fabulosum ac falsum confidenter existimandum esse affirmat, tales in terris ad septentrionem maximè vergerentibus, etiamnum magna in copia reperiri, adicerem. In Prussia, Lituonia, atque Lithuania, quamuis luporum rapacitatem per totum pene annum incola haud exiguo cum damno experiuntur, quia eorum pecora ingenti multitudine passim in siluis, dummodo exiguo intervallo à grege aberrent, dilaniantur, ac consumuntur:

tamen hoc dispendium non adeo magnum ab illis reputatur, quam quod ab hominibus in lupos conuersis sustinere coguntur. In festo enim natiuitatis Christi sub noctem, statuto in loco, quem inter se determinatum habent, tanta luporum ex hominibus, diuersis in locis habitantibus conuersorum copia congregatur, qua postea eadem nocte mira ferocia, cum in genus humanum, tum in cetera animalia, que feram naturam non habent, seuit: ut maius detrimentum ab iis, istius regionis inhabitatores, quam unquam à veris & naturalibus lupis accipiant. Nam vii compertum habetur, adificia hominum in siluis existentium mira cum atrocitate oppugnant, ipsasque fores effringere conantur, quod tam homines, quam reliqua animantia ibidem manentia consument. Cellaria ceruisiarum ingrediuntur, ac illis aliquot ceruisia, aut medonis tonnas epotant, ipsaque vasa vacua in medio cellarij vnum super aliud eleuando collocant: in quo à natiuis & genuinis lupis discrepant. Locum verò, ubi forsam illa nocte quieuerunt, harum terrarum incola fatidicum arbitrantur: quia si alicui in eo quid aduersi contigerit, veluti si vehiculum obuertatur, atque ipse niuis iniiciatur, planè sibi persuasum habent, cum isto anno morte moriturum: quemadmodum id à multis temporibus per experientiam explorant. Intra Lithuaniam, samogethiam, ac Curoniam est paruos quidam, ex quodam castello diruto reliquus: ad hunc certo anni tempore aliquot millia eorum conueniunt, ac vniuscuiusque agilitatem in saltando explorant: qui hunc parietem transilire nequiverint, vii pinguioribus ferè euenit, flagellis ab eorum præfectis caduntur. Denique constanter asseritur, inter hanc multitudinem etiam istius terra magnates, atque ex prima nobilitate viros versari: qui quomodo ad eam vesaniam ac metamorphosim longe terribilem, quam deinde statis temporibus negligere haud possunt, plerumque perueniant, sequenti capite docebatur.]

Et cap. 46. sequenti subdit: Hac metamorphosis etsi Plinio verosimilis haud videtur, ac impudens mendacium esse opinatur: tamen ad Euanthis Agriopæ, aliorumque auctorum sententiam saluandam, in allegatis oris talia in hunc usque diem accidere, aliquot exemplis declarabitur. Quandocumque enim aliquis rerum nouarum præter diuinam institutionem cupidus, siue Germanus, siue indigena, in collegium istorum maledictorum hominum, qui in lupos cum eis integrum videbitur, conuertuntur, associari cupit, ita ut certis anni temporibus ad destinata loca, per omnem vitam suam unà cum suis affectis conueniat, damnumque ac mortem ipsam ceteris mortalibus, & pecoribus inferat: hanc mutandi rationem, ipsi nature maximè contrariam à quodam huius veneficii perito, per populum ceruisia propinando (dummodo is qui huic illicito consortio applicatur, illud acceptet) certis verbis adhibitis consequitur. Postea quando sibi consultum videbitur, hominis ideam in cellarium aliquod, aut abditam siluam se conferendo, in lupi formam totaliter transmutare potest. Denique hanc, iuxta placitum, potest per aliquod tempus relinquere atque illam vicissim assumere sibi integrum est. Et cap. 47.

Ac ut ad exempla perueniamus. Cum nobilis quidam longam per siluam iter faceret, aliquotque seruilis conditionis, rusticos, huius veneficii haud ignaros (quales plerumque istis in oris reperiuntur) secum ducebat: dies ad vesperam tenebat: tum etiam in silua pernoctandum erat, quia in proximo nullum hospitium fuit: denique fame ac penuria premebantur. Tandem unus eorum repentinum consilium proponit, ceteros debere esse quietos, nec vllum tumultum, si quid viderent excitare: se à longinquo gregem ouium pasci conspiceret, curaturum, ut absque magnis laboribus unam ex his ad cenam, alioquin satis exiguam, haberent assandam: statim deinde

in opacam siluam, ne ab aliquo conspiciatur, se confert, ibique formam hominis in lupum transfigurauit: quod in nullo hac metamorphosis distare visa est ab illa Lycaonis, cuius Ouidius *Metamorphoseos* 1. meminit. Postea in ouium gregem haud aliter quam magno impetu irrumpit, & unam ex eis retro in siluam fugiendo diripuit: quam aliquanto post in lupi forma ad curram desert. Socij autem huius praeda conscij, talem grato animo suscipiunt, & in curru clam abscondunt. Qui vero in lupum se transformauerat ad siluam iterum reuertitur, humanamque formam rursus assumit. Contigit quoque in Linonia haud multis ab hinc annis inter nobilis cuiusdam coniugem, atque seruum suum, quod altercarentur, homines in lupos mutari haud posse: demum ille prorumpit exemplo eius rei exemplum velle ostendere, dummodo sibi facultas concederetur: ac cellarium solus ingreditur: unde paulo post lupi forma indutus ingreditur a canibus per agrum ad siluam tendens effugatur: qui ei oculum, etsi satis acriter se defendebat, erunt. Postera autem die, ad dominam suam monoculus redit. Denique recenti adhuc memoria compertum relinquitur, quomodo Dux Prussia tali veneficio parum fidei adhibens, quendam huius malefici expertum, vinculis clausum coegit, ut in lupum se transformeret: quod ita factum est. Hunc tamen igne postea comburi mandauit.] Haecenus Olaus.

Franciscus Georgius in Harmoniam mundi, Cantico 3. Tomo 4. cap. 9. haec scribit: Quod & temporibus nostris multorum testimonio contigit cuidam in Cherso Illyrici insula, qui per multos annos omnibus visus est asinus. Tandem ad se reuersus, & veneficia, & malefacta, propter quae id sibi contigerat, sacerdoti & publico concionatori enarrauit.] Ioannes Spondanus Commentariis in 10. Odyssae, haec annotat: Audi quid Sprengerus Inquisitor narret: Iuuenis Anglus miles in Cypro fuit à Saga transformatus in asinum: qui cum in nauem ad socios volens remeare fastibus abactus esset, ad magam rediit, itaque illa eo usa est, donec asinus in Ecclesia visus est in genua procidere, eaque facere, quae ab animante bruta nequeunt proficisci: tum maga, quae agebat ipsum, ex suspitione ad indices rapta, cum triennio elapso, restituit: & morte affecta est. vis exemplum grauissimum? Vincentius in Speculo lib. 3. cap. 109. & Fulgosius lib. 8. cap. 11. scribunt, duas in Germania hospitas fuisse sagas, quae hospites solebant in bestias interdum vertere: cum itaque histronicum adolescentem in asinum conuertissent, qui ut erat rationis compos, voluptates mille viatoribus exhibebat, hunc magno fuisse à vicino emptum: illas tamen dixisse se non esse praestituras, nam cum se flumen accederet, amissum iri: asinum itaque die quodam elapsum in lacum proximum abiisse, & simul ac fuisset, immersus, formam recepisse. Id Petrus Damianus, cum rem sciscitatus esset diligentissime ex hero, ex asino, ex mulieribus Sagis confessis factum, & ex his qui asinum elapsum, ac restitutum viderant, Leoni Papa narrauit: & postquam diu in utramque partem coram Papa fuit disputatum, hoc tandem posse fieri constitutum fuit.]

Notae sunt cunctis Poeticae Transformationes, quas Ouidius libris quindecim, & Antoninus liberalis in transformationum congerie, cuius operis fragmenta tantum extant conuersa & edita à Guiljelmo Xylandro, executi sunt. De homine transformato in Asinum scripsere singularia opera, Lucianus Samosatensis in Dialogo Lucio, Lucius Patrensis, cuius meminit Photius in Bibliotheca, Numero Cxxix. & Apuleius, cuius extant de Asino Aureo libri vndecim. Sagarum transmutationes quibus se passim in feles, canes, & huiusmodi bestias induunt, nimis sunt peruagatae. At si quis eiusmodi

transformationum plura exempla scire aueat, suppetant ea abundè Ioannes Spondanus in libr. 10. Odyssae, Nicolaus Remigius lib. 2. de demonolatria, cap. 5. Laurentius Ananias lib. 4. de Natura demonum, Petrus Tyræus de Prodigiosis Apparitionibus viuorum, Martinus Delrius lib. 2. Magicarum Disquisitionum, Quaestione 18. At quam mira in hoc genere patrabat Antichristus?

CAPVT XXI.

Feminae in viros conuersae.

Nunc de veris, & naturalibus transmutationibus nonnulla annotemus. Plinius lib. 7. cap. 4. Ex feminis mutari in mares non est fabulosum. Inuenimus in Annalibus, P. Licinio Crasso, C. Cassio Longino Coss. Cassini puerum factum ex virgine, sub parentibus, iussuque Aruspicum deportatum in insulam desertam, Licinius Nutianus prodidit, visum a se Argis Arescontem, cui nomen Arescuse fuisset: nupsisse etiam, mox barbam & virilitatem provenisse, uxoremque duxisse. Eiusdem sortis & Smyrna puerum à se visum. Ipse in Africa vidi mutatum in marem nuptiarum die L. Cossicium ciuem Tisdrutanum, vivebat cum proderem haec.] Aulus Gellius lib. 9. Noctium Atticarum cap. 4. Libitum tamen est in loco hoc miraculorum notare id etiam quod Plinius Secundus, vir in temporibus etatis suae, ingenij, dignitatisque gratus, auctoritate magna praeclitus, non audisse, neque legisse, sed scire sese, atque vidisse, in libro Naturalis Historiae septimo scripsit. Verba igitur haec quae infra posui, ipsius sunt ex eo libro sumpta: quae profecto faciunt, ut neque respuenda, neque ridenda sit notissima illa veterum poetarum de Caneida, & Caneo cantilena. Efeminis, inquit, mutari in mares &c.] describit integra verba Plinij, quae paulo ante descripsimus.

Photius in Bibliotheca, Numero Ccxlii. ex Eclogis lib. 32. Diodori Siculi, qui non extat, miranda huiusce generis refert, sic orsus: Multi iique aduersi tradidere, multos è specie qua feminae putabantur, in virilem & sexum & naturam transisse. Ceterum Diodorus rex Alexandri Calo-Syriae, & Antiochia regis prosequens, hac ad prodigium addidit. Cum Alexander, inquit, victus è pugna, in ciuitatem Arabiae Abas ad Dioclem regem, apud quem & filium Antiochum adhuc infantem deposuerat, cum quingentis aufugisset, ecce duces illi Heliadis, qui sese Alexandro coniunxerant, de proprio commodo legationem clam adornant, & dolo sese Alexandrum necaturos promittunt. Annuente verò postulatis Demetrio, non modo regem suum prodiderunt, verum etiam interfecerunt. Non est praetereundum prodigium illud, quod mortem Alexandri praecessit: licet fortasse propter nouitatem si dem excedere videatur. Paucis ante diebus cum iuxta Ciliciam Alexander rex oraculum consulere, quod Appollinis Sarpedonij templum ibidem diceretur, respondisse fertur illi Deus: Eum ut locum caueret qui geminum Deum prouulisset. Ambiguum tunc temporis & obscurum visum est: post regis autem mortem, verum oraculum fuisse caput est intelligi, his de causis. Diophantus quidam è Macendoia in ciuitate Abis in Arabia habitabat, qui ducta uxore Arabissa, filium genuit eiusdem nominis Diophantum, & filiam nomine Heraidem. Filium antequam inueneret, amisit: sed filiam nubilem quidam Samiadi dotatam dedit: qui exacto vno cum uxore anno, procul à domo peregrinatus est. Herais autem, ut dicitur, interea in nouum omnino morbum, & sanè incredibilem incidit. Nam ingens circa aluum na-

tum est tuber, quod cum indies excresceret, & locus intus condensaretur, consuluntur medici: hi vlcus circa ostium vulvae esse asserunt, quo circa adhibent medicamenta, quibus tuber hoc possint suppressere. Septimo autem die disrupta summa cute, excidit è pudendo inguen adiunctis testibus: & hac ruprio, hincque affectus, nec medico, nec quoquam externo prater matrem, duasque ancillas presente accidit. Itaque rei novitate percussa, omnem curam Heraidis gerunt, & id quod accidisset, occultant. Mulier vero liberata morbo, sumpta veste faminea, domestica exercitia & vxoria exsequitur. Qui prodigium cognoscebant, iudicant eam, Hermaphroditum esse, & ideo virile quoddam gestasse, quia coeans cum viro, contrario natura modo coivit. Latuit hoc externos. Reuersus autem Samaides, vi par est, super vxore rogitat, quae pra pudore non fuit ausa comparere. Quod acerbe ferens Samaides, institit amplius & consortium cum vxore sua postulauit: patre vero renuente, & causam dicere erubescere, magna orta est contentio. Itaque pro vxore sua, socero diem dicit: et, ut sit in dramatis, prodigium fortuna in crimen conuertit. Cum iam indices confedissent, & causa essent allata, adesse iubetur persona de qua contendebatur. Iam vero dubitant indices, utrum viro coniungem, aut filiam patri adiudicent: consent tandem id veritatem indicare, vxorem viro esse adiungendam. Ipsa mox audacter vestem fictam soluens, ostendit palam virum sese esse, lamentabilem tollens vocem, Ad quid cogerent virum cohabitare viro? obstupescere omnes, & admirabili voce se perculosos testari. Tunc Herais remoto pudore, virilem habitum reiecto famineo, memoratur assumpsisse. Medici autem his visis sic dixerunt: Eodem loco & virilem & famineum sexum tegi, & pelliculam, quae testes tegeret, nouo more peruiam factam esse, quo retrimenta natura transirent: quare patentem illum locum obducere, & claudere, virilemque naturam promptam reddere coacti sunt, omnibus adhibitis medicamentis. Herais vero induto nomine Diophanti, conscripta est inter equites, & militans vna cum rege, Abas secessit. Tunc vero oraculum quod antea occultum fuit, verum fuisse apparuit: nam Abas cum rex confugisset, ibidem etiam bisformis Diophantus fuit. At Samaides, quod amor, primoque matrimonio seruisset, pudore, & contra naturam nuptiis initis afflictatus, Diophantum heredem bonorum suorum scripsit, & sibi ipsi vitam eripuit. Vide quomodo femina virilem animum, & audaciam assumat: & vir femina fiat imbecillior.

Simile priori triginta post annos in Epidauri prodigium contigit. Kallo quaedam fuit Epidauria, parentibus orbata, quae puella esse videbatur: habebat enim ea quae feminis natura concessit, verum, non peruiam iuxta hunc locum, alia via à natiuitate excrementa natura transmittentibus. Ad aetatem nubilem ubi peruenisset, nupsit cuidam ciui, duosque annos in matrimonio cum viro exegit. Sed coniunctionem feminis vsitatam non admittebat, inuersam & contra naturam sustinere debuit. Post autem multis doloribus circa uterum ingens oritur tuber, quod è multis medicis, qui eo confluerant, nemo sanare potuit. Pharmacopola vero quidam se curaturum promisit. Hic tumentem illum locum aperiens, virilia membra & testes, & virgulam non peruiam inde eduxit. Rei novitate omnes obstupescunt. Pharmacopola tum reliquis partibus laxis medicatus est. Primo quidem summitatem pudendorum parum secans, perduxit vsque ad initium vesicae, & fistulam inseruit argenteam, quae excrementa pertransirent: locum vero antea patentem sanauit, & clausit: quare hoc loco sanato, duplicem mercedem poposcit: primo quia mulierem liberasset à morbo, & virum ex ea perfectum perfecisset. Kallo vero virili veste sumpta, & viri moribus, reiectis radio

textorio, & mulierum opificio, vna littera nomini adiuncta, scilicet, n, Kallon vocitata est. Narrant quidam illam antequam in virilem formam mutaretur, Cereris sacra viris ipsis non adcunda, vidisse, & ideo impietatis accusatam fuisse.

Similia Neapoli, & aliis in locis plurima facta dicuntur prodigia, non quod masculinus, & femininus sexus in geminum locum collocatus sit, quod fieri non potest, verum quia natura aliqua membra corporis in hominum stuporem & fraudem falso describat. Quare nos hac digna censuimus, quae litteris, non oblectationis causa legentium, sed utilitatis mandarentur. Multi enim superstitiose putant hac prodigia esse, nec solum rudes, sed etiam integra gentes & vrbes. Fama est initio belli Marsici, iuxta Romam, Italum quendam Androgynum vxore ducta prioribus non absimilem, reum factum apud Senatum fuisse, qui superstitiosus nimium, & à Tyrrenis aruspibus persuasus, hominem vinum infudit exuri. Verum Senatus ignorans morbum, iniuste hunc similis participantem quidem natura, non reuera autem monstrum, damnavit. Non multo post Athenienses eadem de causa morbum ignorantes, quendam vinum, ait, exussisse. Nugamur etiam quidam hyanas viriisque naturae esse, & intra annum sibi inuicem coire: sed res tota falsa. Nam utramque naturam simplicem, & non permixtam habent: & male tradiderunt ii, qui temerè obseruarunt. Muliebri sexui adiacet quiddam simile secundum naturam parti virili, & virili contrario modo quod referat speciem muliebri. Haec quidem de omnibus animalibus non crescentibus, & ad perfectum incrementum perungere non valentibus, quamuis multa & varia reuera accidunt prodigia, dicta sint, ad superstitionem tollendam. Haec Diodorus circa finem libri tricesimi secundi Historiarum prosequitur: licet etiam alij, & plurimi de prodigiis scripserint. Haecenus Photius, ex Diodoro descripsit: cuius verba ex interpretatione Andreae Schotti posuimus: extat enim alia quoque interpretatio Laurentij Rhodomanni. De hyæna vide Plinium lib. 8. cap. 30. Ouidius 15. Metamorphoseos.

Alternare vices, & qua modo femina tergo,

Passa marem, miremur hyanam, —

Liuius lib. 24. cap. 10. Q. Fabio Maximo quartum, & M. Marcello tertium cons. ex muliere spolei virum factum] Phlegon Trallianus in Fragmentis quae modo superant, mirabilibus & Longanis, hac scribit: Iam Hesiodus, Dicearchus, Clitarchus, Callimachus, alique nonnulli de Tiresia hac narrant: Tiresiam Eumaris filium in Arcadia cum esset mas, in monte Cyllene, serpentum quos coire videbat, alterum vulnerasse: illicoque mutato sexu, in faminam mutatum esse, ac cum viro concubuisse. Monitum autem oraculo Apollinis, ut quum coeuntes serpentes iterum deprehendisset, alterum itidem fauciaret, ita enim in pristinum sexum rediturum: obseruata opportunitate consilium Dei fuisse exsecutum, itaque recuperasse pristinam naturam. Porro Ioue cum Iunone altercante, illoque contendente plus voluptatis è re venerea faminas percipere quam viros, Iunone contrarium asserente: placuisse, ut accitus ea de re ponunciaret Tiresias, ut pote utrumque sexum expertus. Hunc interrogatum respondisse: Decem in partes voluptate ista diuisa, vnā viro, nouem mulieri obtinere. Iunonem iratam, eum oculis confossis excacasse: Iouem ei vaticinandi artem dono dedisse, & vitam septem saeculorum.

Idem perhibent, apud Lapithas Elato regi filiam fuisse, nomine Canidem: cum hac Neptunum congressum, promississe facturum se ei quodcumque vellet: ipsam petiisse, ut ab eo in virum mutaretur, fieretque invulnerabilis. Praestitisse id Neptunum, nomenque viro

Cantus

Canens factum.] Sed hæc sunt poetica : vnde Virgilius 6. *Æneidos*.

— Et iuuenis quondam, nunc femina Canens,
Rursus, & in veterem fato reuoluta figuram.

Historica iam prosequitur Phlegon : Antiochia etiam, quæ est ad Meandrum sita, homo mixto sexu, quem Androgynum appellant, fuit, presidente Athenis Antipatro, Roma M. Vinicio, & T. Statilio Taurō, cui Corbily cognomentum fuit, Coss. Etenim virgo quadam parentibus nata illustribus, cum annorum esset tredecim, multis procis petita ob pulchritudinem, postquam de parentum sententia desponsata est, nuptiarum die appetente, domo progressura, subito dolore vehementissimo correpta exclamauit. Domestici eam reductam in ades, ita curauerunt, ut quæ doloribus ventris, & conuersionibus intestinorum laboraret. Verum dolore per triduum continuū permanente, omnibusque eum ob casum anxietatibus, cruciatibus neque interdiu, neque noctu remittentibus, cum omnes eius urbis medici ipsam curarent, nullam tamen affectus causam inuenirent : quarta die sub auroram, intendentibus se acrius doloribus, puellæque magno cum eiulatu exclamante, subito virilia prodierunt, ac e virgine vir est factus. Qui aliquando post Romam fuit ad Claudium Cæsarem adductus : atque hinc prodigij istius causa, in Capitolio Ioui Auerranco aram posuit.

Alius fuit Androgynus Meuania quæ est urbs Italia, in diuersorio Agrippina Augusta, Preside Athenis Dionysodoro, Roma, D. Iunio Silano Torquato, & Q. Asterio Antonino Coss. Nam virgo quadam Smirna nata, Philotis nomine, cum matura viro nuptum tradita esset à parentibus, masculino enato membro, in virum abiit. Eodemque tempore Epidauri alius fuit Androgynus, natus inopibus parentibus, cui nomen prius erat Sympherusa : in virum autem mutatus, Sympheron cepit vocari, vitamque colendis hortis iriuit. Quin & Laodicea quæ est in Syria, mulier Ateta nomine, etiamnum cum marito degens, e femina vir exiit, cui nomen Atetus, Preside Athenis Macrino, Roma consulum gerentibus L. Lamia, & Eliano vetere. Hunc ipse quoque vidi. Fuit & Roma Androgynus, Preside Athenis Iasone, Roma M. Plautio, & Sex. Carminio Hyæo, ac M. Fulvio Flacco Coss. Hactenus Phlegon. De Consulibus hinc à Phlegonte nominatis, vide Scaligerum in Eusebianis, pag. 171.

In Annalibus Dominicanorum Colmatiensium, anno Domini 1302. hæc habentur : Mulier propè Bernam in villa, decem annis viro cohabitata, & cognosci à viro non potuit : iudicio spirituali à viro separatur : Romam proficiscens anno Iubileo, Bononia à chirurgo cunnus eius scinditur : egreditur virga virilis cum testiculis. Domum reuersa uxorem duxit, opera rustica facit, cum uxore congregitur legitime & sufficienter.]

Amatus Lusitanus Centuria 2. Curationum Medicinalium, Curatione 39. hæc refert : In oppido Esqueira nouem leucis à Conymbrica, nobili apud Lusitanos ciuitate, puella quadam genere nobilis erat, cui nomen, si rectè teneo, Maria Pacheca erat : quæ cum ad atatem peruenisset, in qua mulieres menstrua primum emittere solent, vice mensum, priapum vsque ad id tempus intus latitantem extra eiecit. Et sic ex femina factus est masculus, & virili toga indutus Manuel fuit vocatus : qui ad Indos perueniens, & diues ac clarus factus, postea ad suos rediit, & uxorem duxit. Sed an liberos genuerit, non satis compertum habeo. Conscij tamen sumus imberbem hunc semper mansisse.] Et in Scholiis postquam retulisset ea, quæ Plinius lib. 7. cap. 4. de feminis in mates mutatis, prodidit, hæc annotat : A cuius historiis non multum absunt quæ

Hippocrates prædixerat lib. 6. de Morbis popularibus, ad hunc modum : In Abderis Phœusa Pythæa uxor priore quidem tempore facunda erat : cum autem maritus ipsius in exilium abiisset, menses multo tempore suppressi sunt : postea dolores & rubores ad articulos oborti sunt : hæc autem ubi contigissent : & corpus virile factum est, & hirsuta penitus euasit, & barbam produxit, & vox aspera facta est.] Et his Hippocratis verbis subdit Amatus : Idem hoc contigit Namyssia Gorgippi uxori in Taso.]

Antonius Mizaldus Centuria 8. rerum Memorabilium, Aphorismo 1. hæc scribit : Miratu & memoratu dignum censeo quod traditum est à Iouiano Pontano : Caietana muliercula, inquit, viro piscatori nupta, cum quo annos multos rem veneram miscuerat, ut Antonius Panormita piscatoris amicus nobis adolescentibus referre solitus est, post quartum decimum annum e muliere in virum transiit, exorto repente in muliebris natura loco, virili pene. Quo facto, quod conditionis perpaderet sua, ut qui à viris pariter mulieribusque ridetur, e ciuili vita ad vitæ genus religiosum transiit, vixitque in monasterio, in quo ipsi eum nouimus, vitæ suæ reliquum : sepultusque est Roma in templo Maria ad Mineruam. Mulier altera nomine Emilia nupsit Antonio Spense, cui Ebulano, postque duodecimum nuptiarum annum, in virum mutata est : hodieque cum viro conuersatur, artes viriles exercens in patria : utque relatum nobis est, nuper etiam uxorem duxit. Hæc ille lib. 10. de Rebus celestibus.] Hactenus Mizaldus.

Iacobus Dalecampius in Annotationibus ad Plinij lib. 7. cap. 4. Pontano, Caietana muliercula piscatoris per annos quatuordecim uxor, repente vir facta est. Idem contigit Emilia coniugi Antony Spense, cuius Ebulani, anno duodecimo postquam nupsit. Sexu mutato ea duxit uxorem, & liberos subtulit. Idem & alteri muliercula accidit, cum iam semel peperisset. Temporibus Ferdinandi Primi Neapolitanorum regis, Carlotta & Francisca filia Ludouici Quarne Salernitani, annos quindecim nata sexum mutarunt.] Hæc latius describit Baptista Fulgofus lib. 1. Dictorum, Factorumque Memorabilium cap. 6.

Victor Palma in Additionibus ad Chronographiam Genebrardi, lib. 2. pag. 306. inquit : In Arabianis nostris etiam temporibus, regnante Henrico II. Christianissimo Francie rege, puer factus est ex virgine.]

S. Augustinus de Ciuitate Dei, lib. 3. cap. 31. Omitto quippe illa quæ magis fuerunt mira quam noxia, bones locutos, infantes nondum natos de vteris matrum quadam verba clamasse, volasse serpentes, feminas, & Gallinas, & homines in masculinum sexum fuisse conuersas : & cetera huiusmodi, quæ in eorum libris, non fabulosis, sed historicis, seu vera, seu falsa sint &c.] Non est omittendum hinc insigne Epigramma Ausonij 68. de his quæ sexum mutarunt :

Vallebana res nota, & vix credenda poetis,

Sed quæ de vera promittitur historia.

Femineam in speciem conuertit masculus ales :

Pauaque de Pauo constitit ante oculos.

Cuncti admirantur monstrum : sed mollior agna

Astitit in tenerum de grege versa marem.

Quid stolidi ad speciem nota nouitatis habetis ?

An vos Nasonis carmina non legitis ?

Canea conuertit proles saturnia Confus.

Ambiguoque fuit corpore Tiresias.

Vidit semiuirum fons Salmacis Hermaphroditum :

Vidit nubentem Plinius Androgynum.

Nec satis antiquum, quod Campana in Benevento

Unus Epheborum virgorepente fuit.

Nolo tamen vteris documenta arcessere fama :

Eccæ

Ecce ego sum factus femina de puero.

At de his vide plura apud Martinum Delrium lib. 2. Magicarum Disquisitionum, cap. 22. Et quidem mulierum in viros sexu mutato naturaliter & verè conuersiones rectè fieri posse, consentiunt Medici & Philosophi: at marium in feminas, non item, nec vi magica, aut dæmoniaca, Vide Delrium ibidem. Hieronymus Mercurialis lib. 6. Variarum Lectionum, cap. 20, contendit, mutationes fæminarum in viros, solis virginibus contingere posse eo tempore, quo illis menses fluere incipiunt: non verò corruptis: sed obstant plura exempla quæ antea produximus. Delrius hæc annotat: *Mihi tamen vehemens adhuc suspicio est, non tam hos ex faminis, ita viros factos, ut femina deferint esse, quam ad femineum sexum, masculinum accessisse, ut androgyni efficerentur: sexu tamen hoc posteriore prævalente, & ideo pro viris habitas.* Sed non solida hæc suspicio, cum reuera in his mutationibus virilis sexus solus conspicuè cernatur.

CAPVT XXII.

*Mortuorum resurrectiones: quas finget.
Antichristus.*

Complura Gentiles Scriptores de quibusdam qui mortui reuixere, produnt. Plato lib. 10. de Republica mirabilem narrationem orditur in hunc modum: *Equidem tibi non Alcini apologum, sed multa præstantissimi viri Eris Armenij genere Pamphilij referabo. Qui cum occubisset in pralio, sublati decimo die cadaueribus ceteris, iam corruptis, integer quidem incorrupto corpore repertus fuit: domumque delatus, ut sepeliretur, duodecima iam ab obitu die, dum pyra impositus esset, reuixit, & quæ interim viderat, retulit. inquit ergo, postquam anima à corpore fuisset separata, una cum pluribus, quendam in locum demonum peruenisse. In quo terra duos proximos vidit hiatus: duos item alios, è conspectu supernè in celi regione conspexit: inter hos vero hiatus iudices sedere: qui postquam animas indicauerunt, iustos quidem ad dexteram supra per caelum ascendere iubent, in aduersa ipsorum parte signa eorum quæ indicauerint, suspendentes: iniustos contra, ad sinistram infra, omnium quæ fecerant in vita, post tergum signa ferentes. Cum verò ad iudices ipse quoque accessisset, illos aiebat, respondisse, redire cum hominibus nuntium de his quæ illic viderat, oportere: insequere illum audire & intueri quacumque eis in locis fierent, diligenter. Viderat igitur illic per utramque celi, terræque portam animas lata sententia abeuntes: per alias item duas, ex terra quidem ascendentes animas, pulueris, squalore, macieque confectas: è calo autem alias nitidas descendentes. Viderique, inquit, animas undique venientes tanquam longa peregrinatione fatigatas, libenter in prato quod ibi est, tanquam celebri in conuentu recumbere: ac se inimicem, quacumque mutuam notitiam habuerint, salutare: easque omnes, tam quæ ex terra, quam quæ è calo conuenissent, sese ultro, citroque de his quæ suis in locis viderint, percontari: sibi que vicissim ad singula respondere: has quidem dolentes ac flentes memoria malorum quæ in præterito sub terris itinere, & perpeffa sunt, & viderunt. Esse autem iter illud mille annorum. Illas verò quæ de calo descenderant, narrare delicias, pulchritudinisque ingentis spectacula. Multa quidem illa referre, quæ longo ordine recitabat, prolixa nimium narrationis, ô Glauo.] Meminere huius Eri Pamphilij à mortuis excitato S. Iustinus Martyr in Exhortatione ad Græcos, Clemens Alexandrinus lib. 5. Stromatum, cap. 6. Macrobius lib. 1.*

in somnium Scipionis, cap. 1. & ante hos Valerius Maximus lib. 1. cap. 8.

Diogenes Laertius de fæmina ab Empedocle in vitam reuocata hæc scribit: *Heraclides enim, qui explator fuit eorum, quæ de carente spiritu tradita sunt, posteaquam Empedocles, fæmina mortua ad vitam reuocata, summam sit gloriam consecutus, in agro Pisis nactis sacrificium instituisse tradit.* Et superius dixerat: *Heraclides in libro de Morbis, Pausaniam quoque in his quæ de carente spiritu scripsit, eo fuisse usum magistro scribit. Carentem autem spiritu Heraclitus eiusmodi quiddam esse ait, quod per triginta dies corpus spiritu carens, atque incorruptum conseruet.* Et in Proemio de vitis Philosophorum: *Heraclides Ponticus in libro quem scripsit de Apno.* Vide notas Casaboni in hunc locum. Suidas in voce Apnus: *Alunt Empedoclem Pausania tradidisse Apnum, hoc est, spiritu carens medicamentum: quod sit huiusmodi, ut triginta dies conseruet sine potu, spiritu, & cibo corpus.* Ipse etiam Empedocles de se in poemate apud Laertium canit:

Et reduces ex orco defuncti animam viri.

Hefychius Milesius de Viris Claris, in Empedocle: *Iste cum in opinionem hominum irrepsisset, ob restitutam vitam mortuam mulierem, sacrificium fecit publicè, presentibus amicorum nonnullis.* Et paucis interiectis: *Porro quod de exanimi muliere fertur miraculum, eiusmodi fermè esse perhibent, quasi triginta diebus corpus absque spiritu & cibi usu conseruauerit.* Plinius lib. 7. cap. 52. Huc pertinet nobile illud apud Græcos volumen Heraclidis, septem diebus fæmina exanimis ad vitam reuocata.]

Phlegon Trallianus in Mirabilium fragmentis: *Narrat etiam Antisthenes Philosophus Peripateticus, Acilium Glabionem Consulem, cum legatis Portio Catone & L. Valerio Flacco, pralio congressum cum Antiocho apud Thermopylas acriter pugnasse, & milites Antiochi coëgisse arma abiicere. In pugna autem apud Thermopylas, Romanis signa illustrissima sunt facta. Nam cum se ostendisset ipsis Antiochus, ac fugisset: postridie Romani se colligendis iis qui ab ipsorum parte ceciderant, tum legendis spoliis atque exuviis & captiuis, dederunt. Ibi Buplagus quidam Syrus, qui magno in pretio apud Antiochum fuerat, turmamque equorum duxerat, fortiterque praliis ceciderat, Romanis, cum omnia spolia legissent, media die è mortuis surrexit, vulneribus affectus duodecim, & in castra eorum aduenit, atque hos versus exili voce pronunciauit:*

Desiste ad Manes turbam spoliare profectam:

Succenset Iupiter iam nunc facta impia cernens,

Iratu cadem ob legionis, & ob tua facta,

Immanem gentemque tuas immittet in oras,

Imperio tibi quæ tua facta rependat, adepto.

Perturbati his verbis duces, celeriter multitudinem in concionem conuocarunt, ac de spectro consultarunt. Placuit ut Buplagus statim à recitatis versibus extinctus, cremaretur, ac sepeliretur: lustraretur exercitus, Ioui Auerrumatori sacrum fieret, mittereturque Delphos, qui quid agendum esset, perquirerent. Cleodemus apud Lucianum in Philopseude: *Nam & ipse haud ita pridem cum agrotarem tale quiddam conspexi. Prospiciebat mihi, curabatque Antigonus hic, ac septima dies erat, febrisque Oqualis! incendio certè vehementior. Omnes ergo me relinquentes solum clausis foribus manebant. Sic enim iusseras Antigone, si quo pacto possem obdormiscere. Tunc igitur adstitit mihi iuuenis quidam vigilanti, pulcher admodum, veste circum amictus candida. Ac me cum excitasset, per hiatus quendam ducit ad inferos, sicuti illico cognoui, Tantalum cum viderem ac Tityum, sisyphumque. Ac cetera vobis quid commemorem?*

Postquam

Postquam verò ad tribunal perueni, (aderat autem & Aacus, & Charon, Parcaque, atque Erinnyes) quidam velut rex (Pluto certe mihi videbatur) assedit, singulorum nomina percensens, qui morituri erant, quos diem iam vita praescriptum praterisse contigerat. Iuuenis ergo me adducens illi exhibuit. At Pluto tunc incanduit, & ad eum qui me ducebat: Nondum illi completum est stamen, inquit: abeat ergo: tu verò fabrum Demylum adduc: iam siquidem ultra colum viuit. Tum ego letus recurrens, ipse quidem iam febre liber eram: denuntiabam verò omnibus, quod Demylus esset moriturus. Manebat autem nobis in vicinia agrotans etiam ipse nonnihil, ut renuntiatum est. Ac Paulò post audiuius eiulatum eorum qui lugebant eum. Quid miri est, inquit Antigonus? Ego etenim quemdam noui, post vigesimum diem quam sepultus esset, resurrexisse: nam hominem & antequam moreretur, & postquam resurrexit, ipse curauit.] Simile quiddam refert S. Gregorius Dialogo 4. cap. 37. de Stephano quodam, cuius anima post mortem iussa sit in corpus redire, quòd pro alio Stephano Ferrario vocatus fuisset.

De puella mortua ab Apollonio Tyonio in viram restituta pluribus egimus lib. 1. cap. 17. Apuleius lib. 2. Asini fasè narrat, iuuenem quemdam à mortuis excitatum à Zachla quodam Aegypto propheta, sed id totum fabulosum esse constat. At quæ Plinius lib. 7. cap. 52. refert, sunt planè admiranda: sic enim ait: Varro quoque auctor est, xx. viris agros diuidendis, Capua quemdam qui efferretur feretro, domum remeasse pedibus. Hoc idem Aquini accidisse. Roma quoque Corfidium matertera sua maritum suero locato reniisse, locatorum funeris ab eo elatum. Adicit miracula, quæ tota indicasse conueniat. E duobus fratribus equestri ordinis, Corfidio maiori accidisse, ut videretur expirasse: apertoque testamento recitatum heredem minorem, funeri instituisse: interim eum, qui videbatur extinctus, plaudendo concuisse ministeria, & narraffe, à fratre se venisse commendatam sibi filiam ab eo: demonstratum præterea quo in loco defodisset aurum, nullo conscio: & rogasse ut iis funeribus, quæ comparasset, efferretur. Hoc eo narrante, fratris domestici propere annuntiauerunt exanimatum illum: & aurum, ubi dixerat, reperitum est. Plena præterea vita est his vaticiniis, sed non conferenda, cum sapius falsa sint, sicut ingenti exemplo docebimus. Bello Siculo Gabienus Caesaris classarius fortissimus, captus à Sexto Pompeio, iussu eius incisa ceruice, & vix coherente, iacuit in litore tota die. Deinde cum aduersperauisset, cum gemitu, precibusque congregata multitudo, petiit, uti Pompeius ad se veniret, aut aliquem ex charis mitteret: se enim ab inferis remissum, habere quæ nuntiaret. Misit plures Pompeius ex amicis, quibus Gabienus: Inferis diis placere Pompeij causas, & partes pias: proinde euentum futurum quem optaret: hoc se nuntiare iussu: argumentum fore veritatis, quod peractis mandatus, protinus expiratuus esset. Idque ita euenit. Post sepulturam quoque visorum exempla sunt: nisi quod natura opera, non prodigia consuetamur.] Hactenus Plinius.

Sed de visis post mortem nonnulla ex ethnicis auctoribus, perquam sanè stupenda visum est attexere. Plinius nepos lib. 7. Epist. 27. ad Suram: Iam illud, nonne & magis terribile, & non minus mirum est, quod exponam, ut accepi? Erat Athenis spaciola, & capax domus, sed infamis & pestilens: per silentium noctis, sonus ferri, esset attenderes acrius, strepitus vinculorum longius primo, deinde proximò reddebatur: mox apparebat idolon, senex macie & squallore confectus, promissa barba, horrenti capillo, cruribus compedes, manibus catenas gerebat, quatiēbatque: inde inhabitantibus tristes, diræque

Tom. II. De Antichristo,

noctes per metum vigilabantur: vigiliam morbus, & crescente formidine mors sequebatur. Nam interdum quoque, quamquam abscesserat imago, memoria imaginis oculis inhærebat: longiorisque causa timoris, timor erat. Derelicta: proscribatur tamen, sed quis emere, seu quis conducere ignarus tanti mali vellet? Venit Athenas Philosophus Athenodorus, legit titulum: auditoque pretio, quia suspecta utilitas, percunctatus, omnia docetur: ac nihilominus, imò tanto magis conducit. Vbi capit aduersperascere, iubet sterni sibi in prima domus parte: poscit pugillares, stylum, lumen: suos omnes in interiora dimittit, ipse ad scribendum, animum, oculos, manum intendit, ne vacua mens audita simulachra & inanes sibi metus fingeret. Initio, quale ubique silentium noctis, deinde concuti ferrum, vincula moueri: ille non tollere oculos, non remittere stylum, sed obfirmare animum, auribusque pratendere, tum crebrescere fragor, aduentare etiam, ac iam ut in limine, iam ut intra limen audiri. Respicit, videt, agnoscitque narratam sibi effigiem: stabat, innuebatque digito, similis vocanti: hic contra ut paululum expectaret, manu significat, rursusque cerus & stylo incumbit: illa scribentis capiti catenis insonabat: respicit idem quod prius innuentem, nec moratus, tollit lumen, & sequitur. Ibat illa lento gradu, quasi grauis vinculis. Postquam deflexit in arcam domus, repente dilapsa deserit comitem: desertus, herbas & folia concerpta signum loco ponit. Postera die adit magistratus, monet, ut illum locum effodi inbeant. Inueniuntur ossa inserta catenis & implicita, quæ corpus euo, terraque putrefactum vnda & exesa reliquerat vinculis: collecta, publicè sepeliuntur: domus postea ritè conditis manibus caruit: Et hac quidem affirmantibus credo.] Hæc Plinius.

Arignotus apud Lucianum in Philopseude: Atqui si quando Corinthum veneris, roga ubi sit Eubaida domus: atque ubi tibi fuerit indicata, nempe circa Craneon, in eam ingressus, dic lanitori Tibio, velle te videre unde demonem Pythagoricus Arignotus cum adduxisset, abegerit, ac deinceps habitabilem domum reddiderit. Quidnam hoc erat, Arignote? rogabat Eucrates. Inhabitabilis erat, inquit ille, diu propter terricula: quod si quis inhabitasset, expauescens illico fugiebat, exactus à quodam horrendo & terribili spectro. Deciderat ergo iam, tectumque rumpebatur, neque quisquam erat omnino qui in eam ingredi fuerit ausus. Ego vero, ubi hæc audiuì, libellos sumens, (sunt autem Aegyptij mihi de talibus rebus admodum multi) veni in domum circa primam vigiliam, dehortante hospite, ac fermè derinente, postquam didicerat, quo iturus essem, in certum, ut putabat, exitium. At ego sumpta lucerna, solus ingredior, atque in vastissimo atrio collocato lumine, humi sedens, tacite legebam. Adest vero demon ille, cum quopiam è vulgo se congressissimum ratus: ac me quoque quemadmodum & alios perterriturum, squalidus, hirsutus, ac tenebris nigrior. Atque hic cum adstaret, undique me ad saltim petens, tentauit, siqua posset expugnare, ac modo in canem, modo in taurum, modo in leonem vertebatur. At ego correpto in manum quam maxime horrendo carmine, simulque vocem imitatus Aegyptiam, & incantans eum, in domicilij tenebrarum angulum quemdam compuli. Ac cum animaduertissem ubi se in terram condidit, tum destiti. Mane autem desperantibus vniuersis, ac me quemadmodum alios, mortuum sese reperturos putantibus, præter omnium spem progrediens, Eubaidem adeo, feliciter illi annuntians, quod puram sibi, ac spectris liberam domum iam liceret incolere. Atque illum assumens, aliosque multos (sequebantur autem huius opinatæ rei gratia) cum ad locum duxissem, ubi condentem se damona conspexeram, inssi ut sumptis ligonibus, matulisque suffoderent.

L

Atque

Atque ubi id fecerant, inuentum est fere ad passum defossum cadauer quoddam marcidum, ossibus tantum humana specie coherentibus. Illud igitur effossum sepeliuimus: domus postea turbata prodigiis desuit.

In Fragmentis Phlegontis Tralliani Mirabilium, extat de Machate & Philinnio stupenda planè narratio, quam, ut in auctore superest, acephalam hinc opportunè inferendam duximus: sic enim se habet: * per fores in diuersorium exit: & ardente lucerna, videt illam sedentem apud Machaten. Neque diuinus se continens ob spectri miraculum, ad matrem accurrit, magnæque vociferatione inclamans Charito & Nicostrate, surgere eos iussit, secumque ad filiam accedere: hanc enim sibi viuam esse visam, & Dei cuiusdam voluntate esse in diuersorio cum hospite. Charito cum sermonem incredibilem audiisset, principio nuntij magnitudine, & tumultuatione nutricis consternata, animi est passa deliquium: mox filie recordata, fleuit; tandem insanire nutricem dixit, atque abire iussit celeriter. Nutrice verò exprobrante ipsi, quod præ ignauia, suam filiam videre negligeret, (nam se quidem sanam esse, atque animo sibi constare) egre tandem Charito partim à nutrice coacta, partim videre cupiens quid rei accidisset, ad fores hospitij se confert: idque serò, quod multum effluxisset temporis, dum secundus nuntius perferretur: quo factum est, ut illi iam quiescerent. Mater igitur conuicta, vestes quidem, & lineamenta vultus visa sibi est, agnoscere. Cum autem nulla esset veritatis rei perscrutanda ratio, quiescendum sibi duxit, sperans se manè surrecturam, filiamque deprehensuram: aut si serius venisset, è Machate totam rem cognituram: neque enim mentiturum eum, si de tanta re interrogaretur: itaque silens abiit.

Prima luce, illa, sine Dei quodam nutu, siue casu aliquo abiens fesellit. Mater autem cum aduenisset, egre admodum tulit quod eam non ostenderet: adolescenti autem & hospiti re tota ab initio exposita, genua amplexa Machate, hominem obsecrauit, ut nihil occultans veritatem proderet. Adolescens animo anxius initio quidem perturbari, vixque demum nomen edere, esse eam inquit Philinnium: tum principium introitus exponere, & mulieris cupiditatem, qua se, clam parentes, ad ipsum venire dixisset. Vtique rei fidem faceret, qua ab ea fuerant relicta, aperto risco protulit anulum quem acceperat ab ea aureum, & fasciolam pectoralem, quam superiore nocte reliquerat. Charito, ubi tanta vidit signa, exclamauit: scissisque vestibus, & vitta à capite proiecta, in terram concidit, indicijque circumfusa luctum ab initio repetiit. Hospes ista cernens, cum omnes in summo essent marore, ac lamentarentur, ut qui iam sepeliendam sibi Charitonem animo putarent: animo conturbato consolari eam capit, ut finem eiulandi faceret, rogans, promittensque illam, si rediret, ei monstraturum. Quibus Charito mota verbis, mandato ut operam daret diligenter, quo promissa impleat, domum abiit. Ut nox facta est, & hora appetiit, ad quam horam Philinnium solebat ad ipsam ventitare: expectarunt sanè illi aduentum: ipsa autem venit.

Qua cum consueto tempore esset ingressa, & in lecto confedisset, Machates nihil preserebens quid vellet, rem modo ipsam explorare cupiens, presertim, ut qui nequaquam crederet se cum mortua rem habere, qua tam accuratè eodem temporis articulo ad se veniret, ad hac etiam secum ederet atque biberet: itaque etiam iis fidem non haberet, qua ab illis narrabantur, putaretque quosdam eorum, qui mortuos effodere solent,

effosso sepulchro, vestes, & aureum mundum parui puella vendidisse: Cupiens ergo rem certo perspicere, pueros occulte mittit accitum eos. Cum autem confestim venissent Damosstratus & Charito, vidissentque ipsam, & primo quidem muti ac consternati adstitissent, admirabili spectaculo attoniti, deinde autem magnum sustulissent clamorem, ac filiam fuissent circumplexi: ibi tam Philinnium hæc eis dixit: o mater & pater, quam iniuste inuidistis mihi, ut cum hospite essem per triduum in domo paterna, absque ullo maleficio! proinde vos denudò lugebitis, propter vestram curiositatem: ego autem rursum abeo ad locum mihi designatum: non enim absque Diuina voluntate huc veni. Hæc locuta, fuit illico mortua, corpusque eius conspicuum per lectum est extensum.

Matre autem circumfusa, ac pare, cadaueri, magnæque coorto tumultu in adibus, atque eiulatu, ob istam rem: cum & immedicabile spectaculum accidisset, & incredibilis casus: statim fama rei urbem peruasit, & ad me allata est. Istam igitur noctem ego turbam hominum, qua ad ades eas confluxerat, distinui, veritus ne quid nouarum rerum tentaretur, tali fama dissipata. Summo manè refertum hominibus fuit theatrum: omnibusque singularem narratis, placuit ut primo omnium iremus ad sepulchrum, eoque aperto, videremus, cadauerne in Sandapila esset, an vero vacuum locum inueniremus: nondum enim sex menses à morte muliercula elapsi erant. Postquam aperuimus cameram, in quam omnes istius familie defuncti reponebantur, aliis quidem in culcitris conspeximus cadauera sita, & ossa eorum qui ante spatium temporis longius fuerant mortui: in ea sola, in quam reposita & sepulta fuerat Philinnium, inuenimus iacentem anulum ferreum, qui fuerat hospitij, & poculum inauratum, qua illa primo die à Machate acceperat.

Admirati, atque stupentes præ admiratione, statim ad Damosstratum in diuersorium nos contulimus, ut videremus, an reuera cadauer mulieris conspiceretur. Quod cum vidissemus humi iacere, in concionem conuenimus: nam & magna erant qua euenerant, & incredibilia. Cum autem in concione tumultus existeret ingens, ac nemo ferè negotium diiudicare posset: primus Hyllus, qui apud nos non ariolus modo optimus, sed & augur præclarus habebatur, atque in arte diuinandi abundè omnia habebat perspecta, surgens, mulieris cadauer iussit extra fines sepelire: (neque enim conducere, ut iterum intra eos in terram deponatur) Mercurium verò terrestrem & furias placari, tum omnes purgari, lustrari etiam, sacra & iusta fieri diis manibus mandauit. Mibique priuatim precepit, ut pro Imperatore & republicam sacram facerem Mercurio, Ioui Hospitali, ac Marti, eaque accurate conficerem. Hæc illo effato, nos quod iusserat, executi sumus. Machates autem ille hospes, ad quem spectrum commearat, præ marore mortem sibi conscinit. Proinde si statueris hac de re ad Imperatorem scribere, significa id per litteras mihi, ut etiam quosdam eorum, qui singula perlustrarunt, ad te mittam. Vale.] Hæcenus Phlegon. Cui narrationi caput quidem deest, sed satis intelligitur: Xylander hæc annotauit. Videtur summa hæc esse: Philinnium Damosstrati & Charitus filiam, clam cum hospite Machate, etiam vitam funditam consueuisse: idque nutricem deprehendisse.]

Quique rerum peritus statim animaduertet, demonem aliquem succubum in assumpto corpore de mortua Philinnij cum Machate coïiisse.

Affinia his sunt quæ Eucrates apud Lucianum in Philopseude scribit in hunc modum: Felicis memorie uxorem meam horum puerorum matrem nouerunt omnes quo pacto dilexerim. Nam declaravi his rebus

rebus quas in eam feci, non modo dum viveret, verum etiam postquam vita funta est quippe qui mundum eius uniuersum, vestemque, qua dum viveret, obletatur, in rogam illius iniecerim. Septima vero post mortem die, ego quidem hic in eundem lectum incumbebam, quemadmodum nunc, lectum cum mihi committigans, quem de illa conceperam. Legebam enim tacitus Platonis illum de Anima libellum. Ingreditur interim Demanete ea ipsa, atque adsidet iuxta, quemadmodum nunc Eucratides hic, minorem designans filium. Hic vero illico tremuit admodum puerriliter, ac dudum ad narrationem pallesbat. Ego vero, inquit Eucrates, ut conspexi, amplexus eam singularem lacrymabam. Illa vero me vociferari non patiebatur, verum incusabat me, quod cum ei fuisset in reliquis gratificatus omnibus, è sandaliis aureis alterum non cremaueram. Superesse autem id dicebat, quod sub arca ceciderat: atque ob id nos cum non inueniremus, alterum tantum cremaueramus. Nobis autem adhuc differentibus, scelestissimus quidam caniculus, qui mihi in delitiis erat, in lecto cubans, allatrabat: ea vero ad latratum euauit. At sandalium sub arca reperiunt, posteaque à nobis incensum.] Et si his adhuc spectris lector delectatur, legat apud Phlegontem seu fabulam seu historiam mirè prodigiosam de Polycrito Etolo: quam ob prolixitatem hinc vitamus.

CAPVT XXIII.

Miracula quæ olim à Gentilibus facta
produntur.

DE Seruio Tullio Romanorum rege Dionysius Halicarnassensis lib. 4. hæc memorat: Quamuis autem hoc quod de illo viro fertur, [nempe quod Genio genitus fuerit, uti late descripsimus lib. 3. cap. 4.] non admodum credibile videatur: tamen aliud quoddam prodigium quod illi vero accidit admirandum, & omnem opinionem humanam superans, facit ut minus de eo dubitetur. Nam quum aliquando sederet in regio cubiculo circiter meridianas horas, & somno correptus fuisset, flamma ex eius capite emicuit: & mater eius, & uxor regis dum per cubiculum ambularent, eam viderunt, & reliqui omnes qui tum forte cum illis mulieribus aderant: nec prius flamma totum eius corpus collustrare desuit, quam mater accurrens, eum excutauit: & flamma una cum ipso somno dissipata euauit.] Idem flammæ prodigium narrant Liuius lib. 1. cap. 39 Valerius Maximus lib. 1. cap. 6. Plutarchus Commentatio de Fortuna Romanorum, Plinius lib. 2. cap. 107. & lib. 36. cap. 27. Florus lib. 1. cap. 6. Auctor de Viris Illustribus, cap. 7. Simile prodigium contigisse. Iulio Ascanio puero Æneæ, & Lavinia Latini regis filia. Virgilius 2. & 7. Æneidos cecinit.

De Lucio Marcio, qui rem Romanorum in Hispania, Scipionibus fratribus, eorumque exercitibus deletis, restituit Liuius lib. 25. cap. 29 hæc refert: Apud omnes magnum nomen Marty ducis est, & verè gloriæ eius etiam miracula addunt. Flammam ei concionanti fusam è capite, sine ipsius sensu, cum magno pauore circumstantium militum.] Eadem habent Valerius Maximus lib. 1. cap. 6. Plinius lib. 2. cap. 107. & alij.

De Virginibus vestalibus multa in hoc genere memoranda Scriptores tradidere. Dionysius Halicarnassensis lib. 2. in hunc modum scribit: Dignissimum autem est quod historia manderetur, quomodo illa Dea Vesta Virginibus incuria accusatis, sua presentia manifestam opem tulerit. Romani enim hoc credunt, licet incredibile sit, & historici his de rebus multa scriptis prodiderunt. Qui igitur impia philosophia dant operam, (si tamen ea est appellanda philosophia) cum ludibrio habeant, quidquid de presentia diuini numinis aut apud Græcos, aut apud Barbaros fertur, has quæque historias valde irridebunt humane arrogantia eas ascribentes, quasi res humane nulli Deorum sint cura. Qui verò Deos de hominibus sollicitos, eorumque curam genere existimant, atque adeo viris probis propitios arbitrantur, & improbis infensos, si multas historias legerim, ne hoc quidem incredibile indicabunt, Deos hominibus apparuisse, ipsique suam presentiam manifestam fecisse. Fertur igitur quondam igne extincto ob quædam negligentiam Emilia. (quæ tunc eum seruabat, quæque alteri virgini nuper in Virginum Vestalium ordinem cooptata, & recens edocta eius curam mandarat) ingens tumultus in tota urbe ortus, & a Pontificibus inquisitio facta, an forte aliquod piaculum à sacerdote in ignis custodia admissum fuisset. Tunc igitur, aiunt, Emiliam, insontem quidem, sed in tali casu consilij inopem, presentibus sacerdotibus, & aliis virginibus, manibus ad aram extensis, dixisse: Vesta, Romana urbis custos, si sancte & iuste sacra tua feci per tempus annorum ferme triginta, & animo puro & casto corpore, appareas iam & mihi opem feras, neque patiaris tuam sacerdotem miserrimo moris genere perire. Quod si quid piaculi à me est commissum, meo supplicio piaculum ciuitatis expia. His dictis, abscissam Laciniam à veste carbassina, qua induta erat, in focum proiecit: post preces autem, aiunt, ex cinere iam pridem frigido, & nullam scintillam seruante, flammam ingeniem per carbassum emicuisse, ita ut ciuitati nullis amplius expiationibus aut igne nouo opus esset. Sed quod sum dicturus, longè admirabilius est, & ad fabulas propius accedit. Aiunt, vnâ de Virginibus sacris, nomine Tuciam, à quodam falso accusatam fuisse, qui ignem quidem extinctum illi obicere non poterat: sed alias quasdam probationes falsas, & argumenta vero similia, quin etiam falsa testimonia proferebat. Iussam autem virginem ad omnia respondere, & se purgare, hoc solum dixisse, se reipsa falsam crimen obiectum dilaturam. Et cum hæc dixisset, & Deam inuocasset, ut sibi via dux esset, ad Tiberim processisse pontificium permissu, & tota urbana turba eam prosequente, & cum ad flumen accessisset, id quod trieto proverbio circumfertur, ut res audacia nimia plena, & quæ præcipue nulla modo fieri potest, cribro vacuo & perforato, è flumine ausam fuisse haurire aquam, eamque ad forum usque latam, ad pedes pontificium effudisse. Postea, aiunt, eius accusatorem multum, diuque quæsitum, neque viuum, neque mortuum inuentum fuisse. Sed de manifesta presentia illius Deæ, cum possim & alia multa dicere, hæc tamen sufficere arbitror.] Hæc Dionysius. De Vestali Emilia eadem quoque prodidit. Valerius Maximus lib. 1. cap. 1. De Tucia verò etiam idem Valerius lib. 8. cap. 1. Plinius lib. 28. cap. 2. Sanctus Augustinus de Ciuitate Dei lib. 10. cap. 16.

Insigne & memorabile facinus Claudia Quintæ Vestalis, quæ ut infamiam impudicitia eluceret,

navem Matris Deum quæ in Tiberino alveo hæferat, cingulo traxerit, pluribus referunt, Ovidius 4. Fastorum, Livi lib. 29. cap. 14. Plinius lib. 7. cap. 35. Suetonius in Tiberio cap. 2. Fenestella de Sacerdotiis Romanorum, cap. 12. Silius Italicus lib. 17. Herodianus lib. 1. Auctor De viris illustribus cap. 56. Lactantius Firmianus lib. 2. cap. 8. S. Augustinus lib. 10. de Civitate Dei, cap. 16. & alij.

At quid de hoc, aliisque miraculis Gentilium Patres existimaverint, paucis accipe: Tertullianus in Apologetico, cap. 22. agens de vi, & operatione demonum, inquit: Quid ergo de cæteris ingenitiis, vel etiam viribus fallacia spiritualis edisseram? Phantasmata Castorum, & aquam cribro gestatam, & navem cingulo promotam, & barbam tactu irruffatam, ut minina lapides crederentur, & Deus verus non quæreretur. Minutius Felix in Octavio: De ipsis etiam [pravis spiritibus] illa quæ paulo ante tibi dicta sunt, ut cum equis Castores viderentur, ut cingulum matrona navicula sequeretur. Hæc omnia sciunt plerique vestrum, ipsos demones de semetipsis confiteri, quoties à nobis & meritis verborum, & orationis incendiis de corporibus exiguntur. Lactantius lib. 2. caput. 17. Demones facile in templis se occultant, & sacrificiis omnibus præsto adsunt, eduntque sæpe prodigia, quibus stupefacti homines, fidem commodent simulacris divinitatis, ac numinis. Inde est quod ab Augure lapis novacula incisus est, & quod Iuno veniens migrare se Romam velle respondit, quod Claudia manum navis secuta est, &c. S. Augustinus 10. de Civitate Dei, cap. 16. Illa quippe miracula Deorum gentilium, quæ commendat historia: ea dico quæ vi ac potestate eorum [demonum] fieri satis evidenter apparet. Ut est, quod effigies Deorum penatium, quos de Troia Aeneas fugiens advenxit, de loco in locum migrasse referuntur: quod cotem Tarquinius novacula secuit: Quod navim qua simulachrum Matris Phrygia vehebatur, tantis hominum, bonique conatibus immobilem redditam, una muliercula, Zona alligata, ad sua pudicitia testimonium movit & traxit: Quod virgo Vestalis de cuius corruptione quaestio vertebatur, aqua impleto cribro de Tiberi, neque persuente, abstulit controuersiam.]

At S. Thomas Quæstione 16. de Potentia, Articulo 5. hæc annotat: Non est à fide remotum, quod Deus verus commendationem castitatis, per suos Angelos bonos huiusmodi miraculum per retentionem aquæ in cribro fecerit: quia bona in Gentilibus fuerunt, ea fuerunt à Deo: Si autem per demones illud factum est, &c.]

Miraculum Attij Nauij Auguris, qui cotem novacula disiecit, supra descripsimus lib. 7. cap. 6.

Valerius Maximus lib. 2. cap. 14. originem ludorum secularium prodens, hæc scribit: Non absurdum videtur Secularibus initium suum, cuius generis minus certa notitia est, reddere. Cum ingenti pestilentia urbs, agrique vastarentur, Valesius vir locuples, rustica vite, duobus filiis & filia ad desperationem usque medicorum laborantibus, aquam calidam iis à foco petens, genibus nixus, lares familiares, ut puerorum periculum in ipsius caput transferrent, orauit. Orta deinde vox est, habiturum eos saluos, si continuo flumine Tiberis deuictos Tarentum deportasset: ibique ex Diis patris, & Proserpina ara petita calda, recreasset. Eo prædicto magnopere confusus, quod

& longa & periculosa navigatio imperabatur: spetamen dubia præsentem metum vincente, pueros ad ripam Tiberis protinus detulit, (habitabat enim in villa sua prope vicum Sabina regionis Eretum) ac limre Ostiam petens, nocte concubia ad Martium campum appulit. Sitiensque agris succurrere cupiens, igne in nauigio non suppetente, ex gubernatore cognoscit haud procul apparere flumen Et ab eo iussus egredi Tarentum, (id ei loco nomen est) cupide arrepto calice, aquam flumine haustam, eo undè fumus erat obortus, iam latior pertulit, diuinitus dati remedi quasi vestigia quædam in propinquo natum se existimans. Inque solo magis fumante, quam vllas ignis habente reliquias, dum tenacius omen apprehendit, contractis leuibus, & qua fors obtulerat nutrimenti, pertinaci spiritu flammam emouit: calefactamque aquam pueris bibendam dedit. Qua pota saluari quiete sopiti, diuina vi morbi repente sunt liberati: patrique indicauerunt, vidisse se in somniis, quos nescio Deorum, spongia corpora sua pertergere, & præcipere ut ad Diis patris & Proserpina aram, à qua fuerat potio ipsis allata, furua hostia immolarentur, lectisternia, ludique nocturni fierent. Is quod eo loci nullam aram viderat, desiderari credens, ut à se construeretur: aram empturus in urbem perrexit, relictis qui fundamentorum constitutorum gratia terram ad solidum foderent. Hi Domini imperium exequentes, cum ad viginti pedum altitudinem humo egesta peruenissent: animaduertunt aram Diis patri, Proserpinaeque inscriptam. Hæc postquam Valesius nunciante seruo accepit, omisso emenda aræ proposito, hostias nigras quæ antiquitus furua dicebantur, Terenti immolauit, ludos & lectisternia continuis tribus noctibus, quia totidem filij periculo liberati erant, fecit. Hæc ipsa vberius profecutus est etiam Zosimus Comes lib. 2.

Rem aliam mirabilem describit Cicero lib. 1. de Diuinatione in hunc modum: Omnes hoc historici, Fabij, Gellij, sed proximè Cælius. Cum bello latino ludi votini maximi primum fierent, ciuitas ad arma repente est excitata. Itaque ludis intermissis, instauratini constituti sunt. Qui ante quam fierent, cumque iam populus consedisset, seruus per Circum, cum virgis caderetur, furcam ferens ductus est. Exin quidam rustico Romano dormienti visus est venire qui diceret, Præsultorem sibi non placuisse ludis: idque ab eodem iussu esse eum senatui nuntiare: illum non ausum, iterum esse idem iussu, & monitum, ne vim suam experiri vellet: ne tunc quidem esse ausum, exin filium eius esse mortuum, eandem in somnis ad admonitionem fuisse tertiam: tum illum etiam debilem factum, rem ad amicos detulisse: quorum de sententia lecticula in Curiam esse delatum: cumque Senatui somnum enarrauisset, pedibus suis saluum reuertisset. Itaque somnio comprobato à senatu, ludos illos iterum instauratos memoria proditum est. Eandem rem gestam pluribus describunt quoque Dionysius Halicarnassensis lib. 7. Livi lib. 2. cap. 36. Valerius Maximus lib. 1. cap. 7. Plutarchus in Coriolano, Lactantius lib. 2. cap. 8. S. Augustinus De Civitate Dei lib. 4. cap. 26. & lib. 8. cap. 13. Macrobius lib. 1. Saturnalium, cap. 11. Romanum illum rusticum Dionysius, Livi, Plutarchus, S. Augustinus, Titum Latinum, vel Latinium vocant, Valerius Titum Atinium, Lactantius, Tiberium Atinium, Macrobius, Annium.

Insigne aliud prodigium ex Aristotele refert Augustinus Steuchus de Pereni Philosophia lib. 4. c. 6. sic dicēs:

Iam

Iam in hoc Compendio perspicue diuinam super rebus humanis confessus est providentiam Aristoteles. Quippe dicit hic, cum fluvius ignis ex Aëna prorumpens, omnem circum regionem innaderet, fugientibus ex oppidis, & agris omnibus, sed senioribus affecta iam ætatis fugere non valentibus, adolescentes filios parentes in humeros sustulisse, ac flammam euadentes, fluvium ignis in eos superuenisse: sed diuinam providentiam, qua rebus benefactis delectatur, perspicuam hic fuisse. Scindens enim sese rapidus ignis in duas partes, reliquit intactos parentes, & alios, quasi pietatem tantam veritus.]

Suctonius miracula Vespasiani Principis in hunc modum perceret, cap. 7. Interim Alexandriam transit, ut claustra Egypti obtineret. Hic cum de firmitate Imperij capturus auspiciam, ædem Serapidis, submotis omnibus, solus intrasset: ac propitiato multum Deo, tandem se conuertisset: verbenas, coronasque & panificia, ut illic assolet, Basilides libertus obtulisse ei visus est: quem neque admissum quoquam, & iam pridem propter nervorum valetudinem vix ingredi, longæque abesse constabat. Ac statim aduenere litteræ, fusas apud Cremonam Vitellij copias, ipsum in urbe interemptum nuntiantes. Auctoritas & quasi maiestas quadam, ut scilicet inopinato & adhuc nouo Principi decrat: hæc quoque accessit. E plebe quidam luminibus orbatus, item alius debili crure, sedentem pro tribunali pariter adierunt, orantes opem valetudinis, demonstratam à Serapide per quietem: restitutum oculos, si inspisset: confirmatum crus, si dignaretur calce contingere. Cum vix fides esset rem vilo modo successuram, ideoque ne experiri quidem auderet, extremo hortantibus amicis, palam pro concione utrumque tentavit: nec euentus defuit.]

De eisdem Tacitus Historia 4. Per eos menses quibus Vespasianus Alexandria statos æstiuus flauibus dies, & certa maris opperiebatur, multa miracula euenire, quæ celestis fauor, & quadam in Vespasianum inclinatio numinum ostenderetur. Ex plebe Alexandria quidam, oculorum tabe notus, genua eius aduoluit, remedium cecitatis exposcens gemitu, monitu Serapidis Dei, quem dedita superstitionibus gens ante alios colit: precabaturque Principem ut genas, & oculorum orbes dignaretur respergere oris excremento. Alius manu eger, eodem Deo auctore, ut pede ac vestigio Caesaris calcaretur, orabat. Vespasianus primo irridere, atque illis instantibus, modo famam vanitatis metuere: modo obsecratione ipsorum, & vocibus adulantium in spem adduci (induci): postremo æstimari à medicis iubet, an talis cecitas ac debilitas ope humana superabiles forent. Medici varia disserere: Huic non exesam vim luminis, & redituram si pellerentur obstantia: Illi elapsos in prauum artus, si salubris vis adhibeatur, posse integrari: Id fortasse cordi esse Deis, & diuino ministerio Principem electum: denique patratum remedium gloriam penes Casarem, irriti ludibrium penes miseros fore. Igitur Vespasianus cuncta fortuna sua patere ratus, nec quidquam ultra incredibile, leto ipse vultu erecta que astabat multitudo, iussa exequitur. Statim conuersa ad usum manus, ac ceco reduxit dies, utrumque qui interfuere, nunc quoque memorant, postquam nullum mendacium pretium.

Altior Vespasiano cupido adeundi sacram sedem, ut super rebus imperij consulere, Arceri templo cunctos iubet: atque ingressus, intentusque numini, respexit ponè tergum è primoribus Egyptiorum nomine Basilidem: quem procul Alexandria plurimum dierum itinere, & ego corpore detineri haud ignorabat, Percontatur sacerdotes, num illo die Basilides templum iniisset? percontatur obuios, num in urbe visus sit? denique mis-

sis equitibus explorat, illo temporis momento octoginta millibus passuum abfuisse. Tunc diuinam speciem, & vim responsi ex nomine Basilidis, interpretatus est.] Hæc Tacitus. At Baronius Annali 1. Anno Domini 71. & alij existimauere, eiusmodi Vespasiani miracula, arte & technis Apollonij Tyanæi magorum dexterrimi fuisse comparata atque conficta: quem constat illis diebus Alexandria fuisse, & cum Vespasiano familiariter egisse.

De miraculis quæ Indi Brachmanes præfente Apollonio Tyanæo ediderunt, lege Philostratum lib. 3. vitæ Apollonij, cap. 12.

De Adriano Imperatore Aelius Spartianus cap. 25. Ea tempestate superuenit quadam mulier qua diceret, somnio se monitam, ut visuaret Adriano ne se occideret, quod esset bene valiturus: quod cum non fecisset, esse cecatam. Iussam tam niterum Adriano eadem diceret, atque genua eius oscularetur, receptura visum si id fecisset. Quod cum insomnium impleset, oculos recepit, cum aqua quæ in fano erat, ex qua venerat oculos abluisset Venit & de Pannonia quidam natus cæcus ad febrientem Adrianum, eumque contigit: quo facto, & ipse oculos recepit, & Adrianum febris reliquit. Quamuis Martius Maximus hæc per simulationem facta commemorat.]

Haud plurimis ab hinc annis è rudetibus templi Æsculapij in insula Tiberina, cuius Dionysius lib. 5. Luvius lib. 1. Plinius lib. 29. & alij meminere, refossa est operis antiqui inarmorea tabula, quæ etiam nunc superest, tamen non integra, apud ædes Maffæorum Romæ, in qua litteris Græcis maiusculis exarata cernuntur aliquot miracula ab Æsculapio tempore Antonini Pij Imperatoris facta. Ea à viris eruditis Latine reddita in hunc modum se habet.

Hisce diebus Caio cuidam ceco oraculum edidit: veniret ad sacrum altare, & genua flecteret: à parte dextra veniret ad laeuam, & poneret quinque digitos super altare, & eleuaret manum, & poneret super proprios oculos. Et recte vidit, populo præfente, & congratulante, quod grandia miracula fierent sub Imperatore nostro Antonino.

Lucio affecto lateris dolore, & desperato ab omnibus hominibus, oraculum reddidit Deus: Veniret, & ex tribomo tolleretur cinerem, & una cum vino commisceret, & poneret supra laeuam. Et conualuit, & publice gratias egit Deo, & populus congratulatus est illi.

Sanguinem remouenti Iuliano desperato ab omnibus hominibus, oraculo respondit Deus: veniret, & ex tribomo caperet nucleos pini, & comederet una cum melle per tres dies. Et conualuit, & veniens publice gratias egit præfente populo.

Valerio Apro militi ceco oraculum reddidit Deus: veniret, & acciperet sanguinem ex gallo albo, admiscens mel, & collyrium conficeret, & tribus diebus vteretur super oculos. Et vidit, & venit, & gratias egit publice Deo.

Indicat hæc tabula vetustum morem, quod remedia morborum, curationesque, quæ quisque à diis consecutus foret, in tabellis descripta, ad templorum parietes appenderentur, quasi diuina accepta beneficia testificantes. Cicero lib. 3. de Natura Deorum: Tu qui Deos putas humana negligere, nonne animaduertis ex tot tabellis pictis, quam multi votis vim tempestatis effugerint, in portumque salui peruenierint? Strabo lib. 8. pagina 218. de Epidaurio: Hæc quoque urbs obscura non est: maxime propter Æsculapium, qui ibi claret, crediturque omnis generis morbos depellere, semperque templum refertum habet

egrotantibus, ac tabellis dedicatis, in quibus quo quisque morbo liberatus fuerit, consignatum extat. Sicut & in Co. & Tricca.] Horatius lib. 1. Carminum, Ode 5. ad Pyrrham:

— me tabula sacer
Vorina paries indicat vuida
Suspendisse potenti
Vestimenta maris Deo.

Iuuenalis satyra 12.

Et quam vorina testantur sana tabella
Plurima —

Tibullus lib. 1. Elegia 3.

— nam posse mederi,

Picta docet templis multa tabella tuis.

Extare in agro Bellunenſi inſcriptos antiquos Lapides ex voto, Ioui, & Aesculapio dicatos ob acceptam opem, testatur Pierius Valerianus lib. 2. 2. Hieroglyphicorum: & sunt plurima eiusce rei vetulta monumenta. At miraculorum Gentilium iam satis. De quibus opportune hic Polybij iudicium subicimus: sic enim lib. 16. disserit. Fama est, eaque apud Burgylitas pro vera obinet, Simulachrum Dianæ Cyndiadis, etsi sub diuo positum, neque ningi unquam, neque complui. Quod etiam de Vesta apud Iassenses dicitur: nec desunt, ne ex historia quidem Scriptoribus, qui hac in litteras retulerunt. Ego vero dictis huiusmodi eorum qui res gestas scribunt, nescio quomodo contradicere passim in hoc opere sum solitus, eaque ferre impatientes. Nam equidem puerilis dico leuitatis, omnia, quæ propius considerata, non solum à rationibus puerilibus abhorrent, sed etiam ab eo quod fieri potest. Dicere enim quadam corpora in lumine posita umbram non efficere, hominis est deploratè perditum. Hoc tamen Theopompus fecit, qui auctor est, eos qui in templum Iouis in Arcadia, quod à nemine aditur, fuerint ingressi, umbræ expertes reddi. Cui simile est quod modo dicebamus. Enim vero in iis quidem quæ ad conseruandam vulgi pietatem erga numen pertinent, danda est nonnullis Scriptorum venia, si miraculorum narrationibus, & id genus fabulis indulgeant: verumtamen quod modum excedit, id illis non condonandum. Et est quidem fortasse in omni re difficile terminum inuenire ubi sistas: non plane tamen eius inueniendi negata est facultas. Itaque simeo standum iudicio, detur iis venia aut ignorantibus quadam, aut falsa etiam opinantibus, dumtaxat intra modum. Sin autem res modum penitus excesserit, repudianda censeor.] Hactenus Polybius, perquam sanè prudenter. Plutarchus quoque in Camillo: Adferant præterea non absimilia miracula: Sudasse saepe simulachra, aliquando gemitus edidisse, visasque eas etiam aduertisse se & nictatas esse, quæ non pauci veterum memoria prodiderunt: Multa item quæ accepimus ex nostræ memoria hominibus, habemus referre miranda, quæ non contemnas facile. Cæterum fidem iis adhibere vel detrachere nimiam, anceps sit humanam ob imbecillitatem, quæ nullis certis circumscripta cancellis est, neque sui compos, sed recedit modo in superstitionem & vanitatem, & modo in Deorum neglectum & fastidium. Præstat autem cautio & mediocritas.] Osi hoc consilium & nos Orthodoxi caperemus!

Miraculis tamen his quæ retulit Polybius de simulachris Dianæ Cyndiadis & Vestæ Iassensis, similia illa sunt quæ Liuius lib. 24. cap. 3. de Templo Lacinie Iunonis apud Crotonem refert, his verbis: Inclitumque templum diuitiis etiam, non tantum Sanctitate fuit. At miracula aliqua affinguntur plerumque tam insignibus locis. Fama est, aram esse in vestibulo templi, cuius cinerem nullus unquam moueat ventus.] Plinius lib. 2. cap. 107. In Lacinie Iunonis ara sub dio sita cinerem immobilem esse perstantibus undique procellis.] At si de Gentilium miraculis ac prodigiis

plura quis aueat, plura reperiet apud Ciceronem in libris de Dinatione, Dionysium Halicarnasæum: & Titum Liuium in Romana Historia, Valerium Maximum lib. 1. cap. 8. Plutarchum in vitis vitorum illustrium, Sueronium in Cæsarum vitis, Iulium obsequentem peculiari libello de Prodigis, Philostratum in Vita Apollinij Tyanæi, Lactantium Firmianum lib. 2. cap. 8. & 17. S. Augustinum lib. 10. de Ciuitate Dei, cap. 16.

C A P V T XXIV.

Hereticos quoque miracula
iactasse.

PRæclaram hanc miraculorum dotem, vni tantummodo Ecclesiæ Catholicæ concessam, hæretici omnium sæculorum impudenter suffurari, ac sibi arrogare non sunt veriti: maiorem impiæ suæ doctrinæ fidem, auctoritatemque conciliari non posse, pro certo habentes, quam si eam confictis utcumque miraculis testatam atque firmatam venditarent. De Marco hæretico Valentiniano S. Irenæus lib. 1. cap. 8. & 9. hæc scribit: Alius verò quidam ex his qui sunt apud eos, magistri emendatorem se esse glorians, Marcus est autem illi nomen, magica impostura peritissimus, perquam & viros multos, & non paucas faminas seducens, ad se conuertit, velut ad scientissimum & perfectissimum, & virtutem maximam ab inuisibilibus & ab inenarrabilibus locis habentem fecit, præcursor quasi vere existens Anichristi: Anaxilai enim ludrica, cum nequitia eorum qui dicuntur Magi commiscens per hæc virtutes perficere putatur apud eos, qui sensum non habent, & a mente sua excesserint. Pro calice enim vino mixto fingens se gratias agere, & in multum extendens sermonem inuocationis, purpureum & rubicundum apparere facit poculum, ut putetur ea gratia ab iis qui sunt super omnia, suum sanguinem stillare in illum calicem, per inuocationem eius, & valde concupiscere presentes ex illo gustare poculo, ut & in eos stillet quæ per magum hunc vocatur gratia.] Eadem habet S. Epiphanius Hæresi 34. Sed & Nicetas Choniata lib. 4. Thesauri, cap. 6. Magicis hic artibus instructus, præstigiisque suis mirifica nescio quæ faciens, multos ex Simplicioribus circumuenit, in primis verò maronarum illarum quæ multiplicibus & purpureis stolis ornate incederent, animas & corpora corrumpit, ille enim ut Dignus Irenæus auctor est, vitrea quadam albi coloris pocula præparabat, deinde carmine nescio quo usus, Confestim eorum aliud in rubrum, aliud in purpureum, aliud denique in caeruleum conuertebat.] Et post alia: Mirificus Marcus, præstigiis & incantationibus præsentium vel perspicaces oculos fascinat, efficiebatque, ut ea quæ conspicerentur, contra se habere viderentur, quam eorum natura ferret. Nec enim pellucida vasorum vitreorum corpora in varios mutare colores potuisset: utque aduentibus alba protenderet, eadem mox in purpurea, vel caerulea mutaret, hocque pacto simpliciorum plerosque circumueniret in primis autem mulierculas, quæ circa colum occupatæ, fabulis & magementis gaudent, Porro Anaxilai ludrica vide apud Plinium lib. 35. cap. 15.

De Philumene Apellis hæretici prophetissa Tertullianus De Præscriptionibus Hæreticorum, cap. 6. Prouiderat iam tunc Spiritus Sanctus futurum in Virgine quadam Philumene angelum seductionis, transfigurantem se in Angelum lucis: cuius signi & præstigiis Apelles inductus, nouam hæresim induxit.]

S. Au

S. Augustinus de Hæresibus ad Quod vult Deum cap. 24. Hic Apelles præterea Philumenem quandam puellam dicebat inspiratam diuinitus ad prænuntianda futura : ad quam somnia atque æstus sui animi referens, diuinationibus seu præsagiis eius secretim erat solitus præmoneri eodem phantasmate eidem Philumena pueri habitu se demonstrante : qui puer apparens, Christum se aliquando, aliquando esse assereret Paulum. A quo phantasmate sciscitans, ea solet respondere quæ se audientibus diceret. Nonnulla quoque illam miracula operari solitam inter quæ illud præcipuum, quod in angustissimi oris ampullam vitream, panem grandem immitteret, eumque extremis digitulis lenare solet illa sum, eoque solo quasi diuinitus sibi cibo dato fuisset contenta.]

De Eutythiano monacho Nouatiano Socrates lib. 1. Histor. Eccles. cap. 9. ista narrat : Quidam è numero satellitum, quos Imperator Domesticos vocat, simul ac in suspicionem vocatus erat, scelera quadam tyrannica fuisse molitum, fugæ se mandauit. Imperator [Constantinus] ira in illum inflammatus, præcepit, ut ubicumque reperiretur terrarum, neci daretur. Qui circa Bythinum Olympum inuentus, in paribus Olympi grauissimis, acerbissimisque vinculis constrictus, carcere concluditur. In illis locis Eutythianus vitam exegit solitariam, multorumque corporibus, animisque medicinam fecit. Versabatur cum eo iste Auxanon, adhuc ad modum adolescens, qui vitam ad longissimum temporibus spatium protraxit, monasticamque viuendi rationem sub illo didicit. Ad Eutythianum veniunt multi oratum, ut vinetum liberet, Imperatoremque (nam fama miraculorum ab Eutythiano editorum ad aures Imperatoris permanuerat) pro eo deprecetur : qui prompto & parato animo pollicitus est se ad Imperatorem profecturum. Verum cum captiuus ille inuoluerabiles cruciatus ex vinculis sibi impactis perpetere, eius deprecatores Eutythiano dicere mortem propter vinculorum acerbicatem imminentem, cum supplicium ab Imperatore irrogandum, tum deprecationes pro illo faciendas præoccupaturam. Eutythianus igitur ad carceris custodes mittit : orat ut hominem dimittant. Sed ubi responderant, captiuum illius liberationem sibi vita periculum creaturam : Eutythianus simul cum Auxanonte ad carcerem recta se confert. Et cum custodes carcerem aperire nolent, gratia qua in animum Eutythiani inclusa erat, multo clariora sui ipsius indicia ostendit : nam fores carceris sua sponte patuerunt : idque cum clauas apud custodes firmè tenerentur. Cum autem Eutythianus una cum Auxanonte ingressus esset, & omnes qui tunc aderant, incredibilis admiratio cepisset, vincula captiuo sua sponte ceciderunt.] Eadem omnino habet Sozomenus lib. 1. c. 14. Nicephorus lib. 8. cap. 41. Sed perpende lector, Socrates, & Sozomenus fuere Nouatiani, Eutythianus, ut ipsi fatentur, Nouatianus, Auxanon discipulus Eutythiani, à quo ista Socrates accepit, Nouatianus. Quæ ergo fides hæreticis, de suis miracula prodentibus adhibenda ? Iuxta vetus proverbum, Multi mutuo se scabunt. De Eusebio Emisleno Eusebij Cæsariensis discipulo Sozomenus lib. 3. cap. 5. Fertur item Deum multa per eum edidisse miracula, uti Georgius Laodicensis testatur, qui cum ista, tum alia præterea de eo commemorat.] Sed Socrates lib. 2. cap. 6. vero iudicio : Georgius Laodicensis ad extremum adiungit, certò compertum esse, portentosas quasdam præstigias ab eo editas fuisse.] Hunc Eusebium Emislenum S. Hieronymus in Chronico Arianae signiferum factionis appellat.

De Paulo Nouatianorum Episcopo Socrates, lib. 7. cap. 17. Vnam rem solum ab eo gestam, dignam planè quæ litterarum monumentis commendetur, iam

dicturus venio. Iudeus quidam veterator, Christianam fidem simulans, sapius baptizatus fuit : per quam fallaciam multas corrasit pecunias. Postquam autem multos ex variis sectis homines (Arianorum enim & Macedonianorum baptismum receperat) dolo ludificatus, non habebat amplius quibus imponeret, tandem ad Paulum Nouatianorum Episcopum venit : ait, se magna cupiditate baptismatis recipiendi flagrare, per eius manum ut illud assequatur orat. Paulus eius probat institutum : verum se non prius baptismum illi daturum ait, quam sit fidei articulus institutus, diesque complures ieiunis vacauerit Iudeus contra voluntatem ieiunare coactus, acriter instare, uti baptismum doneatur. Paulus quoniam illum tam obnoxè baptismum petentem mora nolebat offendere, parat res ad baptismum necessarias. Cumque vestem splendidam pro illo emisset, & alueum baptisterij aqua impleri iussisset, Iudeum eò deduxit, ut illi baptismum imperiret, verum aqua vniuersa, diuina quadam virtute, quæ oculis cerui præcipuè non poterat, subexhausta est. Ac cum neque Episcopus, neque alij qui aderant accuratè considerarent qua ratione id accidisset : sed aquam per foramen quod in imo alueo fuit, (per quod etiam alias aquam solebant educere) effluxisse existimarent : alueum Baptisterij de integro foraminibus undique in eo firme obturatis, diligenter implent. Ac cum Iudeus esset secundo ad alueum Baptisterij deductus, aqua rursus penitus euaniuit. Itaque tum Paulus, O homo, inquit, aut veteratoris partes agis, aut baptismum ignorans recepisti : Quare ubi ob miraculum à multis eò concursus erat, forte quidam Iudeum de facie notauit, eumque ab Attico Episcopo baptizatum viderat. Hoc miraculum per Paulum Nouatianorum Episcopum editum fuit.] Eadem ex Socrate exscripsit Nicephorus lib. 14. cap. 17.

De eodem Paulo Socrates lib. 7. cap. 38. aliud recenset miraculum in hæc verba : Paulus Nouatianorum Episcopus, etsi vir reuera pius ante habebatur : tamen iam tum de eius sanctimonia multa maior opinio animis hominum concepta fuerat. Constantinopoli forte tale accidit incendium, quale numquam antea accidisset. Nam magna pars urbis igni ita conflagrauit, ut fortissima eius munimenta, & locus quidam publicus, qui Achilles dicitur, penitus vastarentur. Postremo ignis in Ecclesiam Nouatianorum prope Pelargum sitam irrupit. Itaque Paulus, simul ac Ecclesiam in periculum venire cerneret, ad altare profiliens, Deo Ecclesiam conseruationem precibus commendauit, neque pro ciuitate & Ecclesia illa precari destitit. Deus igitur, sicut rei euentus satis declarabat, eius preces audiuit. Nam quamquam ignis in Ecclesiam tum per ianuas, tum per fenestras irruebat, nihil tamen damni illi omnino attulit : quin etiam tamen si loca vicina flamma undique vastauit : illam tamen Ecclesiam igni circumcirca quasi obfessam cernere licuit, eamque incendij furorem diuinitus enicisse. Incendium ubi duos dies, noctesque totidem urbem occupauerat, tandem omnino restitutum fuit : à quo licet multa partes ciuitatis absumpta essent, Ecclesia quam dixi, illaesa permansit. Et quod magis mirandum videtur, nullum fumi vestigium, vel trabibus eius, aliisque partibus ex ligno fabricatis, vel parietibus impressum vsquam cernebatur. Hoc factum est xvi. Kalend. Septembris, ad xiv. Consulatum Theodosij, & Maximi Primum. Nouatiani ex eo tempore diem festum Ecclesia ab incendio conseruata quot annis xv. Kalend. Septembris, quo Deo pro eius liberatione gratias agerent celebrant : omnesque ferè illà propter miraculum, quod in ea editum fuit, in magno honore habuerunt : & illum locum, non Christiani solum, verum etiam gentiles, tanquam verè sanctum colunt.] Eadem habent Paulus Diaconus in Miscella lib. 14. cap. 13. & Nicephorus lib. 14. cap. 41.

De Episcopo quodam Cyziceno hæretico Anastasius Episcopus Nicænus Quæstione 23. in Scripturam ista perscribit : Fui enim & aspexi hæreticum Cyzici, quæ est ciuitas Macedonianorum, qui dicuntur Pneumatomachi, qui oleam arborem ex loco in quo stabat, in alium locum precatationis pretextu transtulit, ad umbraturam fenestram inanis eorum Auditorij. Et cum quidam iniquus fenerator vexaret mulierem viduam propter as alienum mariti, & ab ea exigeret non quod debebat, sed longe amplius : hoc cum rescuisset prædictus Episcopus hæreticus, eius marito nondum sepulto, cum adhuc efferretur, detinuit lectum in quo iacebat, & effecit ut loqueretur mortuus, & diceret, quantum deberet marito suo creditori. Hoc autem hæretico mortuo, in eius quoque monumento effecta sunt diuersa spectra & signa. Propterea ergo non oportet quemlibet qui signa facit tanquam Sanctum admittere : sed examinare, conuenienter ei qui dicit : Nolite omni spiritui credere : probate spiritus, num ex Deo sint.]

De Cyrola Episcopo Ariano in Africa, sub Hunerico Vandalorum rege S. Gregorius Turonensis lib. 2. Historiæ Francorum, cap. 3. hanc texit historiam : Igitur Cyrola falso vocatus Episcopus, hæreticorum tum maximus habebatur assertor. Cumque ad persequendos Christianos rex Hunericus per diuersa transmitteret, sanctum Eugenium Episcopum virum inenarrabili sanctitate, qui tum ferebatur magna prudentia esse, in suburbano ciuitatis suæ reperit persecutor. Quem ita violenter rapuit, ut nec ad hortandum gregem Christi vllum abire permitteret. Et post alia : ductus itaque sanctus Eugenius ad regem, cum illo Ariatorum Episcopo, pro fide Catholica decertauit. Cumque eum de Sanctæ Trinitatis mysterio potentissimè deuicisset, & insuper multas per eum virtutes Christus ostenderet, in maiorem insaniam idem Episcopus inuidiâ inflammante succenditur. Erant enim tunc temporis cum sancto Eugenio viri prudentissimi atque sanctissimi Vindemialis & Longinus Episcopi, pares gradu, & virtute non impares : Nam sanctus Vindemialis eo tempore ferebatur mortuum suscitasse : Longinus autem multis infirmis salutem tribuit : Eugenius quoque non solum visibilium oculorum cecitatem, sed etiam mentium depellebat. Quod cernens ille nequam Ariatorum Episcopus, vocatum ad se quendam hominem, ab illo, quo ipse vivebat, errore deceptum, ait : Non parior, quod ii Episcopi multa in populo signa depromunt, illosque cuncti, me neglecto, sequuntur. Acquiesce nunc his quæ præcipio, & acceptis quinquaginta aureis, sede in platea per quam nobis est transitus : & manum super clausos oculos ponens, me prætereunte cum reliquis exclama in magna virtute, dicens : Te beatissime Cyrola, nostræ religionis antistes, deprecor, ut respiciens manifestes gloriam ac virtutem tuam, ut oculos meos aperiens, merear lucem videre quam perdidisti. Qui iussa complens, residensque in platea, transeunte hæretico cum sanctis Dei, iste qui Deum irridere cogitabat, exclamat in magna virtute dicens : Audi me, beatissime Cyrola, audi me sancte Sacerdos Dei : respice cecitatem meam : experiar ego medicamenta quæ sæpe cæci reliqui à te meruerunt, quæ leprosi experti sunt, quæ ipsi etiam præsenferunt. Adiuro te per ipsam virtutem quam habes, ut mihi desideratam restituas lucem, quia graui sum cecitate percussus. Veritatem enim nesciens, verum dicebat : quia cecauerat eum cupiditas, & virtutem Dei omnipotentis irridere per pecuniam aestimabat.

Tunc hæreticorum Episcopus paululum se diuertit, quasi in virtute triumphaturus, elatus vanitate atque superbia, posuit manum suam super oculos eius, dicens. Secundum fidem nostram, quæ recte Deum credimus, aperiuntur oculi tui. Et mox, ut in hoc nefas erupit,

visus mutatur in planctum, & dolus Episcopi est patifactus in publico : nam tantus dolor oculos miseri illius inuasit, ut eos digitis vix comprimeret, ne creparent. Denique clamare cepit miser, ac dicere : Væ mihi mihi, quia seductus sum ab inimico legis diuinæ. Væ mihi, quia Deum per pecuniam irridere volui, & quinquaginta aureos accepi, ut hoc facinus perpetrarem. Ad Episcopum autem aiebat : Ecce aurum tuum, redde lumen meum, quod dolo tuo perdidisti. Vosque rogo gloriosissimi Christiani, ne despiciatis miserum, sed velociter succurrite per eum, verè enim cognoui, quia Deus non irridetur. Tunc sancti Dei misericordia moti, Si, inquirunt, credis, omnia possibilia sunt credenti. At ille clamabat voce magna : Qui non crediderit Christum Filium Dei, & Spiritum sanctum æqualem habere substantiam atque Deitatem cum Deo Patre, hodiè quæ ego perfero, patiat. Et adiecit : Credo Deum Patrem omnipotentem, Credo Filium Dei Christum Iesum æqualem Patri, Credo Spiritum sanctum Patri & Filio consubstantialem, atque coeternum. Hac illi audientes, & se inuicem honore mutuo præuenientes, oritur inter eos Sancta contentio, quis oculis eius signum beata crucis imponeret. Vindemialis vero ac Longinus Eugenium, ille autem è contra eos exorat, ut manus imponebant cæco. Quod cum fecissent, & manus suas super caput eius tenerent, sanctus Eugenius crucem super oculos cæci faciens, ait : In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti veri Dei, quem trinum in vna æqualitate atque omnipotentia confitemur, aperiuntur oculi tui. Et statim ablato dolore, ad pristinam redit sanitatem.]

De Alio Ariano Episcopo idem S. Gregorius Turonensis de Gloria confessorum, cap. 12. & 13, ista narrat : In Hispaniis autem nuper factum cognoui, cum Leuigildus (Leouigildus) rex contra filium suum [Hermenegildum] ambularet : atque exercitus eius, ut assolet, grauiter loca sancta concuteret, monasterium erat S. Martini inter Saguntum atque Carthaginem Spartariam. Audientes autem monachi, quod hic exercitus ad locum illum deberet accedere, fugam ineunt, & se, relicto Abbate sene, in insulam maris abscondunt. Aduenientibus autem Gothis, ac diripientibus res Monasterij, quæ sine custode remanserant, Abbatem senio incurmatum, sed sanctitate erectum offendunt. Extrætoque vnus gladio quasi amputaturus ceruicem eius, resupinus ruit, ac spiritum exhalauit. Reliqui vero hæc videntes, timore perterriti fugerunt. Quod cum regi nuntiatum fuisset, cum testificatione præcepit, omnia quæ ablata fuerant, Monasterio restaurari.

Cernens autem præfatus rex tanta miracula per seruos Dei qui nostræ religionis erant, fieri, vocauit vnum Episcoporum suorum, dixitque secretis ad eum : Quam obrem vos, ut isti qui se Christianos dicunt, non ostenditis signa in populos secundum fidem vestram ? Dicit ei Episcopus : Sæpius ego cæcis lumen reddidi, & sordis auditum : nunc autem hæc possum facere quæ dicis. Et vocato ad se vno de hæreticis, clanculo ait ad eum : Accipe quadraginta aureos, & clausis oculis reside in loco, unde nobis est transitus, & prætereunte tecum rege, exclama in virtute, ut perditum lumen mea tibi credulitate restituam. Cumque hic accepta pecunia fecisset, quod sibi fuerat imperatum, procedit nouus Cyrola regis ad dexteram, constipatus hæreticorum caterua : exclamat & iste cæcus pecunia, ut fide Episcopi reciperet oculos suos. At iste cum non minima arrogantia imponens manus super oculos eius, ait : Secundum fidem meam fiat tibi. Hac eo dicente, ita obserati sunt oculi hominis cum dolore, ut non solum visum perderet, verum etiam dolorem, quem auaritia impellente finxerat, publicaret.] Hactenus S. Gregorius.

Monasterium illud S. Martini inter Saguntum & Cartha

Carthaginem spartatiam, seu Nonam, de quo hic Gregorius Turonensis, illud proculdubio esse existimamus Monasterium Seruitanum à S. Donato Abbate primum in Hispania fundatum de quo S. Illefonfus de viris Illustribus cap. 4. hæc prodit: *Donatus & professione & opere monachus, cuiusdam eremita fertur in Africa extitisse discipulus. Hic violentias barbararum gentium imminere conspiciens atque oculis dissipationem, & gregis monachorum pericula pertimescens, ferme cum septuaginta monachis, copiosisque librorum codicibus navali vehiculo in Hispaniam commenavit. Cui ab illustri, religiosaque femina Minicea, subsidia ac rerum opibus ministratis, Seruitanum monasterium visus est construxisse. Iste prior in Hispaniam monastica observantia usum & regulam dicitur adduxisse: tam vivens virtutum exemplis nobilis, quam defunctus, memoria claritate sublimis. Hic in presenti luce subsistens, & in crypta sepulchri quiescens, signis quibusdam proditur effulgere salutis: unde & monumentum eius honorabiliter colere perhibentur incolae regionis.]*

De eodem Monasterio Seruitano meminit Ioannes Biclarenfis in Chronico, his verbis: *Anno v. Iustini Imperatoris, qui est III. Leouigildi regis annos, Donatus Abbas Monasterij Seruitani, mirabilium operator, clarus habetur.] Et postea: Anno II. Mauritiij Imperatoris, qui est Leouigildi XVI. annus, Eutropius Abbas Monasterij Seruitani, discipulus Sancti Donati, clarus habetur.] Et rursus Anno VIII. Mauritiij Imperatoris, qui est Recaredi regis IV. annus, Sancta Synodus Episcoporum totius Hispanie, Gallie, & Gallicie, in urbe Toletana precepto principis Recaredi congregatur.] Et post pauca: Summa tamen Synodalis negotij penes Sanctum Leandrum, & beatissimum Eutropium Monasterij Seruitani Abbatem fuit.] Et S. Isidorus libro virorum illustrium, cap. 45. Eutropius Ecclesie valentina Episcopus, dum adhuc in Monasterio Seruitano degeret, & pater esset monachorum, scripsit ad Papam Lucinianum, &c.] Porro Monasterium Seruitanum Setabi urbe, vel prope Setabim fundatum fuisse, Antonius Beuter in Chronico Hispanie lib. 1. cap. 27. Ioannes Vascus in Chronico Hispanie anno 569. Ambrosius Moral. Rerum Hispanicarum lib. 11. cap. 60. Ioannes Mariana de Rebus Hispanicis lib. 5. cap. 11. Gaspar Escolanus lib. 2. Historie valentinae, cap. 11. & 12. & alij consentiunt. Vnde suspicio haud contemnenda fuerit, Setabitanum, pro seruitanum in iis auctoribus legendum esse.*

Iam cum ex Ioanne Biclarenfi constet, Leouigildum anno regni sui quattodecimo exercitum duxisse in Herthenegildum filium, quo tempore, vti S. Gregorius Turonensis affirmat, iam Monasterium S. Martini inter Saguntum & Carthaginem Novam extabat: & Monasterium Seruitanum paucis antea annis, vix ex Biclarenfi colligitur, fundatum à sancto Donato fuerit, nam Anno tertio Leouigildi S. Donatum Abbatem eidem Monasterio præfuisse tradit: idque Monasterium primum omnium in Hispania fuerit, vti S. Illefonfus autumat: Sane haud levis coniectura ex circumstantia locorum & temporum videtur, Monasterium illud S. Martini, vbi nobile illud miraculum contigisse S. Gregorius Turonensis scribit illud ipsum esse Monasterium seruitanum: Abbatemque illum senio incurvatum, sed sanctitate erectum, qui tantum miraculum patravit, S. Donatum fuisse, qui tunc eidem Monasterio præerat Abbas: Nam S. Eutropius eius successor non nisi postea nimirum anno XVI. Leouigildi, præfecturam eiusdem Monasterij capessisse videtur, vti idem Biclaren-

rensis indicat. Ad hæc, monachi illius monasterij, relicto Abbate, impressionem exercitus Leouigildi fugientes, secundo amne Sucrone, vel terrestri itinere, facile potuere in Colubariam, vel Ebusum, aut Frumentariam insulam tranare.

Escolanus lib. 6. Historie valentinae, cap. 14. contendit, Monasterium Seruitanum aliud fuisse à Monasterio S. Martini, & illud fuisse aut Setabi, aut propè Setabim; hoc vero in Promontorio Ferrariae seu Dianio, vnde Promontorium istud hodieque vocetur, caput Martini, nimirum à Monasterio S. Martini ibi olim sito. At magnum profecto erat, eisdem propemodum temporibus duo tam vicina orthodoxa monasteria potuisse in Hispania fundari, rerum potentibus Arianis! Diagus lib. 5. Valentinorum Annalium cap. 9. tametsi concedat: Seruitanum Monasterium, ipsummet esse S. Martini at leuibis coniecturis persuadere conatur Seruitanum Monasterium, non Setabi, aut propè Setabim, contra quam omnes alij ferè Hispanici scriptores sentiunt: sed apud Ferrariam extitisse. Et vterque iste Valentinus Auctor, in me invehuntur, & Setabi hanc gloriam ereptum eunt: sed nondum, meo iudicio, abstulerunt. In hæc diuertisse haud inincundum fuit, ob amorem patriæ, quæ prima Monachatum in Hispanias intulit grande bonum: alioqui verustis & noui laudibus satis clara,

De Polychrono monacho Monothelita in VI. Synodo Generali Actione 15. eiusmodi textitur historia: *Polychronius religiosus monachus dixit: Ego expositionem fidei meæ, de in opere mortui, rogans pro eo Filium Dei, ut suscitaret eum: sin autem non resurrexit, ecce consilium & Imperator, quæ eis placuerint, in me faciant. Sanctum Concilium dixit: Ecce mortuus præparatus est. Expositionem ergo fidei tuæ profer, quæ debeat superponi mortuo, ut suscitaret eum sicut dixisti.] Et post alia: Et egredientibus tam gloriosissimis Iudicibus & Sancto Concilio, & plurimo populo congregato, in atrio publici lauacri, quod dicitur Zeuxippus, appositus est ei in argenteo exequiali feretro mortuus, similiter coram gloriosissimis Iudicibus, & his qui erant ex sancto Concilio, plurimoque Christo amabili populo ibidem inuento, super assistens idem Polychronius, posuit supra ipsum mortuum huiusmodi fidei sue chartulam: perque plures horas perseverans, & insusurrans ei, nihil horum quæ ab eo stolidè ac blasphemè promissa fuerant, valens peragere, idem Polychronius dixit, nullatenus se posse mortuum suscitare. Populus itaque qui ibidem adorabat, exclamavit, dicens: Nono Simoni anathema, Polychronio seductori populi anathema.]*

De miraculis Albigenium Hæreticorum Cæsarius Dialogo 9. cap. 12. Tempore illo quando manifestari caperunt hæreses Albienses, quidam maligni virtute diabolica suffulti, quædam signa atque portenta ostenderunt, quibus & easdem hæreses roborauerunt, & multos fidelium in fide subuerterunt: super aquas ambulauerunt, & non sunt submersi. Cernens hoc sacerdos quidam fide catholicus, & vita religiosus, sciens vera signa, cum falsa doctrina esse non posse, Corpus Domini cum pixide ad flumen, vbi illi populi suas ostensuri erant virtutes, deportavit: dixitque in audientia omnium: Adiuro te diabole, per eum quem in manibus porio, ne in hoc flumine, ad huius populi subuersionem, per hos homines tantas exerceas phantasias. Post hæc verba illis super undas fluminis ambulantibus, ut prius, Sacerdos turbatus, Corpus Dominicum in flumen iactavit. Mira Christi potentia, mox enim ut elementum tetigit Sacramentum, phantasia cessit veritati, & pseudo illi Sancti, quasi plumbum descendentes in profundum, sunt submersi: pixis vero cum Sacramento, statim

statim ab Angelis sublata est. Videns sacerdos hac omnia, de miraculo quidem exultavit: sed de iactura Sacramenti doluit: totam vero noctem in lacrymis & gemitu transiens, mane pixidem cum Sacramento reperit super altare. Hac nobis eodem tempore relata sunt.] Nimirum anno Domini 1221.

De eisdem Albigenſibus Lucas Tudensis lib. 3. contra Albigenſes cap. 9. miranda ista narrat Post decessum Reuerendi Patris Roderici Legionensis Episcopi super electione futuri Pastoris discordante voto & studio Clericorum, inimici veritatis heretici, qui semper ſunt discordiam clericorum, ut reperiunt aditum quo Christi oues mactent ac perdant, ad hanc confluxerunt ciuitatem, tunc temporis carentem custodia pastoralis: & in quodam loco sordidissimo, ubi multi egrediebantur ad exquisita natura, fieri miracula confinxerunt. Fuerat ibi sepultus quidem hereticus, & quidam alius homicida, qui exigente iniuria, viuis missus fuerat in foueam à Iudicibus ciuitatis, eo quod proditiōe patrum suum interfecerat. Est ibi præterea quidam fons, quem heretici sanguine polluerunt, ut ipsa aqua versa in sanguinem crederetur. Confluebant de diuersis partibus populi, ut aspicerent miracula, qua fieri videbantur. Veniebant plures, qui erant occulte muneribus subornati: alij fingentes se esse cecos, alij Claudos, alij demoniacos, alij egritudinibus vexatos, & hausta fontis illius aqua se mentiebantur recipere sanitatem. Extrumulantes etiam ossa heretici supra dicti, qui Arnaldus vocatus fuerat, & ante sedecim annos sepultus in loco, martyrem Sanctissimum fatebantur. Plures Clericorum simplicitate ducti, laicos in facto sacrilego sedulo adiuuabant, & super fontem domum fortissimam construxerunt. Parabant ossa dicti proditoris & homicidæ communi consilio eleuare, quia hunc quandam esse Abbatem sanctissimum fatebantur. Quid plura? Quod callide fecerant, quibusdam detegentes heretici deridebant fidem catholicam, & simili artificio fieri miracula in Ecclesia coram sanctorum corporibus affirmabant.

Non defuerunt aliqui, qui crederent illis, quibus profana consilia reuelauerant, & in haresim laberentur. Peruenit tandem consilij denudatio ad Fratres sanctæ Prædicationis, qui Verbum Dei populis proponentes, hortabantur, ab hoc facto nefario panitere. Instabant Fratres Minores & Clerici, ne populi vota sacrilega in loco sordido immundis ossibus exhiberent: & magis accendebantur animi laicorum ad cultum diabolicum peragendum: & Fratres Prædicatores & Minores, ac Clericos vniuersos, quæ erant contrarij suis operibus, hereticos conclamabant. Gaudebant inimici veritatis, & publicè asserabant, plus esse sanctitatis & miraculi in loco & in ossibus illis, quàm in omnibus Ecclesiis Christi, & in omnibus Sanctorum corporibus, quos fides Catholica veneratur. Circumadiacentes autem Episcopi excommunicabant omnes venientes ad illam venerationem nefariam, & ferè nihil proficiebant: quia multorum mentes inuaserat diabolus, & inobedientes filios colligauerat.

Quidam vero Diaconus, qui feruore fidei flagrans hereticam præ cunctis præcipitiis oderat prauitatem, cum esset in Sancta urbe Romana, & a narrantibus disceret qua fiebant in ciuitate Legionensi, turbatus est valde, & repedare ad patriam festinauit, ut se tante opponeret prauitati: Hic cum venisset Legionem, & plenius cognouisset de facto, quasi in insaniam versus, cepit manifestè sapius exprobrare, & eos quasi hereticorum fautores redarguere. Ira enim motus perniciem, quia videbantur ciues recedere à lege Dei, cum se non posset cohibere prohibentibus amicis, qui de illius interitui formidabant: accessit ad Concilium & cepit pro-

ponere, quod infamia huius facti Hispaniam totam polluerat, & unde consueuerant oriri leges iustitiæ, eo quod esset ciuitas caput regni, inde haresis pullulabat. Adiecit etiam, quod non daret Dominus pluuiam super terram, usque dum sanum destrueretur, quod construxerant, & qua venerabantur, ossa prolicerent, siquidem à tempore, quo nefarium cultum incaperant, & per decem menses anni non pluerat, & arescebant omnia siccitate. Tunc Iudex interrogauit dictum Diaconem in cunctorum præsentia, dicens: Si domum euerimus, dabitne Dominus pluuiam super terram? Diaconus plenus fide respondens dixit: Conferatur mihi potestas à vobis domum liberè destruendi, & euerendi omnia, quæ sunt in ea, & in nomine Domini nostri Iesu Christi spondeo sub periculo corporis, & omnium rerum mearum, quod usque ad octo dies Dominus conferet abundantiam pluuiarum.

Dedit Dominus gratiam sermonibus eius in conspectu Concilij, & accepta sponsione ab ipso, ei destruendi sanum, & omnia quæ in ipso erant, posse liberum tradiderunt. Sed cum die sequenti in manu hominum plurima sanum destrueret, & dicta ossa confringeret minutatim, & inter humana stercora spargeret: cum iam post euerſionem omnium vellet quiescere, quidam sonus quasi tuba valide perstreptentis inter ligna destructionis insonuit: ut in ipso sonitu relinquere inuitè locum illum diabolus crederetur: Sequenti verò die pars ciuitatis non minima succensa est, & ignis cum vento valido mixtus plurimas domos consumpsit. Querebatur à multis dictus Diaconus, ut interficeretur, quia cum promiserit pluuiam, domus eorum incendio perierunt. Insultabant heretici Clericis: & Diaconum dignum morte damnabant: & quod non plueret etiam post multum temporis, procaciter affirmabant. Dominus autem omnipotens misertus populo suo, octaua die à sani destructione pluuiarum abundantia terræ superficiem irrigauit: & qui iam erant sine spe frugum & fructuum ipso anno percipiendi, eorumdem copiam Dei misericordia perceperunt. Concitauit post hæc dictus Diaconus persecutionem magnam contra hereticos, & relicta ciuitate, se fuga miserabiliter contulerunt.] Hactenus Lucas Tudensis: quæ omnia Historiæ suæ Hispanicæ etiam inseruit Ioannes Mariana lib. 12. cap. 1. Alia miracula ad imaginem monoculam & deformem Genitricis Dei, à Manichæis conficta idem Lucas lib. 2. contra Albigenſes, cap. 9. refert: quæ tu consules. De miraculis quæ Græci Schismatici à suis facta iactitant, vide Iacobum Gretzerum in notis ad Historiæ Ioannis Cantacuzeni lib. 3. cap. 27.

CAPVT XXV.

Recentiores Hereticos miracula etiam,
sed irritò, & contrario euentu,
tentasse.

DE Luthero principe & auctore omnium hereticorum qui in Europa ab anno Domini 1517. exorti sunt, Fridericus Staphylus, qui præsens rei gestæ interfuit, Luthero charus tunc & intimus in Absoluta Responsione contra Iacobum Andreæ Schmildelinum, pag. 404. ista à se visa narrat: Possum ego redigere mihi in memoriam, Anno 1545. demoniacam quandam puellam à Misnia dictione adductam Vuittembergam ad Lutherum, ea spe, quod Lutherus cen tertius Elias puellam istam à malo damone liberaturus esset. Quamuis autem Lutherus ad hoc admirandum & magni momenti opus initit non parum difficilem

difficilem se ostenderet : at tandem tamen inussit puellam duci in Parrochiana Ecclesie Vuittembergensis sacrarium , illicque coram aliis plerisque Doctoribus , & eruditis viris , (inter quos ego tunc quoque iuuenis magister aderam) demonem capit adiurare & exorcizare : sed id tamen more suo , non eo , qui apud Catholicos receptus & vsitatus est . Cum autem diu multumque ille coniurasset demonem , cedere ille noluit , sed eas in angustias , sit venia verbo , Lutheri caligas redegit , ut is quamprimum e sacrario se proripere vellet . At quid accidit ? Malignus spiritus ille demon usque adeo fores sacrarii obstruxerat , ut neque forinsecus , neque intrinsecus aperiri possent . Quare Lutherum in maiores etiam angustias adduxit , ita ut iam ad fenestram properaret , sperans per eam se posse effugere , & exilire : verum obstabant illi cancelli ferrei sique compulsus est una nobiscum tantisper inclusus herere , donec per cancellos ferreos ab edito nobis esset oblata securis , mihiq; cum iuueni viro tradita , ut ea fores effringerem : quod equidem tum conatus sum , & ad effectum perduxi . Interea vero visu admirandum erat , ut Lutherus angoribus correptus , sursum deorsumque cursitaret , atque instar onis parturientis , huc , illucque se se inueneret .] Hæc eadem referunt Laurentius Surius in Commentario Rerum in orbe Gestarum , anno 1546. Vuilhelmus Lindanus in Dubitatio Dialogo 3. cap. 1. Tilemannus Bredembachius lib. 7. Sacrarum Collationum , cap. 40. Bellarminus lib. 4. de Ecclesia , cap. 14. Coccius lib. 8. Tom. 1. Articuli. 14. Petrus Tyraeus de Dæmoniis cap. 40. & plures alij.

Insuper tentasse Lutherum spe miraculi , Vuilhelmum Nefenum quendam in Albi fluuio miserè submersum vanis immutationibus ad vitam reuocare : sed frustra penitus , pluribus describunt Ioannes Cochleus in Actis Lutheri anni 1523. Bellarminus , Surius , Lindanus , Tyraeus locis nuper citatis.

De Puella dæmoniaca , quæ Augustæ Vindelico-rum Lutheranis ministris ad exorcizandum oblata , illisque nihil proficientibus , tandem à Catholico parrocho mirabiliter liberata fuerit , anno Domini 1563. singularem textit historiam Tilemannus Bredembachius lib. 7. Sacrarum Collationum , cap. 41.

De altera puella dæmoniaca in Ducatu Iuliacensi , quam sacrificulus quidam Lutheranus cum liberare vellet , miris , dirisque modis à dæmone exceptus fuerit : puella vero à Franciscano monacho Catholica , (Catholico) tribus ex ea eiectis dæmoniis sanitati restituta sit anno salutis 1582. pluribus agit idem Bredembachius cap. 43.

De Caluinista quodam nomine Mameyac , qui adductum ad se dæmoniacum , tantum abest , ut à dæmone liberaret , ut potius eum ipsa insuper vita spoliaret : alligato namque ad collum saxo , in profluentem demersit : rem gestam pluribus describit Bartholomæus Faius in Historia de Laudunensibus Energumenis pag. 56. Verum alia eiusmodi exempla suppeditabant tibi Tilemannus Bredembachius lib. 7. Sacrarum Collationum , & Marcus Antonius Auercultius in Catechismo Historico Tomo 1. cap. 1. Titulo 4. Duo tamen hæc tantum insignia commemorabo.

Hieronymus Volsecus Medicus Lugdunensis , in vita Caluini cap. 13. in hunc modum scribit : Brulleus Ostuno Geneuam , vigentis illic religionis studiosus demigrarat : & cum inops esset , atque pauper , uterque , ipse & uxor , Caluini gratiam aucupabantur , ut ei commendari , peculi pauperum , cuius ipse loculos gestabat , eleemosynarumque fierent participes . Eis Cal-

uinus vita subsidia benignè pollicetur , aliisque in rebus se adiuturum promittit , si ipsi contra suam operam sibi non negarent ad rem quandam , quam per eos fieri vellet : sed opus esse fide , & magna taciturnitate . Vicissim autem illi ad hoc quod iubere vellet promptos se offerunt . Et quemadmodum à Caluino edoctus , instructusque fuerat , miser hic Brulleus morbum simulat , & se in lectum abiicit . Ministri pro concione populo commendant , ut precibus inuarent , & eleemosynis paupertati succurrerent . Non diu post , personam mortui induit , & quidem mortuum se simulat . Hic Caluinus clam admonitus , quasi tamen omnium rerum ignarus , deambulatum prodit : sed comitatus pro more suo magna caterua amicorum , qui ipsi singulariter coniuncti , & summe intimi essent , sine quibus vix pedem domo efferebat . Postquam autem eo ventum esset , ubi clamores & eiulatus uxoris , qua misellam & desolatam mulierem aliquam egregie exprimebat , exaudiret : quidnam hoc esset sciscitatus , domum ingreditur : ubi in genua ipse , & reliqua caterua pronoluitur : precibusque alta voce profusis , Deum obtestatur , potentiam suam ostendere , & mortuo huic vitam restituere , gloriamque suam sic vniuerso populo declarare vellet , simulque manifestum facere , se Caluinum peculiarum sibi que gratum feruum esse , à se ad Euangelij sui ministerium atque Ecclesie reformationem singulariter & verè vocatum . Post quas preces , ad mortuum appropinquat , & miseri hominis manu apprehensa , in Dei , & Filij eius Domini nostri Iesu Christi nomine imperat , ut se erigeret , Deique sic gratiam manifestam faceret . Repetit iterum , sapiusque eisdem sermonis voce etiam altius eleuata . Quid sit ? Neque audit , neque loquitur , neque se commouet mortuus : iusto enim Dei iudicio , qui fucos , mendaciæque detestatur : is qui se mortuum simulabat , verè esse mortuus repertus est : & uxor quidquid eum agigaret , quomodocumque eum impelleret , neque vocem extorquere , neque ut se commoueret , efficere potuit : sed totus frigebar , rigebar totus . Quo animaduerso , plorare , ululatus serio edere , & ex animo capit uxor : & in Caluinum inuicta , impostorem eum , sicarium , latronem , qui maritum interemisset , appellans ex ordine rem quomodo erat gesta , clara , atque voce exposuit . Quæ cum neque admonitionibus ullis permoueri , neque minis satis terreri posset , ut taceret , Caluinus apud maritum ea relicta , illuc se subduxit in vulgus spargens , marore ex maritobitu deliram , ideoque excusandam , & hoc illi indulgendum esse . Certum hoc est , conuentum cum ea deinde , urbe ut excederet : & est ipsa Ostunum reuersa , neptique postea Ministro , quem Coultreum vocabant . Negent autem hoc quantum velint Caluini mancipia , exploratum & cognitum satis fuit , veritasque rei satis probata , immo per ipsammet uxorem confirmata , quæ nihil minus erat quam mente capta : ut quæ nihil loqueretur absolum , neque quod à ratione alienum esset .] Hactenus Volsecus . Narrant idem Caluini miraculum , Surius in Commentario , Anno 1536. Bellarminus lib. 4. de Ecclesia cap. 14. Coccius Tomo 2. The-sauri Catholici lib. 8. Articuli 14. & Bredembachius lib. 7. Sacrarum Collationum cap. 3. qui addit : Memini & ego me adolescente , hac de re ad parentem meum Mathiam Bredembachium litteras à viris grauissimis datas .] Descripserunt etiam innumeri Auctores imposturam impij nebulonis : ut vbique extet sempiternum monumentum infamiae & dedecoris pudentissimi hæresiarchæ .

Simile aliud huic Caluini miraculum idem Bredembachius , cap. 4. in hunc modum exponit : Concionator enim sui Euangelij gratia confirmandi , haud ita pridem in Polonia non longè Cracouia , pago Bi-

ibaga, anno Domini 1558. quemdam Matthæum certo conduxit stipendio, qui se se mortuum simularet, atque ad clamantis vocem ceu mortuus resurgeret. Illum feretro inclusum, ad templum deducit vxor, artificy nefary conscia funus fletu, & eiulatu prosequitur. Ille ubi satis de suo Euangelio tonasset, Surge, inquit Matthæe in nomine Christi, cuius Euangelium prædico, Cum Matthæus non surgeret, ille inclamat altius, ut seminum fortè excuteret. Vbi nec ita exurgeret Matthæus, itur ad feretrum, detegitur velata facies, & reuera deprehenditur mortuus, qui se se tanto aliorum periculo mortuum, atque à mortuis in vitam renouatum simulare voluerat. Mox vxor, que lamenta & lacrymas nuper sinxerat, nunc verè lacrymis, vocibus, ac tantum non pugnis in concionatorem illum, non pastorem, sed impostorem inuecta, suo malo isti nouo fidem habuit Euangelio.] Hoc ipsum Plenius referunt Felicianus Ninguarda libro contra Annam Burgensem, Lindanus in dubitatio Dialogo 3. cap. 1. Alanus Copus Dialogo 6. cap. 29. Bellarminus lib. 4. de Ecclesia cap. 14. Franciscus Turrianus lib. 1. de Dogmaticis Characteribus verbi Dei, Tyræus de dæmoniis, cap. 4. Aueroultius Tom. 1. Catechismi Historici, cap. 1. Titulo 4. & alij. Vt cernas lector, quàm vere apposite in hoc competat, quod Tertullianus de Præscriptionibus Hæreticorum cap. 30. olim dixerat: *Volo igitur & virtutes eorum proficere, nisi quod agnosco maximam virtutem eorum, qui Apostolos in peruersum emulantur: isti enim de mortuis viuos faciebant: isti de viuis mortuos faciunt.* Et recte Erasmus in Diatriba de Libero Arbitrio: *Apostoli quoniam excutiebant viperas, sanabant egrotos, excitabant mortuos, imposita manu dabant dona linguarum, ita demum creditum est, & vix creditum est illis paradoxa docentibus. Nunc cum iuxta communem opinionem [Lutherani] afferant paradoxotera, nullus illorum adhuc exitit, qui vel equum claudum sanare potuerit.* Idem Erasmus contra Lutherum de Libero Arbitrio: *Lutherus priuatus, nuper natus, cum suis amicis, in quibus nec tanta est eruditio, nec tantum ingenium, nec multitudo, nec magnitudo, nec sanctimonia, nec miracula: ut qui nec claudum quidem equum sanare queant, &c.* Quæ quidem sunt verissima.

CAPVT XXVI.

Antichristi miracula, non vera, sed falsa erunt.

Miraculum verum communi omnium Theologorum asseueratione, propè est opus, quod superat omnem naturalem virtutem & facultatem quarumcumque Creatarum causarum naturalium, etiam demonum atque Angelorum: causarum, inquam, naturalium creatarum, tam notarum, quam occultarum: seu quo ad substantiam facti, seu quo ad modum faciendi: ita quod in natura creata rerum, nulla omnino sit vis naturalis ad id efficiendum, vel eo modo faciendum: sed à solo Deo, vel à sola virtute diuina, & supernaturali, vel immediate, vel aliquibus creaturis à Deo peculiariter communicata, præter omnem naturæ creatæ ordinem & cursum mirabiliter peragatur. Quo circa si aliquod quantumuis mirum, arduum, extraordinarium opus ab aliqua creata naturali vi & facultate nobis occulta atque abstrusa siue ea naturæ sit, seu demonum, seu Angelorum, efficitur, nullo pacto verum est censendum miraculum, nisi quum peculiari

diuina & supernaturali virtute, supra omnem naturæ creatæ facultatem & efficientiam designatur. Vno Verbo, verum miraculum nullam increata natura rerum naturalem causam habere debet. Hæc est perspicua sententia S. Thomæ Theologorum Principis, 1. Parte, Quæst. 105. art. 7. & quæst. 110. art. 4. ad 2. & quæstione 178. art. 1. & 2. & de Potentia quæst. 16. art. 9. quam posteriores omnes, ex doctrina Sanctorum Patrum secuti sunt.

Sed cum tam miranda, & extraordinaria effecturus sit Antichristus, uti in superioribus abunde vidimus, opportunè hic disquirimus, num illa futura sint vera miracula peculiari ac supernaturali Dei virtute & operatione, supra omnem naturæ creatæ vim & facultatem patrata. Michaël Medina, lib. 5. de Recta in Deum Fide, cap. 7. & alias non semel, pertendit, Antichristi, ac eius ministrorum miracula vera futura, Dei virtute supra omnem creatæ naturæ ordinem effecta. Deum enim vel in improborum exitium, iustamque vindictam: vel in examen, probationemque piorum, miraculorum veterum efficientiam falsæ ac prauæ doctrinæ ministris interdum concedere: quod potissimum in Antichristo permittitur arbitratur. Adducit Michaël in suæ sententiæ patrocinium, imprimis miraculum illud Eutychiani Nouatiani, quod supra cap. 24. retulimus: illud enim verum fuisse miraculum, testimonio etiam Constantini Magni comprobatur, existimat.

Deinde profert auctoritatem Auctoris Operis imperfecti in Matthæum, quem ipse putat esse S. Chrysostomum, qui Homilia 49. explanans verba illa Christi: *Surgent pseudochristi, & pseudo prophete, & dabunt signa magna.* hæc scribit: *Non inuilia, neque vana, quæ ministri diaboli facere solent: sed magna, id est, vtilia & plena, quæ Sancti facere solebant. Nam in tempore quidem Apostolorum, & post modum ministri quidem Christi vtilia & plena signa faciebant ex parte dextra: qualia sunt, cacos illuminare, & alia eiusmodi facere: ministri autem diaboli inuilia faciebant, & vana ex parte sinistra, quæ admirationem quidem videntibus excitarent, ad utilitatem autem nullius proficerent. Et erat inter ministros Christi, & ministros diaboli ex hoc indicare, qui inuilia, & qui vtilia facerent signa. In fine autem temporis [nempe sub Antichristo] concedenda est potestas diabolo (sicut in Historia Clementis Petrus exponit) ut faciat signa vtilia, & ex parte qua prius facere consueuerant Sancti, ut iam ministros Christi non per hoc cognoscamus, quia vtilia faciunt signa, sed quia omnino non hæc faciunt signa.]*

Verba autem Petri apud Clementem, lib. 3. Recognitionum hæc sunt: *Ille, inquit Petrus, qui à malo est, signa quæ facit, nulli profunt: illa vero quæ facit bonus, hominibus profunt. Nam dic queso, quæ utilitas est, ostendere statuas ambulantes? latrare canes, aut lapideos canes? Salire montes? volare per aërem? & iis similia quæ dictis fecisse Simonem? Quæ autem à bono sunt, ad hominum salutem deferuntur, ut sunt illa quæ fecit Dominus noster, qui fecit cacos videre, surdos audire, debiles claudos erexit, languores & demones effugauit, & alia iis similia, quæ etiam per me fieri videtis. Ista ergo signa, quæ ad salutem hominum profunt & aliquid boni hominibus conferunt, malignus facere non potest, nisi in fine mundi tantum. Tunc enim admiscere ei conceditur aliqua etiam de dextris signis, id est, ut vel demones fuget, vel agnitudo sanet. Et propter hoc tamquam qui excesserit terminos suos, & in semet ipsum diuisus sit, ac semetipsum impugnauerit, destruetur. Et propterea Dominus prædixit in nouissimis temporibus tentationem futuram*

talem in qua decipiantur, si fieri potest, etiam electi: confusis scilicet, iudiciis signorum, perturbari necesse est etiam eos, qui in discernendis spiritibus, ac distinguendis virtutibus videntur eruditi.] Haecenus Petrus apud Clementem. Ex quibus plane colligi videtur, quod etsi nunquam haecenus diaboli ac falsitatis ministris concessum fuerit vera & plena miracula, id est, vtilia edere, in fine tamē saeculi, Antichristo, eiusque ministris ac predicatoribus permittitur, ut vera & vtilia miracula operetur.

Ceterum, Antichristi, suorumque miracula neutiquam vera miracula, virtute diuina praeter omnium naturalium creaturarum causarum facultatem effecta, sed vel meras interdum praestigias, & sensuum ludificationes: aut opera vera & mira, sed vi & facultate naturalium ac creaturarum causarum, demonum praesertim potenti operatione, quamuis occulta & latenti, comparata, futura esse, tam compertum & exploratum omnibus eruditis esse debet, ut mirum sit, potuisse aliquem iis refragari, atque Antichristo vera miracula attribuire. Nam cum primis apertissima sunt verba Pauli de Antichristo: cuius est aduentus secundum operationem satanae, in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacibus. Mendacia siquidem dicuntur à Paulo signa & prodigia Antichristi: non solum quia ad pertrahendos homines in mendacium & errorem erunt reuera comparata: sed etiam quia non erunt vera miracula virtute diuina patrata: sed vel mendaces praestigiae, vel opera naturae viribus, vel efficientia demonum effecta, ut plenius cap. 29. elucidantes locum Pauli edocebimus.

Deinde Patres summo semper consensu tradiderunt, Antichristum nullo modo effecturum vera miracula, sed falsa, mendacia, magica, naturae vel demonum operatione. S. Irenaeus lib. 5. aduersus Haereticos, cap. 28. *Hac ne quis cum diuina virtute putet signa facere, sed magica operatione. Et non est mirandum, si demonis & apostaticis spiritibus ministrantibus ei per eos faciat signa in quibus seducat habitantes super terram.*

S. Hippolytus Martyr Oratione de Consummatione mundi: *In primis autem Iudaicam gentem amabit: apud eos omnes signa edet, & horrenda miracula, non vera, sed falsa, ad seducendos sui similes inopios.*

S. Cyrillus Ierosolymitanus: *Catechesi 15. Signis & portentis magica impostura decipiet Iudeos.* Et post alia: *Cuius est, inquit Paulus, aduentus per operationem satanae, in omni potentia, & signis, & portentis falsis. Hoc innuens, quod Satanas illo ipso vteretur organo, sua persona per illum operans, in omnibus signis & portentis falsis. Pater enim cum ipso sit mendacii, non nisi opera mendacii effinget, ut magnifice videatur mortuos excitare, & claudos sanare, & cecos illuminare: cum tamen reuera non fiat sanatio.* Et inferius: *Tunc veniet ille in omnibus signis & portentis falsis elatus, videtibus omnibus.*

S. Ephraem Syrus Sermone de Antichristo: *turbabit tamen terram, exterrebique simul vniuersa fallacibus prodigiis, & magicis signis.* Et rursum: *signa varia, atque terrores multiplicans falso etiam & non verè eiusmodi ostentabit.*

S. Hieronymus Quaestione 11. ad Algasia: *Cuius opera satana sunt opera: & sicut in Christo plenitudo diuinitatis fuit corporaliter, ita in Antichristo omnes erunt fortitudines, & signa, & prodigia: sed vniuersa mendacia. Quomodo enim signis Dei, quae operabatur per Moysen, magi suis restituerunt mendaciis, & virga Moysi deuorauit virgas eorum: ita mendacium Antichristi, Christi veritas deuorabit.*

Theodoretus in 2. Thessalonicens. 2. Porro autem docet Paulus etiam, ea quae futura sunt per Antichristum, non fore vera miracula. Talia autem faciunt & praestigiatōres, qui à Calculis Psephopœta dicuntur. Ostendunt enim

Tom. II. de Antichristo.

aurum, quod vere aurum non est: & quaedam alia quae paulo post arguuntur.] Et in Diuinis decretis, Capite de Antichristo: *I nescabit autem etiam simplices, & ad capiendum faciles, fraudulentis quibusdam miraculis utens.*

Andreas Caesariensis Episcopus in 13. Apocalypsis: *Miracula quae Antichristus praestigis suis operabitur, ad diabolum, qui per ipsum, & in ipso efficax erit, referri debent. Per ipsum enim draco imposturas suas exercens publice adorabitur. Per eum quem etiam mortuos excitare, multaque alia admiratione plena facere abs se seductis videbitur.* Et post alia: *Quidquid, inquit Ioannes, Pseudo-christi praecursor ad hominum deceptionem facturus est, hoc totum per praestigias & incantationes facturus est: quo hac ratione Antichristum Deum esse persuadeat: ut qui testimonium habeat à viro qui tanta miracula patravit: eamque virtutem & gloriam ad exemplum Ioannis Baptista, qui fideles ad Christum adducebat, diuinitus citra controuersiam acceperit: siquidem mendacium ad hominum seductionem veritatem imitari contendit.*

Areas etiam Caesariensis Episcopus in 13. Apocalypsis: *Dabit etiam Antichristo satanas, qui intelligibilis est draco, omnem potestatem suam per signa & prodigia falsa, ad decipiendum dumtaxat infirmiores.* Et infra: *Signa enim ac prodigia per operationem diaboli ipsum facere dixit: Et paulo inferius elucidans illud Apocalyp. 13. 14. Propter signa, quae data sunt illi, ait: Oculos, inquit, intuentium fascinando. Hac ideo praecursor faciet Antichristi praestigis, quod ipse Antichristus Christus putetur: ut qui à talium patratore habeat testimonium, & indubiam accipiat gloriam, ad imitationem Baptista Ioannis, qui Christo testimonium ferebat Seruatori, & eius erat praebulo.] Anastasius Episcopus Nicænus Quaestione 23. in Scripturam: *Antichristus enim veniens, Dei permissione faciet, opem ferentibus demonibus, plurima signa & prodigia mendacii, ad interitum quidem infidelium, probationem vero fidelium. Quid vero est nouum, & alienum, si opem ferente demone, visionum signa faciet diuersa: cum iam etiā sciamus, quosdam quoque alios magos & praestigiatōres varia fecisse prodigia adminiculo demonum?**

S. Damascenus lib. 4. Fidei Orthodoxae, cap. 27. *Veniet autem Antichristus in signis & prodigiis mendacii, falsis ac non veris: eosque quorum imbecilla, parumque firmo fundamento nixa mens est, in fraudem inducet, atque à Deo viuo abstrahet: ita ut scandalizentur, si fieri potest, etiam electi.*

Auctor nomine S. Eucherij, Sermone Dominicae 2. *Aduentus: Plenus enim spiritu satanae Antichristus virtutes multas & miracula arte diabolica operabitur.*

Rabbanus Opusculo de Antichristo: *Hac autem omnia Antichristi miracula omnibus modis falsa erunt, per incantationes diabolicas: sed peccatoribus & incredulis videbuntur esse vera.*

Atque hic est planè consensus omnium Orthodoxorum, Antichristum non vera, sed falsa miracula editurum. Quem consensum latè videre quisque poterit apud Sanderum lib. 8. de Visibili Ecclesiae Monarchia, cap. 30. Bellarminum lib. 3. de Romano Pontifice, cap. 15. Pererium lib. 14. in Daniele, Suarez Tomo 2. in 3. Partem, Disput. 54. sectione 4. Acostam lib. 2. de Nouissimis Temporibus, cap. 18. & 19. Ribera in 13. Apocalyp. Viegam Commentario 2. in 13. Apocalyp. sect. 11. Florimundum Libro de Antichristo, cap. 27. Valentia Tomo 4. disput. 11. quaest. 2. punct. 2. §. 1. Becanū de Antichristo reformato, cap. 9. Lessium de Antichristo, demonstratione 10. Ferrerij de Antichristo, cap. 24.

Postremò ad eandem sententiam penitus stabilendam accedat inuicta ratio: Nam verum & legitimum miraculum, nihil aliud prorsus reuera est, quàm singulare quoddam & eximium à Deo ipso redditum testimoniū, quaedam insignis diuinæ veritatis confirmatio, ceu

clara de coelo edita vox clamans, & comprobans, ac potenter euincens; veram & solidam esse doctrinam, vel probitatem eius qui edit miraculum, quo nimis veritas, bonitas, probitas, auctoritas, vel rei, vel doctrinae, vel personae valide & inconcussè stabilitur: at nimis absurdum, ac penitus impium esse videtur, si quis asserat, Deum suo diuino testimonio mendacis, erroribus, aut falsitatibus attestari, adstipulari, consentire: aut prauae, falsaeque doctrinae, vel improbitati alicuius hominis, approbationis suae singularem notam, & quasi sigillum imprimere: ac veluti data syngrapha, atque chirographo, fidem suam diuinam & infallibilem in erroris, falsitatis, ac improbitatis confirmationem oppignorare. Vbi igitur veritas doctrinae, aut sanctitatis non est, nullo pacto adesse potest diuina attestatio per vera miracula consignata: quoniam Deus verax est, nec fallere, nec falli potest, nec scit aut potest approbationem aut patrociniū dare mendacis aut criminibus: nec magis mendacij confirmationem potest Deus miraculis comprobare, quam potest ipsa veritas mentiri.

Scimus recentiores Scholae Theologos magna subtilitate differere, an Deus supernaturali sua vi & efficientia concurrere possit ad verum aliquod efficiendū miraculum, quod tamen à peruerso ac deprauato ministro in testimonium erroris, & falsae doctrinae, seu fidei sanctitatis detorqueatur: multaque in partem affirmantem congeri valida argumenta. Nunquam tamen in animum induxerim meum, vt id fieri posse credam. Et esto, posset Deus, quae sua est omnipotentia, id efficere: neminem tamen putamus adeo mentis inopem reperiri posse, qui ausit adstruere, diuinam sapientiam, atque prouidentiam tale quippiam permitturam, vt tam potens, atque ineluctabile veritatis testimonium, quale est verum miraculum, quod est diuinæ auctoritatis indicium, prauae doctrinae, aut falsae sanctitati imperitiat: cum nunquam sanè ad falsae doctrinae, aut sanctitatis attestationem, ab hæreticis, aut extra, Catholicam positis aliquod verum patratum miraculum, vllibi ex sinceris, probatisque Auctoribus ostendi possit. At quoniam otium non est, scholasticas eiusmodi curiositates pressius disquirendi, qui eas cupit, adeat Franciscum Suarez Tomo 2. in 3. partem S. Thomae, Disputatione 31. sectione 2. Verum de hac præclarissima Ecclesiae Catholicae miraculorum dote, nota, charismate, multi recentiorum ex professo disseruere, Antonius Cordubensis lib. 4. Quaestione 1. Propositione 6. Robertus Bellarminus lib. 4. de Ecclesia cap. 14. Thomas Bozius lib. 5. de Signis Ecclesiae, cap. 1. & seqq. Iodocus Cocceius Tomo 1. Thesauri Catholici lib. 8. Articulo 13. & 14. Nec tamen opportunè, hic omittimus verba Anastasij Episcopi Nicæni Quaestione 23. in Scripturam: *Hæreticus autem signa faciens, aut prophetans, est perspicuum quod illuditur à demonibus: & existimat, Deum hac in ipso operari. Futurorum autem, aut arcanarum nihil præsciunt demones, sed solus Dominus, qui nouit omnia priusquam fiant.* S. Irenæus lib. 2. aduersus Hæreses, cap. 56. de hæreticis ait: *Nec enim cæcis possunt donare visum, neque surdis auditum, neque omnes demones effugare, præter eos qui ab ipsis immittuntur: si tamen & hoc faciunt: neque debiles, aut claudos, aut paralyticos curare, vel alia quadam parte corporis vexatos, vel earum, quae à foris accidunt, infirmitatum bonas valetudines restaurare: tantum absunt ab eo vt mortuum excitent, quemadmodum Dominus excitauit, & Apostoli.* Eusebius lib. 5. Histor. Ecclesiasticae, cap. 7. eadem S. Irinæi verba recitans, habet: *Plurimum abest, vt possint mortuum suscitare, sicut Dominus ipse, sicut eius Apostoli.* Videndi omnino de hæreticorum miraculis Auctor apud S. Iustinum Martyrem, Quaestione 5. & 100. ad

Orthodoxos, & Auctor apud S. Athanasium Quaestione 110. ad Antiochum.

Iam quæ Michaël Medina in suæ sententiæ confirmationem adduxerat, facile diluuntur. Primum, quod ad miraculum Eutychniani attinet, Socrates, & Sozomenus, qui illud narrant, fuere palam Nouatiani, vt Nicephorus lib. 6. cap. 37. & lib. 9. cap. 13. diserte annotat: & ipsi ideo se, qui fuerint, in multis produnt, vt nihil opus sit indicatore. Iudicia virorum eruditorum de Socrate & Sozomeno, collegit Antonius Possseuius in Sacro Apparatu Bibliothecæ. Atqui eos fuisse Nouatianos nimis est cunctis exploratum. Ergo qui patrauit miraculum Eutychnianus, erat Nouatianus: qui retulit Auxanon, Nouatianus: qui scripsit, Nouatianus. Quam igitur fidem par est præstari hæreticis, de suis hæreticis miracula tradentibus: Eiusdem plane furfuris censenda quoque sunt miracula Pauli Nouatianorum Episcopi, quæ iidem Socrates & Sozomenus perscripsit, de quibus fusè egimus cap. 24. nisi quod illud euanescentis ex Baptisterio aquæ potius in gratiam Sacri Baptismi, quam Pauli contigisse, Baronius Annali 5. anno 419. & Bellarminus lib. 4. de Ecclesia, cap. 14. annotarunt.

Deinde auctore illū Operis Imperfecti in Matthæū, non esse S. Chrysostomum, sed improbum aliquem nebulonem, diuersarum hæresum colligatorem, iam superius cap. 11. extremo accuratè obseruauimus. Denique Recognitiones illas quæ nomine Clementis venditantur, vnde pseudochrysostomus testimonium Petri Apostoli acceperunt, non esse S. Clementis Romani Pontificis genuinum opus: sed inter apochryphorum quisquillas reiectas esse à sancta Romana Ecclesia, & à cætu eruditorum, nemo non nouit. Vide de his Xystum Senensem, lib. 2. Bibliothecæ, in Clemente, Baronium Annali 2. Anno Christi 102. Numero 21. Bellarminum de Scriptoribus Ecclesiasticis, in Clemente, Possseuium in Sacro Apparatu. Sed ne videamur testibus fide minutis, non aliud effugium habuisse: addimus, haud absurde prædictorum auctorum verba in bonum sensum reduci posse: nimirum, Antichristum ac suos facturos miracula plena & vtilia, non tantum inania & inuilia, quod nedum in aëre, rebusque aliis externis, vnde nulla utilitas hominibus proueniat, signa edent: sed etiam languidos curabunt, leprosos mundabunt, cæcos vtique illuminabunt, claudos erigent, & varios morbos pellent, & id genus complura miranda patrabunt, vnde præclaræ utilitates hominibus accrescant. Eiusmodi autem opera licet vera sint futura & substantia, non tantum meræ præstigiæ: haud tamen vera erunt miracula, diuina virtute præter omnem naturæ creatæ cursum effecta: sed naturæ vi & latenti dæmonum operatione perficientur.

Nec hic omittimus quod Hieronymus Oleastrius in 13. Deuteronomij scripsit in hunc modum: *Sed dubium est, an Dominus alicui falso propheta ad miraculum cooperaretur, quo ille non probaret suam missionem, aut vera esse quæ prædicit, vt si propheta diceret, eamus, & seruiamus diis alienis, & non in huius testimonium aut suam missionis, signum faceret aliquod. Putarem, salua Ecclesia definitione, posse fieri.* At si falsus propheta in testimonium veræ fidei & doctrinae, miraculum verum ediderit, non videtur factu impossibile aut absurdum. Sicuti Balaam ariolus vera fudit vaticinia: & pseudoprophetae, Matthæi 7. 22. prophetant, dæmonia eiiciunt, & virtutes multas efficiunt. Sed tamen omnia in nomine Christi, idest, non ad suam, sed ad Christi fidem confirmandam. Alioqui ad falsitatem stabiliendam, certissimum esse debet, neminem miracula vera efficere posse. Vide de his Maldonatum

Maldonatum in Matthæi 7. ad vers. 22. Delrium lib. 2. Magicarum, Quæst. 7. Iacobum Gretzerum, & Iacobum Pontanum in Notis ad Historiam Ioannis Cantacuzeni lib. 1. cap. 53. & lib. 3. cap. 27. Franciscum Feuardentium in Notis ad S. Irenæum lib. 1. cap. 8. & lib. 2. cap. 56. Batonium Annali 1. anno Christi 34. Numero 214.

CAPUT XXVII.

*Natura vel arte multa effici valde miranda,
qua tamen vera miracula
non Sint.*

PERITI rerū affirmāt & ipsa experiētia perspicue docet, ab hominibus rerū vsu & cognitione præstātibz, sine vllō adminiculo aut opera cacodæmonū, sola artis, vel naturæ facultate & efficientia, complures veros, reales, ac subsistentes effectus designari, adeo ratos, & admirandos, vt prudentissimos quosque in stuporem adducant, & facile vera miracula reputari queant, quod causas in arte vel natura nimium quam abstrusas & latentes habeant, & non nisi rarissime contingant. Homines siquidem in penitioribus ac reconditioribus naturalium scientiarum, disciplinarumque sacrariis, adytisque accuratissime versati, cum probe & introrsus perspectas habeant varias, multiplicesque herbarum, lapidum, metallorum, animalium, aliarumque rerum naturales virtutes & facultates, vulgo incognitas; eas inter se aptant, ne-ctunt, coniungunt, præparant, applicantque actiua passiuas, mirificeque obseruant naturæ sympathiam, & concordiam, qua res committunt; insuper adhibent numeros, mensuras, pondera, concentus, æqualitates, proportionēs: cælique aspectus & afflatus, atque influxus contuentur, obseruant: & omnia tam rectè, apteque disponunt, temperant, concinant, ferruminant, vt inde mirabiles, extraordinarios, prodigiosos, ac plane stupendos proluciant effectus: qui ab hominibus, artis, rerumque ignatis pro miraculis habeantur: cum certe miracula vera non sint: sed causas in arte, vel in natura, occultas tamen ac reconditas, & non nisi paucissimis, iisque peritissimis perspectas & cognitās habeant. Et quidem dicuntur hæc miracula non propriè, sed ampla appellatione, nimirum, valde mira. Hanc tam præualidam, potentemque naturæ arcanorum cognitionem Magiam Naturalem nuncupant, quam esse vount totius Naturalis Philosophiæ, Mathematicarumque & Medicinæ apicem. De qua vide plura apud Martinum Delrium lib. 1. Magicarum Disquisitionum, cap. 3. Qua sanè præcellenti arte, ac naturæ singulari peritia, nonnullos apud veteres, & recentiores quoque præditos accepimus: sed iuuat pauca eiusmodi exempla annotare.

De Archita Tarentino magni nominis Philosopho Aulus Gellius lib. 10. Noctium, cap. 12. hæc scribit: Sed id quod Architam Pythagoricum commentum esse atque fecisse traditur, neque minus admirabile, neque tamen vanum eque videri debet. Nam & plerique nobilium Græcorum, & Phauorinus Philosophus memoriarum veterum exequentiſſimus, affirmatiſſimè scripserunt, simulacrum columbæ e ligno ab Archita ratione quadam, disciplinaque mechanica factum volasse: ita erat scilicet, libramētis suspensum, & aura spiritus inclusa atque occulta concitum. Libet hercè, super re tam abhorrenti à fide, ipsius Phauorini verba ponere: Archytas Tarentinus Philosophus pariter & mechanicus vir columbam ligneam fecit volantem, quæ si unquam subsedisset, præterea non

exsurgebat. Hactenus enim.] Franciscus Georgius in Harmonia Mundi, Cantico 3. Tomo 4. cap. 9. hæc annotat: Archyta Tarentinus, vt fertur, columbam ligneam fecit volitantem per aërem. Quod & aliqui nostri temporis facere gloriantur. Egyptij, vt Mercurius tradit, deorum statuas construxere tales, vt loquerentur. Quod & Albertus cognomento Magnus fecisse traditur, caput videlicet æneum loquens: Et reperi, qui se iactarent facere corpora cunctia & loquentia: nec tamen habere virtutes animales, neque diu permanere. Dadalus artificiosus pennis volasse fertur. Quod hac nostra tempestate quidam per modicum spatium fecit. Multa iactat Rogerius Bachom se fecisse magiā purā & naturali: tonitrua videlicet in aëre, nubes & pluuias, atque rerum transmutationes quamplurimas.] Mira sunt quæ de capite illo æneo Alberti Magni, & consimili altero Numantino scribit Tostatus in 21. Numerorum, Quæstione 19.

Antonius Posseninus lib. 15. Bibliothecæ Selectæ, cap. 1. hæc refert: Muscam & Aquilam Geometricis pennis illatam Norimberga exhibuit. Claudius Gallus hisce proximis annis Tibure in Atestini Cardinalis hortis visus est penè noua natura miracula edidisse, cum effecisset, vt aquarum leni, ac placido illapsu ænea auicula motu, voce, cantu ad nocturne aduentum opportunè intermisso, ad eius discessum repetito opportunè, ita imitarentur veras, vt potius qui fectas assereret, temerarij, quam qui veras æstimaret, nimis creduli nomen mererentur. Addidit autem & Hydralium, è quo suauissimus, & armonicus sonus inaudiebatur. Quodque, quod sanè fuit adhuc magis admirandum, ad eius arbitrium, celestis arcus, quem Latini Iridem dicunt, ita eleganter ac verè circumduxerit, vt esset laudandus Deus, qui tale etiam in rebus huiusmodi, acumen humanis ingenijs dedisset.] At hæc iam nimis vulgaria sunt in hortis Pontificijs. Martinus Delrius Magicarum lib. 2. Quæstione 27. sectione 1. Nostris temporibus oblata Carolo V. Aquila ænea, volans per aërem: & Parisijs triremis argentea, quam remiges eiusdem materie & impellebant, & sistebant, & retroagebant.]

Amatus Lusitanus Centuria 6. Medicinalium Curationum, Curatione 53. hæc prodit: Certo scimus chymico artificio puerum conflatum esse, & omnia sua membra perfectè contraxisse, ac motum habuisse. Qui cum à vase ubi continebatur, esset extractus, moueri desinit. Nouit hæc accuratè Iulius Camillus, vir singularis doctrina, & rerum occultarum & variarum hac nostra ætate magnus scrutator, & Hetrusca sua lingua scriptor diligentissimus & accuratissimus.]

Theodoricius Italiæ rex apud Cassiodorum lib. 1. Variarum, Epistola 45. Seuerini Boetij præclaram artem mechanicam celebrans, hæc inter alia laudat: Tu illam in natura penetralibus confidentem, auctorum libris inuitantibus, cordis lumine cognouisti, cui ardua nosse vsus miracula, monstrare propositum est: molitur ostendere quod obstupescant homines euenisse. Miroque modo naturis conuersis, facti detrahunt fidem, cum ostentet ex oculis visionem. Facit aquas ex imo surgentes, præcipientes cadere, ignem ponderibus currere: organa extraneis vocibus insonare, & peregrinis flatibus calamos complet, vt musica possint arte cantare. Videmus per eam defensionēs iam nutantium ciuitatum, subito tali firmitate consurgere, vt machinamentorum auxiliis superior reddatur, qui desparatus viribus inuenitur. Madentes fabricæ in aqua marina sicantur: dura cum fuerint, ingeniosa dispositione soluantur: metalla mugiunt, Diomedis in ære grues buccinant, æneus anguis insibilat; aures simulatè frutimunt: & quæ propriam vocem nesciunt, ab ære dulcedinem probantur emittere cantilena. Parua de illa referimus, cui cælum imitari fas est.]

Quod Poëta canunt de Dædalo volante, non ut prorsus fabulosum explodendum est: siquidem Dio Chrysostomus Oratione 21. hæc de Nerone principe perscribit: *Hoc verò maxime superabat Nero, & nemo illi vlla de re (quidquam dicere, per errorem & deerant duæ illæ voces etiam, & in margine adscriptæ) quam diceret contradicebat: neque impossibile aiebat quod iusserat, ita ut cum quemdam etiam volare iussisset, ille ei promiserit: multoque tempore nutrebat intus apud eum in aula, tanquam volaturus.* Sed de exhibito ac tentato in theatro eiusmodi hominis volantis spectaculo Suetonius in Nerone cap. 12. fidem facit, quum ait: *Icarus primo statim conatu iuxta cubiculum eius decedit, ipsumque cruore respersit.* Lucianus quoque in Philopseude: *Ludis tu quidem, inquit Cleodemus, at ego, qui & ipse quoque olim minus talia credebam, quam nunc tu, (putabam enim nulla ratione fieri posse ut ea crederem) tamen quum volantem primum conspicerem peregrinum illum Barbarum, (erat autem, ut ferebant, ex Hyperboreis) credidi, & victus sum: Cum tamen multum, diuque repugnassetem. Nam quid facerem, cum eum cernerem in aëre volantem, atque id interdum, ac super aquam ingredientem, atque super medium ignem incedentem, idque lente ac sensim? Tunc, inquam ego, ista videbas, Virum Hyperboreum volantem, aut super aquas ambulantem? Et maxime, inquit ille, carbatinas indutum, quo calceamenti genere illi potissimum vtuntur.*

De Proclo præstanti mechanico hæc narrat Zonaras Tomo 3. Annalium in Anastasio Imperatore: *Anastasio Vitaliano Traci, qui Misis & scythis sibi conciliatis, seditionem mouebat, & ex agro Byzantino pradas agebat, & classe urbem obsidebat, per Marianum Præfectum restitit: nautique pugna commissa, ex machina quadam à Proclo viro excellentissimo facta, (Is enim tum & in Philosophia, & in Mechanicis florebat: neque Archimedis dumtaxat celeberrimi artificis cognorat omnia, sed & ipse noua quadam adinuenerat) classis hostium debellata est. Nam specula ex ære fabricasse vistoria fertur Proclus, eaque de muro regione hostilium navium suspendisse: in qua cum solares radij impigissent, ignem inde fulminis instar erumpentem, classarios, ipsasque naues hostium combussisse: quod olim Archimedes excogitasse, Romanis Syracusas obsidentibus, Dion refert.* At de admirandis Archimedis Syracusani Machinis & operibus, complura scribunt Linius lib. 24. cap. 34. Vitruuius lib. 9. Plinius lib. 7. cap. 37. Plutarchus in M. Marcello, & alij. Sed & parentum nostrorum ætate, ac nostra ferè viderunt Hispaniæ nouum Archimedes Ianelum Turrianum Cremonensem, cuius mechanica opera habita sunt ingentia prodigia, ut Horologium cum vniuersa cælorum machina expressa, & fabricata in ære, atque orbium cælestium vniuersis motibus & circumlationibus distinctè repræsentatis, in quo excogitando, & componendo viginti quatuor ferme annos consumpserit. Item paruum ex ferro pistrium, quod farinam à furfuribus velut excerniculo secretam & puram seorsim redderet: & id genus alia ferè incredibilia, quæ Ambrosius Morales celebrauit in descriptione Hispaniæ, agens de Toletio vrbis.

De Memnonis statua lapidea apud Thebas Ægypti loquente mira profecto sunt quæ auctores tradidere præclari: & iuvat hic reddere. Strabo lib. 17. pagin. 561. *Thebarum vrbis habet templa quamplurima, magna ex parte à Cambyse mutilata: nunc per vicos habitatur, ac pars eius in Arabia, ubi & vrbis est: pars etiam in ulteriore regione, ubi Memnonium. Hic cum*

duo colossi essent de solido lapide inter se propinqui, alter adhuc extat: alterius vero superiores à sedæ partes corruerunt, terra, ut fama est, motu. Creditum etiam est, semel quotidie sonitum quemdam veluti ictus haud magni edi a parte, quæ in sede ac basi remansit. Ipse quum Ælio Gallo adessem, & cum reliqua multitudine amicorum ac militum, qui cum eo erant, circiter horam primam sonitum audiui: vtrum à basi, siue à colosso, an vero ab eam circumstantium aliquo editus fuerit, non habeo affirmare: cum propter incertitudinem causæ, quidvis potius credere subeat, quam ex lapidibus sic compositis sonitum edi.]

Plinius lib. 36. cap. 7. de basalte lapide ferrei coloris: *Non absimilis illi narratur in Thebis delubro Serapis, ut putant, Memnonis statua dicatur: quem quotidiano solis ortu contactum radiis crepare dicunt.*

Tacitus Annali 2. de Germanico Cæsare Thebarum mira inuidente: *Ceterum Germanicus aliis quoque miraculis intendit animum, quorum præcipua fuere Memnonis Saxeæ effigies, ubi radiis solis icta est, vocalem sonum reddens.*

Iuuenalis Satira 15.

*Dimidio magica resonant ubi Memnone chorda,
Atque vetus Theba centum iacet obruta portis.]*

Inquem locum vetus Iuuenalis interpres à Pythæo editus, hæc annotat: *Memnonis ex ære statua, citharam tenens, certis horis canebat. Hanc Cambyse rex iussit aperire, existimans mechanicum aliquod esse, quod intra statuam lateret. Nihilominus tamen aperta statua, quæ erat magicè consecrata, horis statutis sonum reddidit. Ideo dimidio, dixit, idest, aperto & diuiso.]* Sed omnes alij Memnonis statuam Lapideam produnt. Dimidio autem dixisse id circo videtur Iuuenalis, quod ut nuper ex Strabone videbamus, non nisi dimidia pars statuæ iam extaret.

Lucianus in Toxari, seu de Amicitia: *Ad hoc temporis fortè profectus fuerat in Ægyptum ad spectaculum Pyramidum, Memnonisque. Nam audierat illas, cum essent sublimes umbram non iacere: Memnonem autem vocem edere ex oriente sole.]* Et in Philopseude: *Cupiebam nauigio profectus in Coptum, illinc adiens Memnonem, miraculum illud audire, cum videlicet sonum reddentem ad orientem solem. Illum igitur audiui, non hoc vulgari modo, quo audiunt alij sonum quemptiam inanem: sed mihi oracula etiam edidit Memnon ipse aperto ore septem versibus: quod nisi esset superuacaneum, ipsos vobis versus recenserem.]*

Dionysius Alexandrinus in Periegesi:

*Ogyias habitant Thebas, ubi mane micantem
Auroram claro Memnon clamore salutat.*

Pausanias lib. 1. pag. 40. agens de Alcatoo, qui Megaram condidit, inquit: *Ostenditur enim Deorum focus, quos Prodomeos vocant, quod est, quasi præstructores dicas: quibus rem diuinam fecisse tradunt Alcatoom, cum esset murorum fundamenta iacturus. Iuxta eum focus lapis extat, super quo citharam deposuisse Apollinem tradunt, quum muros facienti Alcatoo operam esset suam nauaturus. Eum certe in fabricandis muris ab Apolline adiutum Megareses affirmant, atque eum, de quo dixi, lapidem, ubi citharam deposuit, pro testimonio habent: reddit enim, calculosi quis eum percusserit, eundem quem pulsa fides sonum. Quæ mihi res plane admirabilis visa est: quanquam colossus qui Thebis Ægyptiis est trans Nilum, non longe ab eo loco, quæ Syringes idest, Fistula appellantur, maiore vique cum admiratione spectant. Statua ibi est sedentis hominis: eam multi Memnonis nominant: quem ex Æthiopia in Ægyptum venisse, ac Susa etiam usque penetrasse tradunt. At ipsi Thebani Memnonem esse negant: nam Phamenophem fuisse*

fuisse indigenam hominem dicunt. Audiui etiam qui Sesostri illam statuam esse dicerent. Eam Cambyfes diffidit: & nunc etiam superior pars à vertice ad medium truncum humi neglecta iacet: reliquum adhuc sedere videtur, ac quotidie sub ipsum solis ortum, sonum edit, qualem vel cithara, vel lyre nervi, si forte dum tonduntur, rumpantur.] Congruunt ista, cum iis quæ antea ex Iuuenalis Scholiaste descriptimus, & cum iis quæ Eusebius in Chronico Numero cccc in hunc modum scribit: *Ægyptiorum rex Amenophis annos XXXI. Hic est Amenophis, quem quidam Memnonem putant lapidem loquentem.*] In quibusdam Eusebij exemplaribus, etiam in editis a Pontaco additur: *Quippe cuius statua usque ad aduortum Christi, sole oriente, vocem dare dicebatur.*] Sed à pluribus codicibus ista abesse, idem Pontacus annotauit: nec videntur esse Eusebij, vnde Scaliger ea non edidit. Quem Pausanias Phamenophem, Eusebius cum aliis Amenophem appellat.

Sed de Memnonis saxea statua vberius Philostratus in Vita Apollinij lib. 6. cap. 3. in hunc modum differit: *Ipsius vero Memnonis statua adolescentis impuberis imaginem referens, ad solis radios conuersa est. Est autem ex nigro lapide fabricata, atque utroque pede solum attingens iuxta Dædali statuariam artem. Erectæ autem manus sedi innituntur, hominis surgere volentis similitudinem exprimentes. Oculorum autem & totius oris imaginem quasi locuturi hominis esse perhibetur. Et hæc quidem antea minorem ipsi dabant admirationem, quod nondum actiosa videretur, & quantum artis operi inesset, ignorarent: cum vero solis radius statuam attingeret, (id autem circa solis ortum euenire perhibent) tum vero supra modum admirabilis visa est. Tunc enim statuam loqui perhibent: ubi primum solis radius qd eius os peruenit. Eius oculi splendentes, latique ad solem expositi sunt, sicut eorum qui valde Solis aspectum tolerare possunt: ac tunc quidem conuenire cum dicunt, quod soli assurgere videatur: ut qui erecti numen colant.*] Et in Iconibus lib. 1. Ipse autem Memnon in nigrum transformatus est in Æthiopia Lapidem, & figuram quidem sedentis. Speciem vero illam puto, & solis radij statuam petunt. Sol enim Memnonis os veluti plectro percuciens, inde vocem elidere, loquacique soporis inuenio diem solari videtur.]

Callistratus in Expositionibus Statuarum: *Volo etiam tibi Memnonis miraculum commemorare: nam stupenda vere fuit ars, & humana manu præstantior. Memnonis Tithori filij simulacrum erat in Æthiopia à marmore sculptum: verum tamen id suis in limitibus non remanserat, neque taciturnam naturam reincebat: sed cum saxum esset, vocis facultatem habebat: nunc enim orientem diem alloquebatur, voce gaudium designans, & ob matris præsentiam exhilaratus: modo ad noctem inclinata die, miserandum & anxium quiddam gemebat marmor ob absentiam marore affectum: neque vero lacrymis carebat, quin hæc quoque voluntati ministrantis habuit. Ac Memnonis talis imago fuit, solo corpore humano mihi differre visa: à fortuna vero quadam & proposito simili impulsæ regebatur: ea porro quæ tristitiam asferrent, immixta habebat: rursusque ipsum voluptatis sensus occupat, ab utrisque affectibus percussum. Ac natura quidem lapidum ortum soni expertem, ac stupidum produxit, & neque à dolore moderari volentem, neque letari scientem, imo & omnibus casibus inuulnerabilem. Illi vero Memnonis marmori, & incunditatem concessit, & caute cruciatui admouit. Itaque hanc solam nominis artem, quæ sensa saxo, & vocem inseruit. Enim verò Dædalus ad motionem usque generose attentauerat, atque illius artificum vim materias mutandi, & loco transferendi,*

& ad choream excitandi habebat: verum arduum ipsi, ac impernium omnino fuit, opera voce prædita moiri. Sed Æthiopum manus meatus in iis quæ inaccessa atque inuia erant, excogitarunt, & taciturnitatem marmoris amouerunt, illi cerè Memnoni respondere echum fama est, quoties loqueretur: & lugubre lamentanti, flebile carmen remittere: letanti autem sonum amulum reddere. Denique illud opificium interdum marores sopiebat, nec filium querere permittebat: quasi Æthiopum ars hoc solario compensares Memnonem fato peremptum.] Hæc Callistratus.

De Seuero Imperatore Spartianus: *Nam & Memphim, & Memnonem, & Pyramides, & Labyrinthum diligenter inspexit.*] At de Memnonis statua vocali egere etiam copiose, è recentioribus, Cælius Rhodiginus Lectionum Antiquarum lib. 22. cap. 5. Franciscus Floridus Sabinus lib. 3. Subciliuarum, cap. 1. Reinerus Reineccius in syntagmate Heroico, t. Parte, in Regno Troiano, Iosephus Scaliger, & Arnaldus Pontacus ad Chronicon Eusebij, Martinus Delrius in commentariis ad Agamemnonem Senecæ, vers. 213 Isaacius Grangæus ad Iuuenalis Satyræ 15.

De Lapide vero Megarensi, quem calculo percussum, sonum fidium edere dixit Pausanias, cecinere Virgilius in Ceiri:

*Stat Megara, Aetæi quondam munita labore
Alcæhoi, Phæbique: Deus namque adfuit illi:
Vnde etiam citharæ voces imitantur acutas:
Sæpe lapis recrepat Cylænia munera pulsus,
Et veterem sonitu Phæbi testatur honorem.*

Et Ouidius.

*Rægia turris erat sublimibus edita muris,
In quibus auratam proles Latonia fertur
Deposuisse lyram: Saxo sonus eius inhaesit.*

Et rursus idem:

*Sæpe illuc solita est ascendere filia Nisi,
Et petere exiguo resonantia saxa lapillo.*

Et Martianus Cappella:

Megaræ saxum ad ictum pulsus cuiuscumque fidicinat. Quæ omnia mirificè illustrantur ex illis, quæ ex Pausania superius de lapide Megarensi descriptimus. De quo etiam plura apud Iosephum Scaligerum in Notis ad Ceirin Virgilij.

Ceterum inter naturæ miracula illud posuerim, quod S. Augustinus 21. de Ciuitate Dei, cap. 6. refert his verbis: *Credite & vos quod in eisdem literas est relatam, fuisse vel esse quoddam Veneris fanum, atque ibi candelabrum, & in eo lucernam sub dio sic ardentem, ut eam nulla tempestas, nullus imber extinguere: unde sicut ille lapis, ita ista, Lychnos Asbestos, id est, lucerna inextinguibilis nominata est.*] Et inferius: *Aut ergo in lucerna illa mechanicum aliquid de lapide Asbesto ars humana molita est, aut arte magica factum est, quod homines illo mirarentur in templo: aut demon quispian sub nomine Veneris tanta se efficacia præsentauit, ut hoc ibi prodigium & appareret hominibus, & diutius permaneret.*] De Asbesto Plinius lib. 37. cap. 10. *Asbestos in Arcadia montibus nascitur, coloris ferrei.*] Solinus cap. 13. *Nec lapidem spreuerimus, quem Arcadia mittit, Asbesto nomen est, ferri colore. Hic accensus semel extingui non potest.*] Sanctus Augustinus 21. de Ciuitate Dei, cap. 5. *Asbestos Arcadiæ lapidem propterea sic vocari, quod accensus semel, iam non potest extingui.*] Sanctus Isidorus lib. 16. Originum, cap. 4. *Asbestos Arcadiæ lapis, ferrei coloris, ab igne nomen sortitus, eo quod accensus semel, nunquam extinguitur. De quo lapide mechanicum aliquid*

humana ars molita est; quod gentiles capti sacrilegio mirarentur. Denique in templo quodam fuisse veneris fanum dicunt, ibique candelabrum & in eo lucernam sub diuo sic ardentem, ut eam nulla tempestas, nullus imber extinguere.] Transcripsit ex S. Augustino.

Hispanici auctores qui res S. Isidori Hispalensis Episcopi executi sunt, narrant, in sepulchro eius repertam fuisse candelam palmo oblongam, ferri duritiem & asperitatem tactu præ se ferentem, lapideam tamen, vel ex alia, ut credebatur, materia, perpetuo lumine ardentem, quæ nec consumeretur, nec exederetur, aut liqueceret: sed suauissimum spiraret odorem. Quæ nullo modo potuit extingui, nisi acri infuso aceto, aut vehementissimo inflatu. Aliam eiusmodi candelam Patavij in monumento quodam inuentam, videre est apud Cyriaci Anconitani Inscriptiones vetustatis. Putantur eiusmodi candelæ ex Asbesto lapide confectæ. At de Lucernis asbestinis in sepulchro S. Isidori repertis Tostatus Quæstione 19. in 21. Numerorum hæc prodit: Potest enim effici lucerna inextinguibilis aqua, vel aëri naturaliter, ut fecit Beatus Isidorus duas naturaliter, quæ post mortem eius, ad caput & pedes sepulchri ipsius permanserunt, quasi per ducentos annos: ita quod nihil de eis videretur consumptum: sed postea inde sublata sunt. Testatur hoc maiores, & ponit Iacobus de Voragine in Historia B. Isidori.]

Martinus Polonus lib. 4. Chronici: Huius Henrici II. Imperatoris, tempore, Roma cuiusdam gigantis corpus in sepulchro inuentum est incorruptum: cuius vulneris hiatus, ubi vulneratus fuerat, quatuor pedes & semis habebat: corpus vero altitudinem muri urbis superabat, Lucernaque ardens ad caput ipsius inuenta est, quæ nec statu extingui poterat, nec liquore: sed cum stylo foramine subter flammam facto, extincta est, per illud foramen aëre introducto. Hunc dicitur Turnus occidisse. Et hoc ipsius epitaphium fuit:

Filius Euandri Pallas quem Lancea Turni
Militis occidit, mole sua iacet hic.]

Hæc Martinus. Eadem etiam referunt innumer alij, ut S. Antoninus, Hermannus schedelius, Nauclerus, Krantzius, Christophorus Landinus in 10. Aeneidos, Tostatus Quæst. 19. in 21. Numerorum, Genebrardus.

Ludouicus Viues in lib. 21. de Ciuitate Dei, cap. 6. hæc ait: Erutum est sepulchrum memoria patrum, in quo ardebat lucerna condita ibi, ut ex inscriptione apparebat, supra millesimum, & quingentesimum annum: eaque tota extemplo, ut contrectari capta est, inter admotas manus friata, in tenuissimum abiit puluerem.]

Guilielmus Camdenus in Britannia, pag. 569. inquit: Fide tamen digni nobis retulerunt, cum patrum memoria monachorum ades diruerentur, [nimirum ab Henrico VIII] in crypto porticu adicula in qua Constantium Chlorum suum [Eboraci] fuisse opinio erat, lampadem ardentem repertam fuisse. Veteres enim auro in pinguedinis liquorem arte soluto, diutissime, & per multa secula arsurum ignem in sepulchris fuisse, scribit Laxius.]

Guido Pancirollos in Deperditis, Titulo de Oleo incomcombustibili ita disserit: Preparabant etiam veteres oleum incomcombustibile, quod nunquam consumebatur. Id nostra quoque ætate, sedente Paulo III. visum fuit, inuento scilicet sepulchro Tullie filie Ciceronis, in quo lucerna fuit etiam tum ardens, sed admissa aëre, extincta. Asferat autem annos plus minus, mille quingentos, quinquaginta.]

Melchior Guilandinus in Commentatio de Papy-

ro, Membro 6. pluribus de eodem oleo incomcombustibili, quod pluribus nominibus à Chymicis indigitatur, inquit: Hoc genere liquoris sunt lampades perpetuo ardentes: quod penitus incredibile videretur, nisi Hermolaus Barbarus, vir clarissimus, & de cuius fide nemo iure dubitauerit, libro Corollariorum quinto, & Franciscus Maturantius, homo eruditissimus, in Epistola ad Alphenum amicum, iam dudum testati fuissent, inueniri in subterraneis Italia monumentis lucernas perpetuo fulgore lucentes: qualis fuit illa Maximi Olybrij in agro Patavino iuxta oppidum Athesste eruta, quam arsisse supra mille & quingentos annos, tradit libri primi Antiquitatum Patavinarum calce Bernardinus Scardeonius, vir singulari cum doctrina, tum probitate admiranda.] Eadem habet Henricus Salmuth in Noris ad Guidonem Pancirollum, Titulo de Oleo incomcombustibili. Additque: olei autem sine Ignis istius perpetui dilucida extat descriptio apud Hieronymum Ruscelli, in egregio ipsius opere, cui titulus est, Le impresse Illustri, quem locum aliquando ex Italico Latine reddidimus.] De eadem Patavina Lucerna agit Delrius lib. 1. Magicarum, cap. 5. quæstion. 1. section. 1. volunt id dictum oleum viuum versibus illis statij:

Vulcano condita domus, quam subter eunti
Stagna sedent venis, oleoque madentia vino.

Ioannes Pineda lib. 12. Ecclesiastica Monarchia, cap. 1. § 4. auctor est, anno Domini 1443. reterato sepulchro Sanctissimæ martyris Catharinæ in Sina monte, repertam quoque fuisse lucernam ardentem luce perenni. Antiqui moris fuisse ut in sepulchris ac monumentis lucernæ perpetuo arderent, multis ex vetustate exemplis docet Ioannes Kirchmannus Lubecensis lib. 4. de Funeribus Romanorum, cap. 4. vide Pancirollum in Deperditis, Titulo de Exequiis mortuorum.

Nec mirum est, istius modi, naturæ, artisque opera effici posse, cum Plinius de quodam lini genere ista tradit lib. 19. cap. 1. Inuentum iam est etiam linum, quod ignibus non absumeretur. Vinum id vocant, ardentesque in focis coniuniorum ex eo vidimus mappas, Sordibus exustis splendentes igni magis, quam possint aquis. Regum inde funebres tunica, corporis fauillam ab reliquo seperant cinere. Nascitur in desertis adustisque sole India ubi non cadunt imbres, inter diras serpentes: assuescitque viuere ardendo, rarum inuentu, difficile tactu propter breuitatem. Rufus de cætero colas, splendet igni. Cum inuentum est, æquat pretia excellentium margaritarum. Vocatur autem à Grecis Asbestinum ex argumento naturæ. Anaxilais auctor est linco eo circumdata arbores, surdis ictibus, & qui non exardiantur, cadi. Ergo huic lino principatus in toto orbe.] Agunt de eodem lino Indico, seu viuo Cælius Rhodiginus lib. 18 Antiquarum Lectionum, cap. 31. Guido Pancirollus in Deperditis, Titulo, De Lino viuo, aut Asbestino, qui addit: Neronem mantile inde habuisse ferunt. Hodie non inuenitur.]

De hoc lini aut lanæ genere scripsisse videtur Marcus Paulus lib. 1. regionum Orientalium, cap. 47. agens enim de prouincia Orientis Chircbintala regis Tartarorum, hæc tradit: Est in hac prouincia mons in quo inueniuntur minere chalibis & audanici, itemque Salamandra, de quibus fit pannus, qui si in ignem proiectus fuerit, non comburi potest. Fit autem pannus ille de terra in hunc modum, ut quidam è sociis meis, vir singulari præditus industria, Curcifar nomine, Turchus, me edocuit, qui in prouincia illa mineralium operi præfuit: Inuenitur in monte illo minera quadam terra, quæ fila producit lanæ haud dissimilia, & hæc ad solem desiccata in mortario aëre teruntur, deinde lauantur: & quidquid terrenum illis adhæret, summuocatur: demum fila illa

illa sic purgata & attenuata, ut alia lana nentur, atque in pannum contextuntur. Et quando pannos illos volunt dealbare, proiciunt, eos ad horam in ignem, & tunc ex flammis illasi educuntur, nunc candidiores. Haud secus purgant eos, quando maculas aliquas contraxerint: nam lotura alia præter ignem non adhibetur illis. De Salamandra verò serpente, qui in igne vivere dicitur, nihil explorare potui in Orientalibus regionibus. Aunt, Roma mappam haberi ex Salamandra contextam, in qua sudarium Domini involutum retinetur, quam rex quidam Tartarorum Romano misit Pontifici.] Vide supra lib. 4. cap. 9. Quod vero Pancirollus annotavit, id genus Lini viui hodie non inueniri, testatur Ludouicus Viues in 21. de Ciuit. Dei cap. 6. hæc scribens: Nam esse talem lini speciem, quod ignibus non absumatur, Plinius tradit lib. 19. vinum id vocant, Græci Asbeston, ex argumento natura: qualia Parisiis vidimus ellychnia per multa ego, & Petrus Garsia Lalous condiscipulus mihi, & summa familiaritate coniunctissimus quale & in hac regione mantile medio conuincio igni datum, redditumque Domino mundius, splendensque quam posset aqua, & smegmatis quibuslibet: sicut se mappas vidisse Plinius testatur in idem experimentum.] Pierius Valerianus lib. 16. Hieroglyphicorum etiam scribit: Lino verò quod nonnulli Carpassum appellant, de quo Pausanias ardere id perpetuo ante Minervæ illius Simulacrum, quod Cælo, ut fama fuit, delapsum in Acropoli visebatur; Patavii ego pro ellychniis in lucernis aliquando usus sum: materia enim integra & incolumi perdurante, tam diu ardet quam diu oleo inпитum fuerit. Nascitur id inter venas aluminis, ac veluti densior quedam cartilago interspergitur, cuius modi sunt granatorum malorum inter sepimenta.]

Locum Pausaniæ in Atticis, Numero 24. Subiicio Et sacra quidem Minervæ cum urbs, tum regio Attica est uniuersa. Cursu enim & suos quæque Deos priuatim colunt, & Minervæ communiter diuinam rem faciunt. Omnium vero Sanctissimum Minervæ signum est, quod multis ante annis de communi omnium oppidorum consilio, cum in unam omnes urbem coirent, dedicatum est eo in loco, qui nunc Acropolis, id est, arx, tunc vero Polis, id est urbs nominabatur. Delapsum quidem de cælo fama vulgavit; sed mihi id neque affirmare, neque refellere in presentia in animo est. Lucernam ex auro Dea Callimachus fecit: in quam oleum infusum non consumitur; nisi exacto demum anno: cum tamen lucerna dies, noctesque ardeat. Id adeo evenit, quod lucerna inest è lino Carpasso funiculus: quod sane linum unum ex omnibus igni non conficitur.]

Adiungo alium Plutarchi locum de eodem lino asbestino, ex opusculo de Oraculorum defectu; Neque diu est quod Carystia rupes desit simul cum marmore proferre stamina quadam mollia, ac quasi fila lapidea, (existimo enim quosdam vestrum vidisse mantilia, retia, & involucria capitis ex ea materia confecta: quæ neque uruntur, & cum usu sordes contraxerunt, in ignem coniecta, nitorem, splendoremque suum recipiunt) plane enim desit, & vix graciles quadam tanquam fibræ, & quasi capilli eius materiæ per metalla discurrunt.] Et sub initium eius opusculi: Ergone res ea fefellerit reliquos homines, apud quos ignes coluntur, adseruanturque per temporis penè infinitum spatium?] Huc etiam pertinere videtur, quod de sepulchro Mycerini regis Egypti filia Herodotus lib. 2. numero 130. ait: Noctibus autem perpetuo incensa lucerna astat.]

Illæ quoque sunt admiranda opera naturæ, quæ subiciemus. Cicero libro 1. de diuinatione inquit: Fungebat Carneades in Chiorum lapidinis saxo diffuso,

caput extitisse Panisci. Credo, aliquam non dissimilem figuram, sed certe talem, ut eam factam à Scopa diceret. Sic enim profecto res habet, ut nunquam perfectè veritatem casus imitetur.] Plinius lib. 36. cap. 5. Sed in Pariorum lapidinis mirabile proditur, gleba lapidis unius cuneis diuidentium soluta, imaginem Sileni intus extitisse.] Et lib. 37. cap. 1. Pyrrhus rex namque habuisse traditur Achatem, in qua nouem Musæ & Apollo citharam tenens spectarentur: non arte sed sponte nature ita discurrentibus maculis, ut Musis quoque singulis sua redderentur insignia.] Et cap. 10. Et in India inuenta Achates pollent & alius magnus miraculis. Reddunt enim species fluminum, nemorum, & iumentorum: etiam effeda, & stercula, & equorum ornamenta.]

Theodorus Canterus lib. 1. Variarum lectionum, cap. 15. hæc annotat: Origenes in libro qui Philosophum non inscribitur inquit: Xenophanes Colophonius Orthomeni filius dixit, quod in lapidinis quæ sui prope Syracusas, inuenta essent aliquando piscium & Phocærum figura. In Paro quoque insula lauri imago in profundissima marmoris vena.]

Baptista Fulgosus lib. 1. Factorum, dictorumque memorabilium, cap. 6. sic ait: Albertus item Magnus affirmat, Venetus se regis caput diademate ornatum vidisse in marmore naturaliter, nullius artificis opera expressum, in quo frontis pars imperfecta videbatur. De alio item capite huic simili in urbe Mantua viso nostris temporibus, affirmatum est. In agro quoque Placentino temporibus nostris lapis Alabastrites inuentus est, in quo postea quam ad leuitatem suam per artifices peractus fuit, inter claritatem, obscuritatemque, quam lapis præ se fert, figura apparet mortui capitis humani, Item Bergomi in maiori fano in porphyrite lapide, qui ad Baptisteryi ornatum est depositus, tanquam picta serpens in orbem circumuoluta perspicitur.] Simon Maiolus Dialogo caniculari 14. Roma etiamnum in aula Palatina Regia in porphyrite Romani Pontificis vultus & capitis consuetum ornamentum absque artificis manu ingenuus conspicitur.] Guido Pancirollus in Deperditis, Titulo, de Lapidibus Pretiosis hæc scribit: Nam & Rauenne ad Sanctum Vitalem, marmor quoddam conspicitur, quod presbyterum Missæ sacrificio accinctum, & sanctissimam hostiam eleuantem exhibet. Hostiam illam Paulus III. Pontifex cum cultello rasit, ita eam depictam esse arbitratus: sed venas illas naturales fuisse deprehendit, à summi Dei maiestate ita profectas.] De figura rubi in lapidibus montis Sinai habes in Hebraicis nostris Notis ad 3. Exodi vers. 2. Sebastianus Munsterus libro 3. Cosmographiæ, pag. 431. de lapidinis Mansfeldensibus hæc prodit: Magnum licet ibi in natura videre miraculum. Est in ea regione lacus quidam magnus, longus & latus, & qualia ille viuæ animalia aquatilia producit, puta piscium species, ranas, & alia reptilia: tales figuras pingit & effingit, natura in cupropuro, in superficie petrarum mineralium, ut distincte cognoscere queas ex figura speciem animalis. Misit mihi unum eorum lapidum spectabilis & prudens vir Ioannes Hubinsaccus, in quo lapide huiusmodi piscis figura, qualem hic signavi, est deformata. Germani vocant Otruppam, & Treisam, habetque ingens hepar. Eiusmodi pictos lapides inueni quoque superiori anno Augusta apud Fuggeros, quum illorum antiquitates despicerem.] Hæc ille.

Et quoniam uti superius cap. 16. vidimus S. Ephraem inter miracula Antichristi recenser, quod insulas in mari ex vno in alium locum transferet: illud quoque magnum naturæ opus videtur, quod multi de insulis in mari, aut lacubus, fluitantibus prodidit Theophrastus Historiæ Plantarum lib. 4. c. 12. Insulis autem fluitantibus

fluitantibus, quæ in Orchomeno sunt, magnitudo utique multifaria. Sed quæ amplissima, ad ternorum ambitum stadiorum spectatur: At in Ægypto magna admodum coagmentantur.] Seneca lib. 3. Quæstionum Naturalium, cap. 25. Sunt enim multi lapides pumicosi & leues: ex quibus quæ constant insula in Lydia natant. Theophrastus est auctor. Ipse ad Cutilias natantem insulam vidi. Alia in Vadimonis lacu vehitur, alia in lacu Statoniensi. Cutiliarum insula & arbores habet, & herbas nutrit: tamen aqua sustinetur: & in banc atque illam partem non tantum vento impellitur, sed & aura. Nec unquam illi per diem & noctem in uno loco statio est: adeo mouetur leui flatu. Huic duplex causa est: Aquæ grauitas medicata, & ob hoc ponderosa: & ipsius insula materia veltabilis, quæ non est corporis solidi, quamuis arbores alat. Fortasse enim leues truncos, frondesque in lacu sparsas pinguis humor apprehendit, ac vinxit. Itaque etiam si quæ in illa saxa sunt, inuenies exesa & fistulosa: qualia sunt quæ duratus humor efficit, utique circa medicatorum fontium riuos: quæ ubi purgamenta aquarum coaluerunt, ex spuma solidantur. Necessario leue est, quod ex ventoso, inanique concretum est.] Subiicit his M. Antonius Muretus: Talem insulam parnam quidem, sed quæ tamen arbores habeat, & in qua & pecudes, & armenta pascantur, in via Tiburtina sæpe magna cum voluptate spectari.]

Plinius lib. 2. cap. 95. Quædam insula semper fluctuant, sicut in agro Cæcubo, & eodem Reatino, Mutiensi, Statoniensi: in Vadimonis lacu, & ad Cutilias aquas, opaca silua, quæ numquam die ac noctu eodem loco visitur. In Lydia quæ vocantur Calamina non ventis solum, sed etiam contis quo libeat, impulsæ, multorum ciuium Mitridatico bello salus. Sunt & in Nymphæo parne, Saltuares dictæ, quoniam in Symphonia cantu ad ictus modulantium pedum mouentur. In Tarquinesi lacu magno Italia, due nemora circumferunt, nunc triquetram figuram edentes, nunc rotundam complexu, ventis impellentibus: quadratam nunquam.]

Neque sanè minus mirum est, quod Baptista Fulgofus lib. 1. Factorum, dictorumque memorabilium, cap. 6. in hunc modum refert: Iuxta Sirmium Pannonia Vrbem interdum vitibus capreoli inesse reperti sunt vere aurei, confecta quæ est ex eo auro moneta. Quod ipsum multi præstantes viri temporibus nostris videre, ut illud negare nimium impudentis hominis habeatur.] Victor Palma in Appendice ad Chronographiam Genebrardi, anno Domini 1593. hæc annotat: Rostochij Saxonia in pulpito lapideo, natus est aut formatus vultus humanus, & manus etiam cum digitis extantibus, ex vera carne, nulla alia materia subiecta, quam ipso lapide: quæ facies & manus ad sudorem usque totius pulpiti lapidei se se vehementer exagitant. Ante Pascha in Silesia cuidam puero loco dentium puerilium qui cecidissent, enata est gingiua inferior tota ex puro auro: quod fuit omnibus ingenti miraculo. De hoc scripsit Iacobus Horest medicina lektor Helmeſtatenſis. Campana. Ipsi libelli Germania cum doctis viris abundet, de his prius admonita fuerat perdoctissimos suos Astrologos: contra quos tamen Physici contenderant in causarum disquisitione. Idem.]

Sed memorandum artis exemplum hic omisisse non possumus, quod Albertus Krantzius lib. 5. Danica, cap. 3. in hunc modum narrat: Cum Ericus interea iam reuersus in regnum, solemnem curia vteretur, multorumque militum simul & artificum industria delectaretur, aderat inter alios Musicus, qui artis eam peritiam tenere se diceret, ut homines in quoscunque vellet affectus vocaret: ex maestis letos, ex alacribus tristes, ex indignantibus placatos, ex placidis indignantes, & usque ad furorem insanientes sefacere iactaret. Atque

is, quod faciebat ista maiora, quæ se posse diceret, Regem experiundi fecit cupidissimum. Iamque panitebat artificem suæ iactantia: velletque non tam de se magna predicasse: quippe in Rege ista expendere, non sine periculo esse. Insuper, si minus quæ dixit, facto probasset, mendacemque se, fulemque haberi non sine discrimine formidabat. Orabat quos potuit, Regem ab eo desiderio auerterent. Sed nihil egit. Vbi vidit non se euasurum, quo minus impleteret quæ iactasset: orat exportari omnia arma, & quibus læsio possit inferri. Deinde ut extra sonum citharæ consistant nonnulli, qui possint adesse vocati, curauit: ereptamque manibus citharam capiti iubentur illidere canentis. Omnibus iam rite instructis, Regem cum paucis in aula reclusum aggreditur. Primum graui sono maiorem quemdam audientibus ingerebat: inde succinendo plausibilis, in lætitiā vertit, ut paululum abesset, quo minus iocabundi dissultarent. Tum modis acrioribus intentatus, indignationem quandam concitabat: quæ ubi inualuit, furere Regem, astantesque cernere erat. Mox signum dedit delitescentibus, ut introirent, Regemque iam sauiorem continerent. Illi primum ex condito cithara, Regem deinde aggrediuntur. Sed tantum fuit robur viri, ut pugno quosdam examinaret. Inde multis obrutus puluinaribus, ardor ille conuenit. Sed cum iam se in se recepisset, vehementer indoluit, sauisse in eos, quos habuit ante fidelissimos.] Hactenus Krantzius.

Sine fine opus esset cuncta naturæ, artisque rara & admiranda experimenta accuratius velle persequi: videri alia poterunt apud auctores, qui de Naturali & Artificiali Magia Commentarios integros condiderunt. Præ cæteris adeat Lector Michaellem Medicinam lib. 2. de Recta in Deum Fide cap. 7. Martinum Delrium lib. 1. Magicarum Disquisitionum.

CAPVT XXVIII.

Quanam ratione, vel arte Antichristus sua miracula sit effecturus: & quenam ex iis operibus esse poterunt vera ac realia: quenam vero falsa, ac Phantastica, vel mere duntaxat præstigia, ac sensuum Ludificationes.

Hanc ipsam rem disquirens S. Augustinus lib. 20. de ciuitate Dei, cap. 19. in hanc sententiam differit: Præsentia quippe Antichristi erit, sicut dictum est, secundum operationem Satana, in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacy, & in omni seductione iniquitatis iis, qui pereunt. Tunc enim soluetur satanas, & per illum Antichristum in omni sua virtute mirabiliter quidem, sed mendaciter operabitur. Quod solet ambigi, verum propterea dicta sint signa & prodigia mendacy, quoniam mortales sensus per phantasmata decepturus est, ut quod non facit, facere videatur. An quia illa ipsa etiam si erunt vera prodigia ad mendacium pertrahent credituros, non ea potuisse, nisi diuinitus fieri: virtutem diaboli nescientes: maxime quando tantam quantam nunquam habuit, accipiet potestatem. Non enim quando de calo ignis cecidit, & tantam familiam cum tantis gregibus pecorum Sancti Iob uno impetu absumpsit, & turbo irruens & domum deiiciens, filios eius occidit, phantasmata fuerunt: quæ tamen fuerunt opera Satana, cui Deus dederat hanc potestatem. Propter quid horum ergo dicta sint prodigia & signa mendacy, tunc potius apparebit.]

S. Thomas lib. 3. aduersus Gentes cap. 103. sapienter annotauit, plures effectus maxime mirabiles, atque

atque rarissimos, veros tamen ac reales fieri in rerum natura posse concursu, commissione, apratione naturalium causarum, interueniente tamen adminiculo & operatione vel demonum vel Angelorum, qui alioqui nequaquam effici poterunt ab vlllo hominum solis humanis viribus, aut artibus quamcumvis omnis naturæ & artis cognitione præstantissimo: ob multas sanè easque luculentas rationes. Primum quia seu boni, seu prauī Angeli possunt longius distita coniungere, metheora, & sublimiora seu remotiora attingere: in intima terræ viscera penetrare: marium profundissima subire: quæ humanæ vires præstare non possunt. Deinde, quod spiritus illi plurimas rerum virtutes ac facultates abstrusas & reconditas pernoscant, quàm homines, quorum longè est inferior rerum peritia. Insuper, quia ipsas notas & perspectas etiam hominibus naturæ vires & causas, possunt & norunt Angeli vel demones, pluribus, & magis extraordinariis & exquisitis, insolitisque modis inter se committere, aptare, disponere, quam homines sciant, aut possint: vti etiam videmus, ingeniosiores artifices mirabilia artis experimenta depromere. Denique, quia Angeli, demonesque propria qua vigent, ac pollent efficientia, longe sanè potentiores ac validiores, quam humana, possunt ac sciunt vires naturalium causarum adeo confouere, iuuare, augere, fortiores ac præualentiores reddere, vt opera quam maxime miranda edant: quod plane præstare nequeant homines. *Causa naturales inquit S. Thomas appositæ ad effectus aliquos producendos, aliquid virtutis sortuntur ex hoc quod sunt instrumenta spiritualium substantiarum. Et hoc magis accedit ad rationem miraculi.*

Atqui ex his facile despiciuntur, multos mirandos ac stupendos effectus, veros nihilominus & subsistentes posse homines virtute & subsidio demonum aut Angelorum perficere, quos ipsi per se solis humanis viribus nullo pacto edere possent. Sunt enim Substantiæ ipsæ spirituales naturæ vigore potentissimæ: quatum vires ac robora nisi Deus compesceret, & quasi iniecto fræno coerceret, maximis haud dubie cladibus ac calamitatibus orbem quassare possent: vt ex historia infortuniorum Sancti Iob, aliisque exemplis est cognitum.

Huiusce generis illa esse existimamus, Ingentes & violentissimos ignes, quasi è cælo ciere: commouere aërem maximis & fædissimis turbinibus, procellis, fulgoribus, fulminibus, tonitruis, grandinibus, imbribus: Fulgores, coruscationes, splendores, lumina accendere: Terram motu valido concutere: Montes collidere, ac inter se assultare: Maria sæuissimis tempestatibus turbare, agitare, propellere: Naufragia ingentia patrare: Pestes, mortes, grauissimosque morbos immittere, ac breui depellere: Remotissima & longe distita subito in præsentia sistere: corpora immania, & pondera immensa de loco in locum facile transferre: Montes transponere: Fera & immitia animantia cicurare, ac mansuoscere: venena quævis, atque ægritudines incurabiles breui tempore sanare: Infantes loqui disertissime facere variis linguis, ac de magnis scientiarum difficultatibus: multa animalia vocem humanam sonare: Demonia ex obsessis corporibus depellere: Ex vastissimis marium profunditatibus, & abditissimis terræ visceribus, aurum, argentum, gemmas, margaritas, & pretiosa quæque ac præstantissima eruere: Igneas & armatas acies in aere concurrentes ostendere: & id genus alia in elementis sane prodigiosa, & maxime mirifica designare. De quibus, ac demonum immani potentia differentem velim inspicias

Franciscum victoriam in Relectione de Magia.

Certum tamen & constitutum ex placitis veræ Theologiæ illud esse debet, Nec homines, nec demones, nec Angelos visola sua innata cum solo generali Dei concursu, verum vllum miraculum efficere posse: cum satis superque omnium Theologorum consensu liqueat, Miraculum opus esse supra omnium naturalium & creaturarum vires ac facultates seu cognititas seu occultas, singulari ac supernaturali Dei virtute confectum. Vide de his Martinum Delrium lib. 2. Magicarum, Quæstione 7.

Compertum quoque illud est, nec demones nec Angelos, etiam in vnum collatis omnium viribus posse Solem, aut cælum sistere, aut à suo cursu detinere, aut retro agere, aut contrario motu ciere: aut totam simul terram ex suo loco in alium demutare: vel integrum aliud elementum de naturali suo loco ad alium transferre. Quia hoc est naturalis connectio & ordo totius vniuersi, aduersus quem nulla creata causa quantumvis potens, suis viribus potest. Sicut etiam si omnium Angelorum, demonumque vires in vnum conflarentur, non possent efficere spatium aliquod vacuum in rerum natura: nam quamuis possent hunc aërem ex isto spatio tollere: at non possent omnes simul obistere, quo minus alius aër vel aliud corpus in locum prioris succederet: Nec possunt duo corpora in eodem loco, vel vnum corpus simul in diuersis locis constituere: nec aliquod corpus de loco ad locum transferre nisi per medium: Nec cælum reuera discindere, aut dissepescere. Hæc omnia præclare docentur à S. Thoma De Potentia, Quæstione 16. Articulo 8. & 10. De quibus quoque fusè agit Delrius lib. 2. Magicarum, Quæstione 10. & 11. Imò nec Angelos aut demones posse occultas cogitationes cordium inspicere aut patefacere, idem S. Thomas perspicue docet 1. Parte, Quæst. 57. Art. 4. Sic igitur maneat exploratum, nullam creaturam suis viribus supra illas efferre se posse: sed soli diuinæ virtuti in solidam adscribi miraculorum patrationem, iuxta illud Dauidis oraculum: *Qui facis mirabilia magna solus.*

Hinc quoque accipimus, veras mortuorum hominum in vitam reuocationes, id est, resurrectiones, imò neque brutorum quorumcumque animantium viuificationes post mortem, vlla humana, aut demoniaca, aut Angelica virtute effici posse. Nimirum quod substantialis forma viuientis, semel extincta, seu rationalis anima semel à corpore reuera separata eadem numero redeat in materiam, vel in corpus, nulla creata vi præstari potest. Imò quidem ne muscam verè mortuam possint vel demones vel Angeli in vnum omnium coniunctis viribus eandem numero vitæ restituere. Possunt quidem illi adhibitis naturalibus agentibus, quod aiunt, applicando actiua passiuas, res aliquas, vt mixta inanima, & animata etiam imperfecta, quæ alioqui ex putrefactione quoque iterum generantur, breuissimo tempore putrefacere, ac dissoluere: sicque materiam aptare ac disponere, vt virtute solis, aut alterius efficientis naturalis noua inducatur forma: quemadmodum Pharaonis Magi ex virgis confecere serpentes: & id genus alia quasi momento patrare: at formam, vel dissipatam, eandem numero instaurare, vel à materia se iunctam, vt animam rationis participem, eidem corpori substantialiter & internè coniungere, neutiquam possunt: quod hæc in creata natura rerum nullas omnino causas habere certum sit. Vide de his latius S. Thomam Prima Parte, Quæst. 114. Art. 4. ad 2. & Martinum Delrium lib. 2. Magicarum, Quæst. 29.

Porro metamorphoses, hoc est, reales & veras transforma

transformationes naturarum, corporumque viuientium inter se, vt quod homo mutetur in bestiam, vel hoc brutum in aliud, constat etiam nulla vi humana, demoniaca, angelica, aut creata effici posse. Non enim queunt demones, aut Angeli naturales rerum formas conseruare sine innatis dispositionibus: at conformatio, & partium, membrorumque compages, quam in animantibus organisationem vocant, est natua, necessariaque dispositio, sine qua non potest anima in corpore conseruari. Quo circa nequam poterit demon, manente anima, immutare formam & organizationem hominis, in animantis aut bestiae alterius imaginem: aut vnius bruti figuram, eadem manente anima, in alterius formam seu effigiem transfundere, quae est vera metamorphosis. Vnde prudentissimè S. Thomas 1. Parte, Quaest. 114. Art. 4. ad 2. inquit: *Ille vero transmutationes corporaliū rerum, quae non possunt virtute natura fieri, nullo modo operatione demonum secundum rei veritatem perfici possunt. Sicut quod corpus humanum mutetur in corpus bestiale, aut quod corpus hominis mortuum reuiuifcat. Et si aliquando aliquid tale operatione demonum fieri videatur, hoc non est secundum rei veritatem, sed secundum apparentiam tantum. Quod quidem potest dupliciter contingere. Vno modo ab interiori, secundum quod demon potest mutare phantasiam hominis, & etiam sensus corporeos, vt aliquid videatur aliter quam sit. Et hoc etiam interdum fieri dicitur virtute aliquarum rerum corporaliū. Alio modo ab exteriori. Cum enim ipse possit formare corpus ex aëre cuiuscumque formae & figurae, vt illud assumens in eo visibiliter appareat: potest eadem ratione circumponere cuiuscumque rei corporeae quamcumque formam corpoream, vt in eius specie videatur. Et hoc est, quod Augustinus dicit 18. de Ciuitate Dei.] Locum integrum S. Augustini descripsimus superius cap. 20. vbi etiam & sequenti cap. 21. fuisse egimus de transformationibus. De quibus quoque vide Martinum Delrium lib. 2. Magicarum Quaest. 18.*

Scimus quidem quorundam animantium naturales fieri mirabiles transformationes, vt Chrysalides, id est, aureliae sunt ex crucis: papiliones verò ex Aureliis, vti Aristoteles lib. 5. Historiae Animalium, cap. 9. Plinius lib. 11. cap. 32. & alij docent. Et quem latent stupendae profecto vermiculi Bombycis metamorphoses? De animali vero quodam in Iaponiorum insulis mira admodum sunt quae referunt Iesuitarum Epistolae: Forma quidem canem referre, molliſſimo pilo, carnibus ad vescendum suauissimis, certo anni tempore maris littora plurimum frequentare, innatare, se mersare, ac ita cum aquis colludere, quousque paulatim per membra piscis fieri incipiens, tandem exuta penitus terrestres animantis forma, totus in verum piscem euadat, aquisque se condat. Vide Peterium lib. 5. in Daniel. ad illud Daniel. 4. *Cor eius ab humano commutetur.* Et vero eiusmodi transmutationes demon per se, sine ope naturae efficere nequit.

Insuper demones, hominesque interdum quosdam repraesentant effectus sane mirabiles, at non veros ac subsistentes, sed phantasticos dumtaxat & praestigiosos: nimirum cum arte recondita inania quaedam & cassa rerum simulachra componunt: aut ita aciem oculorum obtundunt ac perturbant vt res verae ac permanentes hominibus videantur, cum tamen reipsa nihil minus sint. Qua fallendi arte nihil magis curatur, quam vt sensus ac praecipue videndi facultas praestigiis despiciantur, ac ludificentur: nimirum, vel obiectis & conformatis euanidis vmbis, & rerum inanibus speciebus: vel sensibus immutatis,

vt nuper ex S. Thoma obseruabamus. Nec mirum est eiusmodi à demonibus posse praestari, cum passim cernamus circumforaneos circulatores arte illa exercitatissima, & celerrimo manuum tractu atque agitatione, defixum & harentem in res obtutum, variis praestigiis eludere: vt quum quis panem edit, sicissimam statim farinam à cunctis expuere iudicatur: Qui vinum hausit, mox per terebratum frontem, aut etiam per iugulum idem vinum refundere videatur: Ingenti deinde spectantium metu & admiratione gladij vorantur: Scintillae euomuntur: Et vittarum innumerabiles vnae ex ore quasi ex pectoris profundo extrahuntur: Spuitur interdum ingens nummorum vis: Subito apparent horti, arbores: Media hieme extenditur per triclinium amplissima vtis viuis onusta: Conuiuae apparent capitibus truncati, vel asinina facie: Flumina immittuntur de repente in atria, & iis similia alia miranda designantur, quae cum certum sit humana confici arte, eaque de re extare libros conscriptos ab eiusmodi curiositatum sectatoribus: quid putandum in hac parte non plus valituram cacodemonum industriam & efficacitatem? Vide Ludouicum Viuem lib. 10. de Ciuitate Dei, cap. 16. Huiusce plane metalli censendum totum illum auri, argenti, variaeque suppellectilis pretiosum apparatus, quo à Lamia exceptus fuit Menippus Lycius, de quo egimus lib. 7. cap. 8. item cenam illam magnificam ac splendidam à Numa hospitibus appositam, quam descripsimus lib. 7. ca. 7. & id genus alia, Posse siquidem demones aëreas atque euanidas vmbas ex aëre, vaporibus, aliaque facili & obuia materia conformare, quae res viuas ac solidas mirificè exprimant: tum etiam sensuum, acierumque vim praestingere, vt vera ac solida iudicentur quae oculis cernuntur, cum tamen re ipsa sint cassa & inania, iam superius ex S. Thoma, & communi Theologorum doctrina demonstrauimus. De quibus etiam vide Martinum Delrium Magicarum Disquisitionum lib. 2. Quaest. 8. & 9.

Iam igitur luculenter à nobis explicato, quanam miranda opera naturae, artisque viribus, ac praepotenti demonum operatione confici possunt: Quanam vero, non: vno verbo affirmamus, Antichristum tanta magia cum naturali, cum artificiali, tum etiam demoniaca, qua praeter ceteris mortalibus pollebit, vel effecturum, vel ad efficiendum illi vires abunde haud defuturas, quoscumque veros, reales, & subsistentes effectus, qui vel demonum, vel hominum, vel arte, vel operatione, commissione causarum creaturarum re ipsa patrari possunt. Quae vero naturae creaturae totum ordinem excedunt, & vires cum naturae, cum artis hominum & demonum superant, reuera efficere non poterit. Quae si videbitur operari, proculdubio erunt merae praestigiae, nimirum, vel obiectis vanis & cassis rerum vmbis, vel sensibus & oculis intuentium immutatis, & illis, vti ex S. Thoma supra docebamus: nunquam tamen veri & reales effectus. Nec dubitamus complura eorum quae vi demoniaca, reuera confici poterunt, Antichristum, aliquando verè, aliquando praestigiosè, vt libuerit effecturum.

Sed quod peculiariter ad mortuorum resurrectiones spectat, Auctor nomine S. Athanasij, Quaestione 109. ad Antiochum haec annotat: *Afferunt quidam, possibile non fore, vt Antichristus exsuscitet à mortuis hominem, etiam si reliqua faciat omnia. Responso. Quod Apostolus de Antichristo dicit, eum se se exhibiturum in omnibus signis & virtutibus mendacis, liquet, quod etiam mortuum à se excitatum ostentabit: id autem non verè, sed tantum in phantasia.] Biffariam praestare potest Demon, vt aliquis verè resurrexisset videatur, primò vt occultato aut sublato de medio vero defuncti corpore*

pore, ipse aliud æreum & phantasticum illi simile conformet, & substituatur, atque in eo opera vitæ exercere videatur, ut faciunt Angeli in corporibus assumptis, dum apparent ut homines. Secundo, ut ipsum verum hominis cadauer subeat aliquis demon, non tanquam animans aut informans, sed ipsum utcumque fouens, sustentans, & in eo opera vitæ obiens. Sed in his semper indicia falsi apparent, nempe langor, pallor, macies lutida, quod demon nativum vigorem & florem corporis humani conferuare diu saltem non possit. Huiusce generis duo exempla substituam admiranda. Primum narrat Delrius Magicarum lib. 2. Quæst. 29. Sectione 1. in hunc modum: *Possunt etiam Magi ex pacto, per superiores demones cogere inferiores, ut cadauer ingreffi, illud gestent, moueant, ceteraque ad tempus faciant, quibus videatur viuere. Ut factum Louanij à Cornelio Agrippa. Is commensalem habebat nimis curiosum. Semel profectus aliquo Agrippa uxori, quam postea repudiavit, Clauus Musæ sui tradidit, addita prohibitione, ne quem ingredi sineret. Inconsultus iste adolescens, opportunè inopportune non destitit mulierculam deprecari, sibi copiam ingrediendi ut faceret, donec impetravit. Musæum ingressus, incidit in libellum coniurationum: legit, et illi pulsatio ad ianuam, turbatur, sed pergit legere, pulsat iterum nescio quis: & nihil respondente rudi harum rerum iuvene, demon ingreditur, querit, cur vocatus? quid fieri iubeat? isti metus vocem intercludit, fauces demon: Sic miser luit penam nefaria curiositatis. Redit interea domum archimagus, videt exultantes super eam demones, vititur solitis artibus: adsunt vocati, narrant rem, ut gesta: ille homicida iubet cadauer ingredi, & per forum, ubi ceteri solebant studiosi frequentius conuenire, aliquoties obambulare, tandemque corpus deserere. Ambulant ille ter, quaterue, tum corpus concidit diffugiente eo qui regebat. Creditum diu, hunc subita correptum morte concidisse: sed indicia suffocationis initio rem suspectam facere, postea tempus omnia diuulgant, & Agrippa quas pectore occultauerat hæreses, in Lotharingiam profugus capit euomere.]*

Alterum describit Nicolaus Remigius lib. 2. Demonolatriæ, cap. 1. quod acciderit Dalhemij in Lotharingia anno 1581. in hæc verba: *Rarum & singulare est in hanc sententiam Petronij armentarij factum in Periocha ita descriptum, ut hic non queat cumulatius. Nam ut eum succuba Abrabel [dæmon nempe] re expertura, quam de obsequendo verbis fidem dederat, ad vnicuique horrendam cadem impulerit: ut eius desiderium impotentius ferenti, ipsoque parricidij horrore penè ad insaniam adactò, sponderit vitam se puero redditurum, si id se supplex, ac venerabundus rogaret: ut iterata in speciem vita, euentisq; naturæ functionibus, atque officiis cum sibi prodigiose superstitem per annum integrum ostenderit: ut denique nulla prius tentatum valetudine, mors illum denico occupauerit, reliqueritque confestim, fetore adeo grauem, ut nisi eminus, adeoque compressis naribus affici potuerit: illic & singillatim & copiose demonstratum est.] Et quia Remigij Carminum libros typographi ab eius opere Demonolatriæ detraxerunt, totam eam Periocham, quæ horrendum id factum decantabat, Delrius exscripsit lib. 2. Magicarum, Quæst. 29. Sectione 2. ex qua illos tantum hic versus inferemus, qui fictam & euentitiam pueri resurrectionem continent.*

*Restabat tumulo proiectum terga cadauer
Extremum fugiens ubi vita reliquerat illud,
Et maturabat funus tardissima mater:
Ecce manus inter tractantis visa moueri
Membra, suoque iterum sensim superare calore,
Lumina semianimes deiectis qualia ocellis*

*Monstrant, vel quæ vix somno se mersa resolvunt.
Hæc instaurata præter spem signa salutis
Arripiunt animis hilares, quantaque fouendo
Sedulitate queunt, prostratos viribus artus
Nunc hos, nunc illos reuocant ad munia vitæ.
Surgit, inque pedes se extemplo dat puer, inferi
Deinde gradum, & nota compellat voce parentes.
Solum ab eo varius, quem se monstrauerat olim:
Quod turpi contracta cutis macie offerat ora,
Quodque recedentes oculos stupor occupat ater.
Hæc igitur specie desertos hospita sensus
Vita animat rursus, suetasque redintegrat auras:
Viribus ut quondam intercepta est luce potitus.
Sed non mens eadem sedet, & non qui ante fouebat
Spiritus officio vitam molitur eodem:
Verum agitat pigram vitæ sub imagine molem
Organicus demon, moresque imitatur agendo:
Spirans quos olim præ se natura ferebat.
Tandem quoque se se in sua terga reuoluerat annus,
Momento & solidum cursu compleuerat orbem,
Deserta vacuas sedes statione relinquens,
Sulphureo nidore fugam, strepituque fragoso
Prodidit, atque olidas pulsans erupit in auras.
Tumruit auersum geminata morte cadauer.*

Consequitur putris, tantaque grauedine fautor.
Eiusmodi sane erunt, uti prædiximus, resurrectiones mortuorum, quas edere videbitur Antichristus, vel suppositione corporis phantastici, vel substitutione demonis in cadauer. Quo etiam loco habendæ quoque erunt corporum transformationes, quas Antichristus efficiet: nullæ enim erunt veræ: sed purè præstigiæ, iis nempe modis, quos superius ex S. Thoma explicabamus. Ad eum prorsus modum, quo magus quidam pudicam mulierem in equam verterat: quæ cum omnibus equa videretur, S. Macario tamen non equa. Sed femina uti erat, cernebatur: sed magi præstigias S. Abbatem mox euertisse, Palladius pluribus describit in Lausiaca, cap. 19.

At quod ad transformationes corporum attinet, nolimus prætermittere quod Abrahamus Ortelius Russiam prouinciam Sciographica Tabula exprimens, ad initia Occidentalia Tartariæ, varias hominum, Camelorum, iumentorum, pecorum, aliarumque rerum formas depingit, hoc adposito scolio: *Hæc Saxa, hominum, camelorum, pecorumque, ceterarumque rerum formas referentia, Herda populi greges pascentis, armentaque fuit. Quæ stupenda quadam metamorphosi repente in saxa riguit, priori forma nulla in parte diminuta. Euenit hoc prodigium annis circiter CCC retro elapsis.]* Hæc si vera sunt, manifesta aliqua hinc videtur Dei vindicta, ob scelus aliquod inflicta: qualis illa fuit vxoris Loth in statuam salis conuersæ.

CAPVT XXIX.

Elucidatur Pauli locus 2. Thessalonicens. 2. 9. de miraculis Antichristi: *Cuius est aduentus secundum operationem Satanae, in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis his qui pereunt.*

ADuersus stupenda ac plane exitalia Antichristi miracula magno nos Paulus hoc præmunuit antidoto, ut non decipiamur. Cuius est aduentus. Parusia, verti etiam potest, presentia. Ut etiam legit S. Augustinus lib. 20. de Ciuitate Dei, cap. 19. existimo vniuersè intelligere Apostolum de Antichristi in mundum

mundum aduentu & præsentiali, à die qua concipietur, usque ad plenam eius Monarchiam, & interitum: ut conceptio, natiuitas, tota vita, & actiones, regnum, monarchia, omnia eius opera, nomine paruit à Paulo comprehensa fuerint. *Secundum operationem Satanae* S. Cyprianus, seu potius Rufinus in expositione Symboli, *Secundum opera satanae*. Victorinus in Apocalypsim, *secundum efficaciam satanae*. Habetque multiplicem sensum. Primo Antichristus veniet, prodibit in mundum, rerum potietur, tot horrenda & atrocia patrabit, maxime annitente, agente & operante satana, secundum illud Apocalyp. 20. 7. *Soluetur satanas de carcere suo ad seducendas omnes gentes*. Per Antichristum. Toto hoc opere abundè docemus, conceptum, ortum, vitæ progressum, Imperium, opes, opera omnia Antichristi vberissima constare & præpotenti Satanae operatione, & efficientia, in quo diabolus vim omnem suam validissime exercuerit. Secundo, Antichristus quum veniet, non sua, sed Satanae potissimum operatione, virtute, efficacia, omnia sua conficiet opera: erit selectissimum sane organum, per quem veluti per aptissimum instrumentum satanas magna & horrenda conficiet. Veniet Antichristus omni virtute & potestate satanae instructissimus. Theophylactus: *Satanam in sese habens, per se operantem*.] Oecumenius: *Antichristi aduentus erit secundum operationem satanae: nam per medium eius omnia operabitur*.] ut sit illud Daniel. 8. 24. *Et roborabitur fortitudo eius, sed non in viribus suis*. Tertio, ut sit Hebraeus, ac si dicat: in cuius aduentu operabitur maxime satanas, vim suam exeret, omnes neruos intendet, nunquam tam laxæ ac effusæ ad molienda quæque praua ei permittentur habenæ, ut in aduentu Antichristi. Tres istos sensus ex interpretibus discas.

In omni virtute. Græcè δυνάμει, in omni potentia, ut se nimirum Deum omnipotentem iactet, & mentiatur. Primo, in omni potentia, sæculari, hoc est, cum omni Imperio, Monarchia, potestate, opibus diuitiis, fastu, superbia regia &c. è diametro Christi, qui totam suam Oeconomiam in paupertate, & summa humilitate compleuit. Ita Anselmus Laudunensis, S. Thomas, Caietanus, Iustinianus, & alij, voluntque esse illud Apocalyp. 13. 2. *Et dedit illi [Antichristo] draco [satanas] virtutem suam, & potestatem magnam*. Et vers. 7. *Et data est illi potestas in omnem tribum, & populum, & linguam, & gentem: & adorauerunt eam omnes qui habitant terram*. Secundo, in omni potentia, seu virtute miraculorum, id est, cum omni potestate edendi ingentia miracula, nam hanc potentiam magis quam omnes alij habere videbitur. Ita Theophylactus, oecumenius, Anselmus Lyranus, Titelmanus, Estius, & alij.

Et signis, & prodigiis. S. Irenæus lib. 5. aduersus Hæreses cap. 25. Tertullianus de Resurrectione carnis, cap. 24. *signis & portentis*. S. Anselmus, Laudunensis, S. Thomas, & alij annotarunt, hoc interesse inter signa & prodigia, quod signa sint parua seu minora: prodigia vero maiora, & maxima miracula. *Prodigium*, inquit S. Thomas, *quasi procul digito, seu à digito, dictum*.] Festus & Grammatici, prodigium dictum putant, quasi prodicium, à prodicendo, vel prædicendo. Arbitramur hæc non magis inter se differre, quam apud Hebræos ΟΤΗ, & ΜΟΡΗΤΗ, nimirum illud latius patere, quam hoc, quasi dicas signum & prodigium: quamuis sæpius confundantur: de quibus late differit Ioannes Drusus cap. 69. in Deuteronomium: Caietanus hic signa ad curationes & sanitates: prodigia vero ad apparentia in elementis miracula adstringit. Ego existimo Paulum trige-

minis vocibus, virtute, signis, prodigiis, eiusdem fermè significatus, indicare voluisse Antichristum omnis generis multa, & maxime miranda effecturum miracula, quæ facile homines in errorem adducant.

Mendacibus. Græca, *mendacij*. Ut etiam habent Ambrosiaster hic, Primasius in 13. Apocalyp. S. Prosper in Dimidio temporis, cap. 6. Syriaca, *erroris* S. Irenæus, *mendaciorum*, ampliori significato, quasi dicat, mendacissimis. Auctor nomine S. Hieronymi, qui putatur Pelagius, ex quo Primasius & Sedulius acceperunt, signa & prodigia mendacia interpretatur, quia erunt per phantasmam simulationemque virtutum. Theodoretus eodem inclinat, cum notat, futuras meras præstigias. S. Chrysostomus, Theophylactus, Oecumenius, Strabus, Isidorus, Clarius, Catharinus, Scainus, Iustinianus, Estius, Cornelius à Lapide, & alij, sub disunctione interpretantur, signa & prodigia mendacia: vel quia erunt vana, ficta, & phantastica opera, seu sensuum præstigia: vel quia etsi vera & solida opera erunt, tamen ad mendacium, erroremque homines pertrahent, nimirum ut credant Antichristo. S. Chrysostomus: *Et prodigiis, inquit, mendacij, aut ementitis & ludificantibus; aut ad mendacium inducentibus*.] Theophylactus: *omnem exhibebit: omnia enim ad imposturam vergent. Prodigiis enim mendacibus, siue mendacij, hoc est, vanis & mentitis, vel ad mendacium ducentibus eos qui hisce accommodauerint aurem*.] Oecumenius: *omnem inquit ostendet potentiam. Mendacij autem, vel quod iuxta phantasmam dumtaxat facturus sit, & faller oculos: vel quia ad mendacium ducant. Aut in omni re qua fallere possit ac nocere credentibus. Aut sicut dictum est, ad solam phantasmam & apparentiam facturus est signa*.] Nec ab his abludit S. Augustinus lib. 20. de Ciuitate Dei, cap. 19. Cuius verba posuimus supra initio capitis 20. vide Viegam in 13. Apocalyp. Comment. 2. Sectione 11. Cæterum Theodoretus, S. Thomas, Caietanus, Titelmanus, Estius, Iustinianus, Cornelius à Lapide in hunc locum, Iansenius in cap. 123. Commentariorum in concordiam Euangelicam, Bellarminus lib. 3. de Romano Pontifice, cap. 15. Pererius lib. 14. in Daniele, Becanus de Antichristo Reformato, cap. 9. Lessius de Antichristo. Demonstratione 10. & innumeri alij, perite existimant, Antichristi signa & prodigia dici à Paulo mendacia, vel quia interdum non erunt nisi phantastica, & euania opera, seu meræ præstigia, & sensuum ludibria: vel quia etsi aliquando vera opera erunt, realia, solida, & substantia, numquam erunt vera miracula, supernaturali Dei virtute, præter omnem ordinem & facultatem vniuersæ naturæ creatæ effecta: semper tamen, & quæuis, & quocumque modo facta, erunt ad fraudem, dolum, deceptionem comparata, ut nimirum homines credant mendacio, id est, Antichristo. Nam Antichristus & sui ea omnia tanquam vera miracula venditabunt, & haberi volent, cum reuera nihil minus sint futura. Vide Acoftam lib. 2. de Nouissimis Temporibus, cap. 19. & Suarem Tomo 2. Disput. 54. Sectione 4.

S. Cyrillus Ierosolimitanus Catechesi 15. pulchrè hunc Pauli locum ita enarrat: *Quis autem hic Antichristus est, & de qua operatione, interpretare nobis Paulus: Cuius est, inquit, aduentus per operationem satana in omni potentia, & signis & portentis falsis. Hoc innuens, quod satanas illo ipso vteretur organo, sua persona per illum operans. Sciens satan quod non futura sit illi condonatio in iudicio, non iam amplius per suos ministros, ut consueuerat, sed per se ipsum deinceps manifestius pugnabit, in omnibus signis & portentis falsis. Pater enim cum ipse sit mendacij, non nisi opera mendacij effinger, ut magnificè*

magnifice videatur mortuos excitare, & claudos sanare, & cæcos illuminare, cum tamen reuera non fiat sanatio.]

Quin & Hugo Etherianus De Regressu Animarum ab inferis, cap. 23. in eundem Pauli locum ita Philosophatur: Illius quidem Antichristi aduentus erit secundum operationem satana, in omni virtute, & signis & prodigiis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis, iis qui peribunt: eo quod charitatem veritatis non receperunt, ut salui fierent. Quippe operatio illius non in veritate, sed in falsitate erit. Magica enim arte homines eludet, & phantasia, ut Simon Magnus fecisse credendus est. Qui quod non faciebat, facere videbatur. Multa & insueta faciet satana Antichristus tunc sortito, docente semitas omnis erroris, omnis, figmenti, omnisque Deo aduersi. Inde est, quod minis, blanditiis, & omnibus modis seducet eos, qui dediti sunt animalibus affectibus. Omnia igitur quæ facturæ sunt Antichristus, aut phantastica erunt illusiones, mendaciæ cuiuslibet plena, aut ludibria falsas insanas inferentia perituris.]

Et vero tantus consensus Orthodoxorum quem descripsimus cap. 26. asserentium miracula omnia Antichristi falsa & mendacia futura, aliunde sanè acceptus non est, quam ex perspicuis & expressis hisce Pauli verbis. Verum illud scitè annotatum à Feu-ardentio in lib. 5. S. Irenæi, cap. 28. Bellarmino, Becano, Cornelio à Lapide, aliisque signa & prodigia Antichristi mendacia à Paulo vocari, ratione omnium causarum. Materiæ, quia multa illorum erunt phantastica & inania, aut meræ sensuum præstigiæ & deceptiones. Formæ, quia nullum eorum erit verum miraculum, diuina & supernaturali virtute supra omnem naturæ creaturæ cursum effectum. Efficientis, quia à patre omnis mendaciæ, diabolo, & à diaboli filio Antichristo summo impostore edentur. Finis, quia cuncta non alium finem aut scopum collimabunt, nisi ut veritas & Christus excludatur, recipiatur autem mendacium, falsitas, Antichristus. Vnde fructum miraculorum Antichristi Paulus diserte illis verbis expressit: & in omni seductione iniquitatis iis qui pereunt. Gracè & in omni deceptione iniustitia in pereuntibus: quasi dicat, nedum innumera & ingentia patrabit miracula, ad coniciendos homines in fraudem & errorem: sed etiam quibuscumque artibus & modis, siue blanditiis, largitionibus, honoribus, delitiis, siue minis, & terroribus poterit, conabitur decipere & pertrahere homines ad omnem iniustitiam, iniquitatem, & impietatem. Sed id non poterit in electis, & filiis Dei, probis & fidelibus: sed in impiis, à Deo alienis, & æterna morte perituris. Pulchre Theophylactus: Horribilis erit undique, ex potestate, ex crudelitate omnia faciens, ut imponat, atque iniuriam inferat mortalibus, salutem ipsorum vastans. Ut ne vero quis ambigens querat, Cur ergo permisit eum Deus venire, cum tantum sit incommodi daturus mortalibus? Subdit: Ne metuas: in pereuntibus enim fortis est atque robustus. Oecumenius: Ne terrearis cum hac de illo audis: nam in his qui pereunt, potentiam habebit.]

* *

Tom. II. de Antichristo.

CAP V T XXX.

Miraculum Antichristi, quo se simulabit mortuum, ac mox resurgere.

Omnia quæ vnquam Antichristus effecturus est, miraculorum maximum, illud profecto suorum sectatorum consensu, reputabitur, quo finget se mortuum, ac postea virtute sua se in vitam reuocare videbitur. De quo Ioannes Apocalypf. 1. 3. ita refert: Et vidi vnum de capitibus Bestiæ, quasi occisum in mortem: & plaga mortis eius curata est. Et admirata est vniuersa terra post Bestiam. Hanc Bestiam proculdubio Antichristum intelligi, lib. 5. cap. 26. & 27. copiosè demonstrauimus. Victorinus in Apocalypsim, Neronem credens futurum verum Antichristum, caput Bestiæ quasi occisum in mortem, cuius plaga mortis curata sit, Neronem ipsum interpretatur: qui scilicet tametsi visus sit seipsum interficere: at hunc suscitatum à mortuis, & mortis eius plaga curata, mittet Dominus Antichristum Iudæis dignum. At de Victorini sententia abundè differuimus, lib. 1. cap. 21. Eos vero qui de quodam filio Chosrois Persarum regis, qui in conflictu cum Heraclio Imperatore, vulnus acceperit, nec tamen occisus sit, hunc locum exponunt, accuratè refutauimus lib. 5. cap. 26. Verum illa communior & receptior huius vaticinij habetur explanatio, qua plerique existimant, Ioannem hîc prædixisse: Quia Christiani tantopere celebrant Christi Domini Resurrectionem, eamque miraculorum maximum prædicant: Antichristum etiam, ne ipse in hac parte reperitur inferior, palam vociferaturum Christi resurrectionem falsam ac euentitiam, & merum fuisse figmentum, in angulo & nocte gestum, sine testibus & fide: se vero, ut quam sit Deo Christianorum melior & potentior totus mundus agnoscat: publicè, in medio foro, in mero meridie, cunctis spectantibus, moriturum, ac mox resurrecturum, palam & in conspectu omnium. Opera ergo dæmonum, & funesta quæ pollebit magia, sic sibi sensus omnes sistet, sopietque, vel certè tam validas præstigiæ concinnabit, ut omnibus per triduum vere mortuus proculdubio appareat: tertia vero die postquam eum omnes mortuum crediderint, se ipse in vitam reuocabit, circumfusus vndique radianti lumine, & splendore mirifico. Quo tanto viso miraculo, omnes præsentés, extra se præ nimia admiratione & stupore rapti, ad quiduis in eius gratiam & credendum & faciendum se promptissimos exhibebunt. Nihil enim potentius atque robustius hominum corda permouebit, nihil efficacius eadem adiget ad firmandam de Antichristo falsam illam diuinitatis opinionem & fidem, quam adeo nouum, rarum, magnum mortui resurgentis spectaculum. Atqui rectè obseruant dictum à Ioanne, quasi occisum in mortem, quod non verè mortuus, sed specietenus tantum Antichristus esse videbitur. Et admirata est vniuersa terra post Bestiam, quia totus mundus tanto miraculo stupefactus, post Antichristum abibit, eum ut verum Deum colet & adorabit.

Ita quidem hunc locum de morte & resurrectione Antichristi ficta, simulata, euentita plerique Patres exposuerunt. S. Gregorius lib. 11. Epistola 3. Antichristus veniens, diem Sabbatum atque Dominicum ab omni faciet opere custodiri. Quia enim mori se & resurgere simulat, haberi in veneratione vult Dominicum diem, &c.] Primasius: Vnum ex capitibus eius dicit Antichristum, qui tanta impietate progreditur ad eludendos animos paruulorum, vnum ex capitibus septem, imita-

N

sione

tione veri capitis se quasi occisum resurrexisse, & pro Christo, qui hoc verè perfecit, suscipiendum audeat exhibere.]

S. Beda: *Antichristus ad capita regni terreni pertineus, imitatione veri capitis nostri, se quasi occisum resurrexisse, & pro Christo, qui hoc verè perfecit, se suscipiendum audeat exhibere. Cuius commentum dicitur in Simone Magico præcessisse fallacia.*]

Ambrosius Ansbertus: *Vnum ergo caput de septem Bestia caputibus Antichristus est, ex universo potentatu Sæcularis regni, Christo, Ecclesieque contrarij. Quod videlicet caput quasi occisum, & plaga mortis eius curata fuisse asseritur: quia damnatus ille homo tanta tunc temeritate progreditur, ut ad illudendos animos paruulorum imitatione veri capitis, se quasi occisum resurrexisse: Et pro Christo qui hoc verè fecit, se suscipiendum audeat exhibere. Et ne forte veritas, & non potius illusio putaretur, idcirco nequaquam affirmando dicitur: & vnum de capitibus suis occisum in mortem, & plaga eius mortis curata est: sed præmittitur, quasi, aduerbium, scilicet similitudinis: ut per hoc, sicut dictum est, aperte ostendatur, non esse illud veritatis perfectionem, sed veri similem fraudem.*] Strabus: *Simulabit se Antichristus mortuum & per triduum latens: post apparebit, dicens, se suscitatum. Et plaga mortis eius curata est. Arte magica ascendet in aëra, ferentibus eum demonibus, & sic curabitur plaga mortis, quia prius mortuus, post viuens reputabitur.*]

Haymo: *Tanta temeritas erit in illo damnato homine, ut ad deludendos animos paruulorum, imitatione veri capitis Christi, occisum se dicat, & resurrexisse post mortem: ideoque ne forte veritas, sed illusio putetur, nequaquam affirmando dicitur occisum, sed quasi occisum.*] S. Hildegardis, apud Albertum stadensem in Chronico, Anno 1150. *Pro redemptione populi sui per occisionem se mori, & per resurrectionem se surgere simulabit.*] Eadem est omnino interpretatio & sententia S. Anselmi, Anselmi Laudunensis, Ruperti, Ricardi, S. Thomæ, & recentiorum Gagnæi Pannonij, Meli, Bulengeri, Sà: item Peretij lib. 14. in Daniel. Sanderi lib. 8. De visibili Ecclesiæ Monarchia, cap. 21. Bellarmini lib. 3. de Romano Pontifice, cap. 15. Vide Marcum. Matulium lib. 6. Exemplorum, cap. 2. & Benedictum Iustinianum in 2. Thessalon. 2. v. 9. Franciscus Ribera contendit præfatam explanationem subsistere non posse, si per Bestiam hic ab Euangelista descriptam Antichristum ipsum intelligamus, ut sanè intelligendum esse, maior & melior Patrum & Expositorum sententia docet, uti sæpius inculcamus. Eo autem potissimum vitur argumento, Quod Ioannes non dicit Bestiam, hoc est, Antichristum, fuisse occisam: sed vnum dūtaxat ex eius capitibus. Propterea aliter ipse Ribera locum interpretatur: existimat enim rectè per Bestiam Antichristū accipi: per illud vero vnum caput ex capitibus Bestiæ, significare existimat, vñ, vel primarium ex septem illis regibus de decem, qui Victis & debellatis aliis tribus, Antichristo victori Subiiciuntur: de quibus nobis lib. 5. latissimè disputatum est. Hic enim vnus, vel præcipuus inter alios illos septem reges, vel in primis bellis quæ geret Antichristus aduersus tres Reges Ægypti, Libyæ, & Æthiopiæ, vel in quouis alio prælio, ex multis quæ Antichristus, eiusque ministri committent, letali vulnere fauciabitur: ita ut vitæ ipsius nulla relicta spes esse videatur: sed ille ab Antichristo potenti virtute diaboli, mirabiliter sanitati restituetur, ut quasi à mortuis resurrexisse videri possit, cunctis attonitis & stupentibus ad tam grande miraculum. Simile illud, cū Ptolemæo fortissimo duci lethaliter in prælio vul-

nerato, atque à medicis desperato Alexander Magnus succo herbæ, per draconem in somnis sibi ostensæ, salutem attulit. Extat res gesta apud Q. Curtium lib. 9. eleganter descripta.

Firmat vero Ribera suam expositionem hisce rationibus. Primo, quia Ioannes loquitur aperte de vno ex capitibus Bestiæ occiso quasi in mortem: at ipsemet Ioannes septem capita Bestiæ, hoc est, Antichristi, septem reges exponit, nempe illos, qui extinctis tribus ex decem regibus, Antichristo se adiungunt: & nos hoc ipsum sæpissime adstruximus. Vnus ergo ex illis septem regibus fuerit, caput quasi occisum in mortem. Secundo, quia non ait, quasi mortuum, quod posset Antichristo mortuum se fingenti vtique accommodari: sed quasi occisum, ut indicet, violenta plaga percussum, nimirum in bello, vel conflictu, vel alio casu. Tertio, quia non dicit resurrexisse, sed plagam mortis eius curatam, hoc est, curatum ex graui & mortali vulnere: de resurrectione enim non ita loqueretur. Huic explanationi Ribera diserte assenti sunt Viegas, & Sà: itemque Lessius Demonstratione 10. de Antichristo. Quin & Andreas & Aretas Cœrateenses Episcopi, inter alias loci explicationes hanc quoque afferunt. Andreas: *Caput quod hic veluti iugularum in medium proponitur, alterum inquit, nimirum aut vnum aliquem è Principibus ab Antichristo occisum, prestigijs eiusdem, imposturisque actum, denuo excitatum apparuisse. Qua arte cum Simon magus familiariter uteretur, ab Apostolorum coryphæo palam est reprehensus. Aut certe Romanorum regnum, &c.*] Aretas: *Caput tanquam occisum, aut aliquem ex eius principibus enecatam præ se fert, & ab eo in multas partes dissectum principatum, qui prestigijs ipsius ac imposturis visus fuerit postea resurrexisse. Vel etiam quod Romanorum principatus &c.*]

Certe putamus hanc interpretationem esse cum primis probabilem, aptam, congruentem: at priorem illam tot Patrum & recentiorum auctoritate solutam de strophæ Antichristi se mori ac resurgere simulantis, neutiquam repudiandam ducimus: sed ut communioem, meliorem, ac certioem omnino amplectendam. Quæ nec solidis rationibus destituitur. Primo, Quia Apocalip. 13. 12. de secunda Bestia, hoc est, Præcurfore & Armigero Antichristi dicitur: *Et fecit adorare Bestiam primam [Antichristum], cuius curata est plaga mortis.* Et vers. 14. *Ut faciant imaginem Bestiæ [Antichristi] quæ habet plagam gladij, & vixit.* Ergo Bestia prima, idest, Antichristus, est ipsummet caput quasi occisum in mortem, cuius plaga mortis curata est: idest, qui videbitur mori & resurgere. Respondent, istis locis plagam membri tribui corpori mystico, vsitato Scripturæ more. Sed illud satis conficiamus, sincerius multo & simplicius sine tropis & figuris verba illa ipsimet Bestiæ Antichristo tribui, qui ipse sit caput faucium, cuius plaga mortis curata sit. Vnde quoque intelligimus, quod prius Ioannes, dixerat, vnum de capitibus Bestiæ quasi occisum in mortem, postea explicatius & apertius exposuisse, illud nimirum caput esse Bestiam ipsam, idest, Antichristum: & quod antea scripserat, *Et plaga mortis eius curata est:* postmodum clarius dixisse, *Et vixit, siue reuixit.* Secundo, Quia non est dubium, Antichristum, ut se in omnibus Christo maiorem ostendat, præclarissima quæque Christi miracula mentitum.

Nec argumenta Ribera prorsus receptam interpretationem evertunt. Ad primum dicimus, ut Antichristus vere præter se summum omnium Regem, alios habeat septem Reges subiectos & amicos, quorum ipse octauus & supremus distinctus

ab ipsis erit: ita etiam in ipsa Bestia quæ Antichristum delineat, præter septem capita, hoc est reges septem, intelligendum esse aliud caput proprium & primum ipsius Bestiæ, octauum nempe, diuersum ab illis septem: & hoc est quod Ioannes ait: *Vidi vnum de capitibus Bestiæ quasi occisum in mortem*, non enim dixit: vidi vnum de septem capitibus eius, &c. sed vnum de capitibus eius. Hoc est, ipsum caput præcipuum, quod erit Antichristus. Et forsan vnum, Hebraica phrasi positum est pro primo ac præcipuo, vt Genes. 1. v. 5. & Apocalyp. 6. v. 1. nam solent vti Hebræi numeris cardinalibus pro ordinalibus, vt est notissimum. Ergo hîc, vnum de capitibus Bestiæ, accipere possumus primum, ac præcipuum caput Bestiæ, nempe ipsum Antichristum, distinctum ab aliis septem. Equidem Primasius & Ansbertus, caput vnum quasi occisum in mortem, octauum distinctum à septem aliis, nempe Antichristum disertissimè interpretantur.

At si minus ista placuerint, quod Ioannes Bestiam Septicipitem, & non octicipitem vidisse se dicat: addimus: Quia Bestia exprimi non potuit mori in omnibus septem capitibus, id est, Regibus, quod si non describantur morituri: pingitur vnum ipsius caput quasi mortuum: non quod istud quasi extinctum caput, sit aliquis ex septem Regibus: sed vt indicetur mors Bestiæ, quæ aliter mortua ostendi non potuit, nisi capite ipsius mortuo. De Bestia enim monstrifica ita loqui coactus est Ioannes. Caput ergo quasi occisum non designabit Regem aliquem, sed fictam Antichristi mortem.

Ad secundum facile respondemus, illud, quasi occisum, idem hîc omnino esse, quod quasi mortuum, nec esse vim in verbo faciendam, vt sit occisum quasi occasum. Fortasse etiam Antichristus ad vanissimam vulgi gloriolam captandam, præstigiis, vel ipse sibi pectus gladio transuerberabit: vel se ab alio gladio lethaliter vulnerari faciet, ex quo vulnere mori statim se fingat: nimirum vt mortem Christi violentam, vt & resurrectionem se imitari, imo & superare fingat. Id enim innuere videntur verba illa Ioannis: *Vt faciant imaginem Bestiæ, quæ*

habet plagam gladij, & reuixit.] Nisi plagam gladij, intelligamus lethalem.

Ad Tertium iam diximus, Ioannem seipsum exposuisse, & quod prius dixerat, *Et plaga mortis eius curata est*, postea clariùs expressisse, *Et vixit*, hoc est, reuixit, seu resurrexit, nimirum fîcte & mendaciter, nam veram ex mortuis resurrectionem non nisi diuina & supernaturali virtute fieri posse, nimis est apud omnes exploratum.

Istud mendacissimum falsæ, e mentitæque resurrectionis Antichristi miraculum, intantum Antichristus, eiusque ministri deblatterabunt, vt nihil frequentius in ore sint habituri, nihil magis celebraturi, ad omnem fidem impiæ & exitiali eius doctrinæ conciliandam. Vnde Ioannes de Præcurfore & Antesignano Antichristi, primario eius in omnibus rebus Agente hæc ait, vers. 12. *Faciet terram & habitantes in ea adorare Bestiam primam* [Antichristum]: *Cuius curata est plaga mortis.* Et vers. 14. *Dicens habitantibus in terra, vt faciant imaginem Bestiæ* [Antichristi], *quæ habet plagam gladij, & vixit, vel reuixit.* Vt annotauit Vatablus. Immenso vanitate hic perditissimus nebulo primarius Antichristi minister sæpius inelamabit Antichristi resurrectionem: quasi vno hoc ahenò muro, & ineluctabili argumento Antichristi diuinitatem extra omnem aleam in tuto & firmo constituat.

Expectat, vt video, aliquis, vt Ludouici Alcafaris huius Vaticinij explanationem, aut referamus, aut excutiamus, aut probemus, improbemusue. Nos qui mentem & sensum Apocalypsis ex Patrum, explanatorumque probatis & receptis expositionibus; non ex nouis & excogitatis vnus hominis acoluthiis eruere studemus; Alcafaris dissertationum rationem nullam habendam esse censuimus. Cum illud extra omnem controuersiam sit, veteres, communes, hætenus receptas Apocalypsis interpretationes cum Alcafaris acoluthiis stare non posse, vt ipse passim fatetur: nunc videat, iubeat prudens quisque & eruditus, quidnam stare debeat, an Alcafaris acoluthiæ; an antiquæ, & communes, ad hanc vsque diem probatæ Apocalypsis expositiones?





D E ANTICHRISTO, LIBER NONVS.

D E P E R S E C U T I O N E A N T I C H R I S T I A D V E R S V S E C C L E S I A M.

C A P V T I.

*Præcipue persecutiones, quibus ad hanc usque
diem afflictæ est Christi Ecclesia, à Tyrannis
Principibus & Magistratibus.*



BELLA, (sic enim appellat S. Optatus Milenitanus Episcopus, lib. 3. aduersus Parmenianum) seu ut vulgarius vocatur Persecutiones aduersus Christianam, recepto sermonis uso eas propriè dici volunt, cum publico Romanorum Imperatorum edito quacumque ratione, aut ludiciis, aut tormentis, aut quibusvis aliis pœnis, iniuriis, damnis, vel minis, vel blanditiis, aut artibus, vel denique extremis cruciatibus & suppliciis, Christiani ob religionem & pietatem sunt diuexati. Has variè plerique persequere. Suetonius Sulpitius lib. 2. Sacre Historiæ, nonem insigniores enumerat. Primam Neronis, Secundam Domitiani, Tertiam Traiani, Quartam Adriani, Quintam Marci Aurelij, Sextam Severi, Septimam Decij, Octauam Valeriani, Nonam Diocletiani & Maximiani. Quibus descriptis & enarratis subdit: Ex inde tranquillis rebus pace perfruimur: neque ulterius persecutionem fore credimus, nisi eam quam sub fine iam sæculi Antichristus exercebit. Etenim sacris vocibus, decem plagis mundum afficiendum, pronuntiatum est: ita cum iam nouem fuerint, quæ superest, vltima erit. Verum his à Sulpitio disputatis non omnes assentiuntur.

Sed quia de his S. Augustinus 18. de Ciuitate Dei, cap. 52. luculentissimè disseruit, eius integra verba hic intexenda duximus: sic autem orditur: Proinde ne illud quidem temerè puto esse dicendum siue credendum, quod nonnullis visum est, vel videtur non amplius Ecclesiam passuram persecutiones usque ad tempus Antichristi, quam quot iam passa est, idest, decem: ut undecima, eademque nouissima sit ab Antichristo. Primam quippe computant à Nerone quæ facta est: Secundam à Domitiano: Tertiam à Traiano: Quartam ab Antonino: Quintam à Seuerò: Sextam à Maximino: Septimam à Decio: octauam à Valeriano: Nonam ab Aureliano: Decimam à Diocletiano & Maximiano. Plagas enim Egyptiorum, quoniam decem fuerunt, antequam inde exire inciperet populus Dei, putant ad hunc intellectum esse referendas: ut nouissima Antichristi persecutio similis videatur undecima plaga, quæ Egypti dum hostiliter persequerentur Hebræos, in mari Rubro, populo Dei per sicum transiente, perierunt. Sed ego illa re gesta in Egypto, istas persecutiones prophetice significatas esse

non arbitror: quampis ab eis qui hoc putant, exquisitè & ingeniosè illa singula his singulis comparata videantur: non prophetico spiritu, sed coniectura mentis humane, quæ aliquando ad verum peruenit, aliquando fallitur.

Quid enim, qui hoc sentiunt, dicturi sunt de persecutione, quæ ipse Dominus crucifixus est? in quo eam sunt numero posaturi? Si autem hac excepta, existimant computandum, tanquam ille numeranda sint, quæ ad corpus pertinent, non quæ ipsum caput est appetitum & occisum: quid agent de illa, quæ posteaquam Christus ascendit in cælum, Ierosolymis facta est? ubi Beatus Stephanus lapidatus est; ubi Iacobus frater Ioannis gladio trucidatus est; ubi Apostolus Petrus, ut occideretur inclusus est, & per Angelum liberatus; ubi fugati atque dispersi de Ierosolymis fratres; ubi Saulus, qui postea Paulus Apostolus factus est, vastabat Ecclesiam; ubi ipse quoque iam fidem, quam persequeretur, euangelizans, qualia faciebat, est passus, siue per Iudæam, siue per alias gentes, quacumque Christum feruentissime predicabat? Cur ergo eis à Nerone videtur ordiendum, cum ad Neronis tempora inter atrocissimas persecutiones, de quibus nimis longum est cuncta dicere, Ecclesia crescendo peruenierit?

Quod si à Regibus factas persecutiones in numero existimant esse debere, rex fuit Herodes, qui etiam post ascensum Domini, grauissimam fecit. Deinde, quid respondent etiam de Iuliano, quem non numerant in decem? An ipse non est Ecclesiam persecutus, qui Christianos Liberales litteras docere ac discere vetuit; sub quo Valentinianus maior, qui post eum tertius Imperator fuit, fidei Christiana confessor exiit, militiaque priuatus est, et omittam quæ apud Antiochiam facere ceperat: nisi vnius fidelissimi & constantissimi iuuenis, qui multis ut torquerentur apprehensis per totum diem primus est tortus, inter ungulas, cruciatusque psallentis libertatem, atque hilaritatem miratus exhorruisset, & in ceteris deformius erubescere timuisset. Postremo nostra memoria Valens supra dicti Valentiniani frater Arianus, nonne magna persecutione per Orientis partes Catholicam vastauit Ecclesiam?

Quale est autem non considerare Ecclesiam per totum mundum fructificantem atque crescentem, posse in aliquibus gentibus persecutionem pati à regibus, & quando in aliis non patitur? Nisi forte non est persecutio computanda, quando Rex Gothorum in ipsa Gothia persecutus est Christianos crudelitate mirabili, cum ibi non essent nisi Catholici, quorum plurimi martyrio coronati sunt: sicut à quibusdam fratribus, qui tunc illic pueri fuerant, & se ista vidisse incunctanter recordantur, audimus? Quid modo in Perside? nonne

ita

ita in Christianos feruit persecutio, si tamen iam quieuit, ut fugientes inde nonnulli usque ad Romana oppida peruenirent? Hac atque huiusmodi mihi cogitanti, non videtur esse definiendus numerus persecutionum, quibus exerceri oportet Ecclesiam. Sed rursus affirmare aliquas futuras à Regibus, præter illam nouissimam, de qua nullus ambigit Christianus, non minoris est temeritatis. Itaque hoc in medio relinquimus, neutram partem questionis huius adstruentes, siue destruentes: sed tantummodo ab affirmandi quodlibet horum audaci præsumptione reuocantes.] Hactenus S. Augustinus prudentissimè. Cuius nos vestigiis inherentes, rerum insuper euentibus edocti, constanter asserimus, nullam esse rationem, cur persecutiones Ecclesiæ, vel ad Romanos tantum Principes, vel ad numerum tantum vnderarium, aut duodenarium, aut alium certum & præfinitum arctemus: cum vt illico ostendimus, & plures & crudelissimas Ecclesia ab externis regibus, aliisque Gentibus, nedum Romanis Imperatoribus: & sub Romano Imperio, ab aliis Principibus præter à Senecro, & S. Augustino enumeratos, vexationes & acerbitates sit passa. Ergo postquàm insignes agones, & clara Ecclesiæ certamina vniuersum omnia enarrare nō possumus, celebriora & nobiliora dumtaxat annotabimus.

PRIMA PERSECUTIO.

In Ecclesiam exorta, generaliter comprehendat illā Iudæorum, in qua S. Stephanus Protomartyr occubuit, quam S. Lucas Act. 6. & 8. describit: de qua inquit: *Facta est autem in illa die persecutio magna in Ecclesia, quæ erat Ierosolymis: & omnes dispersi sunt per regiones Iudææ & Samaria, præter Apostolos.* Item: *Saulus autem deuastabat Ecclesiam, per domos intrans, & trahens viros ac mulieres tradebat in custodiam.* Et ipse Paulus de ea, quam intulerat Ecclesiæ, persecutione hæc fatetur Act. 26. 10. *Multos Sanctorum ego in carceribus inclusi, a Principibus Sacerdotum potestate accepta: & cum occiderentur, detuli sententiam.* Si Dorotheo in Synopsi fides est adhibenda vlla, quo die Stephanus martyr occubuit, Nicanor vnus etiam de septem primis Diaconis, ducenti alij Christiani, à Iudæis interfecti fuere. Contigit ea persecutio Anno Christi 34. & 35. De qua vide quoque Eusebium lib. 2. Historiæ, cap. 1. & Annales Baronij & Gordonij, item Lorinum in 8. Act. ad vers. 1.

Huic annectenda videtur illa etiam Herodis Agrippæ, de qua Act. 12. 1. *Misit Herodes rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesia.* In qua Iacobus Apostolus Zebedæi filius, Ioannis Apostoli frater, gladio percussus: & Petrus Apostolus in carcerem trusus fuit. Incidit ea in annū Christi 44. vt Annales Ecclesiastici accuratius annotant. Nec ab hac seiungenda est illa alia, qua Christiani Romæ sub Claudio sunt afflicti. Hanc innuisse videtur Suetonius in Claudio, cap. 25. *Claudius Iudæos impulsore Chresto assidue tumultuantes Roma expulit.*] Sane Iudæos factos iam Christianos edicto Claudij Roma pulsos, Lucas disertè significat, cum de Aquila Pontico & Priscilla vxore eius, gente Iudæis, sed religione Christianis, à Paulo Corinthi repertis, Act. 18. ait: *Qui nuper venerat ab Italia, eò quod præcepisset Claudius discedere omnes Iudæos à Roma.* Orosius lib. 7. c. 6. *Anno eiusdem Claudij nono, expulsos per Claudium vrbe Iudæos. Iosephus refert: sed me magis Suetonius mouet, qui ait hoc modo: Claudius Iudæos impulsore Chresto assidue tumultuantes Roma expulit. Quod verum contra Christum tumultuantes Iudæos coerceri & comprimi iusserit. an etiam Christianos simul veluti cognate religionis homines voluerit expelli, nequaquàm discernitur.*] Eadē ad verbū habent S. Beda in 18. Act. & in Chronico, itē S. Ado, & Marianus Scotus in Chroni-

cis. Solitos autem Christianos à Paganis Iudæorū nomine censerī, veluti cognatæ religionis homines, & ab illis propagatos, inconfesso est apud omnes, & annotarunt seorsim Genebrardus lib. 2. Chronographiæ, pag. 224. Baronius Annali 1. anno 98. Numero 4. Lipsius ad 15. Annalem Taciti, Scaliger ad Numerū Eusebianum MMCXII, & innumeri alij. Vnde Seneca lib. 2. Sacræ Historiæ; *Quippe has religiones, licet contrarias sibi, iisdem tamen auctoribus profectas: Christianos ex Iudæis extitisse.*] Et inferius: *Et quia Christiani ex Iudæis potissimum putabantur, &c.*] Et Dio in Domitiano de Flauio Clemente & Flauia Domitilla Christianis damnatis à Domitiano, ait: *Illato ambobus crimine impietatis: cuius rei causa multi qui in mores Iudæorum transierant, damnati sunt: quorum pars occisa est, pars spoliata facultatibus.*] Eos omnes fuisse Christianos, quos Dio Iudæos vocauit, non est dubium. Est hac de re insignis locus apud Epictetum Arriani lib. 1. cap. 9. *At quando conspeximus aliquem incertarum partium aique incipiti fide, dicere solemus: Iudæus non est, sed simulat. Quum autem affectum induit Baptizati, & inter sectatores asciti, tum re vera & est & appellatur Iudæus.*] Baptizati proprium Christianorum. Quod vero Suetonius dixit, Iudæos impulsore Chresto assidue tumultuantes à Claudio Roma expulsos. Verisimile est Romæ inter Iudæos genus hominum turbulentum, & Christianos assidue de Christo disceptationes exortas, ob quas vtrique à Claudio sint exclusi, vt annotarunt Franciscus Turrianus lib. 2. Pro Epistolis Decretalibus Pontificum, cap. 16. Baronius Annali 1. Anno 51. Lorinus in 18. Act. ad vers. 2. & alij. Facta sunt hæc, vt Orosius ait, Claudij anno nono, & Christi, iuxta meliores fastos 11.

SECUNDA PERSECUTIO.

Fuit Neronis: de qua Suetonius in Nerone, cap. 16. *Afflicti supplicio Christiani, genus hominum Superstitionis nouæ ac maleficæ.* Tacitus Annali 15. de Incendio vrbs, quod iussisse Nero credebatur: *Sed non ope humana, non largitionibus Principis, aut Deū placamentis, decedebat infamia, quin iussu incendium crederetur.* Ergo abolendo rumori Nero subdidit reos & quæstissimis pœnis affecit, quos per flagitia inuisos vulgus Christianos appellabat. Auctor nominis eius Christus, qui Tiberio imperitante, per Procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat. Repressaque in præsens exitiabilis superstitionis rursus crumpebat: non modo per Iudæam originem eius mali, sed per urbem etiam, quò cuncta vndique atrociora aut pudenda confluent, celebranturque. Igitur primo correpti qui latebantur, deinde indicio eorum, multitudo ingens, haud perinde in crimine incendi, quam Odio humani generis conuicti sunt. Et pereuntibus addita ludibria, vt ferarum tergis contecti, lancearum canum interirent: aut crucibus affixi, aut flammandi, atque vbi defecisset dies, in usum nocturni luminis vrentur. Horios suos ei spectaculo Nero obtulerat. Vnde quamquam aduersus fontes & nouissima exempla meritos, miseria oriebatur, tamquam non utilitate publica sed in seuitiam vnus absumeretur.] In risu excipienda vanitas Ioannis Bodini in Methodo Historica, cap. 4. qui annotat Tacitum & Tranquillum impiè fecisse, quod non fuerint Christiani: sed non impiè aduersus Christianam religionem scripsisse, cum gentili superstitione obligarentur. Ego vero inquit, impium iudicarem nisi quamcumque religionem veram indicaret, non eam quoque tueri, & contrarias euertere conaretur.] Egregie ergo gentili superstitione obligatur quis ad scribenda mædacia, cōtra legē naturæ, id est, contra perspicuā, & cūctis piis & impiis notā & perspectā veritatem? Tacitus & Suetonius exitiabilem, atrocem

pueritiam, maleficam, odio generis humani conuictam superstitionem vocant Christianam religionem, quæ, etiam ipsis ethnicis testibus, ad omnem innocentiam conspirauit. Plinius Iunior Tacito & Tranquillo amicissimus, lib. 10. Epistola 97. ad Traianum Imperatorem, maleficia Christianæ religionis ita perceret: *Affirmabant autem hanc fuisse summam vel culpam suam, vel erroris: Quod essent soliti statim die ante lucem conuenire, Carmenque Christo, quasi Deo dicere secum inuicem: seque Sacramento non in scelus aliquod obstringere: sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent. Quibus peractis morem sibi discedendi fuisse: rursusque coeundi ad capiendum cibum, promiscuum tamen, & innoxium.* Istanè sunt maleficia, in eas leges iurare, quarum caput & summa est, nemini nocere, bene & velle, & facere omnibus? At quæ testimonia nostræ Religionis reddiderint Gentiles Scriptores, diligenter collegere, Petrus Mexia lib. 2. Siluæ variæ lectionis, cap. 34. & 35. Michaël Medina de Recta in Deum Fide lib. 2. cap. 9. Genebrardus lib. 2. Chronographiæ, pag. 230. Baronius in Annalibus, & alij passim.

De eadem Neroniana persecutione Seuerus lib. 2. Historiæ Sacræ: *Interea abundante iam Christianorum multitudine, accidit, ut Roma incendio conflagraret, Nerone apud Antium constituto. Sed opinio omnium inuidiam incendi in Principem retorquebat, credebaturque Imperator gloriam innouanda Urbis quassasse. Neque ulla re Nero efficiebat, quin ab eo iussu incendium putaretur. Igitur vertit inuidiam in Christianos, atque in innoxios crudelissima quæstiones: quin & nouæ mortes excogitata, ut ferarum tergis coniecti, laniatu canum interirent. Multi crucibus affixi, aut flammis vsti: plerique in id reseruati, ut cum defecisset dies, in usum nocturni luminis vrentur. Hoc initio in Christianos seuiri cœpit. Post etiam latis legibus, Religio vetabatur: palamque edictis propositis, Christianum esse non licebat. Tunc Paulus ac Petrus capitis damnati: quorum vni ceruix gladio defecta: Petrus in crucem sublati sunt.* De his martyribus à Nerone ob incendium urbis necari iussis, Romanum Martyrologium 24. Iunii hoc celebrat elogium: *Roma commemoratio Sanctorum plurimorum martyrum, qui sub Nerone Imperatore de urbis incendio per calumniam accusati, diuerso mortis genere ab eodem iussi sunt seuissime interfici: quorum aly ferarum tergis coniecti, laniatibus canum expositi sunt: alij crucibus affixi: alijque incendio traditi, ut ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis deseruirent. Erant ii omnes Apostolorum discipuli, & primitia Martyrum, quas Romana Ecclesia, fertilis ager Martyrum, ante Apostolorum necem transmisit ad Dominum.* Plura Patrum testimonia de Neronis persecutione, & quod is primus fuerit, qui in Christianam Religionem gladium distrinxerit, lib. 1. cap. 2. 1. descripsimus, quæ hic non rescribimus. Vide de eadem persecutione Egesippum lib. 3. Excidij Ierosolimyti, cap. 2. & S. Augustinum de Ciuitate Dei lib. 18. cap. 52. Iornandem de Regnorum successione, Paulum Diaconum lib. 8. Miscellæ, cap. 6. Cedrenum, Zonaram in Annalibus.

Figitur initium huius Persecutionis ipso anno Incendij Urbis C. Lecanio, & M. Licinio Coss. iuxta Tacitum, id est, iuxta meliores Fastos, Neronis 10. & Christi LXVI. Scaliger in Eusebianis, qui notat incendium, & Persecutionem contigisse Memmio Regulo, Virginio Rufo Coss. ex Cornelio Tacito, nimirum, ut ipse ait, Neronis 11. & Christi Dionysiano LXIII. næ ipse Tacitum non apertis oculis vidit. Hic est magnus Scaliger qui numquam hallucinatur, qui di-

uino suo ingenio numquam labitur. Durasse traditur quadriennio ferme, ad mortem vsque Neronis. In qua constat Principes Apostolorum Petrum & Paulum insigni sanguinis triumpho occubuisse.

TERTIA PERSECUTIO.

Domitiani fuit, de qua Eusebius, lib. 3. Historiæ, cap. 3. *Domitianus secundus namque erat qui contra nos Christianos, (licet pater eius Vespasianus nihil iniuria aut mali in nos animo aliquando excogitasset) persecutionis incendium excitauit.* Eadem Nicephorus, lib. 3. cap. 9. Et in Chronico: *Secundus post Neronem Domitianus Christianos persequitur: Et sub eo Apostolus Ioannes in Patbnum insulam relegatus Apocalypsim vidit.* Seuerus lib. 2. Sacræ Historiæ: *Domitianus Vespasiani filius persecutus est Christianos. Quo tempore Ioannem Apostolum atque Euangelistam in Patbnum insulam relegauit: ubi ille arcanis sibi mysteriis reuelatis, librum Sacræ Apocalypsis (qui quidem à plerisque aut stultis aut impiis non recipitur) conscriptum edidit.* S. Hieronymus de Scriptoribus Ecclesiasticis in Ioanne: *Quartodecimo igitur anno secundam post Neronem persecutionem mouente Domitiano in Patbmos insulam relegatus, scripsit Apocalypsim.* Orosius lib. 7. cap. 10. *Domitianus ad hoc paulatim per omnes scelerum gradus creuit, ut confirmatissimam toto orbe Christi Ecclesiam, datis ubique crudelissimæ persecutionis edictis, conuellere auderet.* De eadem persecutione plura S. Augustinus 18. de Ciuitate Dei, cap. 52. Iornandes, S. Beda, S. Ado, Marianus Scotus in Chronicis, Cedrenus, & Zonaras in Annalibus, Paulus Diaconus in Miscella, lib. 9. cap. 12.

Consulto Tertullianum distuli, qui Apologetici cap. 5. de eadem Domitiani persecutione, inquit: *Tentauerat & Domitianus prænomen Neronis de crudelitate; sed quia & homo, facile cœptum repressit, restitutus etiam quos relegauerat.* Scaliger ad Numerum Eusebianum Mmcx, hunc Tertulliani locum versans, hæc annotat: *Ita præferunt editiones vetustiores, & libri scripti. Tentauit, inquit, persecutionem secundam & Domitianus quoque, cui cognomen Neroni fuit à crudelitate. Nam propter crudelitatem vulgo passim vocabatur Nero Calvus, & Nero Domitianus. Iuuenalis Satyra quarta:*

*Cum iam semianimum laceraret Flauius orbem
Ultimus, & Caluo seruiret Roma Neroni.*

Ausonius de Cæsariis:

— quem Caluum dixit sua Roma Neronem.

Nugatur Scholiastes Iuuenalis, qui putat à Iuuenale primum ita vocatum Domitianum, quum Tertullianus & Ausonius vanitatem hanc confitent satis. Qui ante paucos annos lectionem Tertulliani mutare ausi sunt, quæ in vetustioribus editionibus extat, & confirmatur auctoritate scriptorum codicum: na ipsi manifesto ostendunt, se nihil eorum quæ Tertullianus sentiebat, affectos fuisse. Causam adferunt, quod Eusebius verterit. Δουετια-
vds μὲν & ὁν τῆς τῆ Νέρονος ἀποτίτθαι: non autem Δουετιαvds ὁ ἐπὶ τῆς Νέρονος. quasi vero Tertulliani locus deprauandus fuisset, quia eum non intellexit Eusebius. Hæc Scaliger in Iacobum Pamelium, qui ita correxerat. Locus Eusebij est lib. 3. Historiæ, cap. 15. Sed audiat Scaliger notum & amicum suum Franciscum Iuuenium, qui ad Tertullianum ait: *Lego ex coniectura: Tentauerat & Domitianus prænomen Neronis de crudelitate. Est autem prænomen ἐπὶ τοῦ τῆς Νέρονος Glossario Vetere, (quod huic auctori debet plurimum) instrumentum dentibus seu aculeis & stimulis fer-*
reis,

ferreis, areisue quamplurimis instructum, quo linum petebatur ad commoditatem nendi, paraturque: nempe à præ, & nendo appellatum. Prænum ergo Neronis tentauerat Domitianus, quum tormentis Christianos (in quibus & prænum) exerceret, adductus crudelitate animi sui, quam notant Historici. Hoc quia non intellexit Interpres qui Eusebio prænu transferenti, vertit ut visum est, sensum, neglecta proprietate vocis. Nec dubium, quin postea alij freti auctoritate Eusebii, hunc locum iudicio suo mutauerint. Coniectura mea lumina præferunt Manuscripti ferme omnes, & prima editio Rhemani, in quibus legitur, prænomine Neronis de crudelitate. Frequens est in manuscriptis librariorum inscientia, postremas syllabas aut primas ineptè repetentium. Hoc vitium anadiplos eos sustuli, & proclive fuit ex prænomine facere prænum, quia ex præno ignoto, librarij aut lectores prænomen confecerant. De præno, vide Glossas veteres editas ab Hentico Stephano, & postea à Bonauentura Vulcanio. Sed mihi lectio quam tuetur Scaliger, magis arridet. Cæpisse Domitiani persecutionem anno Imperij eius ix. Christi x c ii. perseverasse vsque ad mortem eius, qui x v. annis rerum potitus est, Annales Ecclesiastici Baronij obseruant: vbi plura de eadem.

QUARTA PERSECUTIO.

Traiani, de qua Eusebius lib. 3. cap. 26. Post Neronem & Domitianum, sigillatim in quaque ciuitate sub Traiani Imperio ex seditione populi excitata, grauem contra Christianos persecutionis tempestatem commotam, fama & sermone percrebescit. Et in Chronico: Traiano aduersus Christianos persecutionem mouente, Simon filius Cleopa, qui in Ierosolymis Episcopatum tenebat, Crucifigitur. Seuerus lib. 2. Historiæ sacræ: Non multo deinde intervallo, tertia persecutio, per Traianum fuit: qui cum tormentis & questionibus nihil in Christianis morte aut pena dignum reperisset, seruire in eos vltra vetuit. Orosius lib. 7. cap. 12. Traianus in persequendis Christianis errore deceptus, tertius à Nerone, cum passim repertos cogi ad sacrificandum idolis ac detrectantes interfici præcepisset, plurimique interficerentur, Plinij Secundi, qui inter ceteros Iudices persecutor datus fuerat, relatu admonitus, eos homines præter confessionem Christi, honestaque conuenticula, nihil contrarium Romanis legibus facere, fiducia sanè innocentis confessionis, nemini mortem grauem, ac formidolosam videri, rescriptis illico lenioribus temperauit edictum. Extat ea Plinij Epistola lib. 10. Epist. 97. de persecutione Traiani & innocentia Christianorum, lectu sanè digna. De eadem Persecutione pluribus etiam agunt, Paulus Diaconus in Miscella lib. 10. cap. 5. Nicephorus lib. 3. Historiæ cap. 16. Cedrenus, Zonaras in Annalibus. S. Beda. S. Ado, Hermannus Contractus, Marianus Scotus in Chronicis, & alij. In hac occubuisse S. Clementem Romanum Pontificem, Simeonem Ierosolymorum Episcopum, S. Ignatium Antiochenum Episcopum & innumeros alios constat. Exorta traditur primo anno Traiani, & Christi C. in Annalibus Ecclesiasticis præsertim Baronij & Gordoni: durasseque nunc actiorem, nunc leuiorem integro eius Principis Imperio, hoc est, annos plus minus vndeiginti.

QUINTA PERSECUTIO.

Adriani: de qua Seuerus lib. 2. Historiæ sacræ: Quinta sub Adriano persecutio numeratur: quam tamen postea exercere prohibuit: iniustum esse pronuntians, ut quisquam sine crimine reus constitueretur. Tertullia-

nus quidem Apologetici cap. 5. Scribit, ab Adriano nullum edictum aduersus Christianos promouisse: ac cum manerent vetera Romanorum Principum, quibus omnis externa religio vetabatur: & implacabile semper vigeret Gentilium odium in Christianam religionem, à qua Deos suos pessumdari ægerimè ferebant, nihil mirum si sub Adriano quoque persecutio arderet. Et vero fuisse haud leuem hanc sub Adriano excitatam pressuram, Apologiæ Sanctissimorum & doctissimorum Philosophorum Quadrati & Aristidis pro Christianis, eidem Adriano oblatae, quarum summa cum laude meminerunt Eusebius lib. 4. Historiæ, cap. 3. S. Hieronymus de scriptoribus Ecclesiasticis, in Quadrato & in Aristide, & Epist. 84. ad Magnum, & alij multi abundè fidem faciunt. Cæterum anno Imperij sui nono Adrianum de acerbitate persecutionis nonnihil remisisse, visumque quadamtenus fauisse Christianis, Eusebius in Chronico, & libro 4. Historiæ cap. 8. 9. & 25. copiosè ex S. Iustino Martyre, & S. Melitone Sardeni Episcopo docet. Hinc Aelius Lampridius de Alexandro Imperatore, cap. 43. inquit: Christo templum facere voluit, eumque inter Deos recipere, quod & Adrianus cogitasse fertur, qui templa in omnibus ciuitatibus sine simulacris iusserat fieri: quæ hodie idcirco quia non habent numina, vocantur Adriani. Quæ ille ad hoc parasse dicebatur: sed prohibitus est ab iis, qui consulentes sacra, repperant, omnes Christianos futuros, si id optato euenisset, & templa reliqua deferenda. Vanissimè hinc dissertatur Casaubonus falsum fuisse sua opinione Lampridium, dum existimauit Adrianum ea templa non sibi, sed Christo destinasse: En quos fructus parit noua religio, ut Nouatores etiam Christo suam gloriam apud gentes ereptum eant. At de persecutione Adriani, & quemadmodum ea ab eodem Principe repressa fuerit, plura Orosius lib. 7. cap. 13. Paulus Diaconus in Miscella lib. 10. cap. 7. & 8. Nicephorus lib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 21. 27. & lib. 4. cap. 10. Zonaras in Annalibus, S. Beda, S. Ado, Marianus Scotus in Chronicis.

SEXTA PERSECUTIO.

Marci Aurelij Antonini. De qua S. Theophilus Antiochenus Episcopus, qui eo tempore scribebat, nempe sub mortem Veri Imperatoris, fratris Marci Aurelij lib. 3. ad Autolyicum extremo hæc ait: Christianos, qui Deum venerantur, hætenus sunt persecuti, nec adhuc hodie persequi cessant: imo iis qui verborum quibusdam illecebris Deum conuiciantur, præmia & honores decernunt: quosdam eorum qui festinant ad virtutem capefcendam, & sanctam vitam agunt, lapidibus obruere: quosdam interficere. Adhuc hodie non cessant Christianos crudelissimè & immanissimè virgis cadere. Seuerus lib. 2. Sacræ Historiæ: Sub Aurelio deinde Antonini filio persecutio quinta agitata. Ac tum primum intra Gallias martyria visa, serius trans Alpes Dei religione suscepta. Orosius lib. 7. cap. 15. Marcus Antoninus solus rei publicæ præfuit: sed in diebus Parthici belli persecutiones Christianorum quarta iam post Neronem vice, in Asia & in Gallia graues præcepto eius existerunt, multique Sanctorum martyrio coronati sunt. De eadem persecutione plura Eusebius lib. 4. cap. 14. & lib. 5. cap. 1. & in Chronico, S. Augustinus 18. de Ciuitate Dei, cap. 52. Paulus Diaconus lib. 10. Historiæ Miscellæ, cap. 16. Nicephorus lib. 3. Historiæ, cap. 34. & seqq. & lib. 5. cap. 16. & seqq. S. Beda, S. Ado, Hermannus Contractus, Marianus Scotus in Chronicis, & alij. Coronati martyrio in ea sunt, S. Polycarpus Smyrnenfis Episcopus,

S. Iustinus Philosophus, & innumeri alij. Ceterum Marcum Augeliū, ingenti à militibus Christianis sui exercitus patrato miraculo, quo ipse Imperator cum omnibus copiis apud Marcomannos ad extremam sitim redactus, & ab infinita Barbarorum multitudine cinctus, in ultimum discrimen salutis adductus fuerat, Christianorum precibus suauissima pluuia in Romanos impetrata, & in hostes diris immisis fulminibus, mirabiliter liberatus fuit, permotum: datis ad senatum litteris, quibus tantum miraculum exponebat, edicto vetuisse Christianos affligi, Tertullianus Apologetici cap. 5. hisce verbis prædicat: *Edite aliquem debellatorem Christianorum: at nos e contrario edimus protectorem: si litteræ Marci Aurelij grauiissimi Imperatoris requirantur, quibus illam germanicam sitim Christianorum certe militum precationibus impetrato imbri discussam contestatur. Qui sicut palam ab eiusmodi omnibus penam dimouit, ita alio modo palam disperfit, adiecta etiam accusatoribus damnatione, & quidem terriore.*] Et libro ad Scapulam, cap. 4. Marcus quoque Aurelius in Germanica expeditione, Christianorum militum orationibus ad Deum factis, imbres in siti illa impetrauit.] Sed de his plura Eusebius lib. 5. Historiæ cap. 5. & in Chronico, Orosius lib. 7. cap. 15. Paulus Diaconus in Miscella lib. 10. cap. 16. Nicephorus lib. 4. Historiæ cap. 12. Cedrenus, & Zonaras in Annalibus, Xiphilinus apud Dionem in Marco Aurelio, & innumeri alij. Extare tanti miraculi hodieque præclara monumenta, Baronius Annali 2. Anno Christi 176. obseruauit, item & Gordonus Recruduisse vero post modum eandem sub Marco persecutionem, ad eiusque imperij finem vsque propagatam, ex Historiis Ecclesiasticis, Actisque diuerforum Martyrum liquet. Initium eius statuitur anno 11. M. Aurelij, & Christi c l x i v. finis, Christi c l x x i i.

SEPTIMA PERSECUTIO.

Seueri de qua Aelius Spartianus in Seuero, cap. 17. Iudaos fieri sub graui pena vetuit. Idem etiam de Christianis Sanxit.] Eusebius lib. 6. cap. 1. Postquam Seuerus acerbam & grauem contra Ecclesias persecutionis tempestatem excitauerat, tamen à Christi athletis viriliter pro pietate concertantibus, ubique pene gentium præclara martyrij & insignia certamina consiciebantur: tamen Alexandria multo maxima eorum frequentia &c.] Seuerus Sulpitius lib. 2. Sacræ Historiæ: Sexta deinde Seuero imperante, Christianorum vexatio fuit. Quo tempore Leonides Origenis pater Sacrum in martyrio sanguinem fudit.] Orosius lib. 7. cap. 17. Seuerus quinta post Neronem persecutione Christianos ex cruciauit, plurimique Sanctorum per diuersas prouincias martyrio coronati sunt. Hanc profanam in Christianos & Ecclesiam Dei præsumptionem Seueri celestis ultio è vestigio acta subsequitur.] Agunt pluribus de eadem Persecutione Tertullianus in Apologetico, & ad Scapulam, S. Hieronymus de Scriptoribus Ecclesiasticis, in Origene, S. Augustinus 18. de Ciuitate Dei, cap. 52. Paulus Diaconus lib. 10. Miscellæ, cap. 21. S. Beda, S. Ado, Hermannus Contractus, Marianus Scotus in Chronicis, Zonaras in Annalibus, Nicephorus lib. 5. Historiæ cap. 2. & alij. In ea Leonides pater Origenis, Philippus Præfectus Aegypto, S. Irenæus Episcopus Lugdunensis, & plurimi alij, vti ex Martyrologiis constat martyrium fecerunt. Et quamuis plerique efferatiorem huius Persecutionis rabiem in decimum annum Seueri coniciant, quando ab eo publica in Christianos edicta tonuerunt: at iam antea eiusdem Seueri anno v i i. exortam, & ad

obitum vsque Seueri progressam, nempe ab anno Domini c c i. ad c c x i i i. certiores docent Annales Baronij & Gordonij.

OCTAVA PERSECUTIO.

Iulij Maximi: de qua Eusebius in Chronico: & lib. 6. cap. 21. *Maximinus propter grauem inuidiam, qua contra Alexandri familiam, in qua complures fideles & Christiani versabantur, flagrabat, acerbam persecutionis tempestatem concitauit: iussitque solos Ecclesiarum Præsides, tanquam auctores doctrinae Euangelicae neci dari. Tempus huius persecutionis, cum in vigesimo secundo libro Commentariorum in Euangelium Ioannis, tum in multis, variisque eius Epistolis aperte demonstrat Origene.*] De eadem Firmilianus Cæsareæ Capadociæ Episcopus, Epistola ad S. Cyprianum 75. *Ante viginti enim & duos fere annos, temporibus post Alexandrum Imperatorem, multa istius constitutiones & pressura acciderunt, primum Christianis: ut ex hoc persecutio quoque grauis aduersum nos Christiani nominis fieret. Quæ post longam retro atatis pacem, repente oborta, de inopinato & insueto malo ad turbandum populum nostrum terribilior effecta est. Serenianus tunc fuit in nostra prouincia Præfex, acerbus & dirus persecutor.* &c. Seuerus lib. 2. Historiæ Sacræ *Interiectis annis V I I I. & X X X. [Alias x x.] pax Christianis fuit: nisi quod medio tempore Maximinus nonnullarum Ecclesiarum Clericos vexauit.*] Orosius lib. 7. cap. 19. *Maximinus in Christianos Sextus à Nerone exercuit: Sed continuo, hoc est, tertio quam regnabat anno à Pupieno Aquileia interfectus, & persecutionis & vite finem fecit.*] Agunt de eadem Persecutione S. Augustinus 18. de Ciuit. Dei, cap. 52. Iornandes de Regnorum Successione, Paulus Diaconus lib. 10. Miscellæ, cap. 26. Nicephorus lib. 5. Historiæ cap. 25. Cedrenus & Zonaras in Annalibus, S. Beda, S. Ado Hermannus Contractus, Marianus Scotus in Chronicis. In hac Pontianus & Anterus Romani Pontifices, & alij non pauci martyrio coronati sunt. Incidit in annum Christi c c x x v i i. triennio defauit.

NONA PERSECUTIO.

Decij. De hac S. Dionysius Alexandrinus Episcopus Epistola ad Fabium Antiochenum Episcopum, apud Eusebium lib. 6. Historiæ cap. 34. hæc refert: *Decij editum erat iam vulgatum: illudque tale profecto videbatur, quale Dominus prædixerat futurum: in quo terribilissima illa iam propemodum complebatur sententia: nimirum, electos si possibile esset, in errorem inducendos fore. Hinc omnes certè metu perculsi obstupuerunt.*] Eusebius Cæsariensis lib. 6. Historiæ cap. 32. *Decius odio capitali quo cum Philippo dissidebat, incensus, persecutionem contra Ecclesiam concitat.*] Seuerus Sulpitius lib. 2. Historiæ Sacræ: *Mox Decio Imperante, iam tum septima persecutione sanxit in Christianos.*] S. Hieronymus de Scriptoribus Ecclesiasticis, in Alexandro Ierosolymitano Episcopo: *Septima autem persecutio sub Decio, quo tempore Babylas Antiochia passus est, ductus Cæsaream, & clausus in carcere, ob confessionem Christi martyrio coronatur.*] Orosius lib. 7. cap. 21. *Decius continuo in quo se etiam ab hoc Philippo interfecisse docuit, ad persequendos, interficiendosque Christianos, Septimus post Neronem feralia sparsit edicta: plurimosque Sanctorum ad coronas Christi de suis crucibus misit.*] De eadem plura Eusebius in Chronico, S. Augustinus de Ciuit. Dei, lib. 18. cap. 52. Paulus Diaconus in Miscella lib. 10. cap. 29. Nicephorus lib. 5. Historiæ cap. 27. & seqq. Cedrenus, Zonaras

Zonaras in Annalibus, Iornandes, S. Beda, S. Ado, Hermannus Contractus, Marianus Scotus in Chronicis, & alij. In hac victores per sanguinem fuere S. Fabianus Papa, S. Babylas Antiochenus Episcopus, & innumeri alij. Initium consignatur anno 1. Decij, Christi ccliii. Duravit ferme biennium, quo Decius imperavit.

DECIMA PERSECUTIO.

Galli & Volusiani, quam tamen alias sub Decij nomine comprehensam inueniamus, quod nimirum illa Decij ab iis continuata videatur. De illa Eusebius lib. 7. Historiæ cap. 1. De Gallo autem Dionysius Alexandrinus Episcopus ad Hermonem Scribens, ista commemorat: *Quin Gallus, neque Decij recogitavit calamitatem: neque antea secum, quid tandem illum de gradu deiecisset, satis diligenter consideravit: Sed in eundem lapidem, licet perspicue ante illius oculos positum, cum suo magno malo impexit. Qui cum regnum eius prospero fortuna statu ferretur, & res omnes ad voluntatem fluere, sanctos ac pios viros, qui pro pace eius imperij proque vite incolumitate nixæ Deum precabantur, crudeliter exegit: & propterea una cum illis preces pro illo ad Deum fusas, penitus à se auertit. De Gallo hætenus Dionysius.*] Eadem quoque retulit S. Beda in suum Chronicon. Vide de ea Annale Romanij, & Gordonij, & Eusebiana Scaligeri: nam hæc ratio temporum nonnihil perturbata est.

CAPVT II.

Reliquæ Persecutiones enumerantur.

UNDECIMA PERSECUTIO.

Valeriani & Gallieni: de qua Seuerus Sulpitius lib. 2. Historiæ Sacræ: *Inde Valerianus Octauus Sanctorum hostis fuit*] S. Hieronymus de scriptoribus Ecclesiasticis in S. Cypriano: *Passus sub Valeriano & Gallieno Principibus, persecutione octaua.*] Orosius lib. 7. cap. 22. *Valerianus siquidem, mox ut arripuit Imperium, Octauus à Nerone, adigi per tormenta Christianos ad idololatriam, abnegantesque interfici iussit, fuso per omnem Romani regni latitudinem Sanctorum sanguine.*] Verum agit de eadem persecutione accuratissime Eusebius lib. 7. Historiæ cap. 9. & seqq. & in Chronico, item S. Augustinus lib. 18. de Ciuit. Dei, cap. 52. Iornandes de Regnorum successione, Paulus Diaconus lib. 10. Miscellæ cap. 31. Nicephorus lib. 6. Historiæ cap. 10. & 11. Zonaras in Annalibus, Cassiodorus, S. Beda, S. Ado, Hermannus Contractus, Marianus Scotus in Chronicis, & alij. Sed non sunt omittenda verba S. Cypriani Epistola. 82. ad successum: *Quæ autem sunt in vero, ita se habent: Rescripsisse Valerianum ad Senatum, ut Episcopi, & presbyteri, & Diacones incontinenti animaduertantur: Senatores vero & viri egregij, & equites Romani, dignitate amissa, etiam bonis spoliarentur: et si ademptis facultatibus Christiani esse perseverauerint, capite quoque mulcerentur: matronæ ademptis bonis, in exilium relegentur: Casariani quicumque vel prius confessi fuerant, vel nunc confessi fuerint, confiscentur, & vincti in Casareas possessiones descripti mittantur. Subiecit etiam Valerianus Imperator orationi suæ exemplum litterarum, quas ad Præsides prouinciarum de nobis fecit: quas litteras quotidie speramus venire, stantes secundum fidei firmitatem ad passionis tolerantiam, & spectantes de ope & indulgentia Domini, vitæ æternæ*

coronam.] In hac passi sunt S. Xystus 11. Romanus Pontifex, S. Laurentius, S. Cyprianus, & plurimi alij. Cæpit anno Christi cclix. cessat cclxi.

DODECIMA PERSECUTIO.

Claudij: de qua Acta SS. Martyrum Marij, Marthæ, & Sociorum, apud Surium Tomo 1. Februarij 14. Eodem tempore iussit Claudius, ut si qui Christiani inuenti fuissent, aut in vulgo, aut in custodia, sine interrogatione punirentur. Ipso autem edicto promulgato, tenuit ducentos Sexaginta Christianos, via Salaria &c.] Ponitur anno Christi cclxix. & cclxx.

TERTIA-DECIMA PERSECUTIO.

Aureliani: de qua Eusebius lib. 7. Historiæ cap. 24. ad finem: *verum tempore sui Imperij progrediente Aurelianus, aliena opinione & prope contraria de nobis concepta, quibusdam iam consiliis impulsus fuit, ut persecutionem contra nos ciceret. Creber de hac re apud omnes Sermo ferebatur. Sed tamen iam propè dixerim, Aurelianum, cum litteras contra nos compositas manu Subscriberet, diuina ultio subito occupauit: quæ cum brachiorum commissuris eneruatis, illum ab instituto repressit.*] Et in Chronico: *Aurelianus cum aduersum nos persecutionem mouisset, fulmen iuxta eum, comitesque eius ruit: ac non multo post inter Constantinopolim & Heracleam in Canophrurio via veteris occiditur.*] Orosius lib. 7. cap. 23. *Aurelianus nouissimè cum persecutionem aduersus Christianos agi, nonus à Nerone decerneret, fulmen ante eum magno pauore circumstantium ruit: ac non multo post in itinere occisus est.*] Agunt de eadem Paulus Diaconus lib. 10. Miscellæ, cap. 36. Nicephorus lib. 6. Historiæ, cap. 29. Zonaras in Annalibus, S. Beda, S. Ado, Hermannus Contractus, Marianus Scotus in Chronicis, & alij. Fidem quoque eius abunde faciunt Acta sincera S. Symphoriani apud Surium Tom. 1. v. 22. Augusti. Sed & S. Leo Pontifex, Sermonem 2. de Pentecoste hæc de ea habet: *Post resurrectionem ducentesimus & Sexagesimus annus impletus est, Probo Imperatore, Paulinoque Consule, cum octaua iam in Christianos persecutio ebulliret, & innumera Martyrum millia ipsius suis victorijs probauissent, &c.*] Incurrit hic Consulatus in annum Aureliani VII. Christi cclxxvii, ut vult Baronius. Est tamen hic ambigua ratio temporum. Tu ipsum consule, & Gordonum. Refertur eius initium in annum Christi cclxxiii.

QUARTADECIMA PERSECUTIO.

Diocletiani & Maximiani omnium grauissima: de qua plenæ sunt omnes Ecclesiasticæ Historiæ & Annales, ac scripta Patrum. In ea infiniti propemodum Martyres cecidere victores, Ecclesiæ Christianorum diruta & concremata, sacri libri, vestes, instrumenta, vasa, & ornamenta sacratum ædium, quotquot haberi potuerunt exusta, expilata: omnes sexus & cuncti ordines Fidelium trucidati. Nocte Natalitiorum Christi Domini, viginti millia Christianorum, Nicomediæ in Ecclesia incendio consumuntur, vti Menologium Græcorum xxviii. Decembris, & Martyrologium Romanum xxv. Decembris celebrant: de quibus Nicephorus lib. 7. Historiæ cap. 6. Integra vrbs in Phrygia, cuius magistratus, & ciues omnes erant Christiani, exercitu vallata, incendio deletur, ut auctor est Eusebius lib. 8. Historiæ cap. 23. & Nicephorus lib. 7. cap. 10. Decem millia Martyrum

Martyrum Nicomediae gladio percutiuntur, vti Græcorum Menologium, & Romanum Martyrologium xvi. Martij decantant. Romæ intra vnum dumtaxat mensem septemdecim millia Christianorum martyrio purpurantur, vti Anastasius libro de Romanis Pontificibus, in Marcellino, & Romanum Martyrologium xxvi. Aprilis testantur. Nulla humana mente cōcipi, nullo sermone exponi potest immanitas & atrocitas huius horrendæ persecutionis. De qua patrum nonnulla subtexamus elogia.

S. Optatus Mileuitanus Episcopus lib. 3. aduersus Parmenianum: *Sæuebat bellum Christianis indictum: in templis demoniorum diabolus triumphabat: immundis fumabant ara nidoribus: & qui ad sacra sacrilega venire non poterat, ubicumque thus ponere cogebatur. omnis locus templum erat ad scelus. Inquinabantur prope morientes senes: ignorans polluebatur infantia: à matribus parui liberi portabantur ad nefas: parentes incruenta parricidia facere cogebantur. Alij cogebantur templa Dei viui subuertere, alij Christum negare, alij leges diuinas incendere, alij thura ponere.*

Seuerus lib. 2. sacrae Historiæ: *Diocletiano & Maximiano imperantibus, acerbissima persecutio exorta, quæ per decem continuos annos plebem Dei depopulata est. Quæ tempestate omnis fere sacro martyrum cruore orbis infectus est: quippe certatim gloriosa in certamina ruebatur, multoque auidius martyria gloriosis mortibus quærebantur, quam nunc Episcopatus prauis ambitionibus appetuntur. Nullis vnquam magis bellis mundus exhaustus est, neque maiore vnquam triumpho vicimus, quam quum decem annorum stragibus vinci non potuimus. Extant etiam mandata litteris præclara eius temporis Martyrum passiones.* Orofius lib. 7. cap. 25. *Interea Diocletianus in Oriente, Maximianus Hercules in Occidente vastari Ecclesias, affligi, interficique Christianos, decimo post Neronem loco præceperunt. Quæ persecutio omnibus fere ante actis diuturnior atque immanior fuit. Nam per decem annos incendiis Ecclesiarum, proscriptionibus innocentium, cadibus Martyrum incessabiliter acta est.* Eadem totidem verbis Paulus Diaconus in Miscella lib. 10. cap. 43. Sed enim gesta omnia & agones martyrum huius Persecutionis copiosissimè executus est Eusebius lib. 7. & 9. Historiæ Ecclesiasticæ. Ex quo Nicephorus toto libro 7. Agunt de eadem complura Sanctorum Martyrum Acta, quæ remanserunt, optima fide conscripta, quæ post Metaphrastem & Lippomanum Surius edidit. De eadem vide Cedrenum & Zonaram in Annalibus, S. Bedam, S. Adonem, Hermannum Contractum, Marianum Scotum in Chronicis. Meminit eius Arnobius lib. 4. aduersus Gentes, sub finem, Lactantius lib. 5. cap. 2. Eusebius in Chronico, S. Augustinus 18. de Ciuit. Dei cap. 52. Et quamuis efferatior rabies huius Persecutionis decennio tantum exarcesse à cunctis fere dicatur: at dire ac sæue grassatam statim ab exordio Imperij Diocletiani & Maximiani, ad obitum vsque Iouij Maximini continuatam in Oriente per Galerium Maximianum, & Iouium Maximinum, & Acta nonnulla Martyrum, & vetera monumenta, & certi Annales abundè fidem faciunt. Vide illos Baronij & Gordonij. Tamen Eusebius & Alij à xi. anno Diocletiani, quo per vniuersum orbem feralia sparsa sunt edicta, vsque ad Galerij Maximiani palinodiam, hoc est, decennio, eius tempus includant, Ergo iuxta accuratiores Fastos figemus initium huius Persecutionis anno Christi cclxxxv. finem cccxiv.

QVINTA-DECIMA PERSECVTIO.

Licini in Oriente, de qua Seuerus lib. 2. sacrae

Historiæ: *Sane tum Licinius quia aduersum Constantinum de Imperio certauit, milites suos licare præceperat, abnuentes, militia reiciebat. Sed id inter persecutiones non computatur: adeo res leuioris negotij fuit, quam ut ad Ecclesiarum vulnera perueniret.* Nihilominus tamen fuisse sæuissimam, & dignam inter alias censeri, satis est exploratum: de qua Eusebius lib. 10. Historiæ, cap. 8. *Animi furore planè exagitat Licinius contra Deum ipsum Constantini propugnatorem, Constantini loco quem propugnabat, bellum gerere decreuit. Ac primum Christianum quemque ex adibus suis eiecit: deinde milites Christianos in singulis ciuitatibus ex aliorum militum numero eximi, eosque si non sua sponte demonibus immolare instituerent, de dignitatis gradu deiici mandat.* Et cap. 9. *Vbi igitur Sceleratus Tyrannus ista ad hunc modum succedere animaduertit, de reliquo contra omnes Christianos persecutionem commouere in animum induxit.* Agit de ea fusè lib. 1. de vita Constantini à cap. 42. vsque ad 49. & lib. 2. cap. 1. 2. 3. ex quo Nicephorus lib. 7. Historiæ cap. 44. item Socrates lib. 1. Historiæ cap. 2. Sozomenus lib. 1. cap. 2. Cedrenus & Zonaras in Annalibus. Meminit & Orofius lib. 7. cap. 28. istis verbis: *Licinius repentinè abie suscitatus, omnes Christianos à palatio suo iussit expelli.* Item & Hermannus Contractus, & Marianus Scotus in Chronicis. Sed videndi cum primis S. Basilij Homilia in Quadraginta Martyres, & S. Ephræm Syrus in Encomio eorundem quadraginta Martyrum, qui Sebaſte in Armeniam sub Licinio Imperatore passi sunt: crudelitatem enim eius persecutionis mirificè describunt. In hac martyrium subiere S. Blasius Episcopus Sebaſtenus, S. Basilæus Amaſenus Episcopus, & alij. Figunt eius initium Annales Baronij & Gordonij anno Christi cccxvi. & biennio ferè durare tradunt.

SEXTA-DECIMA PERSECVTIO.

In Perside per Saporem regem Persarum impulsu Magorum & Iudæorum: de qua S. Hieronymus in Chronico, anno vii. Constantij, qui est Christi cccxiii. *Sapor rex Persarum Christianos persequitur.* De ea plura produnt Sozomenus lib. 2. Historiæ, cap. 8. & seqq. Nicephorus lib. 8. cap. 36. & seqq. In ea coronatur S. Simeon Seleuciæ & Ctesiphontis Episcopus, Tarbula soror eius & alij plurimi nobilissimi Martyres: quorum memoria in Martyrologiis passim colitur. Initium eius ponitur anno vii. Constantij, & Christi cccxiii. Perseuerasse tradunt, alij biennium, alij longius.

DECIMA-SEPTIMA PERSECVTIO.

Constantij Ariani Principis aduersus Orthodoxos. Quam atrox & sæua fuerit per xxxv. ferme annos, quibus ille rerum potitus est, accurate docent Socrates lib. 2. Sozomenus lib. 3. & 4. Theodoretus lib. 2. Nicephorus lib. 9. Cedrenus & Zonaras in Annalibus, ac plurimi alij. Sed cum Primis S. Athanasius in Apologiis & Epistola ad solitariam vitam agentes, & in altera ad Serapionem: item Lucifer Calaritanus Episcopus in opusculis, quæ extant ad Constantium Augustum, ac S. Hilarius libellis tribus aduersus Constantium. Dira planè sunt ac horrenda, quæ Constantius, eiusque auxilio freti Ariani aduersus Catholicos perpetrarunt: nimirum exilia, carceres, bonorum expilationes, cædes, rapinas, Ecclesiarum profanationes, & id genus funesta complura. De ea S. Hieronymus in Chronico: *Impietas Ariana Constantij Imperatoris fulta presidio, exiliis, carceribus,*

& variis afflictionum modis primum Athanasium, deinde omnes non sua partis Episcopos persecuta est.] Et Orosius lib. 7. cap. 29. Perverso igitur zelo potestas armatur illusa, & sub nomine pietatis vis persecutionis agitur. De noua neminis electione contenditur, ut Arianorum potius Ecclesia quam Catholicorum sint.] sed & Ammianns Marcellinus gentilis scriptor lib. 21. cap. 34. Constantium præstringens, ait: Christianam religionem absolutam & simplicem anili superstitione confundens: in qua scrutanda perplexius, quam componenda grauius, excitauit dissidia plurima, qua progressa fusus aluit concertatione verborum: ut cateruis Antistitum iumentis publicis vitro citroque discurrentibus per synodos quas appellant, dum ritum omnem ad suum trahere conatur arbitrium, rei vehicularia succideret nervos.]

DECIMA-OCTAVA PERSECUTIO.

Julianæ Apostatæ, de qua fusè scripsimus lib. 1. cap. 18.

DECIMA-NONA PERSECUTIO.

Valentis Ariani Principis, qui Catholicæ Homouij fidei professores crudeliter vbique afflixit, Episcopos Ecclesiis eiecit, Monachos edicto ad militiam compulit, & innumeras molestias Ecclesiis intulit. De hac plura S. Gregorius Nazianzenus Oratione de laudibus Basilij Magni, S. Hieronymus in Chronico, Rufinus lib. 2. Historiæ Eccles. cap. 1. & 13. S. Augustinus 18. de Ciuit. Dei cap. 52. Orosius lib. 7. cap. 33. Socrates lib. 4. Sozomenus lib. 6. Theodoretus lib. 4. Nicephorus lib. 11. Cedrenus & Zonaras in Annalibus, Paulus Diaconus lib. 12. Miscellæ, & alij. Exordium eius fugiunt anno 111. Valentis, finem in eius obitu, id est, anno Christi cccclxxviii, nimirum sæuuit tredecim ferme annis.

VIGESIMA PERSECUTIO.

In Perside sub Isdegerde ac Barane Persarum regibus: in qua Beniamin Diaconus sæuissimo mortis genere illustre peregit martyrium: & complures alij animas pro Christo dedere. De qua complura perscribunt sanè memoranda Socrates lib. 7. cap. 18. Theodoretus lib. 5. cap. 38. Nicephorus lib. 14. cap. 19. Eiusdem meminit S. Augustinus 18. de Ciuitate cap. 52. Cæpisse tradunt anno Theodosij Iunioris x 111. ac per annos ferme triginta grassatam.

VIGESIMA-PRIMA PERSECUTIO.

Vuandalica in Africa in qua aduersus Episcopos, Ecclesias, & Orthodoxos crudelia & infanda sunt designata à Regibus Vuandalicis Arianis, & innumera-biles martyres effecti. Eadem tribus integris libris accuratissimè descripsit S. Victor Vticensis Episcopus, qui tunc vixit, & rerum pars magna fuit. De eadem quoque agunt S. Gregorius Turonensis lib. 2. Historiæ Francorum cap. 3. Paulus Diaconus lib. 15. Historiæ Miscellæ, cap. 8. & alij.

Silentio hîc prætermitemus plures alias ab Hæreticis Principibus in Catholicam Ecclesiam excitationes persecutiones, ut Zenonis, Anastasij, Iustiniani, Constantis, Leonis, Isaurici, Constantini Copronymi, Leonis Armeni, Theophili, & aliorum id genus: quas omnes si longius enumerare vellemus, non paruum esset consumendum tempus: pleni his sunt Græcorum & Latinorum Ecclesiastici Annales: vnde

quisque affatim haurire poterit. Nunc reliquas pauca s insigniores annotare pergamus.

VIGESIMA-SECUNDA PERSECUTIO.

Chosrois Secundi Regis Persarum, qui in Ægypto & Africa à se bello subiugatis innumerabiles Christianorum strages edidit, de qua Paulus Diaconus lib. 18. Miscellæ cap. 5. Anno Heraclij Imperij quinto ceperunt Persæ Iordanem bello, & Palestinam, & Sanctam Ciuitatem, & multos in ea per Iudagorum manus interfecerunt, id est, ut quidam aiunt, millia nonaginta: isti enim ementes Christianos, prout unusquisque habere poterat, occidebant eos. Zachariam vero Ierosolymitanum Præsulem, comprehensum & pretiosum & vniuersalium cum multa præda in Persidem adduxerunt.] Eadem ad verbum Cedrenus & Zonaras. Sed & Antiochus Monachus qui illo vixit tempore, ita lamentatur Homilia 107. Tomo 2. Bibliothecæ Patrum: Debe-mus lacrymas profundere amaritudinis plenas. Primum quidem quod Ciuitas Sancta incendio conflagrauerit. Crux quoque Sancta Christi Dei nostri in Persidem transmigrarit. In eorum item gratiam qui tot attritu bel-lis perierunt.] Agunt etiam de eadem persecutione S. Beda, S. Ado, Hermannus Contractus, Marianus Scotus, Sigebertus in Chronicis, & alij.

VIGESIMA-TERTIA PERSECUTIO.

Mahometana seu Sarracenica, quæ per impiam Mahometis sectam anno Domini D c x i. vel xxii. exortam, ad annum vsque M c c c. fundatæ salutis, grauissimè infestauit Christianum nomen & Religio-nem. Abstulit Christianis multas prouincias cum innumeris vrbibus, ut Arabias, Syriam, Mesopota-miam, Babyloniam, Persiam, Thraciam, Ciliciam, Africam, Hispanias, &c. trucidatis, seu afflictis in-finitis Christianis, destructis Ecclesiis, suppliciis & ludibriis atrociter vbique vexata Christiana Fide. Ex quibus pauca referamus. Paulus Diaconus in Miscel-la lib. 21. cap. 14. Eodem vero anno secundo Imperij Leonis Isaurici, Haumar dux Arabum Christianos apostatate coëgit & apostatantes quidem sine tributo esse faciebat: at vero non consentientes interimebat, ac per id multos martyres operatus est. Sanxit autem testimonium Christiani aduersus Sacracenum minime accipiendum. Fecit autem & Epistolam dogmaticam ad Leonem Im-peratorem, ratus impius persuadere quo à fide sua recederet.] Eadem toridem ferè verbis Cedrenus. Et cap. 39. extremo: Eodemque anno [nempe Leonis Isaurici xxiv.] Isam Arabum Princeps interficit Chri-stianos captiuos in omni ciuitate: inter quos & Eusta-thius filius Mariani Patricij martyr verus ostensus est in carris Mesopotamie, ubi & reliqui ipsius, sanitates per Dei gratiam operantur. Et multi alij per sanguinem consummati sunt.]

Et lib. 23. cap. 6. Anno quinto Imperij Leonis [filij Copronymi] venit Madi Arabum Dux Dabechn cum multo potentatu atque apparatu, & misso filio suo in Ro-maniam ipse rediit ad Sanctam Ciuitatem: & misit Muathesiam, qui dicebatur Zelotes, & dat ei potestatem apostatas faciendi Christianorum seruos, & deso-landi Ecclesias sanctas: & venit Emesam, & repromit-tit se non compellere ad magarizandum nisi eos qui dudum ex infidelibus fuissent, donec patefacti sunt Hebrei & Christiani. Et statim cepit impiè cruciare, sicut nec Lysas olim, vel Agricolaus, multosque perdidit. Sane femina, gratia Christi Dei nostri, vicerunt eius insa-niam: & hæc cum Nubitenfes essent Archidiaconi Eme-sæ, ac filij Esaie, multum cruciate cum non cessissent impietati,

impietati, millena quippe flagra recipientes, & aliis multis cruciatibus attentata, coronam victoria à Christo perceperunt. Peruenit autem & usque Damascum, & multas Ecclesias desertas fecit.]

Omittimus hinc Sarracenicis Christianorum in Hispania persecutiones sub Regibus Cordubensibus Mahometanis, sæuissimas quidem illas & horrendas, in quibus plurimi clarissimi martyres occubuerunt: quas fuscè persecutus est S. Eulogius Martyr tribus libris Memorialis Sanctorum, & in Apologetico Martyrum, & in Documento Martyriali: quæ opera extant diuini Spiritus vbertate referta: ex quibus hausere qui postea res Hispanicæ stilo condidere. Negari non potest, nullam hæcenus immaniore bestiam exortam in mundo, quæ tantum vexarit Ecclesiam, vt impurissimi huius nebulonis Mahometis sectam: de qua Annales & omnes Historiæ tam multa produnt.

VIGESIMA-QUARTA PERSECUTIO.

Quæ Sarracenicæ annectenda videtur, est Tutcarum: quæ à Condito formidabili Otthomanorum Imperio anno Domini M c c c. iam plusquam trecentos viginti annos Christianas prouincias & regna infestissime vexat. Adeptum ab his nobis geminum Imperium Constantinopolitanum, & Trapezuntium: imminet perpetuo nostris cernicibus, & nisi Dei inuigilans cura Ecclesiam suam conseruet, cuncta hæc & horribilis bestia eam iam iam hiantibus faucibus diglutiat. De hac nihil amplius addimus, nisi quod & cunctæ historiæ, & omnes memoriæ, & præsens rerum facies plenissimæ sunt ingentibus malorum Iliadibus quæ Christiana religio & passa est, & patitur à Turcico Imperio.

VIGESIMA-QUINTA PERSECUTIO.

Lutheranorum & Calvinistarum, & omnium Hæreticorum, qui ab anno salutis M d x v i i i. ad hanc vsque diem in Europa grassantur. Si grauem illam & acerbam cladem Christi Ecclesias vllis retro temporibus pertulit, si dirè vnquam vexata est à prauis hominibus, si vlla olim extitit persecutio, quæ ad viuum futuram illam sub Antichristo expresserit: nullo sanè pacto cum impiorum sectariorum implacabili & immani quod aduersus Orthodoxam Fidem gerunt bello, præterita illa mala vlla parte poterunt comparari. Sanctorum corpora, & Angelis veneranda sacra pignora exhumata, refossa, proiecta, vel combusta, cineresque vel sparsi, vel in profluentem demersi: sacræ Imagines, Reliquiæ, defectæ, proculcata, confractæ, disceptæ, aut concremata: Ecclesiæ dirutæ, Altaria euerfa, sacra vasa direpta conflata, Catholicorum libri in medio foro exusti, Sacrosancta Eucharistia, horrendum dictu! in terram proiecta, pedibusque impurissimis conculcata, Ecclesiasticæ res pessumdaturæ: Sacramenta diuina irrita, proflicta reiecta, Fidei omnes ferme Articuli vel abnegati, vel erroribus deprauati, Cuncti ritus, & sanctæ Cæremoniæ, ac obseruationes Ecclesiæ, Festa in Sanctorum honorem, ablegata: Totus status Oeconomix & Hierarchiæ Christianorum ordinum perturbatus, inuersus, tota facies Ecclesiæ deformata, vel extincta: Orthodoxi vbique pessimè accepti, & innumerabilibus martyriis trucidati. Pudet pigetque, seu potius animus meminisse horret luctuque refugit, atrociora omnia & funesta huius incendij recensere. O Christe Verbum stupeo planè ad tuam patientiam! Verum hæc opportunius deplorent alij: & sunt sanè omnes recentiores historiæ istius modi lacrymis &

iustis quærimoniis oppletæ, & de tam sæuis stragibus integri commentarij edicti, cum primis Nicolai Sanderi de Origine & progressu schismatis Anglicani, Theatrum Crudelitatum Hæreticorum nostri temporis, libellus de Persecutione Anglicana, Responso Andreæ Philopatri ad edictum Reginæ Angliæ.

Sed quod ad Anglicanam Ecclesiam propriè pertinet, quæ auctores omni exceptione maiores de his, quæ passa est ab impiis Principibus, fide incorrupta tradidere, paucis reddamus. Paulus i i i. Romanus Pontifex in Bulla contra Henticum v i i i. Angliæ regem, data Kalendis Ianuarij, anno Incarnationis Dominicæ 1338. hæc ait: *Henricus quotidie magis se in sua feritate ac temeritate confirmans, in noua etiam scelera prorupit: quippe qui non contentus viuorum Prælatorum, & Sacerdotum crudelissima trucidatione, etiam in mortuos, & eos quidem quos in Sanctorum numerum velatos vniuersalis Ecclesia pluribus sæculis venerata est, feritatem exercere non exauit. Diui enim Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi & Martyris ossa, quæ in dicto regno Angliæ, ob innumera ab omnipotente Deo illic perpetrata miracula, summa cum veneratione in arca aurea in ciuitate Cantuariensi seruabantur: postquam ipsum Diuum Thomam ad maiorem Religionis contemptum, in Iudicium vocari, & tanquam contumacem damnari, ac proditorem declarari fecerat: exhumari, & comburi, cineres in ventum spargi iussit: omnem planè cunctarum gentium crudelitatem superans, cum ne in bello quidem hostes victores sentire in mortuorum cadauera soleant. Idem etiam Henricus omnia ex diuersorum regum Anglorum & aliorum Principum liberalitate donaria ipsi arca appensa, quæ multa & maximi pretij erant, sibi usurpauit: nec putans ex hoc satis se iniuria Religioni intulisse. Monasterium ipsum Diuo illi Augustino, à quo Christianam fidem Angli acceperunt, in dicta ciuitate Cantuariensi dicatum, omnibus thesauris, (qui etiam multi & magni erant,) spoliavit: & sicut seipsum in bellum transmouit, ita etiam belluas quasi socias suas honorari voluit, feras videlicet in dictum Monasterium, expulsi monachis, introuertendo: genus quidem sceleris, non modo Christi fidelibus, Sed etiam Turcis inauditum.] Hæcenus Pontifex Paulus.*

De Elisabethe vero Hentici filia, quæ regnum Angliæ obtinuit Pius v. in Bulla aduersus eandem hæc deplorat: *Flagitiorum serua Elisabethe prætexta Angliæ regina, ad quam velut ad asylum omnium infestissimo profugium inuenerunt. Hæc eadem regno occupato, supremi Ecclesiæ capitis locum in omni Angliæ, eiusque præcipuam auctoritatem atque iurisdictionem monstruosè sibi usurpans, regnum ipsum iam tum ad fidem Catholicam, & bonam frugem reductum, rursus in miserum exitium reuocauit: Securisque & amplexibus hæreticorum erroribus, Regiam consilium ex Anglicana nobilitate confectum diremit, illudque obscuris hominibus & hæreticis compleuit: Catholica fidei cultores oppressit, improbos concionatores, atque impietatis administratos reposuit, Missæ sacrificium, Preces, Ieiunia, Ciborum delectum, Calibatium, ritusque Catholicos aboleuit: libros manifestam hæresim continentes, toto regno proponi, impia mysteria & instituta ad Caluini præscriptum à se suscepta & obseruata, etiam à subditis seruari mandauit: Episcopos Ecclesiarum doctores, & alios Sacerdotes Catholicos suis Ecclesiis & beneficiis eiicere, ac de illis ac aliis rebus Ecclesiasticis in hæreticos homines disponere: deque Ecclesiæ causis decernere ausa Prælati, Clero, & populo, ne Romanam Ecclesiam agnoscerent, neque eius præceptis, sanctionibusque Canonici obtemperarent, interdixit: plerosque in nefarias leges suas venire, & Romani Pontificis auctoritatem atque obedientiam abinrare, seque solam in temporalibus*

ralibus & spiritualibus dominam agnoscere, iurciurando coegit: poenas & supplicia in eos qui dicto non essent audientes imposuit: easdemque ab iis qui in unitate fidei & predicta obedientia perseuerarunt, exegit. Catholicos Amittites, & Ecclesiarum rectores in vincula coniecit.] Huc usque Pius Pontifex.

In priore huius operis editione Iacobo Regi Elisabethæ successori, tunc regnum incuntem optimam mentem optauimus, vouimus, sperauimus: sed falsi nostra spe & voto fuimus: maluit enim Amitæ, quam matri Sanctissimæ Martyri esse similior. Quæ fecit, scripsitque aduersus Ecclesiam cum notissima sint vniuerso orbi, abstinemus longius exponere. Premitur crudeliter ac gemit Anglicana Ecclesia sub Iacobo. Utinam Christus eam Regi mentem inspiret, quæ in sanctissimis illis Angliæ priscis Regibus præfulsit.

CAPVT III.

Explicantur aliquot Danielis oracula de Persecutione Antichristi,

PRIMUM est Daniel. 7. 21. *Aspicebam, & ecce cornu illud faciebat bellum aduersus Sanctos, & præualebat eis.* Cornu illud intelligi Antichristum, & de Antichristo sub cornu appellatione loqui hinc Daniele, ex consensu Patrum & Posteriorum, copiosè demonstrauimus lib. 5. cap. 24. Sed & S. Athanasius eandem probans intelligentiam, quum Constantij Ariani Principis in Orthodoxos excitatam persecutionem præcurfatricem Antichristi pressuræ pronuntiat, Epistola ad solitarios hæc scribit: *Nonne visio Danielis istiusmodi notis Antichristum significat? nimirum quod bellum gesturus sit cum Sanctis, & quod inualescet contra eos?* Et Lucifer Calaritanus de *Non parcendo in Deum delinquentibus*, in eundem Constantium ita inuehit: *Scriptum est de Antichristo, cui tu similis, aut ipse esse iudicaris: verba aduersus Altissimum Domini loquetur, & Sanctos Altissimi Dei inueterabit.* Lxx. Interpretes: *Aspicebam & cornu illud faciebat bellum cum Sanctis, & præualebat eis.* S. Iustinus Martyr, seu eius Interpres Dialogo aduersus Thryphonem: *Et animaduertebam cornu id bellum mouere in Sanctos, & fundere eos.* S. Irenæus lib. 5. aduersus Hæreses, cap. 25. *Et cornu illud faciebat bellum aduersus Sanctos, & valebat aduersus eos.* Eodem modo habet Lucifer Calaritanus libello de *Non parcendo in Deum delinquentibus*. Chaldaica ita redduntur, Sanctes: *Videbam, & cornu quod similiter faciebat bellum cum Sanctis, & præualebat eis.* Vatablus in editione Sanctandrea: *Videbamque cornu istud gerere bellum aduersus Sanctos, & præualebat eis, vel: Videns fui cornu hoc quod faciens prælum aduersus Sanctos, & præualebat eis.* Leo Iudas: *Quod cornu me spectante prælum fecit cum Sanctis, & præualuit eis.* Tremellius & Iunius: *videram cornu eiusmodi gerere bellum cum Sanctis, & præualere eis.* Montanus: *videns eram & cornu quod sic faciens prælum cum Sanctis, & præualens eis.* Ex verbo: *Præuidens fui, & cornu quod sic fecit conflictum [congressum] cum Sanctis, & præualuit [præpotuit] eis.* Verbum CHAZEH, interdum refertur ad animi visionem & prophetiam, quasi sit animo præuidere: quod instituto conuenit, nam Daniel in visione imaginaria Cornu illud videbat, & animo Antichristum in cornu illo præuidebat, ac de eo reuelationem habebat, ac vaticinabatur. Verbum autem IACAL, propriè significat, potuit, præpotui, potentior fuit, licentiam, potestatem habuit, superauit, præualuit, vicit Horribile sane

Tom. II. de Antichristo.

& formidabile verbum de persecutione Antichristi aduersus Christi fideles: nam per Sanctos hic Christianos intelligi, vsus Scripturarum manifestè docet: Paulus enim Apostolus in Epistolis, & Lucas in Actis Sanctos passim Christianos appellant, nempe quos Sancta Ecclesia genuit, quos Sancta Sacramenta alunt, quod Sanctitatem omnem profitentur. Verum Angelus hæc ipsa verba Danielis magis adhuc elucidans, versu 25. inquit de Cornu illo, seu Antichristo: *Et Sanctos Altissimi conteret.* Lxx. in Complutensi & Regia editione: *Et Sanctos Altissimi seducet.* In editione vero Romana: *Et Sanctos Altissimi faciet veterascere.* Apud Theodoretum autem: *Et Sanctos Altissimi debellabit.* Et vt quædam habent exemplaria, *humiliabit.* S. Iustinus Martyr Dialogo cum Thryphone: *Et ceteros Sanctos Altissimi euertet.* S. Irenæus lib. 5. cap. 25. *Et Sanctos Altissimi Dei conteret.* Lucifer Calaritanus de *Non parcendo in Deum delinquentibus*: *Et Sanctos Altissimi Dei inueterabit*: Scholia quædam Græca: *Et Sanctis Altissimi vexationem eis faciet.* Verbum Chaldaicum BALA variè reddunt. Rabbi Scelomoh, *Fatigabit*, vel *coarctabit* seu *affliget*. Vatablus, *perdet*. Leo Iudas, *implicabit*. Montanus, *abolebit*. Auenarius, Scindlerus, Buxtorfius, *veritate consumet*, *corrumpet*, *deteret*. Tremellius & Iunius: *Ac Sanctos Excelsorum deteret*. Marinus reddidit: *Et sanctis [pro Sanctos] Altissimorum vetustos reddet*, putatque pulcherrimum esse Chaldaicum, id est, tanquam vetustos & attritos abiciet, spernetque. Cæterum BALA propriè est veterascere, inueterare, seu veterascendo consumi instar pannorum putrium, qui vetustate exteruntur & diffiunt, vt BALA cognationem habeat cum NABAL Hebraico. Hoc igitur loco IEBAL in Piel erit actiuum, quasi dicat Et Sanctos Altissimorum veluti pannos putres ac vetustate attritos consumet, discerpet, abolebit, corrumpet, dissipabit. Hispanice *los molera como andrajos*. Aliter, *Et Sanctis Altissimorum inueterabit*, id est, veteratoriè, & callidè aget cum Sanctis. Nec alienè. *Et Sanctos Altissimorum veterascet*. Hoc est, quod nos Hispanice dicimus & dire molestante: *Extrudit mihi canos ante tempus.* *Los pudrirá.* Nec aliene ex vicinia Hebraici BAHAL transpositi: Et Sanctos Altissimorum perterrefaciet, consternabit, eis terrorem incutiet. S. Hieronymus: *Præliabitur enim Antichristus contra Sanctos, & superabit eos.* Theodoretus: *Tanta enim rabie, inquit Daniel, & insania concitabitur Antichristus, vt omne supplicij genus inferat iis, qui ipsi Deo grato & beneuolæ animo inservientes, sanctitatis participes fuerint.*

Observanda hic duo mysteria: Alterum, quod Hebraicum BALAH, quod idem prorsus est cum Chaldaico BALA hic posito, interdum inueterationem, consumptionemque ac corruptionem significat: interdum verò productionem, longiturnitatem, diuturnitatem, durationem, stabilitatem, Isaïæ 65. 22. *Et opus manuum suarum inueterabunt electi mei*, id est, durare facient & ad senium peruenire, siue antiquum, diuturnum, & durable facient, ad senium producent, vt est Apocalyp. 14. 13. *opera enim illorum sequuntur illos.* Qua ratione interpretantur Forsterus, Forerius, Metcerus, Clarius, Leo Iudas, Auenarius, Montanus, Sâ. Ex quo intelligimus non sine magna ratione positum hoc loco à Propheta verbum, quod cum duas contrarias significationes ferat, nempe consumptionem, corruptionem, & diuturnitatem & stabilitatem; non perfunctoriè animaduertamus, Antichristum sua persecutione quosdam ex Christianis, veluti res vetustate detritas,

putres

putres, & corruptas consumpturū & dissipaturum hoc est vilissimum quemque & corruptissimum ē cētū fidelium deprauaturum ac in partes suas pertracturum: alios vero quibus viuīda & fortis in pectore fides & virtus caluerit, quamuis omni arte & vi quatiar, quanto magis tunder, & consumere ac perdere conabitur, tanto magis indurabit, ac fortiores, stabiliores, & inuictos redditurum: nimirum quos diuina grātia proteget, velut aurum per ignem, tribulationibus puriores conflabit.

Alterum mysterium est, Sanctos Altissimorum, nempe satis innuitur Sacra Trinitas. Altissimorum, hoc est, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Ob quam enim aliam causam vti potuit plurali numero Altissimorum, in Deo, nisi vt Diuinam Personarum Triadem indicaret? Vt ostenderet sanē singulariquodam modo, illo Antichristi funesto tempore, Christianos futuros sub tutela & praesidio Sanctissimae Trinitatis, quod tunc tres ipsae personae diuinæ peculiariter in eorum curam exurgent. Mysterium obruunt, Vatablus, Leo Iudas, & alij, qui reddunt *Et sanctos excelsos &c.* idest, praecipuos & praestantissimos ē Christianis. Nam Chaldaicē est regimen: & hic ELIONIM de Deo fere omnes intelligunt.

II.

Secundum Oraculum est eodem Danielis 7. cap. vers. 25. *Et putabit, quod possit mutare tempora, & leges.* Lxx. *Et cogitabit mutare tempora & legem.* S. Iustinus Martyr Dialogo cum Thryphone: *Et suscipiet [sumet sibi] vt alteret dies & tempora.* S. Irenaeus lib. 5. cap. 25. *Et cogitabit demutare [vel se mutare] tempora & legem.* Lucifer De Non parcendo in Deum *Et cogitabit mutare tempora & legem.* Chaldaice: *Et cogitabit, sperabit, intendet inibiabit,* sic enim Hebraicum *Sabar* cum scin sinistro, quod idest, redditur à Nostro Esther 9. 1.] *ad mutare tempora & legem.* Graeca Scholia habent: *Sperabit, non tamen omnino poterit.*] S. Hieronymus: *In tantamque erigetur Antichristus superbiam, vt leges Dei, & caeremonias mutare conetur: & eleuetur supra omne quod dicitur Deus, religionem cunctam suā subiiciens potestati.*] Theodoretus: *Opinabiturque Antichristus posse se pietatem, quae tunc vigeat, funditus euertere: Optimamque ipsius rempublicam commutare hoc enim innuit, cum dixit, cogitabit mutare tempora & legem, hoc est eam rempublicam quae tunc res administrabit.*] Strabus: *In tantam elatus superbiam, vt leges & caeremonias mutare conetur, extollens se super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. Mutare tempora & leges. Temporalia scilicet, vel ordinem & cursum temporum.*] Lirani: *Et putabit quod possit mutare tempora, id est, cursum & modum viuendi. Et hoc ex nimia eius superbia procedit. Et leges, à Deo datas, quia cultum Dei auferet pro posse suo, & sibi illum cultum usurpabit, ostendens se tanquam sit Deus, vt dicit Apostolus 2. ad Thessalonicens. 2.] Tremellius & Iunius: adeo vt cogitet se mutaturum tempora & ius. de Antiocho, id est, tam blasphemus & importunus erit, vt ipsam Dei auctoritatem sibi in populum eius arroget, tempora Sabbatorum, festorum, & circumcissionis abolendo, & legem ipsam Dei, iuraque omnia conuellendo.]*

Vatablus in editione Sanctandreana. *Et existimabit se posse mutare tempora, & legem. Et cogitabit mutare &c. dabit operam vt inueniat rationem qua mutare possit &c. Per tempora quidem intelligunt caeremonias, siue statuta. Alij. Solemnitates. Per legem autem, legem Euangelicam, aut ipsum Decalogum.*

vt intelligamus omnem, exterius & internum Dei cultum.] In Salmanticensi vero: Chaldaice: *Cogitabitque apud se peruertere. tempora & legem. Tempora sunt Solemnitates, quae sunt certis temporibus, vt dies Dominici. Lex, Euangelium. Dabit, inquit, operam, vt rationem inueniat, qua possit mutare Solemnitates & Euangelium: & illi succedet.*] Leo Iudas: *sibiue arrogabit mutare temporum statum, & leges.*] Clarius: *Et putabit quod possit mutare tempora. Hoc est, efferet se supra omne quod est Deus, vt Paulus ait.] Veldius: Antichristus superbia plusquam satanica inflatus, putabit se posse quae Deo sunt peculiariter & propria mutare, vt sunt siderum cursus, quibus tempora distinguuntur vel temporum qualitates aut proprietates inuerrere, eamque ordinationem qua perseverat dies immutare. Quidam volunt tempora & leges hic accipi pro Festis ac Feriis quae certis temporibus fidelibus sunt decreta: quasi impius ille volet eas Ferias mutatis nominibus sibi dedicari.] Sā: Tempora, scilicet Festa Christianorum, & ritus sacros. Leges, scilicet Christi.]*

Maldonatus: *Et putabit quasi possit mutare tempora, & leges. Eo superbia, arrogantiaque progredietur Antichristus, vt existimet se omnem Euangelicam legem posse peruertere. Aut vt alij Chaldaicum exponunt, vt conetur mutare tempora & leges. Quidam per tempora caeremonias veteris legis, aut solemnitates, quae statis, certisque temporibus celebrabantur: per legem autem Euangelium intelligunt. Quod ego non probo: quorsum enim diceret fore, vt Antichristus veterem legem aboleret, quae iam abolita est? Et si non esset, tamen non esset vitio, sed laudi vertendum. Magis probabile est quod omnes fere veteres auctores tradiderunt, futurum, vt ex Iudaicis natus, Iudaorum conetur legem renouare. Alij tempora, consuetudines, & mores, temporum diuturnitate firmatos: leges scriptas interpretantur. Haud repugno: sed ego tempora vocari arbitrator praescriptos à Deo singulis regnis terminos temporis: leges autem diuina decreta, quibus constitutum est, vt hoc regnum tantum, illud tantum temporis daret. Adducitur vt sic exponam, primum, quod de Regnis & de diuinis iudiciis agatur. Deinde, quod statim hoc alludere videatur, quum dicit: Tradentur in manu eius vsque ad tempus & tempora. Sensus orgo est, fore, vt Antichristus putet se regnorum terminos à Deo constitutos mutare posse.] Hæc Maldonatus. Hoc discrimine periclitantur opera posthuma & acerba, quae non dum vltimam auctorum manum recepere, vt illis non pauca infint meliore lima digna. In hac interpretatione, quaedam sunt friuola & futilia, quaedam nimium subtilia & inania, quae piget refutare.*

Mihi Simplicior ille sensus videtur, quem indicarunt Strabus, Lirani, Clarius, Leo Iudas, Veldius: vt vniuersè intelligamus Antichristum, quae erit animi superbia & dementia, iactaturum se posse mutare certum ac statum, cursum, ordinemque rerum ac temporum, nempe vices dierum, noctium, hiemis, veris aestatis, autumnii: Solis, lunaeque, annique meatus, atque totam naturae legem inuerrere: quod est proprium diuinæ potentiae, quasi quae sunt Dei genuina sibi arroget: & se Deum faciat. Nam paulo antea praemisera Angelus: *Et sermones contra Excelsum loquetur.* Si vero tempora, ritus, caeremonias, & Festa Christianorum, & legem Christi, cum S. Hieronymo & Theodoro, aliisque interpretemur, mirificus erit locus de persecutione Antichristi aduersus Ecclesiam: Vide Sanderum lib. 8. de Visibili Ecclesiae Monarchia, cap. 46.

III.

Tertium Oraculum Danielis 8.10. de Cornu quodam paruulo: *Et magnificatum est usque ad fortitudinem cœli: deiecit de fortitudine, & stellis, & conculcauit eas.* Hunc locum historico sensu de Antiocho Epiphane, mystico verò de Antichristo, de quo Daniel sub typo Antiochi præcipue vaticinetur, accuratè iam demonstrauius lib. 6. cap. 36. lib. 7. cap. 3. & lib. 8. cap. 5. Equidem hæc verba propriè & mitificè Antichristo conuenire non est dubium. L x x. in Complutenfi & Regia Editione: *Magnificatum est usque ad militiam cœli, & de stellis, & conculcauit eas.* In Romana vero: *Et magnificatum est usque ad virtutem cœli, & deiecit in terram de virtute cœli, & stellis, & conculcauerunt eas.* Apud Theodoretum: *Et magnificatum est usque ad virtutem cœli, & cecidit in terram de virtute cœli, & de stellis, & conculcauit eas.*]

Hebræa reddunt Sanctes & Vatablus: *Et creuit usque ad exercitum cœlorum, & deiecit in terram de exercitu & de stellis, & conculcauit eos.* Leo Iudas: *Extendit etiam se contra exercitum cœli, & de exercitu, atque stellis aliquot prostrauit ad terram, & conculcauit eos.* Tremellius & Iunius: *ubi magnificauit se contra exercitum cœli, adeo ut deiiciens in terram de exercitu illo, & de stellis ipsis, conculcasset eas.* Ad verbum: *Et grande fecit se ad usque militiam cœlorum: & cadere fecit in terram de militia, & de stellis, & conculcauit eas.* Illud Nostri, *usque ad fortitudinem cœli:* Hebraismus esse existimat Sà, hoc est, vehementer, quasi dicat, magnificatum est vehementissimè, sublimem in modum. Vt illud Psalm. 170. 5. *Magna est super cœlos misericordia tua, & usque ad nubes veritas tua.*

De voce TSEBA, idest, militia, quam hic Noster fortitudinem reddidit plerique multa disserunt, quæ nosse operæpretium fuerit: Forsterus: TSABA verbum, ministrant ordine & tempore constituto, stetit in militia, militauit. Et significatione congruit cum verbis TSABAH, & IATSAB, nisi quod ut forma parum, ita modo tantum significandi dissideant. Deinde & hoc notatur dignum, quod ingredi in militiam, est fungi ministerio Ecclesiastico: at egredi in militiam, & abire in bellum. Exodi 28. *Quæ militabant ad ostium tabernaculi.* Loquitur autem de honestis matronis ac viduis, quæ ex deuotione ad tabernaculum ieiuniis, precationibusque, ac aliis officiis Deo militabant: quarum quoque 1. Samuelis 2. mentio fit: cuiusmodi etiam Hanna prophetissa fuit, Luca 2. & Paulus 1. Timoth. 5. ad illam veterem consuetudinem honestarum maritarum, viduas desolatas hortatur, ut in Deum sperantes, instant obsecrationibus, & orationibus nocte ac die, atque exinde quoque alia officia ac ministeria viduarum, quibus operam dare oportet, ordine commemorat. Numeror. 4. *Et omnem ingredientem ad militandum militiam, ad seruendum seruitium in tabernaculo.* Et ad hanc militiam Paulus quoque alludit, & Timotheum suum hortatur, 1. Timoth. 1. *Hoc præceptum commendo tibi iuxta prophetias quæ de te præcesserunt, ut milites in eis bonam militiam, habens fidem & bonam conscientiam, &c.* Inde nomen TSABA, militia, exercitus, statio, qua certo tempore, & ordine constituitur, siue in Ecclesia, siue foris in bello. Et memineris phrasin supra indicatæ, quod ingredi in militiam, sit fungi ministerio Ecclesiastico: at egredi in militiam, sit proficisci in bellum. Numer. 1. *Omnis egrediens in militiam in Israël.* & cap. 4. *Omnis qui ingreditur in militiam, ut faciat ministerium in tabernaculo.* Numeror. 8. *Et à filio viginti annorum, & supra ingreditur ad militandum*

militiam in cultu tabernaculi. Sic Paulus vsus est ista voce 2. Corinth. 10. *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad demolitionem munitionum, &c.* Et Timoth. 1. *Ut milites in eis bonam militiam.* Et interdum pro tempore ad rem aliquam perficiendam constituto accipitur. Iob. 7. *Numquid vita hominis militia super terram? & sicut dies mercenarij dies eius.* Ita quoque Isaia 40. *Usurpatur, de quo paulò infra. Præterea usurpatur quoque pro copia potestate, & vi, quod exercitus constet copia, & potens sit, vimque inferat.* Iob. 10. *Et vicissitudines & exercitum contra me.* Daniel. 8. *Et exercitus dabitur contra iuge Sacrificium propter transgressionem, idest, vis, potentia.* Quarto dicitur de cultu & ministerio Ecclesiastico, & Sacerdotio, quod omnia suo tempore decenter & ordine fiebant. Daniel. 8. *Et Sanctuarium & militia erant conculcatio.* Et mox iterum. *Et deiecit in terram de militia, & de stellis, & conculcauit eas.* Isaia 24. *In die illa requireret Iehoua super militiam celsitudinis in exelso & super reges terræ, idest, sacerdotium & regnum.* Et cap. 40. *quoniam impleta est militia eius.* Quod Marci 1. ita est redditum: *Impletum est tempus, instatque regnum Dei.* Vbi, ut supra quoque est indicatum, pro tempore cultus, & ministerij Leuitici est dictum. Porro quando coniungitur nomini SAMAM, idest, cali, tum primo de militia Angelorum dicitur: ut 1. Regum 22. *vidi Iehoua sedentem super throno suo, & omnem exercitum cœlorum stantem iuxta eum à dextera eius, & à sinistra eius.* Deinde de militia cœli, Sole, luna, & stellis. Genes. 2. *Et consummati sunt cœli & terra, & omnis militia eorum.* Deuteronom 4. *Ne quando eleues oculos tuos in cœlum, & videas Solem & lunam & stellas, omnem militiam cœlorum.* 2. Regum. 17. *Et incurruerunt se omni militia cœlorum.* Tertio figurate de cultu & ministerio in cœlo templi. Isaia 24. *Tabescet omnis militia cœlorum.* Daniel. 8. *creuit usque ad militiam cœli, & deiecit in terram de militia, & de stellis, & conculcauit eas.* Obseruandum est autem, quod hoc nomen tantum pluraliter TSEBAOTH, nomini diuino attribuitur, & nunquam singulariter; eo quod Domino Deo militent Angeli Deum glorificando, & ministrando Ecclesia Dei. Deinde Sol, luna, & omnes stelle cœli, luce, calore, & influentia. Tertio filij Dei, pro gloria Dei, & ipsorum salute contra carnem, peccatum, mundum, & diabolum. Et propter hoc fortasse mysterium D. Hieronymus monet in aliam linguam non esse transferendum: siquidem Spiritus Sanctus, & alij Apostoli non mutarint.] Hactenus Forsterus.

Sed & Mercerus è Forstero describens, hæc annotat: *Verbum ipsum TSABA est stare in militia, ordine scilicet & tempore constituto: unde & metaphoricè pro stare ordine, & Deo militare, de Leuitis passim in Mose. Vbi obserua, ingredi in militiam, esse fungi Sacro ministerio, Numerorum 8. & 4. quò alludens Paulus 1. Timotheum, 1. eum ad hanc militiam hortatur: sic arma militiæ nostræ dicit non esse carnalia, 2. ad Corinthios, 10. egredi vero in militiam esse in bellum proficisci, Numerorum, 1. & alias. Metaphoricè ergo est & ordine & stato tempore ministrare. Nomen ergo TSABA militiam sonat, seu exercitum: idest, stationem, qua certo ordine, ac tempore constituitur in bello, aut prælio propriè: & metaphoricè in Domini ministerio: unde & pro tempore ad rem perficiendam, ut ad merendum constituto sumitur. Item pro Potestate, seu potentia, vi, & copia, qua, constat exercitus, sicut & Latine Copias dicimus. De cultu & ministerio Ecclesiastico passim dicitur: ubi decenter omnia, & suo sunt tempore, ac vicibus. Vnde & pro tempore cultus & ministerij Leuitici usurpatur. Marci 1. impletum est tempus, est allusum*

ad Iesaiab 40. ubi dicitur, impleta est militia eius. Cum nomine coeli, Angelos significat, qui Deo militant, & Administratores qui dicuntur spiritus, 1. Regum, 22. & 2. Paralipom. 18. Item solem, lunam, & stellas. Plurale femininum TSEBAOTH tantum tribuitur Deo, & non singulare, quod Deo omnia ministrent & pareant, ac militent, ut exercitus & copia suo duci: & quamvis robore valeant, ipse tamen omnibus imperet, & superior sit, nec nisi ipsius virtute & voluntate quidquam illis succedat. Angeli Deo militant eum glorificando, & eius Ecclesia ministrando: stella luce, calore, influentia: filij Dei pro eius gloria, & sua salute adversus satanam &c. Ob quod mysterium videtur monuisse Hieronymus non esse in aliam linguam transferendum, cum nec Spiritus Sanctus, aut Apostoli mutarint. Luca 2. fit mentio militia celestis laudantium Deum &c. Elias notat, tempus hoc nomine notari, quod eius causa sint celestes copiae.] Hæc Mercerus. Eadem de notione vocis TSABA ex Forstero verbatim exscripsere Forerius in Isaia 24. 21. & cap. 40. 2. Auenarius, & Schindlerus in Lexicis. Marinus autem & Schindlerus aiunt TSABA significare congregationem, coadunationem hominum, vel in bello aut prælio: vel metaphorice in aliquo ministerio & functione Ecclesiastica, seu aliarum rerum, vel celestium, puta Angelorum & stellarum: vel terrestrium ut arborum, lapidum, animalium, quod Noster Genes. 2. 1. ornatum dixit. Transferri denique eleganter ad tempus, quod est quasi dierum multorum congregatio.

Ergo hoc Danielis loco militiam caelorum haud dubitauerimus totum statum & militiam Ecclesiae militantis ex piis Christi fidelibus constantem interpretari: in qua instar exercitus & militaris stationis omnia ordine, decenter, & suo fiunt tempore: specimenque refert Ecclesiae illius seu militiae celestis, cum Angelorum Deo in caelo militantium & ministrantium: tum siderum & stellarum, ac luminarium in firmamento lucentium, & instar exercitus militantium. Et proprie hæc stellas Sanctiores in Ecclesia, aut Doctores, Præsidesque & maiores Ecclesiarum facile ex consensu explanatorum accipimus: hoc enim nomine qui in eo sunt amplissimo ordine, ornantur Danielis 12. 3. Qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stella in perpetuas aeternitates. Vnde S. Gregorius lib. 32. in Iob. cap. 12. istud Danielis oraculum de Antichristo elucidans, inquit: Hinc Daniel sub Antiochi specie contra hanc draconis caudam [Antichristum] loquitur, dicens: Deiecit de fortitudine, & de stellis & conculcavit eas. De fortitudine quippe & de stellis deiecit, quum nonnullos, & iustitie luce resplendentes, & virtute operis robustos frangit.]

Contremiscat igitur quisque Christianus, quum audit Antichristum acerrime insurrecturum, & prævaliturum adversus Ecclesiam Christi, & de ipsis Doctoribus atque Præsibus, Primoribusque Ecclesiarum multos deiecit atque conculcaturum; in foueamque impietatis præcipitaturum. At si de corporea Antichristi persecutione hæc acceperimus, (nam & de corporea, & de spiritali loqui Prophetam non ambigimus) miserandum dictum! quibus ærumnis, ac stragibus Antichristus Ecclesiam pessumdabit, ut summos eius vertices & celsa capita Christianorum pedibus calcet, & instar luti maceret ac proterat.

Opportune hæc inferendam duximus loci huius interpretationem, quam affert S. Isidorus Pelusiota lib. 3. Epistola quarta ad Eutonium Diaconum. Nam etsi de Antiocho exponat, nimirum historice, expositio tamen mirifice Antichristo sub Antio-

chi specie conuenit: ait enim: Sic etiam Daniel stellas eos vocat, qui & pietate clari sunt, & vitam optime constituunt: ait enim: Et cecidit in terram à stellis, & à virtute. Non quod stella ceciderint, ut quidam opinati sunt, absit, sed quod Antiochus Epiphanes (nam de eo Angelus sermonem habebat) à Machabeis insigniter superatus sit, ac Iudaico Imperio exturbatus. Non enim dixit stella ceciderunt: verum ille à stellis præclare pugnantibus cecidit, hoc est, victus, ac profligatus est. Quod si quis vocabulum istud πέρσειν, pro παύσειν, idest, percussit, accipiat, (nam hoc quoque sensu per sepe usurpatur, ut in hoc loco πέρσειν, idest, percussit, & manus eius sanauerunt, secunda videlicet syllaba per diphthongum scripta: potest illud dici, quod septem fratres, ac matrem, & sacerdotem Eleazarum, qui præclaram ac fulgidam vitam ostenderunt, atque siderum instar in terra extiterunt, percussit.) Et hæc quidem aptissime in Antichristum competunt, cuius typum gessit Antiochus, quod ipse percussurus sit valide stellas Ecclesiae & militiam caelorum: sed ab iis egregie vincendus & profligandus sit.

CAPUT IV.

Elucidantur alia Danielis loca
de persecutione
Antichristi.

Quartum oraculum est Danielis 8. 12. de eodem Antichristo, sub imagine Antiochi. Et prosternetur veritas in terra, & faciet, & prosperabitur. Ex verbo, Et proiciet veritatem in terram & faciet, & perumpet. Ad terram affliget veritatem, idest, contundet, conquassabit, franget, & extinguet veritatem. Lxx. in Complutensi & Regia: Et proiecta est in terram iustitia, & fecit, & prosperata est. Q. d. Tamen ab Antichristo iustitia affligetur, at substat, & caput eriget in Sanctis. Et vers. 42. Et supra quam credi potest, uniuersa vastabit: Et prosperabitur, & faciet: & interficiet robustos, & populum sanctorum secundum voluntatem suam, & dirigetur dolus in manu eius: & cor suum magnificabit, & in copia rerum omnium occidet plurimos. Priores duas clausulas abunde explicatas dedimus lib. 6. cap. 36. Sequentia ex Hebræo ita redduntur, Et corrumpet robustos, & populum Sanctorum: & super intellectu eius, & perumpet dolus in manu eius, & in corde eius grande faciet se: & in pace corrumpet multos. Lxx. in Complutensi & Regia editione: Et interficiet fortes, & populum sanctum, & ingum supplicij dirigetur: dolus in manu eius, & in corde eius magnificabitur: & dolo interficiet multos. Quod vero in Hebræo, & Vulgato sequitur: & contra principem principum consurget, & sine manu conteretur: ipsi Lxx. præcedentibus annexunt, redduntque: Et in perditione multorum stabit, & quasi oua manu conteret. In Romana vero editione: Et disperdet robustos, & populum Sanctum: & ingum catene eius dirigetur: dolus in manu eius, & in corde eius magnificabitur: & dolo corrumpet multos: Et super perditionem multorum stabit, & quasi oua manu conteret. Apud Theodoretum autem: Et interficiet fortes, & populum sanctum, & ingum vinculi eius diriget: dolus in manu eius, & in corde suo magnificabitur, & dolo interficiet multos: & perditione multorum stabit, & quasi oua manu ipsos conteret. S. Irenæus lib. 5. cap. 25. Et exterminabit fortes, & populum Sanctum, & ingum torquis eius. Dirigetur dolus in manu eius, & in corde suo exaltabitur & dolo disperdet multos, & ad perditionem multorum stabit, & quomodo una manu conteret.

Notat

Notat Feu-ardentius veterem codicem Irenæi habere, & quomodo una manuum conterer. Vnde facio, una manu conteret. ut habent Lxx. quæ est genuina Irenæi lectio: etsi illa altera, una manu, constaret, facilitatem & robur conterendi indicaret, quasi ei non opus esset altera. Origenes lib. 6. contra Celsum hunc locum ita expressit: *Et interficiet potentes, sanctumque populum & iugum vinculorum eius prosperabitur. Dolus in manibus eius, corde suo extolletur: perdetque multos dolis circumuentos: & instabit in multorum perniciem, quos non aliter quam una manu conteret.* Sed expendamus Hebræa.

Et corrumpet, propriè funditus-perdet, deuastabit, deprauabit, abolebit: possit intelligi, vel in anima, vel in corpore: hoc posterius Noster intellexisse videtur, nempe de Martyriis piorum, cum ait, *Et interficiet.* robustos, fortes, præualidos, firmiores, qui ei excelsio animo ac pectore robusto valide resistent. *Sanctorum*: non dubium, quin Christianorum. *Et super intellectu eius.* Hanc partem noster superioribus annexuit, dixitque, *Interficiet robustos & populum Sanctorum secundum voluntatem suam.* In Hebræo vero, post Sanctorum, est Soph passuc, id est, finis versus, & illud, *Et super intellectu eius, vel suo.* inchoat initium noui versus. SECHEL cum Scin sinistro, est propriè, intellectus, ingenium, solertia, insignis industria, attentio, prudentia, calliditas diligens studium, gnaua opera, consideratio. Addunt alij aliquando pro fecundatione, seu successu prospero sumi: quod qui res considerate & attente agit, successum prosperum ferè habeat. Vulgatus eam vocem variè reddere solet, nam cum sexdecim ad summum Scripturæ locis legatur, exprimere consuevit, intellectum, doctrinam, eruditionem, ingenium, disciplinam, sensum, prudentiam: & hic voluntatem. Quæ omnia significata huic loco mitificè congruunt: nam omne suum ingenium, intellectum, sensum, industriam, solertiam, attentionem, prudentiam, considerationem, calliditatem, studium, operam, huc conferet Antichristus, ut Christianam religionem funditus perdat: ac tantum non eius conatus prosperè ei succedent: nam in ultimum fermè discrimen Christianitatem persecutione sua coniciet.

Aliter: *Et super intellectu suo, & perrumpet dolus &c.* hoc est, in hoc omne suum ingenium, studium, & industriam ponet Antichristus, ut dolus eius prosperè succedant. Aut sit hyperboles: *Et super intellectu suo &c.* id est, supra quam ipse intelligere, aut cogitare possit, dolos prosperè versabit, particula, &, secundo loco posita, vel superfluit more linguæ, vel profanè, equidem ad sententiæ incrementum est adiecta. Alio modo: *Et iuxta [secundum] intellectum suum,* & hoc est quod cogitabit, ac volet, efficiet pro libito: ut dolum mente concipiet, ita ei prosperè succedet, ad votum suum dolos omnes perficiet. Videretur id dictum è diametro eius quod de Christo scripsit Isaias 53. 10. *Et voluntas Domini in manu eius dirigetur.* Vatablus in editione Sanctandreeana: *Et per intellectum suum prosperabit dolum in manu sua.* Id est, per solertiam suam prosperari faciet dolum, quem parauerit, hoc est, multos decipiet. In Salmantina vero: *Per industriam suam prosperari faciet fraudem in manu sua, est, Solertia sua decipiet alios quos volet perdere.* Leo Iudas paraphrastice: *Et pro sua calliditate feliciter per dolos negotia sua expediet.* Tremellius & Iunius: *Et incumbens intelligentiæ suæ, prosperabit dolum in manu sua, id est, actionum suarum.* Nec omittimus SECHEL per Samech litteram eiusdem soni ac potestatis cum Scin Semol, quæ cum illa inuicem passim permutari solet, propriè esse, stultitiam, insaniam, inconsidera-

tionem, imprudentiam, temeritatem, inconstantiam, instabilitatem, ignauiam, socordiam, fatuitatem: ut mirum sit eandem penitus vocem, contraria significare, nempe intellectum, & stultitiam. Vnde hic reddi possit: *Et super intellectu suo,* ac etiam, *& super stultitia sua,* quod intelligentia & prudentia Antichristi, non sit nisi nimia stultitia & fatuitas futura.

Opportunè tamen memorandum est hic non leue mysterium quod auctor Lexici Complutensis, quod Bibliis Complutensibus, à Francisco Ximeno Cardinali editis subiectum est, annotauit, hæc scribens in verbo SACHAL: *Sachal, intelligere, prudenter agere, aspicere. Significat etiam prædicta diffio Superponere, scilicet, in modum crucis. Genes. 48. Commutans manus, id est, unum brachium supra aliud ponens in modum crucis. Vnde apud Chaldaeos & Indos Crux dicitur MASCHAL. Nam ego interrogavi quemdam Indum Christicolam, qui semper crucem gestabat in manu quo nomine illa crux vocabatur in suo idiomate apud Indos: & respondit quod appellabatur MASCHAL, quod potest interpretari intellectus seu Sapiencia secundum primam significationem. Vnde Apostolus prima ad Corinthios, cap. 1. ait: Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam: ipsis autem vocatis Iudæis, atque Græcis Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam.] Hæc auctor Lexici.*

His accinens Forsterus, hæc habet in Radice SACHAL: *In secunda coniugatione SICHEL. Et legitur quoque semel tantum in voce actiua, Genes. 48. Et accipit Ioseph ambos illos Ephraim in dextera sua ad sinistram Israël, & Manasse in sinistra sua ad dexteram Israël, & prope eum adduxit. Et extendit Israël dexteram suam posuitque eam super caput Ephraim, qui erat iunior, & sinistram super caput Manasse: attente adaptauit autem ita manus suas, ne Manasse primogenitus esset. Hanc genuinam esse ac veram huius loci expositionem non ambigo. Omissis igitur aliorum Doctorum variis interpretationibus, unam tantum Auctoris Toletani editionis, quisquis ille fuerit, expositionem, deinde qua adiungit, digna equidem si vera sunt, cognitione, annotabo. Sic autem in hoc loco verbum SICHEL transtulit, Commutans manus suas. Et in Dictionario quod in calce editioni sua adiecit, scribit, verbum hoc inter alia etiam significare, superponere in modum crucis: Nomen MASCHAL tam Chaldaeorum, quam Indorum lingua significare crucem: atque à se Indum quendam Christicolam, qui Crucem in manu semper gestaret, interrogatum, quo illam nomine lingua sua appellaret, respondisse MASCHAL: inde colligens, Paulum Apostolum ad hanc vocem alluisse 1. Corinth. 1. ita scribentem: Nos prædicamus Christum CRUCIFIXUM, Iudæis quidem SCANDALUM, gentibus autem STULTITIAM: sed eisdem vocatis Iudæis pariter & Græcis Dei potentiam, ac Dei SAPIENTIAM, &c. Siquidem hæc vox MASCHAL commutatis tantum litteris Symbolicis, CRUCEM, SCANDALUM, STULTITIAM, & SAPIENTIAM significat.] Hætenus Forsterus. Equidem MICHOL transpositum, est scandalum. Amplexus quoque hæc est Antonius Honcala in Genes. 48. & Cornelius à Lapide in 1. Corinthior. 1. ad vers. 23. Mercero ista non admodum probantur cum ait: Genes. 48. 14. SICHEL ETH IADAV, intelligere fecit manus suas: quod Manasseb [esset] primogenitus. Id est, scite adaptauit. Noster Interpres, commutans manus, sensum magis quam verba reddidit. Quod quidam explicantes, addunt, in modum crucis scilicet; ac annotarunt Indorum lingua*

MASCHAL Crucem appellari. Quo volunt Paulum alluisse 1. ad Corinthios, 1. Predicantem Christum crucifixum, Iudeis Scandalum, gentibus stultitiam: vocatis autem &c. Dei virtutem & sapientiam: quod scilicet vox eadem variè deflexa Sapientiam, stultitiam, & Crucem significet. Sic Auctor Lexici quod Complutensi Bibliorum editioni subiunctum est. Sed ego aliena puto. Ac miror virum aliqui nasutum Forsterum his commotum esse.] Hæc ille. At ego non dubito Paulum, quæ erat sapientia, eò respexisse, vimque vocis MASCHAL, aut SACHAL arcanè quatuor illis, Cruce, Scandalo, stultitia, Sapientia, expressisse.

At locum Genesis ita ex Hebræo reddunt: Rabbi Ionah: intellexit Iacob ex manibus eius, scilicet Iosephi, quod Manasse esset primogenitus. Thargum, Rabbinus Aben-Ezra & Scelomoh: Sapientiam dedit manibus suis. Kimchius: intelligere fecit manus suas. Dedit intelligentiam manibus suis: ac si facerent cum intelligentia & Sapientia illud quod faciebant.] Sanctes: intelligere fecit manus suas. Vatablus in editione Salmantina: intelligere fecit manus suas, quemadmodum postea euentus probavit: tanquam manus illa essent conscie rerum futurarum. In Sanctandrea vero: Intelligere fecit manus suas. Hebraismus, docte, scite, perite, imposuit illis manus. Quum hebetes senio essent oculi, ut aspectu non discerneret uter natu maior esset, consultò tamen manus suas transversas posuit: ideo dicit Moses quod intelligere fecit manus suas, quasi manus illa essent conscie rerum futurarum: quia non temere eas proiecit, nec palpani causa huc vel illuc transtulit, sed delectu adhibito sciens ac volens manum dexteram direxit ad Ephraim qui minor erat natu: Sinistram autem primo genito imposuit.] Tremellius & Iunius: Cognoscebat palpano manibus suis Menaschem esse primogenitum. Isidorus Clarius: Commutans ex industria manus. Oleastrius: Cognoscere, seu intelligere faciens manus suas. Vel, discernere faciens manus suas, aut Prudenter dirigens manus suas. Forsterus: Attente adaptavit manus suas. Mercerus: Scite adaptavit manus suas. Auenarius, & Schindlerus: Prudenter direxit manus suas. Marinus: Sapienter porrexit manus suas. Honcala: Erudiuit, vel intelligere fecit, vel si Latinitas patiatur, Sapientificavit manus suas. Ac si velut erudita facerent illa, & cum quadam intelligentia, Sapientiaque prædita id ipsum quod per eas fiebat.] Buxtorfius: Intelligere fecit manus suas. Id est, sciens, scite, consultò, & de industria manus suas direxit.] Posset reddi: Considerate traduxit manus suas. Et omnium optime Hispanice Cruzò suspirator, id est, in modum crucis unam alteri superposuit, quod MASCHAL uti prædiximus, est Crux. Sed ad institutum remocemus orationem.

At quid secuti Lxx. in hoc Danielis loco verterint, Et iugum supplicij, vel catena, vel torquis eius. disquiramus. Certè ut traduxerint, iugum, pro HAL Hebraico, id est, super: eisdem litteris, sed aliis punctis videntur legisse HOL, id est, iugum: sed quid expresse-rint per supplicium, aut catenam, aut torquem, diuinare nondum potuimus. Nam vel ad sensum ita dicere voluerunt: vel vocem SECHEL, intellectum, vel voluntatem, per catenam, seu supplicium exposuerunt, ut iugum intellectus seu ingenij eius, interpretati sint, iugum supplicij seu catenæ, aut torquis eius. Ut sit, Verba Lxx. concinnè competunt in Antichristi persecutionem.

Et in pace corrumpet multos. Diximus de voce SALVAM copiosè lib. 6. cap. 11. Maldonatus: Et in pace multos interimet, quod quidam interpretantur multos innoxios & pacificos occidet, subito eos opprimens, ut ait Rabbi Saadja. Ego sic, in pace, id est, impudè, sine ullo suo detrimento, re ex animi sententia succeden-

te.] Vatablus in Editione Sanctandrea: Et in pace vastabit multos. Et in tranquillitate perdet multos, id est, homines degentes in pace, & nihil tale cogitantes, hoc est opprimet incautos. Quidam vertunt: Et propter felicitatem suam vastabit plurimos.] Et in Salmanticensi: In paceque perdet multos, id est, aggreditur eos nihil tale suspicantes, ut pote in otio degentes.] Theodotion: Et in dolo interficiet multos. Sanctes: Et in dolo vastabit multos. Forsterus: Et in prosperitate disperdet multos. Marinus: Et in tranquillitate deuastauit multos. Montanus: Et in tranquillitate corrumpet multos. Tremellius & Iunius: Et in tranquillitate perdet multos. Id est, neque laceffitus, neque laceffes armis sed, pacè simulat, tyrannicas cædes exercebit.] At Noster cæteris melius: & in copia rerum omnium occidet plurimos. Quod bifariâ capi potest: Primo, quod Antichristus profusè offerens & largiens immensas diuitias ac opes, rerumque omnium copiam iis qui ei adherere voluerint, plurimos inescabit, corrumpet, ac funditus perdet, in baratrum impietatis demersos. Quem sensum Leo Iudas paraphrastice expressit: Copiaque rerum instructus vastabit multos. Secundo, ut significetur, Antichristum præcipuè deprauatum & corruptum eos qui rerum omnium copiis affluunt, nempe crassos & opulentos diuites, & pingua sæculi mancipia. Hi enim deliciis & opibus dissoluti facilius Antichristum suscipient, omnes fastus & luxuriæ habenas effundentem. Caueant sibi diuites, opportunè iam antea præmoniti, ne sua gentilica & Epicurea viuendi ratione se ad Antichristum recipiendum præparent. Sunt enim nonnulli diuites apud Christianos, qui præter siccum & exangue Christianitatis nomen, & fidem vitiis veluti multo abdomine obrutam ac pene præfocam, cætera videntur Pagani ac planè Epicuræi.

S. Gregorius lib. 32. in Iob, cap. 12. hunc locum ita enarrat: Hinc rursum per Daniele de Antichristo dicitur: Interficiet robustos & populum Sanctorum secundum voluntatem suam, & dirigetur dolus in manu eius. Robustos namque interficit, quum eos qui mente inuicti sunt, corporaliter vincit. Vel certe robustos & populum Sanctorum secundum voluntatem suam interficit, quum eos qui robusti ac Sancti credebantur, ad nutum sue voluntatis trahit. In cuius manu dolus dirigitur, quia in illo fraus per opus adiunatur. Quod enim fallendo dicit, hoc mira faciendo asserit: nam quidquid mendax lingua simulat, hoc quasi verum esse manus operis ostendat.]

Iam quod Lxx addunt: Et super perditionem multorum stabit, quasi oua manu conteret, rectissime Antichristi persecutioni conueniunt, & sunt valde horrenda, & cum primis expendi digna; quàm acriter Bestia illa in perditionem Fidelium semper insister: & quàm facile ac omnino, ut oua, eos manu contunder, ac penitus confringer.

V.

Quintum Oraculum, Daniel. 11. 24. de pressura Antichristi: Et contra firmissimas cogitationes inibit: & hoc usque ad tempus. Hunc locum de Antichristo esse intelligendum, pluribus ostendimus lib. 6. cap. 11. 15. & lib. 7. cap. 11. 26. & lib. 8. cap. 3. & 5. & 14. Hebræa ad verbum: Et super munitiones, cogitationes suas, vel cogitationibus suis: & usque tempus. Hoc est, machinabitur Antichristus, quonam pacto munitiones & arces urbium, ac firmissima quæque loca regionum occupare possit. Quo etiam verba Vulgati reduci possent: Et contra firmissimas, hoc est, vrbes, vel munitiones, (quod MIBZARIM etiam Vulgato variis locis Scripturæ, munitiones significet.) inibit cogitationes, seu agitabit consilia nimirum de illis inuadendis & capiendis: & hoc usque ad

ad tempus, scilicet commodum inuadendi. Vel à Deo permissum. Ita Sd. At Vatablus in Sanctandreaana editione: *Et contra munitiones cogitabit cogitationibus suis: idque usque ad tempus. Id est, statuet breui se inuasurum loca munita, reputans se milites ea praeda paratioribus habiturum. Quidam: Et machinabitur etiam technas, ut tempore idoneo munitissima loca inuadat.*] is est Leo Iudas, & in Salmantina: *Et contra munitiones cogitabit cogitationibus suis usque ad tempus. Id est breui se inuasurum loca munita statuet: reputans se milites ea praeda paratioribus habiturum.*] Tremellius & Iunius: *Et contra munitiones cogitabit cogitationes suas, easque ad tempus usque.* Maldonatus: *Et contra munitiones cogitabit, hoc est postquam pacificas & mercatorias urbes ceperit, ut paulo ante Daniel dicebat, animum ad capienda regni praesidia & munitiones adiciet. Et hoc usque ad tempus, observato idoneo capiendi eas tempore. Aut ut ego potius interpretor, cogitabit cogitationes suas, & usque ad tempus. Id est premet animo sua consilia, neminique indicabit, quoad opportunum tempus veniet: tunc enim aperto Marte regnum inuadet.*]

Et quamvis hic sensus recte constet, & apte Antichristo conveniat: at proculdubio praestat exponere contra firmissimas & munitissimas cogitationes, contra quavis firma & valida munimenta ac praesidia cogitationum, Antichristus consilia sua inibit. Hoc est, contra firmissima quavis proposita ac rationes Christianorum machinabitur, & inibit, seu agitat suas strophas. Nullum erit tam sanum & firmum in quacunque re Christianorum consilium & decretum, quod ipse Antichristus suis technis & artibus non conetur euertere. Aut: Nulla erit tam fortis & robusta Christianorum pro Catholica Fide ratio, nullum argumentum tam sapiens, ac prudentia plenum, nulla probatio tam inuicta & ineluctabilis, quam Antichristus suis argutiis & cavillis non dissolvat & eludat. Omnia Christianorum quantumvis praecelara consilia dissipare tentabit. S. Hieronymus: *Et contra firmissimas cogitationes Sanctorum inibit consilium: facietque universa usque ad tempus, donec eum Dei voluntas facere ista permiserit.*] Eodem modo interpretantur Anselmus Laudunensis, Lyranus & alij. Illud, *cogitabit cogitationes suas*: emphasim habet, id est, huc acerrimè conferet omnia sua consilia, studia, conatus. LXX. in complutensi & Regia: *Et super Aegyptum cogitabit cogitationes suas.* Quod Aegyptum verterint, aliud diuinare non possum, quam quod pro MIZARIM, legerint MIZRAIM. Et Antichristo etiam competit, qui Aegyptum in potestatem rediget, ut vidimus lib. 6. cap. 15.

CAPUT V.

Exponuntur reliqua Danielis Vaticinia de Persecutione Antichristi.

Sextum Oraculum Daniel. 11. 33. *Et docti in populo docebunt plurimos: & ruent in gladio, & in flamma, & in captivitate, & in rapina dierum.* At quamvis hæc facta in persecutione Antiochi Epiphanis adversus Iudæos constet: at plenius complenda esse in illa suprema Antichristi adversus Christianam rempublicam persecutione, consensu interpretum non est dubium. Unde S. Hieronymus: *Quanta Iudæi ab Antiocho passi sunt Machabeorum libri referunt, & triumphorum testimonio sunt: qui pro custodia legis Dei, flammis, & gladiis, & servitutem, & rapinas, & penas sustinuerunt. Qua futura nemo dubitet sub*

Antichristo, multis resistenibus potentia eius, & in diversa fugientibus.] De Antichristo quoque hunc locum explanant, S. Prosper in Dimidio Temporis, cap. 10. Strabus, Anselmus Laudunensis, Lyranus, Veldius, & alij. LXX. Interpretes in Romana editione: *Et intelligentes de populo intelligent in multa & infirmabuntur in gladio, & in flamma, & in captivitate, & in rapina dierum.* Apud Theodoretum vero, & in Complutensi, & Regia: *Et intelligentes populi intelligent in multa: & infirmabuntur in gladio, & in flamma, in captivitate, & in direptione dierum ipsorum.* Sed verba tantisper sequamur.

Et docti in populo docebunt plurimos. Sanctes Et intelligentes populi, intelligere facient multos. Ita quoque Vatablus: explicatque: *Id est, Doctiores in populo dabunt intelligentiam legis & preceptorum Dei multitudini.*] Leo Iudas: *Doctores etenim populi erudient multos.* Mercerus: *Et eruditi de populo intelligere facient multos.* Tremellius & Iunius: *Et erudientes populum, instituent multos.* Forsterus: *Et observare, facientes populum, & facientes intelligere multos.* Iungit sequentibus, id est *Monitores populi, & doctores ruent in gladio &c.* quasi persecutio incipiat à verticibus ipsis & culminibus religionis Christianæ. Possis reddere: *Et sapientes, [industrii, gnavi, prudentes, ingeniosi, Solertes, attenti.] populi, intelligent multa.* Id est, secum multa reputabunt, & volent animo in maxima illa pressura: intelligentque vatam prædicta priorum. Maldonatus: *Docbunt plurimos non verbis, sed exemplis: quid autem eos docturi suo exemplo sint, statim declarat: Ruent in gladio &c. mori ergo pro religione constanter ipsi prius moriendo, docebunt plurimos.] & corruent, Hebraicè, offendent, impingent, illudent, in gladium &c.* Illud verò, *& in rapina dierum.* Heb. *& in pradam, seu direptionem, diebus.* Hebraica quædam exemplaria addunt, *multis.* Unde Leo Iudas exponit, *longo tempore, diuturnam fore persecutionem affirmat.* Theodoretus, *& in direptione dierum ipsorum,* exponitque; *Rapinam seu direptionem dierum, immaturam mortem, quasi dicat, rapiuntur, caduntque ante diem.* Sic enim ait: *Diversis enim & omnis generis tormentis impius ille pios homines deterere conatur immaturam ipsis inferens necem, quasi reliquos ipsorum dies diripiens.*] Maldonatus existimat vocem, *dierum,* indicare quod etsi persecutio aliquot annos sit duratura, non tamen futuram perpetuam, aut diuturnissimam.

VII.

Septimum oraculum annexitur ab eodem Daniele immediate verbis quomodo explicabamus: *Quumque corruerint, subleuabuntur auxilio parvulo: & applicabuntur eis plurimi fraudulentor. Et de eruditis ruent, ut consentent, & eligantur, & dealbentur usque ad tempus presinitum: quia adhuc aliud tempus erit.* Huius loci non alium S. Hieronymo meliorem optare interpretem possumus, qui sic ait: *Sub Antichristo parvum auxilium Nostri intelligi volunt: quia congregati sancti resistent ei, & vrentur auxilio parvulo: & postea de eruditis corruent plurimi. Et hoc fiet, ut quasi consentent in fornace, & dealbentur, & eligantur, donec veniat tempus presinitum: quia vera victoria in adventu Christi erit.*] Eodem modo de Antichristo intelligunt. S. Prosper in Dimidio Temporis, cap. 10. Strabus, Anselmus Laudunensis, Lyranus, Veldius, Maldonatus, & alij. Et quid multis verbis opus est? S. Hieronymus hanc esse Mortuorum, id est Patrum ante se explanationem disertè affirmat.

LXX. In complutensi, & Regia: *Et quum infirmari fuerint ipsi, adiuvabuntur auxilio parvo, & adicientur ad eos multi in lubricatibus.* Et ab intelligen-

tribus infirmabuntur, ut igne consulentur ipsi, & eligantur, & reuelentur, usque ad temporis finem, quia adhuc in tempus. Et in Romana Editione: *Quumque infirmati fuerint, adiuuabuntur adiumento paruulo: & applicabuntur eis multi in lubricitate. Et de intelligentibus infirmabuntur, ad constandum eos, & seligendum, & reuelandum usque ad temporis terminum: quia adhuc in tempus.* Apud Theodoretum autem: *Et quum infirmati fuerint ipsi adiuuabuntur auxilio paruulo: Et applicabuntur ad ipsos multi in lassisibus. Et de intelligentibus infirmabuntur multi, ut igne consulentur ipsi, & eligantur, & dealbentur, usque in temporis finem: quia adhuc in tempus.* Hebræa excutiamus. Cumque corruerint, ex verbo: *In Scandalizari-facere, [in impingere-facere, in labefactari-facere, in offendere-facere] ipsos.* Verbum CASAL in Hiphil est transitivum, magnamque vim habet, quasi dicat, si impigerint, corruerintque, haud dubie magna vis eis est adhibita, quæ eos deiiceret, adiuuabuntur [sustentabuntur-veluti fulcris.] adiutorio [sustentaculo] paruitatis, seu paucitatis. Vtrumque enim significat MEAT. idest, modico aliquorum Sanctorum Doctorum aut prædicatorum auxilio: seu, paucorum virorum doctrinâ & exemplo, ut Henoch & Eliâ. Et addentur [adiungentur, accommodabuntur, obstringentur, obligabuntur, adharebuntur] super eis multi in lubricitatibus. De voce CHALAKLAKOTH disseruimus a fatim lib. 6. cap. 11. Marinus, Montanus: *Et copulabuntur super eis multi in blanditiis Auenarius: Et colligentur super eos multi in blanditiis.* Tremellius & Iunius: *Quia adiungent se ipsis multi blanditiis. Id est, hypocrita, qui lingua tenus, & non opere miseros Dei seruos adiuuabunt.* Leo Iudas: *Et illis adiungentur multi per simulatam amicitiam.* Vatablus vel, falsis sermonibus, seu fiste. De fictis, falsisque Christianis, seu pseudoprophetis, & prauis prædicatoribus, qui specie pietatis Christi fidelibus imponent tempore Antichristi, vaticinatur hîc Daniel. Tunc enim magna erit seges falforum fratrum & seductorum. Vide Clarium. Et de intelligentibus [sapientibus, prudentibus, industriis, gnanis, solertibus, ingeniosis, attentis, obseruantibus] scandalizabuntur, [impingent, offendent, labefactabuntur, illident,] ad vrere in eis. Sanctes: *Et de intelligentibus corruent ad constandum ex eis. Et in Thesauto: ad fundendum, seu purificandum eos.* Forsterus: *Et de intelligentibus corruent ad vrendum in eis.* Tremellius & Iunius: *Ex ipsis autem erudientibus corruent ad constandum eos.* Marinus: *Et de intelligentibus impingent ad examinandum in (per) eos.* Auenarius: *Ex doctis offendentur aliqui ad examinandum in eis.* Leo Iudas: *Ex doctis quidem corruent aliqui gratiâ examinandi.* Vatablus: *De peritioribus [erudientibus] autem illis corruent ad repurgandum in eis, vel, per eos. Id est, ut repurgent mentes vulgi per ignem examinandas, quas confirmabunt suo exemplo, quasi dicat, ad repurgandum Israelem scoriis, hoc est, falsis opinionibus. Metaphora à metallis.]* Verbum TSARAPH propriè est, argentum igni vrere, excoquere, fundere, conflare, examinare, & à Scoriis repurgare. Inde transfertur ad alia, præsertim ad Deum, cuiusque verbum, ut significet probare, explorare, examinare, veluti igni metalla. Nota hîc elegantem paronomasiam, quæ Latine vix exprimi possit: MASCHELIM ICHASERV, intelligentes impingent Duplicem sensum concipere possumus, Primo, *Et de eruditis ruent, non peccando, sed moriendo, & patiendò dura, ut consulentur, ut eorum virtus in infirmitate perficiatur, ut igne tribulationis excocti, probati, examinati, puriores reddantur, ut qui electi sunt, manifesti fiant.* Ita Veldius & Mal-

donatus. Secundo, De præstantioribus, & doctioribus aliqui corruent, in impietatem, ut ceteri alieno exemplo sapiant, & cautiores reddantur, ut qui electi sunt, manifesti fiant, resistentes Antichristo. Ita Sa. Hebræa vtrumque sensum patiuntur, illis verbis, in eis idest, eos vel per eos.

Et ad expurgare, [mundare, purificare, polire, clarificare, seligere, secernere] & ad dealbificare, usque ad tempus finis, vel præcisionis. Id est, usque ad præfinitum, & præcisum tempus, ut optimè Vulgatus exposuit. Tremellius & Iunius, usque ad tempus termini, seu determinatum. Leo Iudas usque ad tempus ultimum, nimirum quod persecutio Antichristi futura sit ultimo mundi tempore, quia adhuc tempus constitutum-vel tempori-constitutum. Leo Iudas, quia tempus aliud præfinitum est. Noster, quia adhuc aliud tempus erit: nempe post illud luctuosum tribulationis tempus, succedet aliud felix & lætum quietis & pacis, atque prosperitatis, nimirum victoriæ in aduentu Christi. Ita S. Hieronymus, Anselmus Laudunensis, Veldius, Sà, Maldonatus, & alij. Vatablus quia adhuc [erit finis] temporis constituti. Plena locutio supra versu 27. CHI HOD KEZ LEMOHED, quia adhuc [erit finis temporis-constituti, idest, nam adhuc expectabitur tempus quo Deus finem faciat persecutioni illi: quia tunc finis afflictionis nondum venerit.] Tremellius & Iunius, quia adhuc supererit terminus constituto tempori. Maldonatus: quia adhuc in tempus constitutum. (persecutio durabit) id est, non prius cessabit quam tempus præscriptum præterierit. Sicut dixit vers. 27. quia adhuc finis in aliud tempus. Ego simplicius acceperim, quia adhuc [finis] tempori constituto. Id est, persecutio Antichristi durabit usque ad præfinitum tempus à Deo, quod tempus constitutum, & præfinitum, non diu durabit, sed mox, statim finietur: quasi dicat, tempus præfixum persecutioni Antichristi non erit infinitum, seu longissimum: sed suum finem breui est habiturum.

VIII.

Octauum oraculum Daniel 11. v. 41. Et introibit in terram gloriosam: & multi corruent. Hunc locum de Antichristo esse intelligendum lib. 6. cap. 20. docebamus. S. Hieronymus: *Et multi corruent. Pro quo interpretatus est Symmachus: Et multa millia corruent. Theodotio, Et multi infirmabuntur. Multas autem corruere iuxta Aquilam, vel vrbes, vel regiones, vel provincias intellige. Et hac Porphyrius ad Antiochum refert. Nostri autem ad Antichristum & istareferentes dicunt, quia venturus sit in terram Israel, & multa ei vel vrbes, vel provincia datura sint manus.]* LXX. & multi infirmabuntur. Theodoretus: *Decepti videlicet vel magnitudine suppliciorum mollii.]* Hebraicè fæmineo genere enunciat: *Et multa impingent, [offendent, labefactabuntur, illident.]* BABOTH, multa: qua ratione S. Hieronymum ex Aquila legisse, nuper in eius verbis videbamus, cum multas interpretatus sit, vel vrbes, vel regiones, vel provincias: ut hæc proculdubio existimanda sit genuina vulgati Interpretis lectio, quæ nouissimè restituta est in Bibliis Vulgatis, iussu Xysti V. & Clementis VIII. emaculatissimè editis: congruitque sequentibus: *Hæ autem sola saluabuntur de manu eius, &c.* Ruituras autem dicit multas, vel vrbes, vel regiones, vel provincias, vel quod ob regionem excidentur ab Antichristo. Vel quod in impietatem sint ruituræ, ab Antichristo deceptæ. Tremellius & Iunius, multas copias intelligunt. Forsam subit hîc mysterium, nempe vaticinari Daniele de infirmis Christianis, qui vel blanditiis & illectamentis, vel tormentorum vi à fide desciscant: ac proindè vsum nomine fæmineo

RABOTH, cum verbo masculeo IACASELV, id est, *multa corrueat*, ut masculinum verbum, sexum : fæmineum vero suppositum, animum eorum fractum, eneruatum, imbecillum, ac prorsus effæminatum innueret. Ac si diceret : Hi tanquam mulierculæ fragiles & infirmæ corrueant. Sic Scriptura solet viris interdum tribuere nomina, vel pronomina, seu verba fæminea, quum eos ut molles, & effæminatos traducere vult. 2. Regum 13. v. 37. *Et luxit David filium suum cunctis diebus.* Verbum *luxit*, Hebraicè est fæmineum, ut Davidis animum tenerum & mollem, ac minimè virilem in lugendo tam diu impio filio perstringeret. Sic Ieremiæ 3. 5. Amos 4. 1. Aut si mauis, id circo coniunxisse vtrumque sexum, ut ex vtroque, multos Antichristo adhæsurus indicaret.

I X.

Nonum oraculum Daniel. 12. 1. *Veniet tempus quale non fuit ab eo ex quo gentes esse ceperunt, usque ad tempus illud.* Hebraicè *Et erit tempus pressuræ* T S A R A H, Angustiam, afflictionem, anxietatem, angorem, coarctationem, pressuram, oppressionem significat. Hunc locum de Antichristi aduersus Ecclesiam bello esse intelligendum, Patres omnes, & Interpretes aduersus Porphyrium de Antiocho Epiphane explanantem disertissimè docent. Vide igitur quam fanaticè Nouatores Pellicanus, Tremellius & Iunius ad Antiochum referant, cum Porphyrio. S. Cyrillus Ierosolymitanus Episcopus Catechesi 15. de Antichristi persecutione hunc locum Danielis adducit, dicens: *Dicit enim Daniel: Videbam cornu illud, quod faceret bellum cum Sanctis Dei. Et rursus alibi: Et erit tempus tribulationis: tribulatio qualis non fuit ex quo facti sunt homines in terra usque ad tempus illud. Grauis est hac bestia, & draco magnus pugnans contra homines, paratus ad deuorandum.* S. Hieronymus: *Tempore autem Antichristi talem tribulationem fore, qualis nunquam fuit ex quo gentes esse ceperunt, verius intelligitur.* Theodoretus de Antichristo quoque exponens, inquit: *Hoc item Dominus in Sacris Euangelis dixit: Erit enim tribulatio, inquit, qualis non fuit ab initio seculi, neque fiet. Consentiunt itaque Prophetica Euangelica oracula.* Eodem modo interpretantur S. Prosper in dimidio Temporis cap. 10. Primasius, S. Beda, & Ansbertus in 12. Apocalypsis, Strabus, Anselmus Laudunensis, Lyranus, & omnes posteriores Explanatores. Pronunciat itaque apertissimè Daniel, seu potius Angelus, Antichristi aduersus Christianos persecutionem omnium quotquot ante ipsam fuerint, futuram maximam, atrocissimam, crudelissimam. L X X. seu Theodotion: *Et erit tempus tribulationis, tribulatio, qualis non fuit, &c.* Geminatio ista grauiissimam tribulationem & pressuram designat.

CAPVT VI.

*Christi Domini predictio de tribulatione
Ecclesie sub Antichristo.*

Matthæi 24. 21. affirmat Christus: *Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet. Et nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro: Sed propter electos breuiabuntur.* Tribulationem hanc seu pressuram, siue afflictionem magnam, illam intelligi à Domino, quam in excidio Ierosolymitano per Vespasianos Principes Iudæi pertulerunt, non pauci existimauere, Eusebius Cæsariensis lib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 7. S. Chrysostomus, Theophilactus, Euthymius, S. Thomas, in Matthæi 24. v. 21. S. Augustinus

Epistola 80. ad Hesychium, Victor Antiochenus in 13. Marci, ad versum 19. Nicephorus lib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 8. ex recentioribus, Toftatus, Vatablus, Gagnæius, Titelmannus, Clarius, Iansenius, Sà, Montanus, Franciscus Lucas in Marth. 24. 21. Baronius Tom. 1. Annalium, anno Christi 72.

Verum quamuis asseramus, Dominum vtrumque de pressura Ierosolymitana locutum, nempe veluti de umbra & typo illius extremæ afflictionis per Antichristum futuræ: & primario & præcipuo sensu intellexisse de tribulatione & pressura illa nouissima per Antichristum Ecclesiæ inferenda, non dubitabimus seriò & securè affirmare, cum propter Parrum & recentiorum maiorem de hac interpretatione consensum: tum propter aliquot solidas rationes. Patres quidem hoc ipsum adstruentes innumeros reperimus: quorum omnium sententias si hîc vellemus inferere, tædio lectorem afficeremus, loca tantum fideliter à nobis singula inspecta designabimus. Auctor apud Clementem lib. 3. Recognitionum, Tatianus Syrus in Harmonia Euangeliorum, in Tertio anno Prædicationis Dominicæ, cap. 14. S. Irenæus lib. 5. aduersus Hæreses, cap. 25. & 29. S. Hippolytus Martyr Oratione de Consummatione Mundi, & de Antichristo, Origenes in Matthæi 24. ad vers. 21. S. Cyprianus de Exhortatione Martyrij, cap. 11. Lactantius Firmianus lib. 7. cap. 17. S. Athanasius, vel si quis alius est auctor, Disputatione cum Ario, & Epistola ad solitariam vitam agentes, S. Hilarius in Matthæi 24. ad vers. 21. S. Cyrillus Ierosolymitanus Catechesi 15. S. Ambrosius in Psalm. 43. ad vers. 1. S. Ephræm Syrus Sermone de Antichristo, Metro primo, & Sermone de Pænitentia, Tomo 3. S. Hieronymus in 7. Danielis, ad vers. 25. S. Cyrillus Alexandrinus lib. 11. in Genesim, ad finem S. Prosper in Dimidio temporis, cap. 10. Theodoretus in Oratione 7. in Daniele, ad verba illa cap. 7. v. 26. & *iudicium sedebit, ut auferatur potentia &c.* & Oratione 10. ad verba illa cap. 11. v. 35. *ut consentur, & eligantur &c.* Et ad verba illa cap. 12. v. 1. *Et veniet tempus, quale non fuit &c.* Paulus Orosius ad finem Præfationis in suam Historiam, Auctor Operis Imperfecti in Matthæum, Homilia 49. S. Gregorius lib. 32. in Iob. cap. 12. S. Isidorus cap. 12. Commentariorum in Genesim, Primasius in 13. Apocalypsis, S. Martinus Romanus Pontifex Epistola 15. ad Elierum, S. Beda in Marci 13. ad vers. 19. S. Agobardus Sermone de Trinitate & de Antichristo, S. Damascenus lib. 4. de Fide Orthodoxa, cap. 27. Aretas & Ambrosius Ansbertus, rursus in 3. & 12. Apocalypsis in 20. Apocalyp. 5. ad verba illa vers. 3. *Et post hæc oportet illam solui modico tempore.* Zacharias Chrysopolytanus Episcopus Harmoniæ Euangeliorum cap. 145. Iunilius Afer, seu si quis est alius auctor, in Hexæmeron, Auctor nomine S. Ambrosij in 17. Apocalyp. Victorinus Commentariolo in Apocalypsim, Rabbanus Opusculo de Antichristo, Strabus, & Anselmus Laudunensis, in Matthæi 24. ad vers. 21. Otho Trisingensis lib. 8. Chronici, cap. 6. Hugo Etherianus libro de Regressu Animarum ab inferis cap. 24. Gotfridus Viterbiensis Parte 10. Chronici extrema, Lyranus, Caietanus, Bredembachius, Hieronymus Natalis, Barradius in Matthæi 24. ad vers. 21. Clarius, Veldius, Peterius, Maldonatus in 12. Daniel. v. 1. Erasmus in Paraphrasi Marci 13. ad vers. 19. Viguerius in institutionibus Theologicis, cap. 21 §. 3. Sanderus lib. 8. de visibili Ecclesiæ Monarchia, cap. 43. Bellarminus lib. 3. de Romano Pontifice, cap. 7. & 17. Acofta lib. 2. de Nouissimis Temporibus,

Temporibus, cap. 14. Henriquez de Fine Hominis, cap. 23. §. 8. Florimundus Remundus libro de Antichristo cap. 43. Viegas in 13. Apocalyp. Commentario 2. sectione 13. Lessius de Antichristo cap. 9. Suarez Tomo 2. in 3. Partem, Disputatione 54. Sectione 6. Gregorius de Valentia Tomo 4. Disputatione 11. Quæst. 2. Puncto 2. §. 3. & omnes ferme Scribentes de Rebus Antichristi.

Nec defunt rationes validæ quæ persuadeant, Dominum de Antichristi extrema præssura, hæc vaticinatum. Primum quia ait, tribulationem futuram maximam omnium quæ ante illam fuerunt in mundo unquam, neque illi parem ullam vel fuisse, vel fore: quæ verba in nullam persecutionem competere vere possunt, nisi in illam Antichristi, cum qua nulla ex parte comparari potest suprema illa Iudæorum clades, sub Tito, ut est consensu omnium exploratissimum. Didacus Stella, in 21. Lucæ, Iansenius, Gagnæus, Sâ in 24. Matthæi, secuti S. Augustinum Epist. 80. ad Hefychium respondent, loqui Christum singulariter & propriè de pressura populi Iudaici, scilicet Iudæorum gentem nunquam passam, nec passuram tantam tribulationem: quod innuisse videtur S. Lucas 21. 23. *Erit enim pressura magna super terram, & ira populo huic.* Scilicet, Iudaico, cui nec unquam fuit, nec erit tam magna tribulatio, ut illa Vespasianica: nam sub Antichristo Iudæi non affligentur, sed potius cum illo gaudebunt, & regnabunt, quem ut regem & Messiam suum colent. At hæc solutio facile refellitur, primum, quia ait Dominus, *qualis non fuit ab initio mundi*: at populus Iudaicus non fuit ab initio mundi: sed sub Abrahamo caput secerni & segregari. Deinde lib. 1. cap. 14. ex Iudæorum Annalibus annotauimus, multo grauius afflixisse Iudæos Hadrianum Imperatorem, quam Titum, de qua re dicemus quoque lib. c. Insuper, Et si Iudæi initio regni Antichristi pace & prosperitate fruentur: at postea ab illo reiecti & repudiati, crudelius ab ipso vexabuntur, quam unquam ab illo antea sint afflicti. Ad hæc, Lucas proculdubio non loquitur de eadem tribulatione de qua Matthæus, ubi de abominatione desolationis dicebamus lib. 8. cap. 10. in Prima Expositione

Addunt alij, illud *neque fiet*, posse Optatiuè capi, pro, *neque fiat*. Sed exile est id effugium: nam in futurum Dominus loquitur, & omnes in futurum intelligunt. Et cur Dominus Iudæis quos excindere decreuerat, non aliam talem cladem optaret? Franciscus Lucas exponit, Christum loqui de populo Iudaico, *sed intelligere de particularibus gentium ac regionum tribulationibus: nullam unquam regionem, nullam gentem passam fuisse, aut passuram tantam tribulationem, cladem, & calamitatem, quantam gens & regio Iudæorum sub Vespasiano Principibus.* At maior fuit clades Pentapolitana, qua omnes incendio sunt absumpti: maior Iudæorum calamitas sub Hadriano, maiorque erit eorundem pressura sub Antichristo. Pergunt Iansenius & Lucas nostram rationem eludere, Christum locutum de tribulatione ultionis & vindictæ, qualis non erit tribulatio fidelium sub Antichristo: quæ non erit nisi probationis & examinis. At nimis argutè id excogitatum: Verba enim Domini generalia sunt, etsi generaliter Christus loqui voluisset, potuisset ne clarioribus verbis uti?

Secundo, illud, *non fuisset Salua omnis caro.* Vniuersè positum est pro omni carne, hoc est, totius mundi hominibus, non pro Iudæis dumtaxat, de quibus solis non dixisset Dominus *omnis caro*. Tertio, quia Christus præfatis verbis, proculdubio de eadem tribulatione locutus videtur, de qua Daniel. 12. v. 1. in

oraculo quod superiori extremo capite elucidabamus: nam eisdem omnino verbis utitur: at ex communi omnium consensu, ut diximus, constat, Daniele de Antichristi tribulatione vaticinatum. Quo circa Theodoretus interpretans locum Danielis, hæc scite annotauit: *Et erit, inquit Daniel, tempus tribulationis, qualis non fuit ex quo facta est gens super terram, & usque ad tempus illud. Hoc item Dominus in sacris Evangelis dixit: Erit enim tribulatio, inquit, qualis non fuit ab initio sæculi, neque fiet: & nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret Salua omnis caro: sed propter electos meos breuiabo dies illos. Consentiunt itaque prophetica Evangelicis oraculis.* Eadem obseruauit Clarius, Veldius, Perrerus, Maldonatus.

Quarto quia Dominus postquam dixit: *Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mudi, &c.* mox vers. 29. subdit: *Statim autem post tribulationem dierum illorum, sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & cætera signa præsentis mundi occasus:* ergo disertissimè ait Christus, *statim post tribulationem dierum illorum, seu tribulationem illam, ut ait Marcus, illam nimirum, de qua proximè dixerat: Erit enim tunc tribulatio magna, &c.* futurum mundi finem & interitum: at perspicuum est, non statim post tribulationem Iudaicam sub Tito, aduenisse mundi casum, cum plusquam mille & quingenti anni iam præterierint: aduenturum vero statim post illam Antichristi persecutionem non est dubium: manifestè ergo de ista loquitur Dominus. Vim tam clari argumenti auertere conati sunt, Gagnæus, Iansenius, Franciscus Lucas. Sed frustra: nam clariora sunt verba Christi, quam ut eludi possint. Et si Dominus clarè & aperte voluisset dicere, statim sinè vlla mora, saltem aliquis momenti, post pressuram Antichristi, futurum finem sæculi, nescio quibus aliis verbis manifestius & dilucidius id exprimere potuisset: qui aliud perpendunt, torquent & premunt verba Christi.

Ad intellectum vero illius Christi sententiæ: *Et nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro: Sed propter electos breuiabuntur dies illi.* S. Hieronymus in Matthæ. 24. v. 22. S. Augustinus Epistola 80. ad Hefychium, acriter in eos inuehunt in quosdam asserentes, eos dies reuera cæteris breuiiores futuros, & cursu solis celeriore transigendos. Sed est id metum delirium: cum tunc Deus statum, cursumque cæli, at motum neutiquam sit immutaturus. Versus etenim sensus est, dies illos breuiandos, seu decurtandos, aut coarctandos ut Græca habent, non diuturnitatis aut temporis cuiusque diei mensura, sed numero tantum: hoc est non erunt naturalibus & ordinariis diebus breuiiores, (pari enim quo nunc durationis viginti quatuor horarum spatio constabunt) sed quod iam inde ab æterno decreuerit Deus illos futuros paucos, cum plures esse potuissent.

Vult ergo Redemptor apertissime dicere, grassante & horrendum in modum debacchante Antichristi sæuissima illa, & omnium quotquot ante ipsam in mundo fuerunt, grauissima aduersus Ecclesiam persecutione: Si diutius tam atrox turbo durasset, nullum vspiam mansurum hominem, qui vel non in partes Antichristi transiret, vel non crudeli morte mactaretur, omnia vel deprauante, vel concidente Antichristo. Deum vero decreuisse, ne in longius tempus tam dira vexatio producat, quia voluit complere electos cum inuita, tum stabiles in fide & vera religione conseruare. Hunc esse genuinum sensum verborum Domini, facile quisque prudens agnoscat. Reliqua ab Interpretibus perenda.

* *

CAPVT VII.

*Ioannis in Apocalypsi oracula de Persecutione,
Antichristi.*

Magnus Apostolus Apocalypf. 13.7. hæc habet: *Et datum est illi [Bestia] bellum facere cum Sanctis, & vincere eos.* Bestiam hanc immanem, cui tam vasta potentia, esse ipsum Antichristum, accuratissime probauimus lib. 5. cap. 26. & 27. Antichristus implacabile bellum geret aduersus Sanctos, id est, Christianos, & vincet eos. Vel in anima, pertrahendo ad impietatem, vt à Fide Christi deficiant, ac se Deum adorent: vel in corpore, variis cruciatibus eos interficiendo. Primasius: *Antichristus potestatem temporaliter accipiet, qua ille male viens, nocere volet corpori Christi.* Andreas Cæsariensis *Contra omnem, inquit Ioannes, tribum & linguam, & populum maligna sua potestate abutetur: at contra illos victoriam tantum obtinebit, quorum nomina non sunt scripta in libro vite.* Ansbertus ad vers. 5. *Dicatur ergo de immanissima ac saeuissima bestia: Data est illi potestas facere mensibus quadraginta duobus. Ac si diceretur: potestatem quidem iuste Deo permittente aduersus Sanctos accipiet: sed id circo in quantum vult, non praualebit, quia etsi immanissime desauiet, tamen contra robustos ac Dei præceptis munitos certamen inibit. Sed si vt diximus, in quantum vult, non praualebit, quid est, quod post paululum de huius potestate subiungitur: Datum est illi bellum facere cum Sanctis, & vincere illos. Si Sanctos vincet, quomodo in quantum vult non praualebit? maxime cum & de Antichristo Daniel dicat: Aspiciebam, & ecce cornu illud faciebat prælium aduersus Sanctos, & praualebat eis. Sed sciendum nobis est, quia & ad aliquid contra sanctos praualebit, & ad aliquid non praualebit: praualebit namque aduersus eos & vince teos, quum corporalibus penis morti eos carnis tradiderit: non praualebit autem aduersus eos, quia ad consensum suum, nequaquam pertrahet eos. Vel certe illi vinci dicuntur, qui humana, & non diuina æstimatione Sancti esse videbantur.* Eadem est aliorum interpretum omnium explanatio.

Idem S. Ioannes funestas ac horribiles Ecclesiæ sub Antichristo oppressiones in typo pulcherrimæ mulieris, amictæ sole, stellis coronatæ, lunam pedibus prementis, factu grauidæ, parturientis, & patientis, ab teterrimo dracone infestatæ, quæ in desertum fugiens, ibi pasta sit à Deo diebus mille ducentis sexaginta, graphice depinxit, Apocalyp. 12. Verum longiore totius visionis, aut parabolæ explicatione Interpretibus relicta, summa tantum quædam capita instituto pernecessaria attingemus. Et quamuis Mulierem hanc explanatores in diuersos sensus distraxerint, at illa melior & receptior intelligentia probatur, qua Mulier amicta sole, Ecclesia ipsa accipitur sub gladio Antichristi extremis mundi temporibus gementis & laborantis, atque in deserta fugientis, ibique latitantis. Ita locum totum intellexerunt S. Methodius, Tyconius, Andreas, & Aretas Cæsarienses Episcopi, Victorinus, Primasius, Strabus: & ex recentioribus Ribera, Sà, Melus, Bulengerus, Viegas, Item Henriquez de Fine hominis cap. 25. §. 8. littera p. i. in commento. Et quidem ita esse intelligendum, magnis rationibus Ribera ostendit: quem tu consulas: & in hoc opere nos quoque validè demonstramus, præsertim lib. 5. cap. 25. & libro isto 9. cap. 16. & 17. & 20. Vide Ieremiam Ferrerium libro de Antichristo, cap. 25. Equidem Ecclesia in persecutione Antichristi sum-

mis doloribus & cruciatibus suos fideles ex se genitos parturiet, quia per summas rerum difficultates, & pressuras Christianos vel de nouo gignere, vel in fide & religione conseruare enitetur, quali iterum eos parturiens, & Christo regenerans per ingentia pericula & maxima discrimina pereundi, propter acerbiter tam truci Antichristi persecutionis. Consimili tropo vsus est Paulus Galat. 4. 19. *Filioli mei, quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis.* Sic nos Hispanicè de eo qui summum euasit vitæ discrimen, dicimus, eum tum recens natum, aut tunc primum ex vtero matris prodiiisse. Et quia mulieribus nulli esse solent acerbiores cruciatus, quam parturitionis, seu partus: appositè summos angores, & intollerabiles Ecclesiæ dolores sub Antichristo, difficultati pariendi Ioannes comparauit: vt etiam Isaias 57. 3. *Dies tribulationis dies hæc. Quia venerunt filij vsque ad partum, & virtus non est pariendi* Draconem qui instat mulieri parturienti, diabolum furem in Antichristo aduersus Ecclesiam intelligimus, vbi lib. 5. cap. 25. explicabamus: de quo Ioannes vers. 12. subdit: *ve terra & mari, quia descendit diabolus ad vos habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet.* Breuitatem temporis, nempe trium annorum, & sex mensium, quibus Ecclesiam pertundet Antichristus, atrocitate & grauitate pressuræ compensabit. Tunc enim diabolus omnem iram suam, omnem potentiam, vires, artesque suas effundet ad opprimendam Ecclesiam sciens nullum sibi post hæc relictum tempus & locum nocendi Christi fidelibus. Reliqua huius visionis inferius cap. 16. & 17. & 20. elucidabimus. Porro ex Ribera, Melo, Viega, aliisque explanatoribus, accipi potest, quam recte, concinnèque verba Ioannis adaptentur persecutioni Antichristi: neque enim in his longiores esse volumus.

Opportunè hinc subiicimus verba Andreæ Cæsariensis Episcopi de hac muliere amicta sole, lunamque sub pedibus habente. *Hanc mulierem nonnulli Dei Genitricem, virginemque matrem per omnia Sanctissima interpretati sunt, quam ea omnia, quæ ordine hic consequuntur, prius perpeffam autumant, quam diuinus illius partus perfectè cognosceretur.* At magnus Methodius ad Ecclesiam retulit, in Dominica Natiuitatis mysterium parum ea conuenire ratus, quæ hoc loco de illo narratur: maxime verò quòd Dominus noster dudum ante patefactam libri huius prophetiam natus fuerit. At ipsamet Methodij verba in medium adferre lubet. *Is ergo in Tractatu quem Symposium inscripsit, ex persona Procles virginis ita scribit: Mulier sole induta, est Ecclesia: quod autem nobis veltis est, hoc illi lux est. Pari modo quod nobis est aurum & pretiosi lapides, hoc illi sunt stella, & quidem cæteris præstantiores & illustriores. Ascendit hæc autem super lunam, quia Synagogam sub pedibus prostratam habet. Cæterum per lunam eorum fidem metaphoricòs designari putamus, qui per regenerationis lauacrum à corruptionis malo expiati sunt: siquidem humida & aquea natura ex luna præcipuè dependet. Hæc autem parturit & regenerat, hominesque crassos & animales in caelestes & spirituales transformare, ideaque & similitudini Christi conformare studet. Et paucis interiectis rursum: Non oportet arbitrari de Christo recens iam nato verba hic fieri. Iam olim enim ante Ioannis Apocalypsim incarnati Verbi Sacramentum Completum erat. Ioannis autem Apocalypsis de rebus presentibus, olimque futuris vaticinatur. Et post alià denuo: Non possumus proinde non confiteri Ecclesiam eam esse, quæ parturit & generat regenerationis fonte ablutos. Quare in Isaiâ Spiritus dicit: Priusquam parturiret, effugit vt pareret, & peperit, masculum. Et quem effugit spiritualis Sion nisi draconem? quo nimis*

rum generare possit populum masculum.] Huc usque Andreas ex S. Methodio, de quo plura scripsimus lib. I. cap. I. huius operis.

CAPVT VIII.

Quem humanorum morum statum excipiet persecutio Antichristi.

ANequam peculiaria persecutionis Antichristi aduersus Ecclesiam exponamus, dicere primum conuenit, quoniam in statu morum mundus existet eo tempore, quo totum persecutionis apparatus & machinas Antichristus aduersus pios instruet, & ad mouere cogitabit. Equidem non est ambigendum, Antichristum tunc summum potentiae & monarchiae culmen adepturum, quando mundus eo deprauationis & corruptionis morum deuenerit, ut nihil peius & profligatius excogitari possit. Numquam enim homines ullis ab orbe condito temporibus, tot flagitiis & sceleribus cooperti existerent, numquam in mundo vitia atque peccata tantum vigerunt aut regnauerunt, ut tunc quum veniet Antichristus: tunc enim mala omnia plenum cumulum & mensuram accipient: nimirum ut in Antichristo fere fiat omnis recapitulatio iniquitatis, & vniuersa impietas in ipso conglobetur, ut ait S. Irenaeus lib. 5. cap. 29.

Pulchre Christus de calamitate illius temporis, Matthaei 24. 12. *Abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum.* Et Lucae 18. 8. *Veruntamen Filius hominis veniens, putas inueniet fidem in terra?* Forsam fidei nomine intelligit fidelitatem, veritatem, sinceritatem, constantiam, integritatem, Hebraica phrasi, ut Psalm. 32. 4. *Omnia opera eius in fide.* Sed locum accuratè exponemus inferius, cap. 22. Sed Patrum ea de re sententias audiamus.

S. Irenaeus lib. 5. cap. 29. *Et propter hoc in Bestia veniente [Antichristo] recapitulatio fit vniuersa iniquitatis, & omnis doli, ut in ea confluens, & conclusa omnis virtus apostatica in caminum mittatur ignis.* Et infra: *Sexcenti sexaginta sex numerum nominis significat illius [Bestiae Antichristi] in quam recapitulabitur sex millium annorum omnis apostasia, & iniustitia, & nequitia, & spendo prophetia, & dolus: propter quae & diluvium superueniet ignis.*

S. Hippolytus Martyr Oratione de Consummatione mundi, mores illius temporis egregie ita describit: *Disce dilecte, improbitatem hominum illius memoria, ut iustum diripiant, domos & agros, & ipsam iustitiam auferant à iusto: ut scias tum finem adesse, quando haec fient.* Et Paulo inferius: *Haec praenarrauimus: ut intelligatis cruciatum & perturbationem extremis futuram temporibus, omniumque hominum inter se viuendi consuetudinem, inuidiam, odium, contentionem, pastorum in ouibus negligentiam, populi erga sacerdotes animum immorigerum.* Ita omnes suo arbitratu viuunt. Filij manus iniiciunt in parentes: uxor virum suum tradet in mortem, vir uxorem suam, ut ream trahet in iudicium, Domini in seruos suos erunt inhumani, serui in Dominos animum gerent inobedientem, senis canitiem nemo reuerbitur, iuuenilis forma nemo miserebitur: templa diuina domorum instar erunt, locis omnibus euerisiones fient Ecclesiarum: Scripturae contemnentur, hostes illius cantica ubique decantabunt. Post haec stupra, adulteria, pariuiria, incantationes, diuinationes magno impetu, studioque sequentur. In summa, ex his qui Christiani videntur, tunc exsurgent falsi prophetae, falsique Apostoli, homines impostores, corruptiores, malefici, mentientes alius in alium, adulteri, stupratores, Pastores fient quasi lupi, monachi

expetent quae sunt mundi, diuites animum expertem misericordia induent, pauperi non succurrent principes, potentes miserationes abiciunt, iudices iustum auferent ex iusto, muneribusque excacati iniustitiam probabunt. Quid narro quae fient ab hominibus, cum ipsa etiam elementa ordinem suum sint negatura?

Lactantius Firmianus lib. 7. cap. 15. Propinquante igitur huius saeculi termino, humanarum rerum statum commutari necesse est, & in deterius, nequitia invalescente, prolabi: ut etiam nostra haec tempora, quibus iniquitas & malitia usque ad summum gradum creuit; in illius tamen insanabilis mali comparatione felicia & prope aurea possint indicari. Ita enim iustitia rarefcescit ita impietas, & auaritia, & cupiditas, & libido crebrescent, ut si qui tum forte fuerint boni, prae sui sceleratis, ac diuexentur undique ab iniustis. Confundetur omne ius, & leges interibunt. Nihil quicquam tunc habebit, nisi aut quaesitum, aut defensum manu, audacia & vis omnia possidebunt. Non fides in hominibus, non pax, non humanitas, non pudor, non veritas erit: atque ita neque securitas, neque regimen, neque requies a malis ulla. Omnis enim terra tumultuabitur, frement ubique bella, omnes gentes in armis erunt, & se inuicem oppugnabunt, &c.]

S. Cyrillus Ierosolymitanus Catechesi 15. *Fraternum odium deinceps locum dabit Antichristo. Preparat diabolus schismata populorum, ut tanto facilius hostis recipiatur.* Et post multa: *Terrent me bella gentium: terrent me schismata Ecclesiarum: terret me odium fratrum.* Nimirum quod haec viam sternant Antichristo.

S. Ephraem Syrus Sermone de Antichristo; Metro primo: *Siquidem Sancti, magnique Dei permissu potestatem decipiendi mundi accipiet Antichristus, quod impleta iam sit impietas saeculi, hominumque iniquitas multiplicata nimis. Eam obrem immaculatissimus Dominus spiritu erroris tentari patietur mundum propter eorum impietatem.*

S. Gregorius Nazianzenus Oratione 14. *Equidem vereor, ne praesens rerum status ignis illius in expectatione positi fumus quidam sit: ne is Antichristus superueniat, ac nostros lapsus & morbos in principatus sui occasionem arripiat: nec enim opinor sanos adorietur, nec charitate septos & munitos: verum regnum in seipsum prius diuidi oportet &c.]*

S. Ioannes Chrysostomus Homilia 78. in Matthaeum: *Quum Antichristus venerit, licentius omni turpi voluptati iniqui, & qui salutem suam desperabunt, utentur. Tunc ad explendum furorem mentis multi studebunt. Crapula tunc & temulentia summo opere vigeat.*

Hugo Etherianus libro de Regressu Animarum ab inferis, cap. 23. *Siquidem ipso Antichristo veniente, in voluptatibus plerique lasciuient, filij paribus insidiabuntur coniunx imminet mariti exitio, doli erunt in pretio & fraudes. Amor habendi sceleratus princeps erit cordium humani generis. Ipse vero Antichristus ut pessime generationi satisfaciat, opes malorum irritamenta effodiet & exponet. Qua de re bella exoriantur, concutiantur arma, pietas vincetur, amor fratrum nullius habebitur, ratio erit unicuique quidquid effectus persuasit. In seruos inhumani erunt Domini, neque serui Dominis subduntur. Canicem nullus reuerbitur, pulchritudinis iuuenum miserebitur nemo, templa Dei erunt despectui. Ecclesiarum subuersiones ubique fient. Sacra Scriptura ut leues fabula spernentur. Aures illius Discessionis complicitum, maledictus, blasphemis mendatio, irrationi obtemperabunt, impudicis cantibus, & abominabilibus sonis delectabuntur, inuicem se criminabuntur, instigabunt ad lites, calumnias mouebunt, & quaecumque indigna*

indigna sunt Christiano, effutient. In omnem lasciuiam prouent, in omnem libidinis gurgitem volutabuntur infranes: obscenis, & fedis cupiditatibus penitus inhiabunt. Veneficia, incantationes ab his qui nominabuntur Christiani, palam exercebuntur: pseudo Apostoli & falsi propheta ad inuicem insurgent mentientes, auari, periuri, detractores, lupi fient. Sacerdotes Christi amplexabuntur mendacia, monachi adhaerebunt iis quae sunt huius mundi. Diuites immisericordes erunt, pauperum principes non miserebuntur. Iudices iniqui manibus datis magno studio seruientes, sacrosanctum & penitus necessarium donum iustitiae iusto praecludent, nec legum examina seruabunt, sed excecari donis, iniustitiam sectabuntur.] Vide Gotfridum Viterbiensem Chronici Parte X. ad finem, qui affinia iis habet.

Nec opus est hac de re plures Patrum sententias coaceruare: cum sit consensu omnium exploratissimum, Antichristum non venturum nisi quo tempore mundus in profundissimum scelus & flagitiorum barathrum prolapsus fuerit. Et quid multis verbis opus est? cum Christus prauitatem illius temporis satis praenuntiauerit, Matthaei 24. 10. & tunc scandalizabuntur multi, & inuicem tradent, & odio habebunt inuicem. Scilicet erit multo peius tempus, quam illud quod ita pinxit Catullus Epigrammate 65. de Nuptiis Pelei & Thetidos ad finem:

*Sed postquam tellus scelere est imbuta nefando,
Iustitiamque omnes cupida de mente fugarunt,
Perfudere manus fraterno sanguine Fratres,
Destitit extinctos natus lugere parentes,
Optauit genitor primam funera nati,
Liber ut innupte potiretur flore nouerca:
Ignaro mater substernens se impiam nato,
Impia non verita est diuos scelerare penates.
Omnia fanda, nefanda, malo permissa furore,
Iustificam nobis mentem auertere Deorum.*

Et Ouidius:

*Viuunt ex rapto, non hospes ab hospite tutus,
Non focer à genero, fratrum quoque gratia rara est
Imminet exitio vir coniugis, illa mariti,
Filius ante diem patrios inquit in annos.
Vincta iacet pietas, & virgo cade madentes
Vltima Coelestium terras Astra reliquit.*

Mirabile est, quod S. Isidorus lib. 2. Sententiarum, cap. 24. his verbis scribit: Ante quam Antichristus appareat, virtutes ab Ecclesia, & signa cessabunt: quatenus eam quasi abiectiorem persequatur audacius. Ob hanc utilitatem cessabunt sub Antichristo ab Ecclesia miracula, & virtutes, ut per hoc & Sanctorum clareat patientia & reproborum, qui scandalizabuntur, leuitas ostendatur, & persequentium audacia ferocior efficiatur.]

CAPVT IX.

Quae Patres prodiderint de acerbitate Persecutionis Antichristi.

Sacri Ecclesiarum magistri, Patres Sancti, ex Sacris Soraculis, quae hactenus hoc libro nono explicauimus, satis eruditi, scruitatem & atrocitatem Antichristiani aduersus Ecclesiam belli nunquam putarunt dignis verbis, & iusta ratione se exprimere potuisse. Eorum quasdam sententias ea de re instituto perneceffarias hic intexere operae pretium fuerit.

S. Irenaeus lib. 5. aduersus Haereses, cap. 25. Ille enim Antichristus omnem suscipiens diaboli virtutem, veniet non quasi rex iustus, nec quasi subiectione Dei legitimus: sed impius & iniustus, & sine lege, quasi apostata, & iniquus, & homicida, quasi latro, diabolicam apostasiam in se recapitulans, &c. Et cap. 29. Et propterea cum in fine repente hinc Ecclesia assume-

Tom. II. de Antichristo,

tur, Erit inquit, tribulatio qualis non est facta ab initio, neque fiet. Nouissimus enim agon iustorum, in quo vincentes coronabuntur incorruptela.] Et cap. 30. Cum autem vastauerit Antichristus hic omnia in hoc mundo, regnans annis tribus, & mensibus sex, &c.]

S. Hippolytus Martyr Oratione de Consummatione mundi: Aduertite qui Deum diligitis, qualis afflictio futura sit illis temporibus. At illis dumtaxat temporibus. Tunc iniquus ille elato animo demones suos congregabit humana specie: & eos qui illum ad regnum inuitarunt, fastidiet, animasque multas inquinabit: quippe principes eis constituet ex demonibus. Nec iam velut religiosus, sed plane austerus, seuerus, iracundus, plenus excaecescencia, truculentus, inconstans, terribilis, grauis, odiosus, contemptor, immitis, excruciosus, nequam, in eo studium & operam collocans, ut vniuersum genus hominum in fossam interitus coniciat. Signa falsa multiplicabit.] Et post alia: Quas non machinas, dolos, ac species molietur, ad seducendos cunctos homines, & abducendos à via veritatis, & regni porta!] Et inferius: Inde impurus ille mandata mittet per vniuersam prouinciam, operatum demonum, tum sensibilem hominum, qui dicant, Rex magnus natus est super terram, venite omnes adoratum eum, properate omnes ad spectandas vires potentiae eius. En vobis praestabit frumentum, vinum vobis largietur, opes pretiosas, ac sublimes dignitates. Eius namque imperio omnis terra, mareque obtemperat: ad illum omnes accedite.] Et rursus: Attendite si audem hostis, insidias cognoscite illius dolosi, quemadmodum hominum mentem obtenebrare perpetuo studeat.] Et paulo inferius: Confestim mittet demonum cohortes ad montes, speluncas, & cauernas terra, qui scrutentur eos qui subduxerunt se se ab oculis eius: & adducent eos ad adorandum illum. Ac sibi obtemperantes sigillo suo notabit: recusantes vero imperium ipsius, panis incomparabilibus, acerbissimisque tormentis & machinis absumet: quialia nec unquam fuerunt, nec auribus homo percepit, nec oculis mortalium conspecta sunt. Obeatos qui tunc Tyrannum illum deuicerint!] Et multis interiectis: Simul disce, quam durum tempus ac dies orientur illis, qui in vrbe, agrisque erunt. Ascendent ab occidente ad orientem usque plorantes maiorem in modum, grauiterque plangent. Tunc lugebit vniuersa terra vitam cruciatuum plenam. Lugebit mare, lugebit aer, lugebit Sol, Lugebunt animantes fera cum volatilibus, lugebunt montes & colles, ac ligna campi propter genus humanum: eo quod omnes defecerint à Sancto Deo, & crediderint impostori illi, suscepto charactere impietatis illius & hostis Dei loco vniuersae crucis Saluatoris. Erunt apud homines tenebrae, lamentatio super lamentationem, va super va. Argentum & aurum tunc proicietur in plateas, nec quisquam colliget ea: sed omnia abominationi habebunt. Cuncti enim aufugere conabuntur & abscondi, nusquam tamen latere poterunt à malis Aduersarij. Extra timor, intus tremor, nocte, dieque tum in platea, tum domi morticina: in plateis ac domibus fames ac sitis: in plateis tumultus, in domibus planctus. Pulchritudo aspectus faciei tabescet, fient enim forma eorum tanquam mortuorum. Venustas mulierum exarescet, cupiditas omnium hominum euanesceat.]

Lactantius Firmianus lib. 7. cap. 16. Hic Antichristus insustentabili dominatione vexabit orbem, diuina & humana miscabit, infanda dictu, & execrabilia molietur, noua consilia in pectore suo volutabit, ut proprium sibi constituat Imperium. Leges commutabit, suas sanciet, contaminabit, diripiet, spoliabit, occidet. Denique immutato nomine atque Imperij sede translata, confusio ac perturbatio humani generis sequetur. Tum vero detestabile atque abominandum tempus existeret, quo nulli hominum sit vita iucunda.] Et cap. 17. Tunc erueret templum Dei conabuntur, & iustum populum persequetur: & erit pressura &

contritio,

contritio, qualis nunquam fuit à principio mundi. Quicumque crediderint, atque accesserint ei, signabuntur ab eo tanquam pecudes: qui autem recusauerint notam eius, aut in montes fugient, aut comprehensi, exquisitis cruciatibus necabuntur. Idem iustos homines obuoluet libris Prophetarum, atque ita cremabit, & dabitur ei desolare orbem terra mensibus quadraginta duobus. Id erit tempus, quo iustitia proicietur, & innocentia odio erit, quo mali bonos hostiliter predabuntur: non lex, aut ordo, aut militia disciplina seruabitur: non canos quisquam reueretur: non officium pietatis agnoscat: non sexus aut infantia miserebitur: confundentur omnia, & miscebuntur contra fas, contra iura natura. Itaque quasi uno communi, grauique latrocinio terra vniuersa vastabitur.]

S. Cyrillus Ierosolymitanus Catechesi 15. Deceptos verò deinceps omnis generis inhumanitatis & iniquitatis malis omnes circumscibet Antichristus: ita ut omnes qui ante illum improbi & impij fuerant, excellat malitia. Mentemque habebit homicidiariam, praefractam, immisericordem, & variam, cum contra alios omnes, tum verò maximè contra nos Christianos.]

Et post modum: Deinceps verò inhumanitatem ostendet, & maximè erga Sanctos Dei. Grauis est hac Bestia, & draco magnus, pugnant contra homines, paratus ad deuorandum. Attamen timidi sibi caueant, audaces vero persistant. Erit enim tunc tribulatio, qualis non erat ab initio creaturae, usque ad praesens, neque deinceps erit. Sed Deo sit gratia, qui magnitudinem tribulationis exiguitate temporis circumscripsit. Dicit enim quod propter electos abbreviabuntur dies illi.]

S. Ephraim Syrus Sermone de Antichristo: Verba in doloribus facturus sum, & cum suspirijs dicturus de instanti huius mundi consummatione, impudentissimòque ac saeuissimo dracone Antichristo, qui turbaturus adueniet omnem sub caelo regionem, timorem, ac pusillanimitatem, grauemque perfidiam cunctorum simul hominum pectoribus iniciens, prodigia quoque ac signa, terroresque portendens, ut si fieri posset, in errorem etiam ipsos induceret Dei electos, omnesque decepturus in falsis ac mendacibus signis, prodigiorumque imaginationibus, quae ab illo fient. Siquidem Sancti, magnique Dei permisso, potestatem decipiendi mundum accipiet, quod impleta iam sit impietas saeculi. Magnum fratres charissimi, tunc cunctis hominibus, maxime vero fidelibus & Sanctis erit certamen, magnaue tribulatio in diebus illis, quando signa & prodigia in magna potestate à scelestissimo dracone perficientur. Quis quaso, fratres, scuto fidei, sic tunc reperietur munitus, ut immobilis persistens, euident tunc argumentum secum in animo habeat, iam sanctum vniuersi Filij Dei aduentum adesse: quando inenarrabilem illam viderit tribulationem ubique super omnem animam fieri, omni prorsus solatio ac requie destitutam vndique, in terra & in mari? Quando vniuersum mundum conspexeris turbatum (fugiet enim etiam quisque ad montes, ut unusquisque abscondatur in illorum cacumini- bus) & alios quidem fame perire, alios verò grauissima siti instar cere liquefcere, & qui eorundem tunc misereatur, nullum adesse. Quando videris quancumque faciem lacrymis madentem, ac magno cum desiderio homines sciscitari, Num vsquam adhuc sit Verbum Dei in terris? respondeaturque, nusquam. Quis obsecro, tantam doloris afflictionem feret? Aut quis intolerabilem illam pressuram sustinebit? Quando videris confusionem totius mundi, populumque vndique ab ultimis finibus terra venientem ad adorandum Antichristum, clamantemque magno cum timore atque tremore: Tu es Saluator mundi, ac Filius Dei. Tunc mare indignabitur atque turbabitur, terra exarescet, cali non pluent, planta marcescent, cunctique Orientalis plagae incolae, timore nimio exterriti ad partes Occidentales fugient. Ex vice versa, qui Occi-

duas regiones inhabitant, pre timore ad loca Orientalia fugam capient. Quis quaso ita adamantino est pectore, ut fortiter atque intrepide cuncta illa scandala ac mala perferat? Quis inquam erit iste, sicut ante dixi, homo, ut eum patientiamque eius, omnes mortales, Angelique Dei felicem praedicent? Ego quidem o fratres, Christo dilecti, vel sola recordatione sani illius Draconis attonitus fio, dum animo mecum complector, cogitoque futuram illam tribulationem, atque angustiam, quae illo tempore cunctis obveniet hominibus: & quomodo scelestus atque infamis humano generi apparebit hic draco: maxime vero quam atrox infestusque futurus sit Sanctis Dei hominibus, qui portenta hac eius fallacia videre ac vincere poterunt. Etenim impurissimus ille non cessabit inquirere Sanctos quosque in terra ac mari, secum sic statuens, quod deinceps super terram regnaturus sit, omnesque dominatui suo subiectos iri. Turbabit tamen terram, exterrebique simul vniuersa fallacibus prodigijs & magicis signis. Nulla tempore illo formidabili, quando Draco venerit, erit in terris requies, verum maxima tribulatio, perturbatio, atque confusio. Siquidem ipse Dominus diuino suo ore praedixit, talia non contigisse ab initio creaturae. Nos autem peccatores quo pacto immensam atque inexplicabilem illam angustiam adumbrabimus, cum sic eam nobis Deus denominauerit. Figat vero hic quisque sedulo mentem suam in Sanctissimis dictis Domini ac Saluatoris nostri, animaduertatque, quo pacto ob necessitatem, angustiamque illam intolerabilem, dies illos sua pietate ac misericordia abbreviet. Si quis compunctionem cum lacrymis habeat in orationibus, Dominum roget, ut effugere queat maximam tribulationem superuenturam orbi terra: ne omnino videat illam Bestiam, neque etiam rursum signa & prodigia audiat fieri per loca, ac terra motus, fames, mortesque diuersas in terris. Strenui sit animi oportet, qui in medio tot scandalorum, tunc suam ipsius saluare poterit vitam. Multis sane orationibus ac lacrymis o Charissimi, nobis opus erit, ut tunc firmi atque constanter in temptationibus permaneamus.] Et post multa. Deinde supra modum corde exaltabitur, enometque Draco vniuersam suam amaritudinem cum omni sua malitia, propinabitque fraudulenter latens in se lethiferum virus. Orbem terrarum turbabit, ultimos fines terra commouebit, affliget vniuersa, polluet, perdetque animas multas: non amplius velut pius ac religiosus, neque amplius ut pauperum amator, neque tri hilis sicut antea: verum contra prorsus per omnia austerus, durus, iracundus, & exandescens, sauius, instabilis, terribilis, inflexibilis ac tenebrosus, odibilis & abominabilis, immitis, improbus, superbus, scelestus, & impudens, qui magna sua rabie atque insania vniuersum genus mortalium in barathrum impietatis atque perditionis precipitare studebit.] Et multis interiectis: Lugebit tunc omnis terra, & mare, lugebit aer cum feris bestiis & volatilibus. Lugebunt montes & colles, & lingua campi. Lugebunt quoque duo magna luminaria cali, cum astris propter genus mortalium: quoniam omnes declinauerunt à Deo Sancto suo, Creatore vniuersorum: & seductori crediderunt pro Cruce Saluatoris, Characterem scelesti eius aduersarij assumptes.] Haecenus S. Ephraim, qui magna ex parte sensus & verba S. Hippolyti imitatus est.

S. Hieronymus in 7. Daniel. ad vers. 21. 25. & 11. Daniel. ad vers. 24. & ad vers. 33. 39. 41. de Antichristi persecutione multa differit. Et in 12. Daniel. ad vers. 1. Tempore autem Antichristi tale tribulatione fore, qualis nunquam fuit ex quo gentes esse coeperunt, verius intelligitur.]

S. Cyrillus Alexandrinus lib. 11. in Genesim extremo: Nam ut ipse existimo, neminem alium doloris filium dixerim, quam populum illum qui ultimis temporibus saeculi oriundus est. Eo etenim tempore filius quoque iniquitatis erit, qui aduersatur, superbitque aduersus omne qui dicitur Deus.

aut veneratur. Hic certe Sanctis repugnabit & inter eum, ferasque immanes nihil intererit. Ut enim Saluator noster inquit: Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, neque erit. Sed quod aduersus nullos alios sceleritatem, immanitatemque suam exercebit, quam aduersus viros Sanctissimos ipse quoque Saluator noster subiunxit: Et si diminui non fuissent dies illi, non saluaretur omnis caro: sed propter electos diminuentur dies illi. Quoniam igitur fideles homines, virique electi eo tempore quam maximam persecutionem patientur, summisque iniuriis laceffentur, innumerisque suppliciis atque tormentis afficientur: satendum est, quod tempus illud diminuetur. Plurimum etenim Deus ita voluit, ut qui pati debeant tormenta, quibus afficerentur, facile possent tolerare.]

S. Augustinus lib. 20. de Ciuitate Dei, cap. 8. multa egregie scribit de Antichristi persecutione, & inter alia: Tunc autem soluetur diabolus, quando & breue tempus erit. Nam tribus annis & sex mensibus legitur totis suis, suorumque viribus scuturus: & tales erunt cum quibus ei belligerandum est, ut vinci tanto eius impetu, insidiisque non possint. Et soluetur in fine, ut quam fortem aduersarium Dei ciuitas superauerit, cum ingenti gloria sui Redemptoris, adiutoris, liberatoris, aspiciat. In eorum sane, qui tunc futuri sunt Sanctorum atque fidelium comparatione quid sumus? Quando quidem ad illos probandos tantus soluetur inimicus, cum quo nos ligato tantis periculis dimicamus.]

Paulus Orolius Praefatione in suam Historiam, extrema: Exceptis videlicet, semotisque illis diebus nouissimis sub fine seculi, & sub apparitione Antichristi: quibus futuras angustias, quales ante non fuerint, Dominus Christus per scripturas Sanctas, sua etiam contestatione praedixit: cum non secundum ipsum quidem, qui & nunc & semper est, modum verum apertiore, ac grauiore discrimine, per intolerabiles tribulationes temporum illorum, Sanctos probatio, impios perditio consequetur.]

Theodoretus Oratione 10. in Daniele, ad verba illa cap. 11. v. 35. Ut conflentur, & eligantur, &c. ait: Iste Antichristus, inquam, omnia molebitur, ut pios in fraudem impellat: modo dolosis miraculis decipere ac fallere conatus, modo vi adhibita, & omne supplicij genus pietatis inferens alumnis. Quod si quis prophetia seriem inquirens, hoc non ita se habere credat, is Euangelicam doctrinam mente repetat, ubi Dominus praedicat: Erit enim tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, usque modo, neque fiet: & nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro.]

Auctor Operis Imperfecti in Matthaeum, Homilia 49. enarrans verba illa Christi: Erit enim tribulatio magna qualis non fuit ab initio seculi usque modo, inquit: Hac apertius est de consummatione mundi suscipere, cuius figura fuit tribulatio illa Iudaica Sub Tito. Tunc vere talis erit tribulatio, qualis nunquam fuit. Tunc dicent homines, aperiat se terra, & glutiat nos. Usque nunc enim omnis ira, quae fit à Deo, ideo fit, ut fideles quidem tentet, infideles autem emendet: quum autem Antichristus venerit, talis veniet ira, ut & infideles omnino pereant, & fideles plenius coronentur.]

S. Gregorius lib. 32. in Iob, cap. 12. mirifice persecutionem Antichristi describit, inter alia: Antiquus hostis tunc suis viribus traditus, pauco quidem tempore, sed in multa contra nos virtute laxatur. Quem quamuis scuitia dei crudelitatem dilatat, superna tamen misericordia dierum breuitate coangustat. Hinc enim veritas peremet ipsam dicit: Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, usque modo, neque fiet. Hinc rursum ait: Nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro. Sed considerandum valde est, cum Behemoth iste caudam suam sicut cedrum subleuat: in quo tunc atrocior, quam nunc se exerit, surgat. Quae enim penarum

genera non nouimus, quae non iam vires martyrum excuisse gaudemus? Cum igitur Behemoth iste caudam suam in fine mundi nequius dilatat, quid est nisi quod in his tormentis tunc atrocius crescat. Persuamus ergo, quae erit humane mentis illa tentatio. Cuius tunc virtus non ab ipso cogitationum fundo quatiatur? Quia hic Antiquus hostis in cunctis suis viribus effratur.] Alia sequitur in eandem sententiam praelare disputare.

S. Isidorus cap. 11. Commentariorum in Genesim: Significat, circa huius seculi finem magnam perturbationem ab Antichristo in Sanctis futuram: de qua dicit Dominus in Euangelio: Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio.] Et lib. 1. Sententiarum, cap. 25. Grauius sub Antichristi temporibus contra Ecclesiam desauet Synagoga, quam in ipso aduentu Saluatoris Christianos est persecuta. Dum in Martyres diabolus iam exercuerit magnam crudelitatem etiam ligatus: crudelior erit tamen sub Antichristi temporibus, quando etiam soluendus. Nam si tanta ligatus, quanta solutus faciet? Quanto propinquiores finem mundi diabolus videt, tanto crudelius persecutiones exercet: et quia se continuo damnandum conspiciit, socios sibi multiplicet, cum quibus gehenna ignibus addicatur. Quanto breue tempus videt sibi restare diabolus, ut damnetur: tanto in magna persecutionis ira mouetur: diuina iustitia permittente, ut glorificentur electi, sordidentur iniqui, & ut diabolo durior crescat damnationis sententia.]

S. Beda in 1. Regum, 11. Relegens Historiam Ecclesiasticam, infinita Martyrum Acta reperies, quibus cunctis immanior temporibus Antichristi Ecclesia perturbatio non dubitatur esse ventura.]

Rabbanus Tractatu de Antichristo: Excitabit vero Antichristus persecutionem sub omni caelo super Christianos, & omnes electos. Tunc erit tribulatio qualis non fuit ex tempore quo gentes esse ceperunt, usque ad tempus illud. Tunc omnis Christianus qui inuentus fuerit, aut Deum negabit, aut siue per ferrum, siue per ignem fornicis, siue per serpentes, siue per bestias, siue per aliud quodlibet genus tormenti interire iubebitur, si in fide permanserit. Hac autem tam terribilis & tremenda tribulatio, tribus annis manebit in toto, & dimidium. Tunc breuiabuntur dies propter electos: nam nisi Dominus breuiasset dies, non fieret salua omnis caro.]

Ottho Frisingensis lib. 8. Chronici, cap. 1. Sicut ex Scriptura sacra docemur, Ciuitas Christi, ultimam tam violentam, quam fraudulentam, sistamque ac omnium grauissimam persecutionem sub Antichristo passura erit.]

Hugo Etherianus libro de Regressu Animatum ab inferis, cap. 23. Deinde exuberantiam malorum enarrans Daniel quae ille Antichristus consummaturus est, subdit: Et erit tribulatio qualis non fuit, ex quo gentes esse ceperunt, usque ad tempus illud. Etenim tempore Antichristi, futura est tribulatio, qualis nec antea fuit, nec post modum futura est.]

At satis sententiarum Patrum: siquidem & Priscorum & posteriorum fuit semper concors in Ecclesia consensus, Antichristi persecutionem cum spiritualementum corporalem futuram omnium quotquot ante ipsam extiterunt grauissimam ac truculentissimam. Sed iam de illa singularia quaedam annotemus.

C A P V T X.

Spiritualis Antichristi aduersus Ecclesiam Persecutio.

CRudelissimam suam persecutionem Antichristum non nisi initio summae suae monarchiae adeptae auspicaturum, longe verissimè arbitramur: tantundem enim duraturam eius pressuram, quantum monarchiam, ex Patrum sententia, lib. 13. c. 8. ostendimus: sicque vtrius-

tempus spatio dumtaxat trium annorum & sex mensium erit includendum. At cum sit exploratissimum Antichristum gemino bello & spiritali & corporeo adoriturum Ecclesiam, primum de spiritali differamus.

In commune quidem hæc de illa produntur. Rabbanus, Tractatu de Antichristo: *Excitabit vero Antichristus persecutionem sub omni cælo super Christianos & omnes electos. Eriget itaque se contra fideles tribus modis: hoc est, terrore, muneribus, & miraculis. Dabit credentibus in se abundantiam auri, & argenti. Quos vero non poterit vincere, signis & miraculis tentabit seducere. Quos autem nec signis poterit illudere, in conspectu omnium miserabili morte tentabit necare.*

S. Anselmus in Elucidatio: *Antichristus uniuerso orbi imperabit, & totum genus humanum sibi quatuor modis subiugabit. Vno modo nobiles sibi diuitiis asciscet, quæ sibi maximè affluent, quia omnis abscondita pecunia erit ei manifesta. Secundo modo vulgus sibi terrore subdet, quia maxima sæuitia in Dei cultores grassabitur. Tertio modo sapientia & incredibili eloquentia Clerum obtrinebit: quia omnes artes, & omnem Scripturam memoriter sciet. Quarto modo mundi contemptores, ut sunt, monachi, signis & prodigiis faller. Faciet enim stupenda miracula, ut iubeat ignem de cælo descendere, & aduersarios suos coram se consumere: & mortuos surgere, & sibi testimonium dare.]*

Petrus Comestor in Historia Scolastica Danielis, cap. 6. *Antichristus conuertet ad se homines terrore, muneribus, miraculis.]* Hugo Etherianus de Regressu Animarum ab inferis, cap. 23. *Multa & insueta faciet, Satana, Antichristus, tunc soluto, docente semitas omnis erroris, omnis figmenti, omnisque Deo aduersi. Inde est, quod minis, blanditiis, & omnibus modis seducet eos qui dediti sunt animalibus affectibus.]* Equidem omnes qui res Antichristi conscripserunt, in id summo consensu conueniunt, nullum modum, nullam artem, nullam machinam à totius Inferni ingeniis in vnum studium & operam simul conflatis excogitari posse ad euertendam Christianam religionem quam Antichristus absolutissimè non calleat, & exerceat. Sed peculiariter, quantū valemus ingenio & industria, ex magisterio Patrum de his omnibus perquiramus.

Primo. Homines curiosos, & rerum nouarum sciendarum cupidos, qui prurigne sciendi & perscrutandi arcana quæque naturæ, artisque tenentur, ad se facile alliciet incredibili scientiarum, artiumque omnium peritiis & ostentatione: ac præsertim Magiæ omnis generis ingenti ope & experimētis, qua cunctos mortales obstupesciat: vti lib. 7. à cap. 5. vsque 10. ostendebamus.

Secundo. Quos animaduertet opum ac diuitiarum amantes, immanes illis thesauros, & rerum omnium copiam largietur. Vnde S. Hieronymus in 11. Danielis, ad vers. 39. *Antichristus quoque multa deceptis munera largietur: quosque terrore non quinerit, subiugabit auaritia.]* Huc spectat Danielis oraculum cap. 8. 25. *Et in copia rerum omnium occidet plurimos, quod superius cap. 4. explicauimus. Diuitias Antichristi immensas expositas habes lib. 7. à cap. 11. vsque ad 25.*

Tertio. Ambitiosis, quibus inerit honorum, gloriæ, ac dominandi cupido (ut est totum ferme genus humanum, nisi pauci, quibus Deus tam singularem gratiam contulit, ista contemnendi) honores, magistratus, dignitates, præfecturas offeret, ut eos deiciat. Istud satis innuisse visus est Daniel 11. v. 39. *Et multiplicabit gloriam, & dabit eis potestatem in multis, & terram diuidet gratuito. Hebræa. Et multiplicabit gloriam, & dominari faciet eos in multis, & humum diuidet in pretio. Expendamus verba: & multiplicabit gloriam, propriè, augebit gloriam: honorem, dignitatem, id*

est, Augebit suos gloria, honoribus, dignitatibus, & dabit eis potest. in multis.

Forsterus, Tremellius, Iunius, *Et faciet, [constituet eos dominatores in multis. Vatablus: Et dominari faciet illos super multos. Marinus & Auenarius etiam habent, in multos. Hoc est, constituet eos dominos, præfectos, præsides multorum; dabit eis amplissimos magistratus, ut præsent multis hominibus, illud vulgati, & dabit eis potest. in multis. Vel rebus, nimirum amplissimam, & latè patentem potestatem in multis rebus, negotiis, &c. vel in multis hominibus, vel vrbibus, Prouinciis, regnis. L x x, & subiiciet ipsis multos. Theodoretus: Deceptos videlicet donis, vel suppliciis mollior. Leo Iudas præcedentibus annectit, & singulariter exponit: Et vertet in munimenta [Dei] Mayzim, cum alieno Deo: quem qui agnouerit, cum honoribus augebit, & dominum multorum faciet. Similiter Tremellius & Iunius: committensque munitiones Dei summi roboris, Deo alieno, quos agnouerit, hos augebit gloria, & dominatores eos faciet in multos. Id est, viros obscuros, ignotos, terra natos euehet arbitratu suo, & impurissimos præficiet populo.] Et terram diuidet gratuito. Sanctes: Et terram diuidet pretio. Forsterus: Et terram diuidet pro pretio. Leo Iudas: Et terram pretio distribuet. Auenarius: Et terram diuidet pro commutatione. Vatablus: Et terram partietur pretio, id est, & agros regionis illis pro pretio, hoc est, mercede ministerij illorum. Tremellius & Iunius: Et terram partietur pretij loco. Alij: & terram partietur in tributum, id est, ut hac ratione pendant illi tributum. Maldonatus: Et terram diuidet in pretium, id est, mercedem iniquitatis & idololatriæ.]* VOX MECHIR, pretium significat solet etiam nostro interpreti, Deuteronom. 23. 8. & 2. Regum 24. v. 24. & alibi. Eritque sensus: Partietur inter suos terras, agros, oppida, vrbes, prouincias, regna, in pretio: non quod ea pretio accepto vendat, (nam gratis largietur) sed in pretium, seu pro pretio, aut loco pretij, nempe dabit ea pro pretio, seu mercede fidei, obsequij, seu Sacramenti quo sui illi deuincientur. Ac si dicat, hoc pretio emet ab illis fidem, obedientiam, & sacramentum, quo se illi totos adstringent. Vnde rectè exponi queat: & humum distribuet in mercede. Nam MECHIR, consentiente voce mercedem quoque significat. Michææ 3. 11. id est, pro mercede impietatis, & apostasiæ, quod in ipsum credent, eum sequentur, eique omnem operam nauabunt. Possit reddi, in venditione, siue in auctione, quasi terras, quas vi cœperit ab hostibus, publicæ auctioni sit expositorus, vel hæc subiecturus, Nec alienè, & humum partietur in reciprocatione, seu commutatione. Sic enim MECHIR exponitur à Nostro, Psalm. 43. 13. & Isaïæ 55. 1. Hoc est, Antichristus commutabit cum suis terras pro fide & sacramento, quod illi vicissim, & reciprocè ei præstabunt: nimirum, ut illi ipsi credant: ipse vero pro fide & obedientia eorum, terras illis concedat.

S. Hieronymus explicat: *Et terram exercitui diuidet, pro veteri nimirum more Romanorum, & Macedonum, quo emeritis militiæ, agri diuidebantur. Lxx. & terram diuidet in donis Theodoretus: Subiectis enim sibi populis, qui impietati consenserint, regionem plurimam largietur.]* Equidem nullum est efficacius pretium ad emendam fidem & obsequium, quam liberali manu impertita dona. Quare doctè Noster, quod Hebræicè est in pretio, exposuit gratuito: ut innueret, Antichristum potentissimo pretio, nempe immodicis donorum largitionibus empturum fidem suorum.

IV. Eloquentia & arte dicendi, qua prodigiōse valebit, & per se, & per suos ministros, concionatoresque, ita homines suis cauillis, & argutiis capiet, ut ne doctissimi

doctissimi quique atque facundissimi Theologi Catholicici coram hiscere audeant. Argumentis & sophismatibus uteretur tam speciosis, ut videri possint Mathematicæ, quod aiunt, demonstrationes: cum re vera non nisi mera mendacia sint futura. Immani illa & portentosa Scripturarum pericia qua pollebit, artificiosissime in Christianorum fraudem & perniciem abutetur. Cum præstantissimo quoque Doctore fidelium in publico disputabit, & tantis verborum inuolucris, tanta dicendi volubilitate & lenocinio, instar Prothei cuiusdam, in omnes se partes versabit, ut cunctis præsentibus videri possit, ipsum omnibus diuinis & humanis rationibus luculentissime demonstrasse, Christum Dominum, non nisi prauum quendam fuisse seductorem: irriso interim & exhibito à cunctis, & manuum, pedumque strepitu profligato Christiano. Atque ipse superbus, nouo triumpho, tunc ad Christianos conuersus, hie se vocibus eos compellabit. Miselli definite iam, impostori illi vestro Crucifixo credere: nonne videtis quanta perspicuitate ostenderim illum fuisse impurissimum nebulonem? Iam oculos mentis aperite, & me qui sum verus Deus, tandem agnoscite.

V. Comburet Antichristus omnes sacras Scripturas tam veteris, quam Noui Testamenti, postquam se verum Deum constituerit: sed potissimum in sacrosancta Euangelia, ubi res Christi Filij Dei consignatæ exstant, maiore furore debachabitur: secundum quæ, præcipue inuehetur aduersus Ezechielis & Danielis oracula, Epistolas Pauli, & Ioannis Apocalypsim: in quibus libris illius vita, mores, ingenium, & atrocissima scelera mirifice describuntur. Ad hæc, cuncta Sanctorum Patrum scripta, omnes libros, commentaria: Historias Ecclesiasticas, Annales, SS. Martyrum Acta, & omnium Christianorum Doctorum de religione & doctrina Christiana conscripta opera conscerpet, defodiet igni tradet, & penitus abolere tentabit. Id est quod Lactantius Firmianus lib. 7. cap. 17. dixit de Antichristo: *Idem iustos homines obvoluet libris Prophetarum, atque ita cremabit.*

Et si huius operis mei in quo pro Christiana religione, & Christi veri Dei honore, contra Antichristum totis ingenij & doctrinæ viribus depugno, vel genius bonus vel potius diuinus fauor aspirauerit, ut ad tristitia illa & funesta tempora ventura perueniat, quid putas de illo facturum Antichristum? Neque enim dubitauerim in illud omnes irarum fluctus effusurum, cum se in eo ad vitium expressum intuebitur: ubi tota eius tragædia tanto studio & cura explicatur. Sed utinam in Christiani nominis gloriam, & utilitatem Fidelium nobis in hac seriptione defudantibus hac nostra lucubratione Sancti illius temporis uti possint ad confodiendum Antichristum, technasque illius & imposturas omnes detegendas, & prote-rendas.

Facileque existimare par est, Antichristum ingentibus pretiis oblatis, libros omnes Christianorum perquisiturum, latebras, & abstrusissima quæque loca rimaturum, excussurum, ne vllibi abscondantur: extractos, in medio foro igne consumpturum. Haud dubie genus hoc persecutionis inter acerbissima est reponendum, ademptis populo Dei validioribus armis, hoc est sacris libris, ubi verbum Dei, Sacra traditiones, sensa Patrum, & diuina doctrina continentur. Denique Antichristo nullum librum, nullam scientiam, nullam artem docere, aut discere Christianis permittet. Acerbiore planè edicto quàm illud Iuliani Apostatae fuit, de quo diximus lib. 1. cap. 18, Tu verò nunc mente perpende, Christiane lector, quot millia Christianorum glorioso martyrio sub

Diocletiano occubuerunt, eo quod Sacros libros ad comburendum tradere nolissent, quorum inclita memoria extat in Romano Martyrologio, 1. Ianuarij, nec pauciora reputa sub Antichristo ob eandem causam perimenda. Hac enim sæuissima persecutione Diocletianum exercuisse Ecclesiam, Arnobius lib. 4. aduersus gentes, Eusebius lib. 8. Ecclesiasticæ Historiæ, cap. 2. & 3. S. Optatus Libris contra Parmenianum sæpius, S. Augustinus lib. 7. de Baptismo, cap. 2. & plura, quæ extant, Martyrum Acta testantur.

VI. Tolle de medio Antichristus omnes sacras Imagines, omnes Cantus Ecclesiasticos, Preces, Cœtus, Conciones, omnia diuina officia, omnes Christianos ritus & cæremonias, omnia Sacramenta, atque in primis Baptismum & Eucharistiam, quæ saltem publicè & in aperto celebrari non poterunt. Direptas, & spoliatas Ecclesias incendet, aut diruet, aut in tabernas seu stabula equorum conuerteret: Sacra vasa conflagrat, vestes sacras, ornamenta & decora Ecclesiarum, & cuncta instrumenta vel in profanos vsus commutabit, aut ignibus tradet. Prædicationem verbi Dei acerbissime persequetur: omnem Ecclesiæ Hierarchiam, cunctos Ecclesiasticos ordines extinguere & abolere conabitur. Nec quidquam maiori odio insectabitur quàm venerandum Crucis Dominicæ Lignum, cuius particulas aut reliquias vbicumque nancisci poterit, ferina rabie concidet, & in cineres ac fauillas rediget. Eiusdemque viuificæ Crucis Signum & imaginem ante omnia execrabitur, & ex omnibus locis amoueri, expungi, abradique iubebit. Denique hoc vnum curabit, in hoc omnes suas vires, conatusque intender, ne nomen Christianum vllibi extet in mundo: ne vllum alicubi vestigium Christianæ Religionis supersit: sed omnia à stirpe euellantur.

VII. Cæterum nullas aciores, validioresque machinas ad Christianismum ex orbe radicitus extirpandum adhibiturus est Antichristus, quam signorum & prodigiorum innumera & stupenda opera. Quid enim facturos existimare possumus Christianæ pietatis cultores, cum tot, tam rara & admiranda portenta ab Antichristo, eiusque ministris fieri animaduerterint? Nulla enim tam magna, tam mira ab vlllo vnquam patrata sunt miracula, ut in speciem erunt illa Antichristi. Egregiè S. Gregorius libro 32. in Iob, cap. 12. *Pensem quæ erit humana mentis illa tentatio, quando pius martyr, & corpus tormentis subiiciet: & tamen ante eius oculos tortor miracula faciet. Cuius tunc virtus non ab ipso cogitationum fundo quatiatur, quando is qui flagris cruciatur, signis coruscat?* Sed de Antichristi miraculis plenissime disseruimus lib. 8. à cap. 16. ad finem vsque libri. Verum piissimus Dominus præuidens tantum Christianorum periculum, opportunè eos præmonuit Matth. 24. 23. *Tunc si quis vobis dixerit, Ecce hic est Christus, ecce illic: nolite credere. Surgent enim pseudo-Christi, & pseudo-propheta, & dabunt signa magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.* Nam quamuis dicamus, vtcumque hæc Dominum prædixisse de tempore supremæ cladis Ierosolymitanæ sub Tito: at plenario & præcipuo sensu de Antichristi temporibus vaticinatum, consensus Patrum & recentiorum affirmat. Sic enim interpretantur, S. Hippolytus Martyr Oratione de Consummatione Mundi, Origenes in Matthæum, S. Cyrillus Ierosolimitanus Catechesi 15. S. Ephræm Syrus Sermone de Antichristo, S. Hieronymus, S. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, Auctor Operis Imperfecti, S. Beda, Strabus, Anselmus Laudunensis in Matthæi 24. & Marci 13. S. Prosper in Dimidio Temporis, cap. 6. S. Gregorius lib. 14. in Iob, cap. 12. S. Isidorus lib. 1. sententiarum, cap. 25.

Ambrosius Ansbertus in Apocalypf. 12. S. Damascenus lib. 4. de Fide Orthodoxa, cap. 27. S. Agobardus sermone de Antichristo. Hugo Etherianus de Regressu Animarum, cap. 24. Lyranus, Caietanus, Titelmannus, Bredembachius, Iansenius, Sà, Maldonatus, & alij in 24. Matthæi, Sanderus lib. 8. de Visibili Ecclesiæ Monarchia, cap. 33. Bellarminus lib. 3. de Romano Pontifice, cap. 15. & omnes ferme qui scribunt de Miraculis Antichristi. Tamen Gagnæus, Franciscus Lucas in Matthæi 24. Baronius Annali 1. Anno 72. Numero 13. ad tempora excidij Ierosolymitani referant. Ergo hîc facile intelligimus Pseudo Christorum, & pseudo-Prophetarum nomine indicari à Christo ipsum Antichristum, eiusque ministros, atque in primis illius Præcursores, de quo inferius cap. 29. dicemus: idcircoque vsum Dominum plurali numero, vt Imperatorem cum Ducibus significaret.

Illud verò: *Ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.* Formidabilem continet hyperbolem. Scimus quidem communem sensum horum verborum esse: Tantam fore signorum Antichristi ad seducendum pios efficacitatem, vt per illa ipsi etiam electi & prædestinati, in errorem inducerentur, si hoc tamen fieri posset: at istud neutrquam est factu possibile, propter immotum diuinæ mentis decretum, & inuictum supernæ gratiæ patrocinium, quæ electos in æternum seruabunt: quia non rapiet eos quisquam de manu Domini, Ioan. 10. 28. Est igitur conditionata hyperbole. Addi nihilominus potest: Christum ostendere, quid re ipsa futurum esset, illa data conditionali, si fieri potest; sed quid Antichristus cum suis omni opera & studio sint conaturi. quasi dicat: Edent maxima miracula, eo animo, non vt solum decipiant communes & vulgares Christianos: sed etiam vt lectissimos quosque & præstantissimos cætu fidelium prosternant: si fieri possit, id est, si id, vt sperant, consequi possint, quod totis viribus annuntunt. Tuncque particula illa, *Ita vt* non rerum consequentiam, sed causam finalem indicabit. Hunc sensum iuuant eadem verba Domini apud Matcum 13. vers. 23. *Dabunt signa & portenta ad seducendos, si fieri potest* [Græca, possit] etiam electos. S. Prosper legit: *Exurgent pseudo-Christi, & pseudo-propheta, & dabunt signa magna & prodigia, in quibus seducantur, si dici potest, etiam ipsi electi.*

Faciunt huc præclara quædam S. Gregorij Papæ verba lib. 14. in Iob, cap. 11. vbi enarrans verba, Iob 18. v. 20. inquit: *Quod vero hæc aperte de Antichristo intelligi debeant, demonstratur, cum subditur: In diebus eius stupebunt nouissimi, & primos innudet horror. Tanta enim tunc contra nos iniquitate effrenabitur, vt etiam electorum corda non paruo pauore feriantur. Vnde scriptum est: Ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. Quod videlicet dicitur, non quia electi casuri sunt, sed magnis terroribus trepidaturi. Dicatur ergo: In diebus eius stupebunt nouissimi, & primos innudet horror. Quia videlicet tanta tunc signa monstraturus, & crudelia ac dura facturus est, vt ad stuporem perducatur, quos in fine mundi innuerit: & priores Patres Henoch & Eliam, qui in eius expugnationem seruati sunt, carnalis mortis dolore transfigat. Vide S. Isidorum lib. 1. Sententiarum, cap. 25. Verum quæcumque à nobis de spiritali Antichristi in Ecclesiam bello sunt annotata, quia certo scimus omnium Patrum & posteriorum communi consensu firmari, nihil opus esse existimauimus plures ea de re auctores laudare,*

CAPVT II.

Tempore Antichristi cessaturum, saltem in publico Sacrosanctum Missæ Sacrificium, iuxta vaticinium Danielis, & Patrum traditionem.

Antiqui Patres, illi præsertim qui vltimam Danielis Hebdomadam tempore Antichristi adimplendam existimant, cum de illa dicat Daniel cap. 9. 27. *Et in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium*, istud de Sacrificio Missæ intelligentes, asseruerunt, tribus annis cum dimidio, hoc est, dimidia Hebdomada, qua rerum potiturus est Antichristus, defuturam sacram & incruentam Hostiam Corporis & Sanguinis Domini. S. Irenæus lib. 5. cap. 25. *Deinde & tempus tyrannidis eius [Antichristi] significat [Daniel]: in quo tempore fugabuntur Sancti, qui purum Sacrificium offerunt Deo. Et in dimidio hebdomadis, ait, tolletur Sacrificium & libatio: Et in templo abominatio desolationis, & usque ad consummationem temporis consummatio dabitur super desolationem. Dimidium autem hebdomadis, tres sunt anni & menses sex.*

De S. Hippolyto Martyre hæc refert S. Hieronymus in Daniel. 9. *Hippolytus nouissimam quoque hebdomadam ponit in consummatione mundi, quam diuidet in Elia tempora, & Antichristi: vt tribus & semis annis vltima hebdomada Dei notitia confirmetur, de qua dictum est: Confirmabit pactum multis hebdomada vna: tribus aliis annis sub Antichristo deficiet hostia & sacrificium. Adueniente autem Christo, & Iniquum spiritu oris sui interficiente, usque ad consummationem & finem perseueret desolatio.* Verba ipsa S. Hippolyti hac de re descripsimus lib. 8. cap. 11.

Auctor Operis imperfecti in Matthæum, Homilia 49. *Item in dimidio hebdomadis, hoc est, tribus annis & sex mensibus, hoc sacrificium Christianorum tollendum est ab Antichristo, confugientibus Christianis ante eum per loca deserta, non erit, qui aut in Ecclesiam intret, aut oblationem offerat Deo. Quoniam autem tribus annis & sex mensibus protendendum est Antichristi regnum, multa Scriptura significant, maxime tamen in Reuelatione sua Ioannes.*

Primasius in 11. Apocalypsis: eodem modo quo S. Hippolytus interpretans vltimam Danielis hebdomadam, inquit: *Aliis videlicet residuis tribus annis & sex mensibus, persecutione Antichristi, occiso Elia, grassante, tanquam in medio hebdomadis, hostiam dicit sacrificiumque deficere, quod in Ecclesia nunc solemniter immolatur, Antichristi scilicet tunc malitia præualente.*

Sed enim tempore Antichristi defecturum Missæ Sacrificium S. Hippolytus Oratione de Consummatione Mundi, in hunc modum affirmat: *Lugebunt tunc etiam Ecclesia luctum magnum: quia nec oblatio, nec suffitus fiet, nec cultus Deo gratus. Sed Ecclesiarum ades sacre tuguri instar erunt, pretiosumque corpus & sanguis Christi non extabit in diebus illis: Liturgia extinguetur: Psalmorum decantatio cessabit: Scripturarum recitatio non audietur.*

S. Ephræm Syrus Sermone de Antichristo, ad finem: *Lugebunt tunc Ecclesia Christi vniuersa luctu maximo, eo quod amplius Deo non offeratur diuina oblatio, & sanctificatio, Sanctumque Sacerdotum iam cesset ministerium.* [seorsim Sanderum lib. 8. de visibili Ecclesiæ Monarchia, cap. 45. Bellarminum lib. 3. de Romano Pontifice, cap. 7. Acoftam lib. 2. de Nouissimis Tempotibus, cap. 15. Gregorium de Valentia Tomo 4. Disput. 11. Quest. 2. Puncto

Puncto 2. §. 3. Florimundum Remundum libro de Antichristo cap. 29. Viegam in Apocalyp. 13. Commentario 2. sectione 12. Suarem Tomo 2. in 3. Partem, Disputat. 54. sect. 6. & alios, Omnes enim in hanc conueniunt sententiam, tantam futuram atrocitatem persecutionis Antichristi, ut tempore quo ipsa sæuiet, Fideles nec audeant, nec possint sacrosanctum Missæ Sacrificium saltem in publico sacrificare.

Extantque ea de re diuina quoque vaticinia. Primum, Danielis 8. v. 11. & 12. *Et usque ad principem fortitudinis magnificatum est: & adeo tulit iuge sacrificium, & deiecit locum sanctificationis eius. Robur autem datum & ei contra iuge sacrificium propter peccata.* Et vers. 13. *Usquequo visio, ei iuge sacrificium, & peccatum desolationis, quæ facta est, & Sanctuarium, & fortitudo conculcabitur?* Hunc locum mysticè saltem intelligi de Antichristo, sub historia rerum Antiochi, supra cap. 3. docebamus. Nam sanè Antichristus tollet de medio iuge & perenne Missæ Sacrificium, quod continenter in Ecclesia super altare offertur.

Secundum vaticinium, Daniel. 11. 31. *Et brachia ex eo stabunt: polluent Sanctuarium fortitudinis: & auferent iuge Sacrificium, & dabunt abominationem in desolationem.* Et hoc oraculum historicè de Antiocho Epiphane, mysticè vero de Antichristo intelligi, lib. 8. cap. 9. annotauimus: qui cum suis viuificam Eucharistiam abolere modis omnibus annitetur.

Tertium vaticinium est in hac re plane palmarium, Danielis 12. 11. *Et à tempore quo ablatum fuerit iuge Sacrificium, & posita fuerit abominatio in desolationem, dies mille ducenti nonaginta.* Hunc locum. Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum cap. 13. ad tempora supremæ desolationis Ierosolymitanæ sub Tito retulit: Bellarminus lib. 1. de Missa, cap. 9. ait Danielelem, seu Angelum loqui hic de Antiocho, sed ut typo Antichristi. Rectius & cordatius lib. 3. de Romano Pontifice, cap. 7. affirmat, ex consensu omnium loqui de tempore Antichristi: Ergo in hoc vaticinio, & toto illo capite duodecimo, primario & historico sensu, non de Antiocho, sed de Antichristo sermonem fieri, S. Hieronymus, Theodoretus, Strabus, Anselmus Laudunensis, Petrus Comestor, Lyranus, Vatablus, Clarius, Pinthus, Pererius, Sa, Veldius, Maldonatus, omnes in 12. Daniel. Alfonsus Castrus lib. 10. de Heresibus, verbo, Missa Hæresi 2. Sanderus, & omnes illi quos paulo superius citabamus.

Equidem S. Hieronymus initio Capitis opportunè hæc monuit: *Hætenus Porphyrius ut cunque se tenuit, & tam nostrorum imperitis, quam suorum male eruditis imposuit. De hoc Capitulo quid dicturus est, in quo mortuorum describitur resurrectio, alius suscitatis in vitam æternam, aliis in opprobrium sempiternum?* Nec potest dicere qui fuerint sub Antiocho fulgentes quasi splendor firmamenti, & alij quasi stella in perpetuas æternitates. Et cum propriè ad hunc locum de iugi Sacrificio exponendo peruenisset, ait: *Hos mille ducentos, nonaginta dies, Porphyrius in tempore Antiochi, & in desolatione templi dixit completos: quam & Iosephus & Machabæorum, ut diximus, liber, tribus tantum annis fuisse commemorant. Ex quo perspicuum est, tres istos & semis annos de Antichristi dici temporibus, qui tribus & semis annis, hoc est, mille ducentis nonaginta diebus Sanctos persecutus est, & postea corrutus in monte inclito & Sancto. A tempore igitur Endelechismi, quod nos interpretati sumus iuge sacrificium, quando Antichristus orbem obruens, Dei cultum interdixit, usque ad interfectionem eius, tres & semis anni, id est, mille ducenti & nonaginta dies complebuntur.*

Theodoretus: *Beatum Danielelem Sanctum & bonum*

sentientem de suo Domino famulum Sanctus Angelus docet Christi tyrannidis tempus. A tempore, inquit, mutationis continuitatis, & ut data fuerit abominatio desolationis, dies mille ducenti nonaginta. Abominationem autem desolationis ipsam vocat Antichristum: mutationem continuitatis, Ecclesiastici cultus ordinem ab illius insania & rabie dissipatum & abolitum. Hinc plane discere licet, nihil horum in Antiochum conuenire: illo enim regnante duo mille ducentos dies dixit: Antichristo vero mille ducentos nonaginta grassaturam calamitatem: ita ut etiam temporis differentia personarum, ac rerum differentia testimonium perhibeat.] Atque hæc est communis omnium interpretatio.

Iosephus Scaliger lib. 6. de Emendationibus Temporum, hunc locum de Antichristo Epiphane cum Porphyrio interpretatur: & subdit: *Neque satis eundem Hieronymum mirari possum, qui vitio vertit Porphyrio, quod Antiocho attribuerit, quæ ille, Methodius, & Eusebius de Antichristo intelligunt. Nam quid impedit, quod de Antiocho dicitur, idem sub eius persona de Antichristo intelligi?* Affert verò singularem & falsissimam explanationem: quam quia hæc res non est huius instituti, refutare prætermittimus: cum eam alioqui Nicolaus Serarius in 1. Machabeorum 6. Quæstiuncula 5. Iosephus Stephanus in 1. Machabeor. 4. ad versum 54. pluribus exploserint. De Antiocho quoque locum hunc exponunt, Immanuel Tremellius & Franciscus Iunius, ut cernas quanti Nouantes facere soleant Patrum auctoritatem.

Maldonatus plures quoque huius vaticinij recenset & refellit expositiones: denique & suam addit, quam ipse existimo alienissimam, ne dicam ineptissimam. Nec mihi nunc otium, aut animus eam insectandi: eum illa sit proculdubio melior & receptior communi fermè consensu firmata interpretatio, Danielelem vaticinari, tempore Antichristi, qui erit abominatio desolationis, quum ipse ad exitium & desolationem orbis natus, rerum potietur, atque Christianam, religionem, omniaque eius Sacra, omnemque diuinum cultum extinguere & abolere conabitur, auferendum tunc & amouendum de medio, ac plane cessaturum in Ecclesia IUGE SACRIFICIUM. At quid per Iuge sacrificium vates intellexerit, disquiramus.

Hebraicè non habetur expressa vox Sacrificium, sed tantum & THAMID. De quo vocabulo hæc annotata reperimus. Ioannes Reuchlinus: *Thamid, perpetuum, continuus, iugiter.* Alfonsus Zamorienfis: *Thamid, semper vel iugiter.* Idem omnino Sanctes. Forsterus: *Thamid nomen: & apparet esse derivatum à verbo AMAD, quasi esset THAAMID id est, iuge, continuum, perpetuum, instans. Quamquam sæpius utantur Hebræi abstracto. Interdum legitur substantiue & absolute positum. Daniel. 8. Et ab eo sublatum illud iuge. Scilicet, sacrificium. Usurpatur etiam pro constanter, instanter, semper, iugiter. Exodi 25. Et pones super mensam panem facierum coram me iugiter, seu continue.]*

Mercerus: *Thamid, quidam etymologici ab AMAD desunt, quasi THAAMID, instans, iuge, continuum, perpetuum. Ego Toar magis putauerim, quam abstractum, ut apparet ex Prouerbiorum 15. 15. Conuiuium continuum, non continuitatis. Quod si abstractum esset, MISTHE in regimine scriberetur. Sæpius aduerbiat. Absolute interdum pro iugi Sacrificio, ut hic habes, quod quotidie & mane, & vesperi offerebatur, ut est Numeror. 28. 1. & c. & subauditur ZEBACH, id est, Sacrificium.] Sed sæpius inuenitur cum antecedente regimine, ut Exodi 29. 42. OLATH THAMID. Holocaustum continuitatis, & alibi.*

Marinus: *Thamid* nomen masculinum genere sine plurali *Iugis*, continuus. Sapius vero transit in naturam aduerbii, semper, *Iugiter*. Eleganter etiam ponitur absolute pro iugi sacrificio, quod offerebatur quotidie, mane & vesperi.]

Pomarius: *Thamid*, Semper, *Iugiter*: & capitur etiam substantiue, MINCHAT HATHAMID, munus perpetuitatis. Nehemie 10. hoc est, Continuitas.]

Auenarius: *Thamid*, continuus iugis frequens, sempiternus: & adverbialiter, semper. Cognationem habet cum AMAD, stetit. Hinc *Thamiso* Gracum, id est, frequens, *Thama*, *Thamina*, frequenter, *Thamaos*, & *Thammis*, frequens.]

Schindlerius: *Thamid*, quotidianus, continuus, perennis, iugis. Absolute, quotidie, continue, semper. Continuatio, continuitas.]

Buxtorfius: *Thamid*, masculinum, *Iugis*, *Iuge*. Et adverbialiter, *Iugiter*.]

Observauimus vocem THAMID centies & bis reperiri in Scriptura Sacra: quam Noster Vulgatus variè, sed in eandem ferme sententiam semper exposuit. Quadragies quinquies vertit, *Semper*; vigies, *Sempiternus*; Septemdecies, *Iugiter*; quater, *Iuge*; Semel, *In perpetuum*; Semel, *in aeternum*; semel, *frequenter*; semel, *sine intermissione*: semel, *omni tempore*: ter interpretari omisit, nam nec vocem Hebraeam *Thamid* reliquit, nec Latinam ullam aut Gracam ei substituit: vt Leuitici 24. 8. Numeror. 28. 24. Psalm. 70. 3. Quinquies verò addita *Sacrificij* voce, dixit *Iuge-Sacrificium*, vt Daniel. 8. v. 11. Et ab eo tulit *Iuge-Sacrificium* vers. 12. *Robur* autem datum est ei contra *Iuge-Sacrificium*. Et vers. 14. *usquequo visio & Iuge-Sacrificium*. Daniel. 11. 31. & *auferent Iuge-Sacrificium*. Vbi quoque LXX. *Iuge-Sacrificium* reddunt. Et hoc loco Daniel. 12. 11. Et a tempore quo ablatum fuerit *Iuge-Sacrificium*. Ergo THAMID, & in abstracto, & in concreto, & adverbialiter, propriè significat, Stabilitatem, continuitatem, perpetuitatem, perennitatem, iugitatem, & sempiternitatem vt ita dixerim. Nec est dubium consensu omnium, quinque his proximis Danielis locis absolute dictum, *Iuge* vel *continuitatem*, pro iugi Sacrificio poni: cuius ritus describitur Numeror. 28. v. 23. 24. &c. Nehemie 10. v. 33. bis ponitur THAMID, primum cum MINCHAH coniunctum, secundo cum OLAH, & utroque loco à Nostro exponitur: Sacrificium sempiternum, & holocaustum sempiternum. LXX. hic *Thamid* verterunt ἐνδελεχισμον, est autem Endelechismos, Assiduitas, continuitas, seu potius continuatio. Vnde totum hunc locum ita expressere: in editione Romana: Et à tempore mutationis iugis sacrificij, & dabitur abominatio desolationis, dies mille ducenti nonaginta. In complutensi vero & Regia; & apud Theodoretum: Et à tempore mutationis continuitatis, & vt data fuerit abominatio desolationis, dies mille ducenti nonaginta. Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum, cap. 13. Et à tempore immutationis, perennitatis, & quo data fuerit abominatio desolationis, dies mille ducenti nonaginta. Cedrenus Annalium pag. 55. Et à tempore immutati continui sacrificij, piaculum abominabile vastitatis dabitur per dies mille ducentos nonaginta.

Sed cum Mosaicum illud Iuge-Sacrificium iam sit penitus de medio sublatum per Christum Redemptorem: & de sacrificio quodam Iugi & perenni in Ecclesia celebrari solito, sed Antichristi tempore amouendo Angelus hic certissimè varicinetur: peruestigandum nunc est quodnam illud sit. S. Hieronymus, Theodoretus, Strabus, Anselmus Laudunensis, Petrus

Comestor, Varablus, & alij, Astruxere, Endelechismos seu Iuge sacrificium intelligi hic Dei cultum, & ordinem omnem Ecclesiasticæ religionis, qui continenter exercetur in Ecclesia. Cæterum cum in diuino & Ecclesiastico cultu præcipuum sit Inctuentum & viuificum Eucharistiæ Sacrificium, quo Deus potissimum colitur in Ecclesia; illa proculdubio est verior, prior, & magis genuina intelligentia, qua hic Iuge-Sacrificium, ipsum diuinum Missæ Sacrificium accipitur, quod quotidie, perenniter, continue in Ecclesia celebratur. Ita præclarum hoc vaticinium interpretantur, Lyranus, Pintus, Pererius, Veldius, Sà, Maldonatus, Alfonso de Castro, Sanderus, Bellarminus, Acoſta, Viegas, Gregorius de Valentia, Florimundus, Suares, quos supra hoc ipso capite citabamus: & omnes fere qui res Antichristi conscripserunt: item & illi qui aduersus Sæctatorios diuinum Missæ Sacrificium propugnant, hoc cum primis Danielis vaticinium de Sacro sancto Eucharistiæ sacrificio, Nouantium furori tanquam murum ahenum opponunt.

Ergo aiunt omnes ferè miro consensu, ex hoc Danielis oraculo, illo funestissimo tempore, quo Antichristus intolerabili vexatione premet Ecclesiam, per mille ducentos nonaginta dies cessaturum Missæ sacrificium in Ecclesia: tanta enim erit pressuræ sæuitia, tanta persecutionis atrocitas, vt nec ardeant, nec possint Ecclesiæ Sacerdotes Missæ sacrificium celebrare, cum Antichristi ministris in id attentissimè inuigilantibus, nec vlla Christianæ religionis actio, ac præsertim hæc tam sacrosancta peragatur; tum Christi fidelibus hoc ipsum etiam sedulo curantibus, ne diuina & veneranda myſteria in manus canum hoc est, Antichristianorum, discerpenda, & ludibriis exponenda tradantur. Quamuis non sit negandum noctu in cryptis, arenariis, catacumbis, ac subterraneis locis: vel in desertis, speluncis, postquam id in publico fieri non poterit, diuino ritu Sacrificaturos Antistites viuificum Christi Corpus & Sanguinem: ne tanta dulcedine & præsentis consolatione pij priuentur. Sic enim olim fieri consueuerat in primæua Ecclesia, quando Principes Sæculi immaniter debachabantur in Christianos: Sic in Anglia sub Elizabetha, vt nunc sub Iacobo, vbi hostes religionis rerum potiuntur. Nec mirum, tempore Antichristi Fidelibus tantam obuentionem calamitatem, vt in angulis, & abstrusis, semotisque locis Eucharistiam conficiant; quòd tunc Ecclesiis dirutis, incensis, aut profanatis, nullus erit locus Sacra Missæ myſteria in publico peragendi.

Et vero quod S. Hieronymus, Theodoretus, & alij dixerunt, Daniele nomine Iugis-Sacrificij intellexisse diuinum cultum, qui Deo in Ecclesia perenniter exhibetur: haud sanè nostræ interpretationi præiudicat: cum planè præcipuus ac primarius cultus quem Deo Ecclesia tribuit, sit ipsa inctuenti Missæ sacrificij actio, qua sanctior, & sacratior cæremonia in cultu diuino esse nequit. Etenim si tempore Antichristi tollendus est Dei cultus, & omnis Ecclesiasticæ religionis ordo: quis non cernit primum & præcipuum in diuino & Ecclesiastico cultu esse Missæ sacrificium? Sed S. Hieronymus & Theodoretus vniuersè dixerunt, Antichristum sublatum Dei cultum, ne putaremus Antichristum solum aboliturum sacrificium Eucharistiæ: cum & istud, & reliquum omnem Dei cultum sit interdicturus.

Iam accurate inquirendum; cur Angelus propriè Missæ sacrificium, Iuge, & perenne nuncupauerit. Pintus & Pererius obseruauerunt, id circo Iuge appellatum, quia vere iuge, perenne, & continuum est in Ecclesia,

Ecclesia, atque die, noctuque continenter in orbe offertur. Siquidem Christiana Religione iam per extremas quasque mundi partes propagata, ubi nobis est nox, aliis est dies, qui proinde tunc sacrificant: & ubi aliis est nox, nobis est dies, tuncque immolamus. His tandem addimus nos, forsan singulari Dei providentia, nullum esse tempus, nullam horam, nullum momentum, cum diei tum noctis, in quo saltem hac nostra ætate non alicubi terrarum Missæ Sacrificium peragatur, seu in veteri seu in Novo orbe. Quia circumagente se sole per totum terrarum ambitum, nullum verbi gratia, est tempus aut momentum diei aut noctis, quod vel hic, vel in aliqua alia parte terrarum, non sit antemeridianum, & aptum sacro faciendo; plantatis iam & erectis Ecclesiis in Iapone, Sinarum regione, Groentlandia, supra Fretum Magellanicum, &c. nempe, per omnes mundi plagas. Arque hoc plane modo Eucharistiæ sacrificium aptissime vocatum est ab Angelo Iuge, perenne, continuum, perpetuum, quia continuè sine vlla intermissione, aut interpolatione, nocte, dieque in Ecclesia immolatur. Quæ res pia meditatione digna cum primis videtur, tam propitio erga nos Deo, qui hoc maxime tempore tanto beneficio, ac præsidio suam ornat ac munit Ecclesiam.

Verum & illud quoque peruestigandum, quod cum nobis ex Daniele sit demonstratum, Missæ sacrificium acerbitate Antichristi persecutionis cessaturum in publico; & suo loco exactè ostensuri simus, Antichristi tyrannidem non nisi tribus annis & sex mensibus duraturam; cur hic Angelus affirmet, amouendum esse Iuge sacrificium Missæ, diebus mille ducentis nonaginta, qui consiciunt tres annos ac dimidium, & adiciunt duodecim amplius dies? Quorsum enim adduntur summæ temporis persecutionis Antichristi duodecim alij dies cessationis Incruenti sacrificij? Equidem res est exploratu difficilis, in qua malleus audire, quam dicere sententiam. Et ut multa dici possint, non tamen quæ plenè satisfaciant. Forsan nihil congruentius excogitari possit, quam si dicamus, Antichristi integram persecutionem duraturam duraturat tres annos & sex menses: & nullos amplius dies: totoque isto tempore nullum futurum Missæ sacrificium in publico; illos vero alios duodecim dies quos Angelus hic desitionis Missæ adiecit prædictæ summæ temporis persecutionis Antichristi, futuros reuera post mortem Antichristi, absoluta & extincta persecutione, quibus etiam Iuge Missæ sacrificium non erit in publico: nam dum expectantur plurimi fideles qui à latebris ac desertis emergant, dum loca parantur, publica, ut Ecclesiæ, aut Sacræ, Aedes, dum Sacra vasa, ornamenta, & id genus alia apportantur, dum magnificentissima instruitur pompa, omni lætitiæ genere exornata, dum cuncta necessaria comparantur ad primam, celeberrimamque ac festiuiusnam Sacrosancti Sacrificij Missæ peractionem & quasi rediuiuiam in publicum instaurationem, quantacumque diligentia & celeritate id fiat, minimum videntur in his decem aut duodecim dies insumendi. Siquidem diuini Incruenti sacrificij restitutionem celebraturos tunc Christianos omni magnificentiæ, elegantia, & ornatus apparatu, non est dubium. Hanc nostram coniecturam prudentem appellauit Gaspar Sanctius in Daniel 12. numero 39.

Dicemus quoque de his lib.

13. cap. 9.

* *

CAPVT XII.

Cruciatus & Martyria, quibus pios Fideles, Antichristus exercebit.

Persecutionem spiritalem Antichristi in Ecclesiam descripsimus: nunc corporalem exequamur. Quam etiam futuram omnium crudelissimam, quæ unquam fuerunt, aut erunt aduersus Ecclesiam, Patres ac Posteriores vno ore affirmant. Sed ut id plenè pro rerum dignitate præstare possimus, non erit abs re simula (nam omnia quæ possumus) variaque cruciamentorum genera quæ truculentissimi homines ad torquendos, excarnificandosque fontes, infantesue adhibuerunt, breuiter enumeremus. Nam omnia illius modi, & plura alia longè exquisitiora & immaniora ab Antichristo in sanctorum corporibus esse consumenda, nemo prudens & eruditus ambiger. Vndè disertè S. Gregorius lib. 32. in Iob cap. 12. inquit: *Quæ enim panarum genera non nouimus, quæ non iam vires Martyrum exercuisse gaudemus? Alios namque improviso ictu immersus iugulo gladius strauit: alios crucis patibulum afflixit: in quo & mors prouocata repellitur, & repulsa prouocatur: alios bis fuit serra dentibus attriuit: alios armato (hamato) ferro insulcans ungula carpsit: alios belluina rabies moribus derruncando comminuit: alios ab intimis viscerum per cutem pressa vis verberum rupit: alios effossi terra vincentes operuit: alios in altum demersos in mortem precipitium fregit: alios in se proiectos aqua replendo absorbit: alios edax flamma usque ad cineres depasta consumpsit. Cum igitur Behemoth iste caudam suam in fine mundi nequius dilatat, quid est, nisi quod in his tormentis acrius crescat?* S. Beda in Expositionibus Allegoricis in 1. Regum 11. *Relegens Historiam Ecclesiasticam, infinita Martyrum acta reperies, quibus cunctis immanior temporibus Antichristi Ecclesiæ perturbatio non dubitatur esse ventura.* Ansbertus in 12. Apocalypsis: *Pugna itaque Bestiæ aduersus agnos, corporalis simul & spiritualis intelligitur. Nam exhibebit cuncta quæ iam in passionibus præcedentium Martyrum videntur adimpleri, id est virgas, fustes, plumbatas, cruces, equuleos, candentes ferri laminas, regelatum plumbum ollas vel cacabos, ungulas ferreas, sauas bestias, fornaces ardentes, thermas succensas, venenatos serpentes, foueas immensæ magnitudinis, vincula & carceres, gladios, & si quæ sunt alia similia tormentorum genera. Hæc corporalia sunt Bestiæ certamina.*

ÆNEVS TAVRVS CANDENS. I.

Valerius Maximus lib. 9. cap. 2. *Sæuus etiam ille ænei tauri inuentor, quo inclusi subditis ignibus, longo & abito cruciatu, mugitus resonante spiritu edere cogebantur, ne eiulatus eorum humana sono vocis expressi, Phalaridis tyranni misericordiam implorare possent. Quam quia calamitosi deesse voluit, teterrimum artis sue opus primus artifex inclusus merito auspicatus est.*

Plinius lib. 34. cap. 8. *Perillum nemo laudat Sæniorem Phalaride tyranno, qui taurum fecit, mugitus hominis pollicitus igne subdito, & primus cum expertus cruciatum iustiore sententia.*

Plutarchus in Parallelis: *Phalaris Agrigentinorum tyrannus crudelis, hospites torquebat & excruciebat. Perillus faber ærarius aream buculam confecit, tyrannoque obtulit, ut in ea peregrinos viros cremaret. Phalaris*

tum dumtaxat iustus, ipsum iniecit. Videbatur autem mugitum edere buccula. E secundo libro Quaestionum, siue causarum. Aegesta quae Sicilia urbs est, Sauius quidam fuit tyrannus Aemilius Censorinus, donis eos afficiens, qui noua inuenissent tormenta. Erat quidam Aruntius Paterculus, qui equum arcum fabricatus, dona dedit Tyranno, ut in eum coniceret cruciandos. Tyrannus tunc primum ius secutus, ipsum tormenti auctorem in equum coniecit, ut quos aliis parauerat cruciatus, ipse primus experiretur. Aristides quarto Italico- rum.]

Aristides in Politicis: Phalaris apud Agrigentinos tyrannidem inuasit, qui immanitate omnes superauit. Nam non solum e medio multos sustulit, sed & exquisitis, crudelibusque suppliciis usus est. Quosdam enim in lebetes feruentes, alios in crateras ignis iniecit, alios denique in Taurum aeneum inclusos necauit.] Meminere Tauri Phalaridis Cicero Oratione 37. in L. Pisonem lib. 2. & 5. Tusculanarum, Seneca Epistola 66. Ouidius 1. de Arte amandi:

Et Phalaris tauro violenti membra Perilli

Torruit: infelix inbuit auctor opus.

Et Claudinus pulcherrimè:

Quam bene dispositum terris, ut dignus iniqui

Fructus consilij primis auctoribus instet:

Sic opifer tauri, tormentorumque repletor,

Qui funesta nouo fabricauerat ara dolori,

Primus inexpertum Siculo cogente Tyranno,

Sensit opus, docuitque suum mugire iuuentum.

Sed & ipse Phalaris apud Lucianum in Phalari primo, hæc de suo Tauro memorat: Erat quidam Peliræus nostratis gentis homo, egregius quidem & ingeniosus artifex, caterum natura malus & improbus. Ille tota via cum a sententia mea aberrasset, putauit se mihi rem admodum gratam facturum, si nouum quoddam supplicij genus excogitasset: quasi præ omnibus rebus præcipuam in sumendis suppliciis voluptatem cupientissimè caperem. Iam verò boue fabricato, ad me venit ferens illum, aspectu sanè pulcherrimum, atque accuratissimè ad veri bouis imaginem expressum. Tantum illi motus & mugitus deerant, quominus uiuus esse putaretur. Viso autem illo, statim exclamabam: Dignum munus Pythio, mittendus est hic taurus Apollini. Porro Peliræus assistens: Quid si, inquit, Sapientiam quæ in illo est, perdisceres, ac vsum cui præbendo formatus est? Et cum dicto, Taurum per dorsum aperuit. Si quem, inquit cruciatibus torquere volueris, coniecto illo in machinam, ac dorso iterum concluso, hæc tibi nasibus bouis admodum accommoda: ignem autem succendere iubeas, ac ille quidem inclusus plorabit, vociferabiturque inusitatis & ineffugilibus detentus doloribus: caterum vociferatio per tibiæ, cantum tibi absoluet nimium stridulum, & lugubre quiddam modulabitur: quin etiam insuper mugitus ciebit tristissimos, ita ut ille inter modulandum tormentis crucietur: tu vero Singulari voluptate afficiaris. Porro ego his auditis, crudelem machinam extremè auersatus sum, & immanem illam instrumenti indolem prorsus respui, conueniensque & debitum illi supplicium imposui. Et age, inquam, ô Perilæ, ne vana videatur esse tua promissio, ipse nobis in Taurum ingressus, veram artis tuæ industriam comprobato, ac vociferantes imitare, ut certo cognoscam, num ea quæ iactas carmina per tibiæ cantata exaudiantur, Perilæus nihil cunctatus, his dictis promptè obtemperat. Ego autem postquam ingressus est, concluso Tauro, ignem inssi succendere. Recipe, dixi, debitum arsi tuæ tam admiranda premium, ut magister musices ipse primus omnium canas. Ac ille enim verò iustissima passus est, sua ipsius excellenti fruens industria. Porro autem ego uiuentem & adhuc semiuuum spirantem inssi eximere, ne si immoreretur, neque sua

opus contaminatum impiaret: illum inhumatum per scopulos precipitari imperavi.] Hæc Lucianus.

Diodorus Siculus lib. 13. Numero 380. agens de præda quam Imilcar Carthagenensium Imperator è capto Agrigento Carthaginem misit, inquit: Et pretiosissima quidem, inter quæ Phalaridis etiam Taurus erat, Carthaginem misit. Taurum illum unquam fuisse magna contentione Timæus in Historiis suis negat, cum tamen ab ipso fortune euentu redarguatur. Nam Scipio Africanus ducentis & sexaginta annis post hoc excidium Carthagine euerfa, inter alia, quæ ad illud usque tempus atatem tulerant, etiam Taurum illum famosum Acragantinis restituit: qui etiam cum præsens historiaco texeretur, Agrigenti superstes erat.] Et lib. 29. Numero 729. de pugna Agatoclis cum Carthagenensibus, ait: Tenebant autem Carthagenenses Ecnomen [nefarium] collem, ubi Phalaridis Castellum fuisse aiunt. In hoc Taurum aeneum habuisse Tyrannus fertur, ad excruciantorum supplicia sic adornatum, ut subditi igne machina incandesceret. Ideoque ab impia in miseros sanctia colli nomen Ecnomi [scelerati] inditum.]

Hoc diro Tauri supplicio aliquot Sanctos Martyres absumptos constat, Antipam, cuius meminit Ioannes Apocalypf. 2. 13. de quo Acta eius Martyrij apud Metaphrastem, (exquo Lippomanus Tomo 7. Surius Tomo 2. descripserunt.) Romanum Martyrologium, & Menologium Græcorum 11. Aprilis; S. Eustachium Romanum, cum fociis, de quibus Acta eorum apud Metaphrastem, Lippomanum Tomo 6. Surius Tomo 5. Martyrologium Romanum, & Menologium Græcorum 20. Septembris; S. Pelagiam virginem Tarsensem, de qua Martyrologium & Menologium 4. Maij, & Acta eius apud Metaphrastem, Lippomanum Tomo 7. Surius Tomo 3. Hoc tormenti genus diuina ope euasit S. Heliodorus martyr Pamphilius, ut Menologium Græcorum fusè narrat 19. Nouembris.

LECTVS FERREVS. II.

Diodorus Siculus lib. 20. Numero 770. de Agatoclis tyranni Siciliæ crudelitate: Alios enim rotarum distractos radius torquebat: alios catapultis innexos eiuculabatur. Quibusdam talos exsecabat, & vehementius instans cruciatibus afficiebat horrendis. Aliud præterea supplicij genus, Phalaridis tauro non absimile excogitauit. Aeneum namque lectum fabricauit qui corporis humani effigiem referret, ab unaquaque parte claustris interceptum. In hunc inferuit, quos cruciare volebat, igneque subiecto viuos cremabat. Eo tantum machina hæc a Tauro differebat quod homines in angustiis hisce pereuntes, oculis erant expositi. Matronis quibusdam opulenti malleos pedum ferreis cancri, seu forcipibus compressos infrungebat: nonnullis præcidebat mammas: lumbis prægnantium lateres imponens, horum pondere fatus elidebat.]

Lecto ferreo excruciatu fuere S. Eleutherius Episcopus Illirici, de quo Romanum Martyrologium 18. Aprilis, & Acta eius apud Metaphrastem, Lippomanum Tomo 5. & Surius Tomo 2. S. Plato Martyr Ancyranus, de quo Menologium Græcorum 18. Nouembris, & Acta eius apud Metaphrastem, Lippomanum Tomo 5. Surius Tomo 6. Sancti Martyres, Acindinus, Pegafius, Aphthonius, Elpidophorus, & Anempodistus, de quibus eorum Acta apud Metaphrastem, Lippomanum Tomo 5. Surius Tomo 6, & alij. Ecclesiæ Lugdunensis & Viennensis Epistola ad Asiaticas & Phrygias Ecclesias, apud Eusebium lib. 5. Historiæ, cap. 1. de S. Attalo martyre: Attalus, ubi in ferrea cathedra iam candenti esset impositus,

& eius incendio ambustus quando nidor & fumus è corpore in sublimi ferebatur, &c.]

VIVICOMBVRIVM III.

Valerius Maximus lib. 6. cap. 3. Publius Mucius Tribunus plebis omnes collegas suos, qui duce Spurio Cassio id egerant, ut magistratibus non subrogatis, communis libertas in dubium vocaretur, viros cremavit. Idem habet Zonaras Annali 2. Diodorus Siculus lib. 12. Numero 301. agens de pace inter plebem & Patres post exactos x. viros ait: Inter vero conditiones pacis etiam hoc adiectum erat, ut Tribuni plebis anno magistratus sui exacto, totidem in sequentem annum surrogarent, aut eo neglecto viui concremarentur.]

Liuius lib. 24. cap. 45. Annibal coniugem Cassi Alitini Arpinatis, ac liberos in castra accitos, questione prius habita, viros combussit. Hirrius de Bello Hispaniensi, cap. 3. In oppido fuit captum, seruus est deprehensus in cuniculo, quem supra demonstrauimus dominum ingulasse. Is viuis est combustus. Apuleius lib. 6. de Asino: ut primus viuam cremari censeret puellam. Irrogabatur id genus pænæ parricidis è Paulo Iuris consulto lib. 5. Sententiarum, Titulo 24. Igne consumptos innumeros martyres, passim in eorum Actis, & in Martyrologiis cernere est: quod sane supplicium frequentius Sanctis Martyribus irrogabatur, quod cum Christiani à Gentibus pro Magis haberentur, Magis incendij pœna decreta erat apud Paulum lib. 5. sententiarum, Titulo 23. Suetonius de Domitiano, cap. 10. Nouum tormenti genus excogitauit, ut ignis per obscena immitteretur.]

CEREI ARDENTES IV.

Cap. 1. huius libri ex Tacito annotauimus, Neronem ita flammasse Christianos, ut ubi defecisset Dies, in usum nocturni luminis vrerentur. Id autem quam ratione fieret, explicatum accuratè à plerisque eruditis, è veteri Commentatio in Iuuenalem, ad versus illos Satyræ 1.

Pone Tigillinum, tæda lucebis in illa,

Qua stantes ardent, qui fixo gutture fumant,

Et latum media sulcum deducit arena.

Vbi Scoliastes Priscus à Petro Pithæo editus, hæc annotat: Pone, hoc est in Satyra ponere, vituperare Tigillinum, quem si leseris, viuis ardebis, quemadmodum in munere Neronis viui arserunt, de quibus ille iusserat cereos fieri, ut lucerent spectatoribus, cum fixa essent illis guttura, ne se curuarent. Nero maleficos homines tæda, & papiro, & cera superuestiebat, & sic ad ignem admoueri iubebat, ut arderent. Et latum media &c. Adductus, cum per arenam traheretur, sulcum corpore suo fecit. Vel fossam, in qua stipites fiebant, in quibus ardebant. Vnde putant dici, Et latum media sulcum deducit arena. Quod parcus vstor subditi ligni inopia, scrobe, subter facto subcauet, ut ardere possit. Ex his faciliè est intelligere verba Taciti, in usum nocturni luminis vrerentur. Quod Nerò ex Christianis iusserit fieri cereos ut lucerent spectatoribus, nimirum, tæda, papiro & cera indutos incendebant tanquam cereos. Maleficos sine dubio Christianos hinc Scoliastes appellauit, quod Christiani ut Magi & venefici haberentur ab Ethnicis, ut passim ex Actis Martyrum liquet.

Iosephus Scaliger ad Numerum Eusebianum M. LXXXIV. Supplicium Christianorum, ut alligati axibus cera & pice illiti cremarentur, & usum nocturnorum luminum vigilibus præstarent, auctore Cornelio Tacito, hoc est, ut tunica molesta induiti per totam noctem

etiam ardentibus vigilibus essent vice ignium excubiarum. Tunica autem molesta erat indusium cera litum, quo fontes, tæda & papiro circumdati superuestiebantur.

Scolia Iuuenalis: Nero Maleficos homines tæda, & papiro, & cera superuestiebat, & sic ad ignem admoueri iubebat, ut arderent. Hæc Scoliastes ille in illos versus Iuuenalis, qui sine dubio de Christianis dicti sunt, (quos ut idem Scoliastes postea notat, Maleficos, id est, Magicarum superstitionum pontifices vocabant.) & ad hanc historiam referuntur.

Pone Tigillinum: tæda lucebis in illa,

Qua stantes ardent qui fixo gutture fumant,

Et latum media sulcus diducit arenam.

Quem locum deprauatissimum ita legendum esse iam dudum monuimus. Quia igitur papiro circumdati cera super inducebantur, propterea Cerei dicti fuere: quia Cerei inuis papiro facti, extrinsecus cera vestiuntur. Vnde Cereus, qui Græcè κεραυνος, à vetere Poëta dicitur κεκοιτωτος, hoc est, cerea tunica super indutus. Idem Scoliastes: viuis ardebis, quemadmodum in munere Neronis viui arserunt, de quibus ille iusserat cereos fieri, ut lucerent spectatoribus, quum fixa essent illis guttura, ne se curuarent. Ita hac tunica liti, & axi semissati alligati Sarmenorum ambitu comburebantur: unde Semaxij, & Sarmenitij dicebantur. O magnum litterarum columen! qui ineptissimè, & Cereos, & Tunicas molestas, & Semaxios, Sarmenitiosque confundit, cum essent diuersissima. Hæc semper arcana eruditionis sunt nobis ab illo edificanda. Vide Baronium Annali 1. Anno 66. Numero 4. Lipsium ad 15. Annalem Taciti, Isaacum Grangæum in 1. Satyram Iuuenalis.

TUNICA MOLESTA V.

Seneca Epistola 14. Cogita illam tunicam alimentis ignium & illitam & intexam: quid quid aliud præter hæc commenta sentitia est. Iuuenalis Satyra 8.

Ausi quod liceat tunica punire molesta.

Vbi vetus Scoliastes: Vestis ex charta facta, pice illita, in qua ignibus pang additi ardere solent.]

Martialis lib. 10. Epigrammate 25.

Nam cum dicatur, tunica præsentem molesta,

Vre manum: plus est dicere, Non facio.

Tertullianus Ad Martyras cap. 5. Iam & ad ignes quidam se auctorauerunt, ut certum spatium in tunica ardente conficerent. Rem non satis animaduertit Lipsius ad 14. Epistolam Senecæ, cum ait S. Isidorum in Glossis Tunicam molestam, sub nomine Cullei descripsisse: cum luce meridiana clarius sit S. Isidorum ibi Culleum, non Tunicam molestam intellexisse. Nullum enim ibi verbum de igne. Verba Isidori sunt: Culleus, tunica ex sparto in modum crumena facta, qua linebatur à populo pice & bitumine: in qua includebantur parricide, cum simia, serpente, & gallo insuta mittebantur in mare: & contententibus inter se animantibus, homo maioribus pænis afficiebatur. At quid hæc ad Tunicam molestam?

Hoc cruciatu affectos nonnullos Martyres scimus. De S. Apphiano Martyres Eusebius lib. 8. Historiæ, cap. 14.: Tortores ex mandato Præsidis, pedes lino tincto oleo, eoque incenso obuoluentes, afflictarunt. Vnde quantos & quam graues dolores beatus ille exhausit, mihi videtur non posse dicendo exprimi. Pervastit enim per carnes illius, easque absumpsit, & in ossium penetrans medullas, usque adeo ut totius corporis humor instar Cere tabefactus liquesceret, distillaretque. Testatur eadem Romanum Martyrologium 2. Aprilis. De S. Yrsitio Martyre Græcorum Menologium 14. Augusti hæc refert: Nervis bonum verberatus, postea lineis fu-

nibus oleo perfusis in volutus, sulfure, & resina conspersus, succensus est.]

De Domitio Hurleo Archiepiscopo Cassiliensi in Hibernia, in Theatro crudelitatum Hæreticorum nostri temporis hæc produntur: Quia fidei Catholice renunciare noluit, furore hæreticorum questionibus subiectus fuit: Ocrea enim oleo plena illius pedibus iniecta fuerunt, & ligatus deinde in sella lignea, ut moveri non posset, ingentem ante focum collocatus fuit: Sicque vi flamma ocreis adustis, tibiæ simul concremata fuerunt: adeo ut euellentes tum inde hæretici ocreas, ad genua usque carnem auulserint, relictis solum ossibus nudis.]

De Tunica molesta agit quoque Cælius Rhodiginus lib. 10. Lectionum Antiquarum, cap. 5. Indi Occidentales Hispaniæ Nouæ, militem quendam Hispanum Franciscum Medinam sæuissimo mortis genere peremerunt. Viuo ei per nudum corpus præacutas ludes ex tæda infixæ erant, ac veluti hirsutum crudelibus sectis, accensis sudibus, in girum circum scrobem ducentes, toto in succum defluente corpore extinxerunt. Rem gestam fusè prodidit Franciscus Gomara in Historia Mexicana. Qui etiam & alij pluribus narrant feralem Mexicanorum ritum humanas hostias mactandi: præacutis enim ex silice nouaculis viuos homines resupinos super altaria, à Summo pectore ad imum usque ventrem discindebant: moxque femiuius & palpitantibus corda manibus euellebant.

ÆPEGA VI.

Hanc ita describit Polybius lib. 13. Nabis Lacæ demoniorum tyrannus machinam, si tamen ea machina est dicenda, talem struxerat: Simulacrum mulieris erat pretiosis vestibus adornatum, formæ similitudine Nabidis uxorem arte eximia referens. Quoties ciuium aliquos Tyrannus ad se vocabat, ut pecunias eos emungeret: si aliqui essent, qui pecunias pendere recusantes, iussa capessere detrectarent: in hac tum verba Tyrannus erumpebat: Equidem fortasse quod cupio persuadere tibi non valeo: Apegam vero hanc (id nomen Nabidis coniunx habebat) puto tibi persuasuram. Simul hac ille dicebat, & statim aderat Simulacrum, de quo sumus locuti. Tum autem Tyrannus ubi è sede sua mulierem excitasset, per speciem comitatis dexteram prehensens, utraque manu collocutorem amplectebatur, ac paulatim ad pectus admovebat. Erant autem illi cubiti & brachia ferreis clauis plena, quos vestis occultabat: similiter etiam in mammis infixos habuit clauos. Quando igitur Brachia impresserat dorso mulieris, mox organis quibusdam attractum intendebat, & paulatim ad mammæ adducens, eum qui premebatur, omne genus voces cogebat edere. Atque hoc modo multos eorum sustulit, qui pecunias dare recusabant.] Nabidis Lacæ demoniorum tyranni plurima extat mentio apud eundem Polybium lib. 4. & in Excerptis legationum, Excerpto 22. Liuium lib. 29. 31. 32. 34. 35. Plutarchum in Philopæmene, Florum lib. 2. cap. 7. Iustinum lib. 30. & 31. Pausaniam lib. 4. numero 139. & lib. 8. numero 278. & lib. 7. num. 213. 214. Orosium lib. 4. cap. 20. Eutropium lib. 4.

VIVOS HOMINES MEDIOS SERRA SECARE. VII.

Valerius Maximus lib. 9. cap. 4. Numulizinthiæ Diogiridis filie Thraciæ regis etsi minus admirabilem crudelitatem gentis ipsius feritas, narrandam tamen rabies scintille facit: cui neque viuos homines medios secare, neque parentes liberorum vesci corporibus nefas fuit.]

Stegas Gnidius in Excerptis Persicorum: At Parysatis Roxanem vinam secari iussit.]

De Caio Principe Suetonius cap. 27. Multos honesti ordinis, deformatos prius stigmatum notis, medios serra dissecuit.] Huc etiam pertinere putant illud Suetonij de Augusto, cap. 13. Splendidissimum quemque captivum non sine verborum contumelia secuit.] Sic enim restituendum locum admonuit Casaubonius: ubi multa de hac scintilla confert. Gellius lib. 20. cap. 1. de legibus decemviralibus hæc scribit: Sed eam capitis penam sancienda, sicut dixi fidei gratia horrificam atrocitatis ostentu, nouisque terroribus metuentem reddiderunt. Nam si plures forent, quibus reus esset indicatus, secare si vellent, atque partiri corpus addicti sibi hominis permiserunt. Equidem verba ipsa legis dicam, ne existimes inuidiam me istam forte formidare. Tertiis, inquit, mundinis, partem secanto: Si plus minusve secuerunt, sine fraude esto. Nihil profecto immitius, nihil immanius: nisi ut re ipsa apparet, eo consilio tanta inmanitas pena denunciata est, ne ad eam unquam perueniretur. Addici namque nunc & vinciri multos videmus, quia vinculorum penam deterrimi homines contemunt: dissecum esse antiquitus neminem equidem neque legi, neque audiri: quoniam scintilla ista pena contemni non quita est.] De Valente Imperatore Sacrates lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 5. Proditores ferris dissectos, è medio sustulit.] De uxore Hormisdæ regis Persarum Theophylactus Simocatta lib. 4. Mauriciæ Historiæ, cap. 6. Utraque scintilla progressi Persæ coniugem producunt, & ab imo ventre in partes haud aquas licet dissecant.]

De Dauide rege digno supplicio affligente Ammonitas, 2. Regum 12. v. 31. scriptum est: Populum eius adducens serrauit, & circumiecit super eos ferrata carpenta, diuisitque cultris, & traduxit in typo laterum. Sic fecit vniuersis ciuitatibus filiorum Ammon. Expendamus tantisper Hebræa. Serrauit. Heb. posuit in Serra. MEGERA, inquit Forsterus, traba, seu serra à trahendo. De hoc supplicij genere videtur etiam loqui Paulus ad Hebræos cap. 11. cum scribit, quosdam fuisse dissectos, quo supplicio Isaias fuit affectus.] Eadem omnino Mercerus. Hinc nomen Megera Furis quidam factum putant. Caietanus & posuit in planula, & circumiecit super eos ferrata carpenta. Heb. & in rastris [seu tribulis] ferri. Caietanus: & in cuspidibus ferri: diuisitque cultris. Heb. & in securibus ferri. Auenarius, in lanceas ferri Schindlerus & Buxtorfius, in ferris ferri, & traduxit in typo laterum. Heb. & transire fecit eos in laterum fornace. Sanctes in Thesauris: transire fecit eos per fornacem laterum. Hieronymus: & traduxit in typo laterum, id est, forma qualiteres formantur. Sed prior interpretatio germana est, & sensui quadrat: per typum enim, cum parvissima quantitatis esset, impossibile erat illos transire. Rabbi David in Commentariis exponit, ac si dicat: Et combussit eos in loco in quo lateres coquantur. Et aduerte quod dictio intrinsecus scribitur MALCHEN cum Caph, sed in margine scribitur cum Beth, MALBEN, ad denotandam duplicem lectionem. Si legatur cum Caph, inquit Rabbi David in Commentariis, sensus est, & transire fecit eos per MALCHEN, id est, locum idoli Molech, per ignem. Nam filij Hammon liberos suos transire faciebant per ignem, immolantes illos idolo Molech, qui & Molech, & Milchom, atque adeo Malcham, & Malchen appellabatur: nam Mem, & Nun inuicem permutantur, ut Moph, & Noph, Memphis vrbs Egypti: Targum: & Serrauit eos [vel raptauit eos, ut Mercerus exponit] in plateis: quæ erant tecta, (opera) lateribus, ut exponit Rabbi David in Commentariis, & in libro Radicum, ut dura illos ac vili morte perimeret. Vel in plateis, Sic

sic appellatis, eo quod in illis ordinatè ponerentur strata lapidum instar arcarum, hinc & inde. Nam apud Hebraeorum Doctores MALBENOTH appellantur ordines, linea ordinata, ut ordines laterum, ac frugum. Vel potius, area vel porca agri, ubi seruntur fruges: quod fiant & ordinentur ad modum & formam laterum. Et sic locus, in quo fiunt lateres, potest appellari MALBEN.] Hæc Sanctes, ex Kimchio.

Forsterus & Mercerus: & traduxit eos per laterificinam. Caietanus: Et faciet transire eos in locum-fornacis. Martinus: Et traduxit eos in (per) fornacem. Isidorus Clarius: & traduxit eos per furnum lateritium. Vatablus: Transireque fecit eos per fornacem. Id est, coniecit eos in fornacem regulariam, seu laterariam, in qua decoquebantur lateres. Legitur & MALCHEN per Caph in fine, tunc vertendum, per Malchen, id est, locum idoli Molech, hoc est, per ignem.] Id secuti Tremellius & Iunius, reddunt: traduxitque eos in fornacem Moleci. Leo Iudas: coniecitque eos in fornacem calcariam. Pomarius: transire fecit eos in cemento unde fiunt lateres. Vel in cemento quod fit ex calce & arena, vel in loco ubi coquuntur lateres, in fornace. Forfan est, quod Hispanice dicimus, Tapióles, idest, pro cemento parietibus inclusit, & infarsit, ut Macrinus faciebat, & Turcæ faciunt, quod est sæuissimum supplicium. Auenarius: & traduxit eos in officinam laterum Schindlerus: & traduxit eos per caminum [laterificinam, laterariam-officinam, fornacem] combussit eos in loco, ubi lateres vruntur. Targhum: traxit (Alias, laceravit) illos in plateis, scilicet lateritiis, latere instratis. Scribitur autem in textu, MALCHEN, quod & idem quod MELCHOM, litteris Mem, & Nun permutatis, & MOLECH: quod per illum ignem traduxerit. MALBEN Rabbini, forma qua fiunt lateres.]

Buxtorfius: & traduxit eos per fornacem laterariam, id est, combussit eos in loco, ubi lateres vruntur. Scriptum est cum Caph, sed iuxta Masorethas legendum per Beth, MALBEN. Aut, ut Kimchi præter præcedentem explicationem notat, traduxit eos per Molecum, id est, locum Moleci Dei Ammonitarum, in quo liberos traducebant per ignem, & comburebant eos. Sic idem sunt MOLECH, MILCHOM, & MALCHEN.] Montanus vocem Hebræam ininterpretatam reliquit: & transire fecit eas in Malchen.

Ex loco isto ut Hebraicè ad verbum exprimitur: Et populum qui in ea, exire fecit, [extraxit, & posuit in serra, & rastris, [tribulis] ferri, & in securibus ferri, & transire fecit eos in laterificinam. Anceps videtur sententia, num eos his instrumentis seu tormentis interfecerit, seu conciderit: aut ad ea conficienda & fabricanda, seu exercenda, damnauerit. Posteriorem hunc sensum secuti sunt Marinus, & Auenarius. Marinus enim hæc habet: Notes insuper, an veram sit, quod omnes hos populos serra dissecuerit Dauides, immanitatis maximo exemplo, ut omnes volunt, quod vix credere possim: vel potius quod eos ad exercendam serram, & alia illa instrumenta mechanica coegerit. Sicut & Gabaonites quondam coacti fuerunt à Iosue ut ligna cederent, & aquam haurirent.] Auenarius: MEGHERA, traba, serra, instrumentum ferreum, quo homines operabantur in serrandis lapidibus scissis: & erat labor durissimus, ac seruitus grauissima. 2. Samuelis 12. vers. ultimo: Et populum, &c. constituit in serram, & in rastris ferri. Hoc est constituit eos, ut perpetuo laborarent in secandis lapidibus, & trahendis rastris, & in lanceis ferri, & in officinis laterum. Rabbini exponunt, quod Dauid dissecuerit filios Ammon serra, qua dilaniabantur ij, qui ad supplicia trahabantur.]

Verum prior ille sensus, quod Dauid illos Ammon-

Tom. II. de Antichristo,

nitatis ferris medios dissecuerit, subieceritque proterendos & concidendos, trahis, tribulis, rastris, securibus, & in fornaces calcarias, aut laterarias igne absumendos coniecerit: est proculdubio verissimus, quem Noster Vulgatus, Hebræi omnes, Auctor Traditionum in Libros Regum, Latini omnes, ac præsertim Recentiores, Lyranus, Caietanus, Tremellius, Iunius, Sanctes, Forsterus, Leo Iudas, Clarius, Vatablus, Mercerus, Schindlerus Buxtorfius, Sà, amplexi sunt. Sancti, qui ausus est vulgatum attingere quod, in typo laterum dixerit, cum per typum laterum, qui est paruus, impossibile fuerit eos transire: respondemus, Primo, Nostrum intellexisse, in typo, idest, in typum, seu fornacem. Nam in fornace formantur lateres. Secundo, forsan fabricasse typos fereos magnos, ut eos premeret, instar typorum laterum. Tertio, Auctor traditionum inquit: Et diuisit cultris, sicut lateres diuidi solent, qui ex paleis, & luto conficiuntur.] quasi dicat: Diuisit eos ut solent lateres recentes diuidi. Vide Sà. Quarto, Eos quasi in massam lateritiam compegit, contractos & dissipatos.

Lxx. in Editione Romana: Et populum, qui erat in ea, eduxit & posuit in serra, & in tribulis, & in securibus ferreis: & transire fecit eos per fornacem. In Complutensi & Regia eodem modo, nisi quod extrema pericope habet: & circum duxit eos per aciem. Nimirum in triumpho, ut illud Pauli: Traduxit eos confidenter.

Hunc locum excipit, & mitifice illustrat alter eadem de re, 1. Paralipom. 20. 3. Populum autem, qui erat in ea, eduxit: & fecit super eos tribulas, & trabas, & ferrata carpenda transire, ita ut dissecarentur, & contererentur. Sic fecit Dauid cunctis urbibus filiorum Ammon. Lxx. Et populum qui in ea, eduxit, & dissecuit in ferris, & in ascis ferreis, & in tribulis. Caietanus: Populumque qui erat in ea, extraxit: & serrauit Serra, & in cuspidibus ferri, & in securibus. Sanctes: & populum qui erat in ea, eduxit, & serrauit in serra, & in carpentis [Montanus, tribulis] ferreis, & in ferris. Forsterus: Populum vero, qui erat in ciuitate, eduxit, & disperpsit traba, & tribulis ferri, & omni genere traharum. Leo Iudas: Populum verò, qui erat in ea, eduxit, & afflixit eos serra, & rastris ferreis, ferrisque. Vatablus, pro rastris, habet trabis, vel tribulis, aitque: Erant instrumenta, que habebant prominentias quasdam, quibus dilaniabantur, & dissecabantur, qui ad supplicium illud trahabantur.] Tremellius & Iunius: Populum verò qui in ea erat, eductum dissecuit serra, & tribulis ferreis, ac securibus.

De mulierum prægnantium dissectione, 4. Regum, 15. v. 16. Et interfecit omnes prægnantes eius, & scidit eas. Et cap. 8. 12. & prægnantes diuides. Osee 14. 1. & fete eius discindantur. Amos 1. 13. eo quod dissecuerint prægnantes Galaad.

Isaiam prophetam serra in duas partes sectum à vertice vsque deorsum ab impio Manasse Rege, Hebræi, & nostri omnes affirmant, seorsim Tertullianus de Patientia, cap. 14. & in Scorpiaco, cap. 8. Origenes Homilia 1. in Psalm. 37. & Homilia 1. in Isaiam, S. Epiphanius de vita & obitu Prophetarum, cap. 7. S. Hieronymus Commentario 15. in Isaiam, extremo, & in Matthæi 26. v. 8. Auctor nomine S. Athanasij, de Di&is & Interpretatione Sacre Scripturæ, Quæst. 131. Prudentius Peristephanon Hymno 2. vers. 524. Sectoque Isaiæ proximum.] Cedrenus in Annalibus, pag. 91. S. Isidorus, vel si quis est alius eius libri Auctor, de vita & obitu Sanctorum, cap. 37. Dorotheus in synopsi, c. 13. & plurimi alij. Ligna serra serratum, traditio est Iudæorum, uti S. Hieronymus in 57. Isaiæ refert; unde Tertullianus lib. 3. Contra Marcionem Caruine, cap. 6. de Isaiæ canit:

Q

Quem

*Quem populus tectum ligno, sine labe repertum,
Immeritum demens crudeli morte peremit.*

De Isaia intellexisse Paulum Hebræorum 11. 37. illud, *secti sunt*, vel ut S. Hieronymus locis citatis legit, *serrati sunt*, idem S. Hieronymus, Theodoretus, Theophilactus, Oecumenius, Anselmus Laudunensis, S. Thomas, Lyranus, & recentiores omnes Interpretes affirmant. Vnde S. Hieronymus in Isaia 57. *Vnde & nostrorum plurimi illud quod de passione Sanctorum in Epistola ad Hebræos ponitur: Serrati sunt. Ad Isaia referunt passionem.* Romanum Martyrologium 6. Iulij: *In Iudea Sancti Isaia propheta, qui sub Manasse rege sectus in duas partes, occubuit.* Menologium 9. Maij. *Fuit Isaia inter prophetas maximus: mortuus est autem sectus ferra lignea à Manasse rege, filio Ezechia.* Sed & sacram virginem Tarbulam, eiusque pedissequam, stipitibus alligatas, & Serra dissectas fuisse, tradunt Sozomenus lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 11. Nicephorus lib. 8. cap. 37. Romanum Martyrologium 22. Aprilis.

DIASPHENDON. VIII.

Diodorus Siculus lib. 4. cap. 182. de laboribus Thesei: *Secundus fuit Sinis in Isthmo degens. Is duabus inflexis pinibus, utriusque brachium hominis captivi alligabat, hisque subito dimissis impetu fiebat, ut corpora miserorum violenter distracta, inter magnos cruciatus exanimarentur.* Plutarchus in Theseo: *In Isthmo Sinnes Pitryocampien, id est, curcatorem pinorum quomodo multos ille peremerat, eodem eum sustulit.* Pausanias in Corinthiacis, seu lib. 2. sub initium: *In prima Isthmi fronte locus est, ubi Sinis latro, curuatus ad terram diuersorum pinorum ramis, ad eos, quos pugnando vicisset, artibus utrinque vinculis alligabat, ut cum in suam naturam arbores rediissent, miserabilem illi in modum distraherentur: quo ipse postea supplicij genere à Theseo affectus est.* Meminere Sinidis, Apollodorus lib. 3. Bibliothecæ, ad finem, Seneca lib. 2. de Clementia, cap. 4. Ovidius 7. Metamorphosis, Suidas in Theseo. Vide Henricum Stephanum Tomo 3. Thesauri, colum. 333. F. & colum. 786. F.

Bessum Darij interfectorem ab Alexandro eo supplicij genere interemptum Plutarchus in Alexandro ita memorat: *Bessum post comprehensum dilaceravit directis arboribus duabus in unum deflexis, quarum utriusque corporis partem alligauit, inde laxata amba, atque impetu in sedem suam relata, partem sibi annexam reuoluere.* Longe tamen aliud Bessij supplicium fuisse Curtius lib. 7. Arrianus lib. 3. & 4. produnt. Flavius Vopiscus in Aureliano, cap. 7. Solus denique omnium, militem qui adulterium cum hospitii uxore commiserat, ita puniuit, ut duarum arborum capita inflecteret, ad pedes militis deligaret, easdemque subito demitteret, ut scissus ille utrinque penderet. *Quæ res ingentem timorem omnibus fecit.* Procopium tyrannum à Valente hac poena affectum Socrates lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 5. ita scribit: *Tyranni autem crura duabus arboribus, quæ non longo intervallo inter se distabant, ad terram inflexis, alligauit: deinde arbores in sublime denovo se tolli permisit: quæ in altum sublata, Procopium disperseverunt. Tyrannus igitur eo modo in duas partes direptus, miserè interiit.*

De Sanctis Martyribus Thebæis hoc genere mortis discerptis, Eusebius lib. 8. Histor. Eccles. cap. 9. ita narrat: *Homines rursus arboribus & earum ramis adstricti perierunt: nam cum duos ramos, robustissimos illos quidem, machinis quibusdam in unum attraxissent, ad virtutem illorum martyrum crura distinentes, affli-*

gentesque, eos impetu quodam denovo pro natura sua distendi, diffundique dimiserunt: sicque illorum membra, in quos ista excogitabant, repentino impetu distracta fore suspicati sunt. S. Coronam eiusmodi martyrio consumptam tradunt, Romanum Martyrologium 14. Maij, & Acta eius apud Metaphrastem, quæ recitat Surius Tomo 3. De S. Stratone Martyre in Menologio Græcorum, 9. Septembris, hæc habentur: *Qui in duobus cedris ligatus, & in duas partes sectus, pro Christi confessione cum cælestibus coniunctus est.* Hoc tormentum Diasphendonem dici notantur Cælius lib. 10. Lectionum Antiquarum, cap. 5. Henricus Stephanus Tomo 3. Thesauri, columna, 1178. C. Baronius in Notis ad Martyrologium 14. Maij, Casaubonus ad Aurelium Vopiscum.

Haud abfimile huic & illud supplicium fuit, quo Tullus Hostilius Romanorum rex Metium Fuffetium Albanorum Dictatorem fidei violatorem sustulit. Binis enim admotum quadrigis, in currus earum distentum per pedes & Brachia, longis loris illigauit, dein in diuersum iter equis concitatis, lacerum ac dissipatum in utroque curru corpus distractum membra pependit. Historiam fusè describere, Dionysius lib. 3. Linius libro 1. Auctor de Viris Illustribus, cap. 4. Florus lib. 1. cap. 3. Gellius lib. 20. cap. 1. ad finem, & innumeri alij. Virgilius lib. 8. Æneidos:

*Haud procul inde citæ Metium in diuersa quadrigæ
Distulerant: at tu dictis Albane maneres:
Raptabatque viri mendacis viscera tellus
Per siluam, & sparsi rorabant sanguine vepres.*

Turcæ interdum noxios ad diuersas triremes alligatos, cum eas in contrarias partes impetu egerint, discerpunt.

CAPVT XIII.

Alia tormenta recensentur.

VIVOS HOMINES MORTVIS COLLIGARE. IX.

Valerius Maximus de Etruscis, lib. 9. cap. 2. *At ne Etrusci quidem parum feroces in poena excogitanda: qui vinorum corpora cadaveribus aduersa aduersis alligata atque constricta, ita ut singula membrorum partes singulis essent accomodate, tabescere simul patiebantur: amari vitæ pariter, ac mortis tortores.* Vnde Virgilius de Mezentio Etruriæ rege 8. Æneidos:

*Mortua quin etiam iungebat corpora viuus,
Componens manibusque manus, atque oribus ora,
Tormenti genus, & sanie taboque fluentes,
Complexu in misero longa sic morte necabat.*

Iulius Capitolinus de Macrino, cap. 12. *Cum quidam milites ancilla hospitii pudorem deprauasse suspecti essent, atque per quendam frumentarium ille didicisset, adduci eos iussit, interrogauitque, utrum esset factum: quod cum constitisset, duos boues miræ magnitudinis viuos subito aperiri iussit, atque his singulos milites inferi, capitibus, ut secum colloqui possent, exsertis. Itaque poena hos affecit. Reddidit etiam Mezentij supplicium, quod ille viuos mortuis illigabat, & ad mortem cogebat longa tæbe confectos. Vnde etiam in Circo cum fauor publicus in Diadumenum se proseruisset, acclamatum: Egregius forma iuuenis, dignus cui pater haud Mezentius esset. Viuos etiam homines parietibus inclussit, & struxit. Adulterij reos semper viuos simul incendit, iunctis corporibus.* Idem Capitolinus de Iulij Maximini seuitia, cap. 8. *Audiebant enim alios in crucem sublato, alios animalibus nuper occisis inclussos, alios feris obiectos, &c.*

Valerius

Valerius Maximus lib. 9. cap. 2. Sicut illi Barbari, quos ferunt mactatarum pecudum intestinis & visceribus egestis, homines inferere, ita ut caputibus tantummodo emineant: atque ut diutius poena sufficiant, cibo & potione infelicem spiritum prorogare: donec intus putrefacti, laniati sint animalibus, quæ tabidis corporibus innasci solent.] Apuleius lib. 6. Asini, inducit quendam Latronem de poena asini, & puellæ in hunc modum statuentem: Hunc igitur iugulare crastino placeat, totisque vacuofacto præcordiis, per mediam alvum nudam virginem, quam prætulit nobis, insuere: ut sola facie prominente, ceterum corpus puellæ nexu ferino coërceat. Tunc super aliquod saxum scrupulosum, insititum & fartilem asinum exponere. Sic enim cuncta quæ rectè statuitis, ambo sustinebunt: & mortem asinus, quam pridem meruit: & illa morsus ferarum, cum vermibus membra laniabuntur: & ignis flagrantiam, cum sol nimis caloribus inflammavit uterum: & patibuli cruciatum, cum canes & vultures intima protrahent viscera. Sed & ceteras eius arumnas & tormenta numerate. Mortuæ bestia ipsa vivens ventrem habitabit: tum foetore nimio nares astuabunt: inedia diutina lethali fame tabescet: nec suis saltem liberis manibus mortem sibi fabricare poterit.] Hæc Apuleius, quæ ad verbum fermè exscripsit ex Luciani Lucio seu Asino.

De S. Chrysantho martyre Acta eius apud Metaphrastem, quæ describere Lippomanus Tomo 7. & Surius Tomo 5. hæc habent cap. 11. Vitulo igitur excoriato, ipsum in eius pelle nudum incluserunt: & in sole collocarunt. Verum cutis eius nihil est lasa, nec ullum vir Dei sentit incommodum, quamvis totum diem in vehementi calore, ardentique sole permansisset.]

AD PALVM DELIGARE. X.

Vulcatius Gallicanus de Auidio Cassio Tyranno, cap. 4. inquit: Primus etiam in supplicij genus invenit, ut stipitem grandem poneret pedum octoginta & centum, id est, materiam; & a summo usque ad imum damnatos ligaret, & ab imo focum apponeret, incensisque aliis, alios fumi cruciatus, timore etiam alios necaret. Idem denos catenatos in profluentem mergi iubebat, vel in mare.] Alexander Severus Verronium Turinum fumi venditorem, tali supplicio affecit, ut auctor est Lamprius, cap. 36. In foro Transitorio ad stipitem illum ligari precepit, & fumo opposito, quem ex stipulis atque humidis lignis fieri iusserat, necavit: præcone dicente, Fumo punitur qui vendidit fumum.] Hinc Adagium, Fumos vendere, apud Erasum in Chiliadibus.

Hoc cruciatus genere multos Martyres extinctos, Eusebius lib. 8. Historiæ Ecclesiast. cap. 24. ita narrat: Partim etiam, pedibus in sublime appensis, capiteque in terram demisso, igne paulatim succenso, & leniter exardescente, & fumo e materia accensa ascendente suffocati: quemadmodum illis qui in Mesopotamia versabantur, evenit.] Meminit horum Martyrum, ac supplicij eorundem Romanum Martyrologium 23. Maij.

Veteres etiam palum acutum per sedem hominis ad summum oris adigebant, miserando cruciamenti genere. Turcæ eo sæpe utuntur, nostri vocant, empalâr. Helychius: Scolopsin, id est, pati infixionem. Quasi Optisin, id est, assationem. Nam antiquitus maleficos, palo infigebant, acuto ligno penetrantes spinam & dorsum, sicut assos in verubus pisces.] Seneca Epistola 14. Cogita hoc loco carcerem & cruce,

& equuleos, & uncum, & adactum per medium hominem, qui per os emergat, stipitem.] Et in consolatione ad Marciam, cap. 20. Video istic cruce non unius quidem generis, sed aliter ab aliis fabricatas: alij capite in terram conuersos suspendere, alij per obscena stipitem egerunt, alij brachia patibulo explicuerunt.] Et Epistola 102. Inde illud Mecænatis turpissimum votum, quo & debilitatem non recusat, & deformitatem, & novissime acutam cruce, dummodo inter hæc mala spiritus prorogetur.

Vita dum superest, bene est:

Hanc mihi vel acuta

Sed sedeam cruce, sustine.

Suffigas licet, & acutam fissuro cruce subdas.] Vide Lippium de Cruce lib. 1. cap. 6. Qui nihil iam hæsit Senecæ verba de pali infixione capere, quam & Mecænæ & ipse cruce, acutam vocant. Procopius lib. 1. de Bello Vandalico: Vandeli autem illum [Gontharin] potius dicunt in Hispania à Germanis captum, paloque infixum, iam in Africa Gizericho res gerente.] Vulgaris autem deligatio ad palum seu cædendi, seu vrendi causa, nulli non nota.

CRURIFRAGIVM XI.

Satis constat eruditorum consensu Crurifragium diuersum fuisse supplicium ab eo, quo crucifixis crura suffringeantur, ut citius morentur. Fiebat autem in hunc modum: Incus parabatur vna cum vecte & malleo ferreo, iubeantur cruciandi tibias imponere super incudem, quas ferus carnifex variis ictibus confringebat. Vide de his Baronium in Notis ad Martyrologium Romanum, 23. Maij, Lippium lib. 2. de Cruce, cap. 14. Gallonium de SS. Martyrum cruciatibus, pagina 204. 205. Plantus in Asinaria:

— Crura hercle offringentur,

Age impudice, nisi istum percies.

Polybius lib. 1. At Gesconem & reliquos captivos, numero ad septingentos, extra vallum ducit Spendius: & productis paulum ultra castra, manus primo præciderunt, initio facto à Gescone ipso: manibus præcis, miseris deartuant, mutilatis crura suffringunt: & spirantes adhuc in fossam coniiciunt.] Seneca lib. 3. de Ira, cap. 18. M. Mario [Gratidiano] L. Sylla perfringi crura, erui oculos, amputari manus iussit.] Et cap. 32. de seruis: Quid properamus verberare statim, crura protinus frangere? Suetonius de Augusto, cap. 67. Thallo à manu, quod pro Epistola prodita denarios quingentos accepisset, crura effregit.] Et de Tiberio, cap. 44. Atque utrique mox, quod mutuo, flagitium exprobrabant, crura fregisse.] Apuleius lib. 9. de Anno: Tum uxor egregia diras in eum deuotiones deprecata, & crurum eius fragum adominata, &c.] De Appollonij seruo Dominum suum deferente. Eusebius lib. 5. Historiæ Ecclesiast. cap. 20. Ceterum huic misero ac perduto intempestuè & incommode in iudicium ad Christianum accusandum ingredienti, actu tum crura suffringeantur, Perennio Iudice contra eum talem sententiam pronuntiam.]

Crurifragio consummatos S. Hadrianum Martyrem, & viginti tres socios, Acta ipsa apud Surius Tomo 5. Et Romanum Martyrologium 4. Martij, & 1. Septembris, tradunt. Plurimos etiam martyres eodem mortis genere in Capadocia, sub Galerio Maximiano interfectos, Eusebius lib. 8. Historiæ, caput 24. ita scribit:

bit : Partim crucibus confractis diuexati velut iis qui in Cappadocia versabantur, accidit.] Horum memoria extat in Martyrologio Romano 23. Maij. Idem supplicium subiisse quadraginta milites Cappadoces in Sebaste Armeniæ sub Licinio, Acta eorum apud Metaphrastem, Lippomanum Tomo 7. Surium Tomo 2. & Romanum Martyrologium 9. Martij.

INTERCISIO XII.

Hoc crudelissimo mortis genere gloriosum martyrium peregrisse S. Iacobum in Persia sub Isdegerde rege Persarum, Nicephorus Callistus lib. 14. Historiæ, cap. 10. in hunc modum refert: *Acerbam quandam & propter nitiditatem admirandam post multa supplicia subiit mortem. Nam ubi articulis & iuncturis quibusque in commoda & apta totius corporis membrorum conformatione, & manibus, & brachiis, pedibus, & suris eiresectis, reliquum nihil quam una cum ventre caput solum habuit: quoniam ne tum quidem fidem in Christum abiecit, & id ipsum postremo ferro amputatum est.* Conseruant tanti certaminis dignum elogium Martyrologium Romanum & Græcorum Menologium 27. Nouembris. Extantque acta Martyrij apud Iacobum Mossandrum Tomo 7. De S. Nicephoro Martyre Romanum Martyrologium 25. Februarij hæc habet: *Nicephorus post craticulas candentes, ignesque superatos, minutatim concisus est.* Eadem habentur in Martyrologiis S. Bedæ, S. Adonis, Vluardi, Notkeri.

De Caio Caligula Suetonius cap. 28. *Cum discerpi Senatorem concupisset, subornauit qui ingredientem curiam, repente hostem publicum appellantes, inuaderent: graphiasque confossum lacerandum ceteris traderent. Nec ante satiatus est, quam membra & artus & viscera hominis tracta per vicos, atque ante se congesta vidisset* Eadem habet Dio lib. 69, qui senatorem illum Scribonium Proculum appellat.

SVBVNGVES XIII.

Ælianus Variæ Historiæ lib. 9. cap. 8. *Locrenses uxorem Dionysij Iunioris tyranni una cum filiabus prostituerunt, promiscueque stuprum eis intulerunt, præsertim qui affinitate vel cognatione cum iis Virginibus, quas Dionysius corruerat, erant coniuncti. Cum vero libidinem in eis expleuissent, compunctas acubus intra digitorum ungues interemerunt, ossaque in mortariis contuderunt, & carnes ab ossibus abstractas, siquis non degustasset, eum diris deuouerunt. Quod vero reliquum ex ipsis esset, mari demerserunt.* Athenæus lib. 12. Deipnosophistarum, cap. 11. *Locrenses cum in eorum potestatem venissent uxor Dionysij, & eius liberi, captiua corpora publica via prostituerunt, & violarunt: actandem ea contumelia satiati, carnem sub manuum digitis acubus pungentes, interfecerunt: post ossibus defunctorum in mortario contusis, & concisa minutatim carne reliqua, eos deuouerunt, qui non aliquid inde gustassent: deinde postea quam diras sunt imprecati, carnes eas molis obtinuerunt, ut ab iis vocarentur, qui fruges in alimenta sibi molenabant, & querebant: reliquias autem in mare demerserunt.* Hæc Athenæus ex Clearcho libro quarto vitarum.

De Martyribus Ponti Eusebius lib. 8. cap. 24. *Sed cruciamenta quæ Martyres in Ponto tolerabant, auditu videntur horrenda. Quidam enim digitos manuum ab extremis unguibus acutis arundinibus transfixos habuere &c.* Auctor Concertationis Anglicanæ de Aleandro Brianto, qui sub Elisabetha, pro

Catholica fide martyrium fecit, ait: *Acus sub unguibus eius defigi mandarunt.*

Præclarum S. Benjamin Diaconi apud Persas agonem Theodoretus lib. 5. Historiæ, cap. 38. ita describit: *Viginti enim arundines præacutas per ungues manuum ac pedum traici iubet Rex. Vbi autem videt eum hunc cruciatum habere pro ludo, aliam rursus arundinem in membrum genitale intrudi mandat, quæ sapius extracta, insertaque dolores ei incussit plane inexplicabiles. Post istud inflatum supplicium, impius ille & immanitate efferatus Tyrannus, Virgam robustam, crassam, spinosam, & ex parte omni densos ramorum uncus prætendentem in imam alui sedem insigi iubet. Quo cruciatus genere generosus Christi athleta oppressus extremum spiritum edidit.* Eadem habet Nicephorus lib. 14. Historiæ, cap. 20. Extat æterna tanti certaminis gloria Tabulis Ecclesiasticis infixæ in Romano Martyrologio & Græcorum Menologio 31. Martij, & 13. Octobris.

CVTIS DETRACTIO XIV.

Cutem capitis, vel etiam totius corporis detrachere, quod excoriare dicimus, in priscis suppliciis fuit, uti apparet 2. Machabeorum 7. v. 4. Aristophanes: *Quo vis modo eum torque, scalis alligatum, suspensum, flagris casum, cute direpta, distentum, aceto in nares infuso, lateribus impostis, ceteris adhibitis omnibus.* Persarum id moris fuisse Ammianus lib. 23. cap. 30. ita ait: *Cutes viuus hominibus detrahunt, particulatim, vel solidas.* Cresias in Fragmentis Persicis, apud Photium, de Perisaca eunuchio ab Amyti uxore Cyri excoriato: *illam oculos primum seminuuo exculpisse, tum pellem detraxisse, ira denique in crucem egisse.* Plutarchus in Artoxeze, de Parisatide eius matre puniente Mescabatem Eunuchum: *Tradidit eum carnificibus viuumque precepit excoriari: ac corpus transuersum in tres sustolli cruces, & pellem seorsum palo suffigi.* Constantinus Magnus Oratione in Sanctorum cætum, cap. 24. Valerianum Imperatorem ita compellat: *Quin tu Valeriane, tandem à Sapore rege Persarum insus excoriari, saleque conditus, sempiternum tui infortunij trophæum ante omnium oculos statuiisti.* Agathias lib. 4. cap. 10. Chosroës Persarum rex, ubi rescinit Nachoragan fuga ex acie excessisse, ex Iberia protinus euocatum, pro patris legibus, sauum in modum excruciauit. Non enim satifore destinatam duxit ignauia panam, & simplex aliquod mortis genus, ut illi inferret: sed à cernicibus cutem ad imos pedes detraxit, vniuersamque, ut genitalia ipsa inuenterentur, & comparerent, in vitris morem, conflatam super scopulum quandam ut suspenderent, suis iniunxit: miserabile visu, & crudelissimum facinus: quod sane Saptrem illum, qui Chosroën in regno præcessit, ausum fuisse, & solum existimo. Quod autem Valerianum tunc Romanorum Imperatorem, is Sapore, cui fuerat per hunc bellum illatum, victum absque viuumque captum eodem modo excruciauit, testis est omnis historia.]

Procopius lib. 1. Persici Belli, cap. 4. Pacarius Bassij pellem detractam, vitrem constituit palea plenum, arborique altissima suspendit. Valerius Maximus lib. 6. cap. 3. extremo: *Iam Cambyses inusitata seueritatis qui mali cuiusdam iudicis ex corpore pellem detractam, sella intendi, in eaque filium eius indicaturum, considerare iussit. Ceterum & rex & Barbarus atroci ac noua pana in indices, ne quis postea corrumpi index posset, prouidit.*

De Manere hæresiarcha excoriato à Rege Persarum. S. Cyrillus Ierosolymitanus Catechesi 6. Itaque

rex excoriare Manem lege Persica mandauit, & corpus quidem reliquum bestiis deuorandum tradidit, cutem vero qua tanta illius improbitas contineretur, tanquam utrem ante portas suspendi curauit.] At Manetis, seu Manichæi dignum supplicium notissimum est ex Ecclesiasticis Historiis.

Theodoretus lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 38. cum describit Persicam persecutionem in Sanctos sub Isdegerde & Varane Regibus, hæc refert: Tormentorum autem genera & noua cruciamenta piis hominibus ab illis inflicta, vix dicendo explicari poterant. Nam quorundam manibus, aliorum autem tergis corium detrahunt: aliorum capita à fronte exorsi ad barbam usque cute exuunt. Nonnullos primum cæperunt arundinibus semisectis circumdare, & incisiones corporibus applicare, deinde robustis vinculis à Capite ad pedes usque circum ligare, & singulos calamos vi arte constringere, ut partem cutis ad quam adnota erant arundines, eo pacto grauius lacerantes, acriores doloris morsus efficerent.] Eadem omnino Nicephorus lib. 14. Historiæ, cap. 19. S. Bartholomæum Apostolum viuum excoriatum fuisse, Romanum Martyrologium 25. Augusti affirmat.

7 NFOSSIO. XV.

Herodotus lib. 3. Numero 35. Cambyfes altero die duodecim Persas primoribus pares, ob nullius momenti causam necauit, viuos in caput defodiens.] Ctesias Gni-dius in Excerptis è Libro 17. Persicorum, apud Photium in Bibliotheca, de Amyti filia Xerxis, & vxore Megabyzi, talem texit historiam: Mortuo Megabyzo, Amytis cum multis consuetudinem habebat, & ante hanc similiter mater Amistris: Apollonides verò Cous Medicus cum Amytis leuiter agrotaret, & ipse eius amore captus esset, fore dixit, ut ea in pristinam valetudinem restitueretur, si cum viris rem haberet: vulnus enim esse morbum. Sed cum hac arte voti compos factus, cum ea concumberet, illa autem tabe laborare cepisset, à concubuu abstinuit. Tandem igitur illa morti vicina, matri in mandatis dedit, ut Apollonidem vl-cisceretur. Hæc ipsi regi Artoxerxi rem totam exposuit, & quomodo cum illa concumbere solitus, non prius desisset, quam ei illius mali auctor fuisset: & quomodo supplicium de Apollonide sumi illa sibi mandasset. Ille matri quidquid ipsi visum fuerit, agendi potestatem facit. Hæc cum victum Apollonidem bimestri spatio cruciatibus affecisset, viuum postea defodit, quo nimirum tempore Amytis diem suum obiit.] Et postea: At Parysatis matrem Terituchmis, fratresque Metrostem & Helicum, & Sorores, que præter Statiram duæ erant, viuas terra obrui iussit.]

Valerius Maximus lib. 9. cap. 2. Apertior & terrior alterius Ochi cognomine Artoxerxis crudelitas, qui Ocham sororem atque eandem socrum viuam capite defodit.

Nota est pœna vestalium, qua apud Romanos Vestales incesti reæ viuæ defodiebantur. Vestalis enim stupro conuicta, vincta loris, ac lecticæ imposita per medium forum usque ad portam Collinam efferebatur: vbi intra vibem muto imminens est tumultus terreus, in longum porrectus, quem Latini Aggerem vocant. In eo erat parua cauerna subterranea, in eaque lectus stratus, lucerna ardens, panis, lac, oleum, ne fame interire diceretur. Deponebatur hic Vestalis, soluebatur vinclis, scalis in cavernam demittebatur: inde cauerna multa iniecta humo operiebatur. Ea die silentium & mœstitia tota vrbe erat. Agunt plenius de hac Vestalium pœna Dionysius Halicarnassæus lib. 3. Liuius lib. 8. cap. 15. Plinius lib. 4. Epistola 11.

Plutarchus in Numa, & in Romanis Quæstionibus quæstione 96. Zonaras Tomo 2. Annalium: è recentioribus Ioannes Rosinus Antiquitatum Romanarum lib. 3. cap. 19. Lipsius in Syntagmate de Vestalibus, cap. 14. & alij.

Fuit quoque olim infossio peculiaris sacrificij ritus; apud Persas. Herodotus lib. 8. Numero 114. de exercitu Xerxis in Græciam contendente: Per Nouem vias Edonorum iere: iuxta quas Strimonem pontibus iunctum inuenere. Audientes autem eum locum Nouem vias Edonorum appellari, totidem illic pueros ac virgines virorum indigenarum viuos defoderunt. Persicum enim est defodere viuentes. Nam & Amestrim Xerxis uxorem, iam prouecta ætatis, audio bis septem illustrium Persarum liberos defodisse, ad referendam pro se gratiam Deo qui sub terra esse fertur.] Apud Romanos. Liuius lib. 22. cap. 57. Interim ex fatalibus libris sacrificia aliquot extraordinaria facta: inter quæ Gallus & Galla, Græcus & Græca in Foro Boario sub terra viui demissi sunt in locum saxo conscriptum, ibi ante hostiis humanis minime Romano Sacro imbutum.] Accidit id anno Cannensis pugnae. De eodem Sacrificio Plutarchus in M. Marcello: Romani cum ab institutis Barbarorum & immanium gentium essent alienissimi, ac de diis imprimis cum Græcis & piè sentirent, tum bello ingruente ex Vaticanis librorum Sibyllinorum, Græcum & Græcam, simulque Gallum & Gallam in foro Boario quod vocant, sub terra viuos demisere: quibus ad hunc usque diem Græcis & Gallis Sacra arcana & nefanda faciunt mense Nouembri.] Et Romanarum Quæstionum 83. Ipsi autem Romani non multis ante annis, duos viros; totidemque mulieres in foro Boario, alteros Gallos viuos defoderunt.] Plinius lib. 28. cap. 2. Boario vero in foro Græcum, Græcamque defossos, aut aliarum gentium, cum quibus tum res esset, etiam nostra ætas vidit.]

Hoc martyrij genere consummatos S. Chrysanthum & Dariam uxorem eius, Romanum Martyrologium 21. Octobris, ita perscribit: Iussi sunt ab Imperatore via Salaria, in Arenario deponi, atque illic viuentes terra & lapidibus obrui.]

LAPIDVM CONTVSIO. XVI.

Plutarchus in Artoxerxe, de Gigi ancilla Parysatis venefica: Rex comprehendit Gigim, eamque rei capitalis damnavit. Legitima pœna veneficis apud Persas hæc infligitur: Saxum est latum, cui capita illorum imponentes, altero saxo feriunt & elidunt, quoad contuderint faciem & caput. Adhuc modum perit Gigis.] In Actis Martyrum sæpius legimus, eorum ora lapidibus contusa, ut de Quadraginta Martyribus Sebastensis, in Romano Martyrologio 9. Martij: De S. Tertullino, in eodem Martyrologio 4. Augusti: & de SS. Graciliano & Felicissima ibidem, 12. Augusti.

SORICES ET MVRES. XVII.

Theodoretus lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 38. agens de Martyriis, quæ Sancti in Perside passi sunt, inquit: Quin etiam lacus effodere, eos summa cum diligentia inungere, deinde ingentem soricum numerum in eos concludere: postremo pietatis athletas, eorum manibus, pedibusque constrictis, ne bestias abigant, soricibus velut alimentum obiciunt. Sorices autem fane oppressi, sensim carnes Sanctorum absumunt: Sicque diurnum & acerbum cruciatum illis afferunt.] Eadem ad verbum habet Nicephorus lib. 14. Historiæ, cap. 19. Sæpius multo erat, quod in Anglia, sub Elizabetha, mira tormentorum architectrice, martyribus res pinis ac

valide ligatis, nudo ventri inversas pelues cum viuis gliribus intus inclusis, imponebantur: ad peluesque adhibito igne, glires furentes, ventres orthodoxorum derodebant, ac in viscera se condebant: vti in Theatro Crudelitatum Hæreticorum nostri temporis refertur.

EQVIS RAPTARI, SEV OBTERI.
XVIII.

Quintus Curtius lib. 4. describens supplicium quo Bætis fortissimus Gazæ Præfectus interfectus fuerit ab Alexandro Magno, inquit: *Per talos spirantis lora traiecta sunt, religatūque ad currum traxere circa urbem equi, gloriantes Rege, Achillem à quo genus ipse duceret, imitatum se esse, poenā in hostem capiendā.* Eiusmodi dito cruciatu affectos fuisse SS. Martyres Philemonem & Apollonium eorum Acta apud Metaphrastem, ex quo Surtius ea descripsit Tomo 6. & Lipomanus Tomo 5. item Romanum Martyrologium 8. Martij, & Græcorum Menologiū 14. Decembris abundè testantur. Equis quoque indomitis raptatum S. Hippolytum Martyrem, ac sic toto corpore laceratū, prodit Romanum Martyrologium 13. Augusti. De Sanctis Episcopis ad disputandū de fide congregatis, ac crudeliter ab Hunnericho rege Vandalorum Ariano tractatis, S. Victor lib. 3. de Persecutione Vandalica, hæc scribit: *Quos ille toruis oculis aspiciens, priusquam suggestionem eorum audisset, iussit super eos cum fessoribus equos dimitti, ut tali violentia possent non solum conterī, verum etiam necari. Quorum tunc multi contriti sunt & præcipue senes & infirmi.*

Milites seditiosos Perdiccas Alexandri Magni dux elephantorum pedibus obtrivit, de quo Curtius li. 10. Tum Perdiccas, ut torpentes & noxios vidit, trecentos fere à cæteris discretos, elephantis in conspectu totius exercitus obiicit: omnesque belluarum pedibus obruit sunt.]

CAPUT XIV.

Enumerantur adhuc alia dira cruciamenta.

SCAPHISMVS XIX.

Hoc supplicium scitè descripsit Plutarchus in Artocerxe, cum de nece Mithridatis Persæ, qui Cyrum regis fratrem in prælio vulnerauerat, in hunc modum narrat: *Itaque rex necari Mithridatem scaphis iussit. Est id supplicij huiusmodi genus: Scaphas duas inter se congruentes accipiunt: in alteram supinum eum qui poenā est destinatus, locant: inde inducunt alteram, & coaptant ita, ut caput, manus, & pedes exerantur, reliquum sit inclusum corpus: tum cibum homini præbent: quem si reiiciat, compellunt eum, oculos fodientes sumere. Acibo mel, & lac confusum ei ad potum infundunt: tum ad solem obuertunt assidue oculos eius, ut incubantium examine muscarum tota integatur facies. Quum autem intus faciat quæ homines qui edunt & bibunt, necesse habent, tinea, & lumbrici ex tabe & putredine excrementorum proueniunt, à quibus Corpus, in viscera penetrantibus consumitur. Postquam constat expirasse hominem, ablata superiore Scapha, carnem cernunt corrosam, & eiusmodi vermium examina mordicus affixorum visceribus, eaque adedentium. Ad hunc modum Mithridates septemdecim dies tabescens, tandem interiit.]*

Zonaras Tomo 1. Annalium fol. 16. colum. 2. Nam Persa atrocitate penarum omnes Barbaros vincunt, scaphis & excoriationibus supplicia grauiora & diutur-

niora reddentes. Caterum quod de Scaphis dixi, declarandum est, ob imperitiores. Duas scaphas inter sese pares coniungunt, ita incisas, ut caput, manus, & pedes foras emineant: in quibus eum qui supplicio afficitur, supinum reclinant: itaque scaphas clauis inter se compingunt. Deinde potionem ex melle & lacte in os miseri infundunt, donec ad nauseam repleatur, eademque & faciem & pedes & brachia eius perfundunt, & sub dio ad solem exponunt: & hoc quotidie faciunt. Ita fit ut musca, vespa, & apes liquorum suauitate allecta, faciei, & reliquis membris è scaphis prominentibus insideant, miserumque vexent, & pungant. At venter eius lacte & melle distentus, liquida reiicit excrementa, è quibus putrefactis lumbrici & vermes scaturiunt: qui vero in scaphis iacet, in sordibus illis carne putrescente, à vermibus erosus, & crudelius & tardius interiit. Hoc supplicij genere Parysatis Artocerxis & Cyri mater eum sustulisse fertur, qui se Cyrum cum fratre de regno pugnantem interfecisse gloriatus fuerat, per dies quatuordecim excruciatum. Ac scapharum supplicium huiusmodi est.]

Eunapius Sardianus de Vitis Philosophorum, in Maximo: *Nam Scaphismus supplicium Persis vsitatum pro tormentis huic allatis paruum fuerit.* Quum refert Maximum Philosophum, seu potius magum à Valente Imperatore grauissimè tortum.

Huius supplicij mentionem fieri Ieremiæ 29. 26. nonnulli existimant. Is qui aliquot locorum Scripturæ singulares Interpretationes ad finem Epitomes Thesauri Sanctis Pagnini adiecit, hæc annotauit: *פִּשְׁקֵי טְסִינֹק, Ieremiæ 29. 26. sugentis scapha. Compositum ex פִּשְׁקֵי טְסִי, naui, scapha, & פִּנָּה IANAK, sugere. Genus illud cruciatu, cuius meminit Plutarchus in Artocerxe: Compungebantur due scapha pari commensu inter se respondente, ita ut corpus hominis inditum, quasi in vagina esset: quod genus cruciatu, siue ad custodiam atrocissimam, siue ad questionem, siue ad necem offerretur vinctis, præbebatur illis mel temperatum lacte, & inuitis etiam infundebatur in os, unde viuerent. Quamobrem Hebræi ex forma cruciatu, & vinctu, una voce dixerunt, N auiculas-sugentis.]*

Ioannes Buxtorfius in Lexico Hebraico: *TSINOK, sunt qui compositum nomen existiment, ex Tsi, & Panak, quasi nauculam-sugentem dicas. Refert autem Plutarchus in Artocerxe, fuisse olim Cruciatu, seu Carceris quoddam genus, quo due Scapha pari commensu sibi respondentes, ita compungebantur, ut hominis corpus illis inditum, quasi in vagina esset, cui præbebatur mel temperatum cum lacte, ac inuito etiam infundebatur in os, unde viueret, &c.] Acceperunt proculdubio isti ab Immanuele Tremellio & Francisco Iunio, qui locum Ieremiæ ita reddunt, & exponunt: Ut ponas eum in Cippo aut in Scapha. siue, in sugentis nauculis. Hebraicam vocem TSINOK, quæ nusquam alibi legitur, penuria Latinitatis ita sumus coacti reddere, ut nefarius iste Zelus gradatione aliquatenus explicetur. Est enim vox Hebræa composita, significans genus illud cruciatu, cuius meminit Plutarchus in Artocerxe: Compungebantur due scapha pari commensu inter se respondentes, ita ut corpus hominis inditum quasi in vagina esset. Quod genus Cruciatu siue ad custodiam atrocissimam, siue ad questionem, siue ad necem offerretur vinctis, præbebatur illis mel temperatum lacte, & inuitis etiam infundebatur in os unde viuerent, &c. quæ ibi Plutarchus copiose narrat. Quamobrem Hebræi ex forma cruciatu & vinctu, una voce dixerunt N auiculas sugentis, quia homo in binas nauculas hoc pacto inditus, alebatur suctu: & hac appellatione angustissimum quemque carcerem, durissimumque designarunt: qualis hodie videtur in muris, quem Galli vocant Caligam, à similitudine illius sacri, ubi fit & percolatur aromates, quod vinum Hipocraticum*

icum vulgò appellatur.] Hæc Tremellius & Iunius.

Verum in Ieremia T S I N O K, varie interpretantur, LXX. carbaracterem, Symmachus, μόχλον, id est, vectem, pessulum, seu claustrum. Rabbi Schelemoch, neruum, vel vinculum, quo pedes, vel etiam ceruices innectuntur. Sanctes, & Leo Iudas, neruum, & in The- sauro, carcerem. Kimchi annotat quosdam exponere, Instrumentum, includendis manibus, id est manicas. Vatablus, domum manicarum ferrearum, vel lignearum. Marinus, manicas ferreas. Figuerius, manicas

Reuchlinus: T S I N O K, compeda, pedica, vinculum, carcer.] Forsterus T S I N O K à T S O K, interposita littera Nun vinculi genus à constringendo, seu coarctando, quod alij Truncum, alij Carcerem, alij Manicas ferreas interpretantur: ego Cippum: & videtur non multum abluere à nomine Z I K I M, id est, Catene.] Eadem fere Mercerus, nisi quod audacius putat reuocare ad T S O K. Pomarius: T S I N O K, Truncus, Cippus, Compes, Clausura, qua manus constringuntur.] Capella: T S I N O K, Carcerem neruum, & compedes significat. Nonnulli aiunt significare lignum ad includendas manus.] Auenarius: T S I N O K, neruus, Cippus, truncus, habens manicas, quibus captiui includuntur, & torquentur. Cognationem habet cum T S O K, coarctauit, torfit &c.] Schindlerus: T S I N O K, Carcer, Manica ferrea.]

Cum semel tantum hæc vox in Scriptura occurrat, nimirum Ieremiæ 29. 26. Chaldaus Paraphrastes, Syrus Interpres, teste Theodoretò, Vulgatus Noster, K I M C H I, & alij, carcerem, reddiderunt, & hoc est fatius. Si in etymo ludere libeat, T S I N O K possit esse, Napis, scapha, coarctans, premens, torquens: vt & Nun addititium augeat immanitatem supplicij phisimi. Sed hæc sunt acutiora.

Haud multum diuersum à Scaphismo fuit sæuissimum illud mortis inuentum, quo Carthaginienses M. Attilium Regulum Romanum Consulem interemerunt: de quo Valerius lib. 9. cap. 2. Carthaginienses Attilium Regulum palpebris refectis, machina, in qua undique præacuti stimuli eminebant, inclusum, vigilantia pariter, & continuo tractu doloris necauerunt. Tormenti genus haud dignum passo, auctoribus dignissimum.] Appianus in Punicis, pag. 3. Panni inclusum cauea stimulis intus extantibus consecrunt.] Auctor de viris Illustribus cap. 40. In arcam ligneam coniectus, clauis introrsum adactis, vigiliis ac dolore punitus est.] Tertullianus Apologetici cap. 50. Regulus toto corpore crucis patitur.] Et ad Martyres cap. 4. Regulus in arca genus stipatus undique extrinsecus clauis transfixus, tot cruces sensit.] Eodem modo Reguli mortem describit S. Augustinus lib. 1. de Civitate Dei, cap. 15.

Cæterum Aulus Gellius lib. 6. cap. 4. hæc habet: Eundem verò Regulum Tubero in Historiis rediisse Carthaginiem, nouisque exemplorum modis excruciatum à Pænis dicit: In atras, inquit, & profundissimas tenebras eum claudebant: ac diu post, ubi erat visus sol ardentissimus, repente educebant, & adversus ictus solis oppositum continebant, atque intendere in celum oculos cogebant. Palpebras quoque eius, ne conuincere posset, sursum ac deorsum diductas infuebant. Tuditanus autem somno diu prohibitum, atque ita vita priuatum refert. Idque ubi Romæ cognitum est, nobilissimos Pano- rum captiuos liberis Reguli à Senatu deditos, & ab iis in armario muricibus præfixo destitutos, eadem insomnia cruciatos interisse.] Cicero libro 3. de officiis: Itaque cum vigilando necabatur &c.] Et Oratione 37. quæ est in L. Pisonem: Nec mihi ille M. Regulus quem Carthaginienses refectis palpebris illigatum in machina vigilando necauerunt, supplicio videtur affectus.] Hæc ipsa Ciceronis verba exscripsit Orosius lib. 4. cap. 10.

Nec Tubero, Nec Tuditanus, nec Cicero, nec Oro- sius, de stimulis, aut clauis machinæ meminere: vt nec etiam Paulus Diaconus lib. 2. Miscellæ, cap. 32. cum ait: Resecatis palpebris, vt vsque ad mortem cruciatu inolerabili ac dolore vigilaret: atque vt staret semper radium solis intus illigatum in machina necauerunt.] Zonaras Annali 2. omnia coniungit: Nam palpebris præcis, eum aliquandiu in tenebris conclus- erunt: deinde in vas quoddam refertum stimulis conie- ctum, & ad solem conuersum, doloribus, & vigiliis, cum nusquam inclinare se posset peremerunt.]

CYPHONISMVS. XX.

Cælius Rhodiginus Læctionum Antiquarum lib. 10. cap. 5. Cyphon ligneum erat vinculum, sine, vt nunc, etiam ferreum: vulgus Berlinam vocat. Et Cyphonis- mus pro supplicio. Apud quosdam ita cauum animadu- ertit, vt quisquis per audaciam, legum placita risui ha- buisset, diebus viginti in Archiuo vindictis Cyphone per- seueraret nudus, melle, ac lacte delibutus, vt apibus, muscisque esset pabulum: dilapsa verò his, muliebri in- ductus veste deturbaretur in præceps. Aulam vero dice- bant locum, quo ducerentur damnati, quem mox iunio- res Archiuum appellare caperint.] Suidas: Cyphon, catasta, dicitur de omnibus rebus molestis & perniciosis.] Apuleius lib. 8. Afini, de immani pæna seruuli: Ar- reptum seruulum, qui causam tanti sceleris luxuria suâ præstiterat, nudum ac totum melle perlutum, firmiter al- ligauit arbori ficulnea: cuius in ipso carioso stipite inha- bitantium formicarum nidificia burriebant, & vltro ci- troque commeabant multi iuga scatwigine. Quæ simul dulcem ac mellitum corporis nidorem perferiscunt, paruis quidem, sed numerosis & continuis morsuunculis penitus inhaerentes, per longi temporis cruciatum, ita carnibus, atque ipsis visceribus adestis, homine consumpto, mem- bra nudarunt, vt ossa tantum viduata pulpis, nitore ni- mio candentia funesta cohererent arbori.]

S. Hieronymus in vita S. Pauli Eremitæ, persecu- tionis Decij & Valeriani atrocitatem describit in hunc modum: Cuius vt crudelitas notior fiat, duo, me- moria causa, exempla subiicimus. Perseuerantem igitur in fide Martyrem, & inter equulos, laminaeque victorem, iussit melle perungi, & sub ardentissimo sole ligatis manibus post tergum, resupinari, scilicet, vt mus- carum aculeis cederet, qui ignitas Sartagines ante supe- rasset. Alium iuuenili ætate florentem, in amenissimos hortulos præcepit adduci, ibique inter lilia candentia, & rubentes rosas, cum leni iuxta murmur aquarum serpe- ret riuus, & molli sibilo arborum folia ventus perstrin- geret, super extructum plumis lectum resupinari, & ne se inde posset excutere, blandis serico nexibus irretitum relinquere. Quo cum recedentibus cunctis, meretrix spe- ciosa venisset, capit delicatis stringere colla complexibus, & quod dictu quoque scelus est, manibus atrectare virilia: vt corpore in libidinem concitato, se victrix impudica su- per iaceret. Quid ageret miles Christi, & quo se ver- teret, nesciebat: quem tormenta non vicerant, superabat voluptas. Tandem calitus inspiratus, præcisam morsu linguam in ostentantis se faciem expuit: ac sic libi- dinis sensum succedens doloris magnitudo superauit.] Hæc S. Hieronymus. Aliud huic simile egregium planè facinus à Castissimo quodam Sancto mona- cho in persecutione Diocletiani fuisse designatum, Nicephorus lib. 7. Historiæ cap. 13. accuratè nar- rat.

Anaxarchi Democritij supplicium, quo is à Nico- creonte Cypriorum Tyranno affectus fuit, Dioge- nes Laertius lib. 9. cap. 10. ita describit: Quo tem- pore Anaxarchus nauigans inuicem ad Cyprum appulit,

comprehensum, atque in mortarium iniectum, ferreis pistillis tundi iussit. Quod ille supplicium cum contemneret, illud peruulgatum dixisse fertur. Tu quidem Anaxarchi culcum tunde, Anaxarchum vero ipsum non tundis. Nicocreonte vero etiam abscindi linguam eius iubente fama est, dentibus excisam in eum expuisse.] Ovidius in Ibin:

Aut ut Anaxarchus pila minuaris in alta,

Iactaque pro solitis frugibus, ossa sonent.

Dentibus abscissam & commanducatam linguam in os Nicocreontis ira patens, expuisse, auctor quoque est Valerius lib. 3. cap. 3. Meminit Anaxarchi cruciatum Cicero 2. Tusculana.

ANTHROPOPHAGIA. XXI.

Numulisinthis Traciæ regina parentes liberorum vesci corporibus iubebat, uti superius in VIII. cruciatu, ex Valerio Maximo notabamus. Astyages Medorum rex, Cyri auus, Harpago amicorum fidelissimo, quod Cyrum nepotem seruasset, eius filium occisum, coctumque epulandum apposuit, ut Herodotus lib. 1. Iustinus lib. 1. & alij sunt auctores. Refque est nimium peruagata. Dido rabie in Æneam percita, se culpat apud Maronem 4. Æneidos.

— non ipsum absumere ferro

Ascanium, patrisque epulandum apponere mensis?
De Nerone scribit Tranquillus cap. 37. Creditur etiam polyphago cuidam, Ægyptij generis, crudam carnem, & quidquid daretur mandere assueto, concupisse viuos homines laniandos, absumendosque oblicere.

S. Gregorius Nazianzenus Inuectiua 1. in Iulianum Apostatam: *Eccui Heliopolitarum concursio incognita est? Eccui Gazaorum effrenis audacia? Eccui Arethusiorum furor?* Illi enim, ut unum è multis commemorem, quod etiam atheis horrorem incutere queat, virgines castas, & mundo sublimiores, quæque vix etiam vnguam viris in conspectum venerant, in medium productas, vestibusque nudatas, ut per aspectum contumeliam ipsis prius inferrent, ac postea proficissas, atque dissectas, O Christe, quomodo tuam illius temporis patientiam feram! partim propriis etiam dentibus comminutas edisse, atque ut eorum execrandum furorem decebat, crudis hepatibus se se ingurgitasse feruntur: ac cibo illo perfunctos communem & visitatum admisisse: partim palpitantibus adhuc visceribus suillum papulum inseruisse, ferocissimiisque porcis immisissis hoc spectaculum obiecisse, ut simul cum hordeo carnes laniari, atque exedi perspiccerent, mixtum alimentum, actum primum conspectum & auditum. Quo sane is [Iulianus] solum demones suos alere merebatur qui horum scelerum architectus erat.] Hactenus S. Gregorius. Eandem immanitatem referunt Theodoretus lib. 3. Historiæ, cap. 6. Sozomenus lib. 5. cap. 9. Nicephorus lib. 10. cap. 9. Sed cum S. Gregorij verba ambigua sint, num tam ferale facinus Heliopolitanis, an Gazæis tribuat, de Gazæis sentiunt Theodoretus, & Elias Cretensis: de Heliopolitanis, Sozomenus, & Nicephorus. Et hoc sequitur Billius, item & Baronius Annali 4. Anno 362. Numero 149. imo & ab utrisque eandem crudelitatem perpetrata indicat.

De S. Cyrillo Diacono & Martyre, hæc habet Romanum Martyrologium 29. Martij: *Heliopoli apud Libanum, Sancti Cyrilli Diaconi & martyris, cuius iecur discisso ventre ausum Gentiles sub Iuliano Apostata feraliter depasti sunt.*] Hæc eadem habent Theodoretus lib. 3. Historiæ cap. 6. Suidas Columna 518. & Nicephorus lib. 10. Historiæ cap. 9.

Suidas ex vetere aliquo Scriptore: *Bagoas Agy-*

prius Ochum Persam mactauit, & carnes quidem deuorauit, ex ossibus autem gladiatorum capulos confecit.] Nihil horum de Ocho apud Diodorum Siculum, lib. 16. Numero 564. 565. Omittere hic non possumus exemplum extremæ cuiusdam sæuitiæ, quod Ioannes Sepulsius Hungariæ Bayuodes in Georgium Sechelum perduellium principem exercuit: quod Iouius lib. 13. Historiarum, in hunc modum narrat: *Vayuoda ad internecionem Cruciferi nominis confecto prælio, Georgium tororibus excrucians tradidit. Illi nudum & catenis vinctum in equuleo constituit, & corona candenti ex vomere conflata, ut regum mos est, coronant: venisque dissectis, profluentem sanguinem potandum Lucatio fratri præbent: Deinde ad viginti agrestes, qui in exercitu ordines duxerant, tridui inedia maceratos ad id crudelitatis cogunt, ut dentibus spirantis ducis artus dilacerent, atque diglutiant. Ille mira constantia, neque gemitum edere, neque in miserabili mortis genere quidquam horrescere. Postremo laniatis omnibus membris, cum diutius grauissimos dolores vel immani spiritu sustinere non posset, extractis visceribus exenterant, in frustra secant, atque ahenis & verubus coctum, comedendum militibus suis apponunt. Eos vero talibus epulis satiatos, cum Lucatio omnibus suppliciis dilaceratos interficiunt. Horrendum sane spectaculum, & ante memoriam nostram inauditum Barbaris supplicij genus.*] Vide Surium in commentario Anni 1514.

EXQUISITA TORMENTA. XXII.

De Tiberio Imperatore Suetonius cap. 61. *Immatura puella, quia more tradito nefas esset virgines strangulari, vitata prius à carnifice, dein strangulata.*] Factum id in filia Seiani. Tacitus Annali Quinto: *Tradunt temporis eius auctores, quia Triumvirati supplicio affici virginem inauditum habebatur, à Carnifice laqueum iuxta compressam, exim obliquis faucibus: id ætatis corpora in Gemonias abiecta.*] Dio lib. 58. *Liberi Seiani ex Senatus consulto necati sunt. Filia quam pactus erat Claudij filio, constuprata prius à carnifice: quasi impiū esset virginē in carcere perire.*] Ita legimus in Actis quarundam Sanctarum virginum, cum interficiendæ essent, prius carnificibus, aut aliis stuprandas traditas, sed integras tamen atque inuiolatas, seruante Deo martyrium consummasse: uti de S. Serapia in Romano Martyrologio 3. Septembris, ac etiam de aliis.

De eodem Tiberio Suetonius cap. 62.: *Carnificina eius ostenditur locus Capreis, unde damnatos post longa & exquisita tormenta, præcipitari coram se in mare iubeat: excipiente classiariorum manu, & contis atque remis elidente cadauera: ne cui residui spiritus quidquam inesset. ExcoGITauerat autem inter genera cruciatus, etiam ut larga meri potione per fallaciam oneratos, repente veretris deligatis, fudicularum simul, vrinaque tormento distenderet.*]

Maiorem adhuc Tiberi (Tiberij) crudelitatem intendit, quod idem Scriptor cap. 61. ait: *Interdictum, ne capite damnatos propinqui lugerent.*] Et de Caligula cap. 27. *Parentes supplicio filiorum interesse cogebat: quorum uni valetudinem excusanti, lecticam misit: alium è spectaculo pene, epulis statim adhibuit, atque omni comitate ad hilaritatem & iocos prouocauit.*] Dio lib. 59. *Cassium porro Betillinum occidi iussit: patremque eius Capitonem cædi interesse, neque ullo delicto neque crimine eius extante. Interrogantemque an conuine re sibi concederet, ipsum etiam necari imperauit.*] Seneca lib. 2. de Ira, cap. 33. *C. Caesar Pastoris splendidi equitis Romani filium cum in custodia habuisset, munditiis eius, & cultioribus capillis offensus: rogante patre,*

ut,

ut salutem sibi filij concederet, quasi de supplicio eius admonitus, duci protinus iussit. Ne tamen omnia inhumane faceret adversus patrem, ad cenam illum imitavit eo die venit Pastor, nihil vultu exprobrante. Propinavit illi Caesar heminam, & posuit illi custodem. Perduravit miser non aliter, quam si filij sanguinem biberet. Unguentum & coronas misit, & observare iussit, an sumeret. Sumpsit eo die quo filium extulerat, imo quo non extulerat. Iacebat continua centesimus, & portiones vix honestas natalibus liberorum, podagricus senex hauriebat: cum interim non lacrimas emisit, nec dolorem aliquo signo erumpere passus est. Cenavit, tanquam pro filio exorasset.]

Sapotes Perfarum rex temporibus Constantij Principis, S. Puficem martyrem crudeli morte necavit: siquidem collo circa tendinem perforato, lingua exinde extracta est. Auctores Sozomenus lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 10. Nicephorus lib. 8. cap. 36. Romanum Martyrologium 21. Aprilis.

Macedonium quoque hæresiarcham vbera catholicarum fæminarum inter arcarum labra intrusa atque compressa abscondite, referunt Socrates libro 2. Historiæ, cap. 30. Nicephorus lib. 9. cap. 42. & Romanum Martyrologium 30. Martij.

Sed enim de raris, exquisitisque suppliciis Sanctis Martyribus ab impiis persecutoribus infligi solitis Eusebius lib. 8. Historiæ, cap. 13. in Translatione Rufini, hæc ait: Sed quid faciam, quod appellationes ipse mihi in admissis facinoribus desunt, & gestorum scelerum, nec vocabula quibus enumerari queant, inveniri possunt? Sustinebant tamen omnia fortissimi & piissimi Martyres, cum optimi & præclari Iudices in eo solo sapientiam suam omnibus futuram in admiratione censerent, si aliquod novæ crudelitatis supplicium, nonique generis invenissent.]

Iosephus libello de Machabæis, varia exquisitorum tormentorum genera enumerat, dicens: Singula proferri in medium tormenta mandavit. Exhibentur itaque rote, radij, ungula, rotabula, catapulta, lebetes, catasta, frixoria, digitaria, pugillaria, manus ferrea, subula, succensoria, olla ænea, sartago. Hæc enim illis nomina esse reperimus. Succensorium ad excitandum flammam quoddam tenue esse ferri telum accipimus. Exhibentur id genus reliqua nimis profecto abhorrenda, quæ sigillatim enarrantem dies sit defecturus.]

Seneca Epistola 14. Ingens alterius mali [nempe tyrannidis] pompa est, ferrum circa se & ignes habet, & catenas, & turbam ferarum, quam in viscera immitat humana. Cogita hoc loco carcerem, & cruces, & equuleos, & vincum, & adactum per medium hominem, qui per eos emergat, stipitem, & distracta in diversum actis curribus membra: illam tunicam alimentis ignium illitam & intexam: quidquid aliud præter hæc commenda sanctorum est.]

Et lib. 3. de Ira cap. 19. de C. Cæsare: Torserat per omnia quæ in rerum natura tristissima sunt, fideiculis, tabularibus, equuleo, igne vultu suo.]

Synefius Epistola 58. de Andronico Pentapolis Præfecto: Horrenda ad carnificinam instrumentorum genera, ac formas primus in provinciam inferens, utinam dicere liceat, & iis solus utens, Dignitate, Pedum distortorium, Prædum, & Nasi pressorium, & auribus ac labris distrabendis Forcipes.] S. Victor lib. 2. Persecutionis Vandalicæ, de cruciatibus, quos Ariani Catholicis inferebant: Qui videntes feminam vel masculum in specie sue gentis ambulantes, illico palis minoribus dentatis iactis in capite, crinibusque in eisdem colligatis, ac vehementius stringentes, simul cum capillis omnem pelliculam capitis auferebant. Nonnulli dum hoc fieret, statim oculos amiserunt: alij ipso dolore de-

functi sunt. Mulieres vero post hanc panam, capitibus pelle nudatis, præcone præeunte, per plateas ad ostensionem totius civitatis ducebantur.] Nullus esset finis, si omnia tormentorum ac pænarum instrumenta, quæ humana crudelitas ad perniciem hominum excogitavit, percurrere vellemus. Verum quæ & nos supra descripsimus, & quæ scire potuimus, hæc breviter enumerabimus.

Taurus æneus candens, Equus æneus ignitus, Lectus æneus candens, Cathedra ferrea candens, Viuicomburium, Cerei ardentes, Tunica molesta, Apega, Serratio, seu Dissectio humanorum corporum, Diasphendon, Distractio ad quadrigas, seu Triremes, Viuorum & mortuorum corporum colligationes, Deligationes, ad palum, Crux acuta, Crurifragium, Intercisio, Discerptio, Subungues, Excoriatio, Infossio, Lapidum contusio, Sorices, mures, Equorum raptationes, Obtritiones, Scaphismus, Cyphonismus, Contusio in mortario, Esus humanæ carnis, Cruces, Rotæ, Nouacula, Radij, Rotabula, Catapulta, Lebetes, Frixoria, Catasta, Digitaria, Pugillaria, Manicæ ferreæ, Subula, Succensoria, Olla æneæ ardentes, Sartagine, Orbicularia, Pondera lapidum, Equulei, Fidicula, Ungula, Scorpiones, Catabula, Fustes, Virgæ, Taureæ, Alciæ, Runcinæ, Furæ, Vincini, Præcipitia, Suspendia è capillis, è pedibus, Bestiæ varij generis, Plumbatæ, Plumbum liquens, Laminæ ignitæ, Pectines ferrei, Manus ferreæ, Faces ac Lampades ardentes, Oleum feruens, Graticula, Sella ferrea, Galea ignita, Lora, Cullei coriacei, spartei, lignei, Laquei, Catenæ, Nerui, Compedes, Cippi, ad Quartum & Quintum foramen, Boiæ, Numellæ, Pedicæ, Throclæ, Climaces, Terebræ, Stimuli, Murices, Secures, Lanceæ, Gladij, Verua, Tribula, Testacea fragmenta, Vestes, Graphia, Crepidæ ferreæ, Clavi, ferrei igniti, Tarinchæ, Mallei, Bothri, Streblæ, Sudes, Tympani, Pali dentati, Præla, Torcularia, Vitri fragmenta, Saxa ingentia, Forcipes triplicis generis, Incisoria, Compressoria, & Dentatæ, Vnci, Flagra, Insulares pœnæ, Exilia, Submersiones anchoris, molis, vel aliis ponderibus collo appensis, Calcaria, Sulphuraria, Latomia, Damnationes ad metalla, vel ad secanda marmora, Lapidationes, Tetri, & horrendi Carceres, Odores spurcissimi, Synapismi, Paratilmi, Aporaphanidoses, Sagittationes, & id genus alia, quæ vix humana mens concipere queat. De quibus, eorumque formis & rationibus plurimi disseruerunt, scotum S. Isidorus lib. 5. Originum, cap. 27. Cælius Rodiginus Antiquarum Læctionum lib. 10. cap. 5. Annotatores Martyrologiorum, cum primis Baronius, denique Antonius Gallonius peculiare volumen edidit de SS. Martyrum cruciatibus. Quorum diligentia ita adiuti sumus, ut plura tamen nostra quoque adiecerit industria.

Hæc ergo omnia, tam multa, tam sæva, tam desperata crudelitatis exempla à nobis hæcenus vel descripta, vel enumerata: & innumera adhuc alia longe truciora, quæ suo, ac dæmonum ingenio excogitabit Antichristus, executurum Filium perditionis in Sanctos sui temporis, quis unquam sanæ mentis poterit dubitare? Neque enim difficile persuasum est, quanto Sævitia & atrocitate Persecutio Antichristi cæteras omnes antecedit, tanto etiam novis & exquisitis suppliciis eas superaturam.

Et si rationem omnem in consilium adhibeamus, plane verisimile videtur, Antichristus plures Christianos martyriis interfectorum, quam vllum ante se Ecclesiæ persecutorem, Secum igitur reputet ortho-

doxus & pius quisque, immanes illas Martyrum summas à Diocletiano macatas, videbit nullo pacto cum Antichristi carnificinis esse conferendas.

Prætermisimus autem hic agere de leuioribus aliis pænis, quibus Antichristus Christianos afficiet, uti rapinis, bonorum direptionibus, exiliis: Magistratum, Dignitatum, honorumque priuationibus, quæ respectu grauiorum ludus ac risus erunt: de his enim æstimet quisque ut voluerit, & probè perpendat quid tunc futurum erit in tanto rerum turbine.

CAPVT XV.

Elucidatur locus Genes. 3, 15. *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & Semen tuum, & Semen illius. Ipsa conteret caput tuum: & tu insidiaberis Calcaneo eius. Simulque præstantia Martyrum Sub Antichristo describitur.*

Bellum implacabile quod inter mulierem eiusque semen, & serpentem ac semen eius fururum erat, Dominus hisce verbis prædixit: simulque serpentem insidiaturum calcaneo mulieris pronunciauit. Non defuere præstantes auctores, qui insidias & morsus serpentis, hoc est, diaboli, ad calcaneum mulieris, arcano quodam & sublimiori sensu intelligant bellum Antichristi aduersus Ecclesiam postremis mundi temporibus, quæ calcanei, quæ extrema pars hominis sit, appellatione significantur. Sed non est præclarum vaticinium sine aliqua explanatione prætereundum, quod adeo celebre semper Patribus fuit, LXX. in Editione Romana: *Et inimicitias ponam inter te & mulierem, & inter semen tuum & semen eius. Ipse seruat caput tuum, & tu seruabis eius calcaneum. In complutensi vero: Et inimicitiam ponam inter te & inter mulierem, & inter semen tuum & semen illius. Ipse tuum conteret caput, & tu conteres illius calcaneum.* Priorem interpretationem secutus est Chaldaus Paraphrastes, qui habet: *Et inimicitias ponam inter te & mulierem, & inter filium tuum & filium eius. Ipse eris obseruans [vel memor eris, aut recordabitur] tibi illud quod fecisti ei à principio: & tu eris obseruans [vel memor eris, aut recordaberis] ei in fine.* Variat enim lectio Chaldaei, ut videre est apud Franciscum Lucam in Notis.

Iam quod & LXX. quoque variant, & quædam exemplaria habeant *conteret, & conteres*: Alia vero *seruat, & seruabis* vel *obseruat, & obseruabis*: inde est, quod si Græce legamus *τησεναι, & τησεναι*, est, *conteret, & conteres*: si verò *τησσει, & τησσει*, est, *seruat, & seruabis*: quæ sane lectio in LXX. est frequentior, & vltior, cum plures & meliores editiones ita habeant, & ita legatur quoque apud Philonem lib. 2. Allegoriarum, S. Irenæum lib. 3. aduersus Hæreses, cap. 38. & lib. 5. cap. 21. S. Cyprianum lib. 2. Testimoniorum aduersus Iudæos, cap. 9. S. Ambrosium libro de Paradiso, cap. 14. & de Fuga sæculi, cap. 7. S. Hieronymum Quæstionibus Hebraicis in Genes. 3. S. Chrysostomum Homilia 15. in Genesim, & Homilia de inimicitias serpentis & Mulieris, Tomo 1. S. Augustinum lib. 11. de Genesi ad Litteram, cap. 36. & lib. 2. de Genesi, contra Manichæos, cap. 18. S. Petrum Chrysologum, Sermone 173. S. Gregorium lib. 1. in Iob, cap. 19. S. Anastasium Sinaitam lib. 10. & 11. in Hexameron. At S. Irenæus lib. 4. cap. 78. legit: *Ipse tuum calcabis caput, & tu obseruabis calcaneum eius.*

Verum ingens controuersia est, num hic legendum sit masculinè *Ipse*, vel femininè *Ipsa*. Hebraicum Hu frequentius est masculine pronomen: *Ipse*: Sed interdum feminine esse non est dubium, ut Genes. 3. v. 12. & 20. & cap. 17. 14. cap. 24. 44. cap. 38. 21. 25. Exodi 3. 8. 3. Regum 17. 15. Vide Leonem Castrum lib. 3. Apologetici, pagina 357. Hoc loco ex Hebræo plerique conuertunt neutro genere, *Ipsum*, scilicet, semen, ut Caietanus, Steuchus, Sanctes, Vatablus, Leo Iudas, Isidorus Clarius, Tremellius, Iunius, Forsterus, Oleastrius, Hamerus, Conradus, Pellicanus, Marinus, Auenarius, Schindlerus, Buxtorfius. *Ipsum* quoque legunt, S. Theophylus Episcopus Antiochenus lib. 2. ad Autolicum, S. Leo sermone 2. de Natiuitate Domini, Serapion Græcus Auctor apud Steuchum in Cosmopæia. At masculine genere *Ipsa*, disertè legunt LXX. Interpretes, Philo, S. Irenæus, S. Cyprianus, S. Hieronymus, S. Petrus Chrysologus, S. Anastasius Sinaita, locis paulo antea citatis: & si attente quoque inspicatur, S. Ioannes Chrysostomus Homilia 15. in Genesim, ut annotatum est in scolio marginali eiusdem Homiliæ, & Iacobo Pamelio in Notis ad lib. 2. Testimoniorum contra Iudæos, cap. 9. S. Cypriani, S. Eucherius, S. Isidorus, S. Beda in 3. Genes. tametsi feminine pronomen *Ipsa* legant: expresse tamen etiam lectionem masculinam *Ipse*, præferunt & interpretantur. Sic enim aiunt: (nam eorum omnium trium, eadem sunt verba) *nam & illud quod subiunctum est, Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius. Hoc de fructu ventris Mariæ, qui est Christus, intelligunt: id est, tu cum supplantabis, ut moriatur: ille autem victor resurget, & caput tuum conteret, quod est mors.* Equidem Chaldaus Paraphrastes, Hebræos, Aben-Ezra, Scelomoh, Kimchi, pronomen Hv, ad semen mulieris referre, & non ad mulierem, nimis est peruagatum.

Hebraicè, HV IESVPHECA, id est *Ipse conteret te* & verbum est masculinum, & vtrumque pronomen, nempe, *Ipse* & *te* est quoque masculinum, rursus, ATHA THESV PHENV id est, *Tu conteres eum*, & verbum etiam est masculinum, & vtrumque pronomen Tu, & Eum, pariter masculinum. Vnde nec pronomen Hv, *ipse*, nec verbum IASVPH, *conteret*, nec rursus, pronomen Eius, vel Eum, Hebraice referri posse videntur ad mulierem, cum sint omnia masculina. Quamuis illud obseruatum sit, in Sacra Scriptura nominibus seu suppositis feminis verba & pronomina masculina interdum tribui, more linguæ Sanctæ, aut indicandi alicuius mysterij causa. Ruth, 1. 8. *Faciatur vobiscum Dominus misericordiam, sicut fecistis cum mortuis* ubi pronomen *Imachem, vobiscum*, & verbum, ASITHEM, *Fecistis*, sunt planè masculina, & nihilominus tribuuntur nupibus Noëmi, nimirum propter earum virilem & masculinum animum, & virtutem 1. Regum 25. 27. Abigail inquit: *Attulit ancilla tua.* verbum HEBI, *attulit*, est masculinum, ut indicaretur generosum pectus prudentissimæ mulieris. Et Ecclesiastes 1. 2. *Dixit Ecclesiastes.* AMAR, *dixit*, est masculinum, & HOHELETH, *Concionatrix*, seu Ecclesiastes, est feminæ generis, ut ostenderet præclarum ingenium. Et cap. 12. 4. *Et obsurdescent omnes filia carminis.* Verbum ISSACHV, *obsurdescent*, vel *incuruabuntur*, est masculinum ad denotandam validam & profundam sorditatem, Esther 1. 20. *Et uxores deferant honorem maritis suis.* Verbum IITHENV, *dabunt* seu *deferent*, est masculinum, ut significaret magnum, ut optimas uxores decebat. viris honorem debuissè eas impendere. Nec aliter hoc loco

loco, *Ipsa conteret*, pronomen & verbum masculinum Hv I A C V P H, rursus pronomen Nv, cum vel eius, masculinum, potuere recte assignari Mulieri, ut innueretur egregia & valida virtus mulieris ad prote- rendum colubrum.

Cæterum Lectionem famineam, *ipsa*, commen- dant plerique Patrum, S. Ambrosius de Fuga Sæculi, cap. 7. & proculdubio S. Chrysostomus Homilia sin- gulari de inimicitia serpentis & mulieris, Tomo 1. S. Augustinus lib. 11. de Genesi ad litteram, cap. 36. & lib. 2. de Genesi contra Manichæos, cap. 18. S. Gregorius lib. 1. in Iob, cap. 19. S. Eucherius, S. Isidorus, S. Beda Rabbanus, Alcuinus, Rupertus, & fere omnes posteriores Latini in Genesi 3. atque hæc sane lectio relicta est in nouissimis Bibliis Edi- tionis Vulgatæ, iussu Xysti v. & Clementis viii. quàm emendatissime editis. Sed & Christiani Poetæ hanc quoque Scriptionem probarunt. Claudius Ma- rius Victor lib. 1. in Genesim, ita hunc locum carmine reddidit:

*Teque tuo mulier perimet cum semine, cuius
Callidus extremis tantum insidiabere plantis,
Ut trepidans etiam capiti vestigia figat.*

Et S. Alcimus Auitus lib. 3. in Genesim, cap. 6:

— nam qui

*Ambos una opera vicisti subdole serpens,
Olim erit, ut sexum muliebrem pronus adores:
Cuius tu quamquam pauidè insidiabere calci,
Conteret una caput tandem tibi famina victrix,
Nascendumque etiam tali de stipite germen.*

Qui lectionem *ipsa* sequuntur, intelligunt vel de Sa- cra Deipara, vel de Ecclesia: (quorum explanatio- nes non hic transcribo.) aut si manis historicè, de femina, cum qua, & ex ea natis æternum odium ser- pentibus est, uti videmus. Nos probe cunctis expen- sis, tamen lectionem famineam, *ipsa*, ut probam, rectam, piam exosculemur: at masculinam, *ipse*, me- liorem, & digniorem existimamus. Primo quia eam & Fons Hebraicus, & Chaldaeus Interpres, & LXX, & Hebræi omnes disertissimè præferunt, cum & verbum masculinum, *conteret*, & pronomina *ipse*, & *eius*, sint quoque masculina: & ita de masculis loqui & intelligi, sit frequentius, simplicius, & vsitatus in sacra lingua. Secundo, quia plures, & vetustiores Patres, uti vidimus, *ipse*, legunt. Tertio, quia S. Hieronymus Quæstionibus Hebraicis in Genesim, Annotat: *Ipsa seruat caput tuum, & tu seruabis eius calcaneum. Melius habet in Hebræo: Ipsa conteret ca- put tuum: & tu conteres eius calcaneum. Quia & gres- sus nostri præpediuntur à colubro: & Dominus conteret Satanam sub pedibus nostris velociter.* Quarto, quia huc respexisse videtur Paulus, ut S. Hieronymus in- dicauit. Romanor. 16. 20. *Deus autem pacis conterat Satanam sub pedibus vestris velociter.* Quinto, quia vetusta Breuiaria in quarta Antiphona Laudum Octauæ Epiphaniæ habent: *caput draconis Saluator contriuit in Iordanis flumine: & ab eius potestate omnes eripuit.* Haud dubie ad hunc Genesim locum allusum. Delius cum hoc argumentum quasi à Nouantibus obiectum excuteret, ait: *Nobis nescio quid rhythmicum modulatur, ut aiunt, in Epiphania Octaua cani soli- tum: caput Zabuli Saluator contriuit &c. quis non videt tam sonoros versiculos ab ipsis confictos?* Et mox in Selneccerum inuectus: *Ridiculum porro, quod vel ipse composuit, vel ex ruralis alicuius Ecclesiæ vel monasterij Antiphonario desumpsit, id toti Romane Ecclesiæ tran- scribere.* Pudor! ita loqui de antiquissimis & proba- tissimis Breuiariis Benedictinorum, & prædicatorum, & aliis, in quibus ea Antiphona canitur: quasi vero ea non sit Sanctissima ac verissima. Sexto, quia non

desunt Latina exemplaria vetustissima editionis Vul- gatæ, quæ *ipse* legant, teste Francisco Luca. Septimo, quia proculdubio hæc lectio verior, & illustrior, quæ propriè & vnice gloriam Christi commendat: ipse enim verè & singulariter est, qui caput serpentis dia- boli contriuit, vnicus humani generis redemptor per sanguinem suum.

Et vero opportunè monemus, siue neutro genere, *ipsum*, siue masculino, *ipse*, legamus, non nisi vnā & eandem lectionem esse: nam si legamus *ipsum* ad semen mulieris proculdubio refertur, seruaturque Latina constructio. Si vero, *ipse* vel ad sensum in- telligimus filium mulieris, nempe Christum. Vel retinemus Hebraicam constructionem, & ad semen quoque referimus, quod Hebræis est masculini generis, nempe ZERA. Solere autem nostrum vulgatum in- terdum constructionem Hebraicam potius quam La- tinam obseruare, & genus Fontis, potius quam La- tinæ Linguae exprimeret: notius est, quàm ut longiore demonstratione sit opus. Huiusce obseruationis ta- men exempla non pauca collegit Franciscus Ribera lib. 2. de Templi Fabrica, cap. 2. & in 9. Hebræor. ad vers. 5.

Sic lectorem nos recte nouisse quæ pro assertionem famineæ lectionis, *ipsa*, adducta sunt à Petro Cani- sio lib. 5. de B. Maria, cap. 9. Francisco Feuardentio in Annotationibus ad S. Irenæi lib. 4. cap. 78. Ro- berto Bellarmino lib. 2. de verbo Dei, cap. 12. Fran- cisco Luca Notatione 1. in Sacram Scripturam, Mar- tino Delrio in Adagialibus sacris, & in Genesi 3. Cornelio à Lapide in 3. Genesim & aliis, orthodoxis: quæ ut solide firment ac stabiliant, vere & recte legi *ipsa*, & hanc fortasse genuinam esse vulgati interpre- tis scriptionem: ita numquam plane euincunt, quin melius, aptius, & ad mentem diuini auctoris propius legatur, & intelligatur pronomen masculinum *ipse*, uti demonstraui.

Iam recentiores variè hunc locum ex Hebræo transfundunt: Forsterus: *Ipsam obruet tibi caput, & tu obrues ei calcaneum.* Marinus: [semen] *percutiet te capite & tu percuties illud calcaneo.* Auenarius: *Ipsam [semen] quatiet tibi caput, & tu quaties illi calcaneum.* Alij passim cum Vulgato, *conteret, & conteres.* Vtrobique Hebraicè est idem verbum S O P H, quod com- munitè interpretantur, contundere, conterere, per- cutere, conuassare. Forsterus ait, esse propriè, festi- nanter obruit afflatu seu anhelitu. Ipsum vide. Rabbi Scelomoh reddit: *Ipsam contundet te in capite, & tu sufflabis eum in calcaneo.* Id est, sibilabis eum, Serpens enim quando venit ad mordendum, sufflat, id est, si- bilat. Verbum *Soph* quater tantum reperitur in scri- ptura, bis hoc loco, & Iob 9. 17. & Psalm. 138. 11. hic in primo hemistichio, Noster reddit, *conteret, ut etiam in Iob, in secundo hemistichio, insidiaberis, in Psalmo conculcabunt.* Ex hoc verbo ductum est no- men SERPHIPHON, serpentis cuiusdam, qui statu obruat, seu opprimat: ut eo vocabulo allusum sit ad hunc locum Genesi 3. *Ipsam obruet te capite, & tu obrues illud calcaneo.* Vnde suspicio sit SERPHIPHON, colubri genus illud fuisse, quod Henam decepit: atque ei minetur Dominus poenas nominis sui. Quid au- tem sit SERPHIPHON, accuratè diximus lib. 3. cap. 7.

Et vero diffusiore huius insignis oraculi explana- tione ad interpretes amandata, quod propriè ad in- stitutum spectat: semen mulieris Christus est, & vnice mulieris, quia non viri, ut annotauit etiam Serapion apud Steuchum. Christus contriuit, obruit, con- quassauit, conculcauit serpentis caput, sanguine suo redimens nos de potestate & tyrannide diaboli: sed

diabolus

diabolus contundet, conteret obruet, conquassabit, conculcabit; sed non omnino perdet, calcaneum Christi, id est Ecclesiam postremi temporis, excitata per Antichristum in eam crudelissima omnium, quæ unquam fuerunt, persecutione. Hunc sensum verum, simplicem, appositum arbitramur, quem quoque verba Ioannis Apocalyp. 12. 17. illustrant: *Et iratus est draco in mulierem: & abiit facere prælum cum reliquis de semine eius, qui custodiunt mandata Dei, & habent testimonium Iesu Christi*: loquitur enim Apostolus de prælio Antichristi, ut Capite sequenti ostendimus: & proculdubio respexisse videtur ad hunc Genesis locum, quem versamus: *Inimicitias ponam inter te & mulierem: & semen tuum & semen illius. Ipse conteret caput tuum, & tu conteres ei calcaneum*. En prælum Draconis cum reliquis de semine mulieris. Neque nostram Interpretationem sine magnis auctoribus commendatam volumus. S. Irenæus lib. 3. aduersus Hæreses cap. 8. *Qua propter inimicitiam posuit inter serpentem & mulierem, & semen eius, obseruantes inuicem: illo quidem cui mordetur planta, & potente calcare caput inimici: altero vero mordente & occidente, & interpediente ingressus hominis, quoadusque venit semen prædestinatum calcare caput eius, quod fuit partus Maria, de quo ait Propheeta: Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem: significans. quia illud quod erigeretur & dilataretur aduersus hominem, peccatum, quod frigidum reddebat eum, euacuaretur cum regnante morte, & conculcaretur ab eo in nouissimis temporibus insiliens humano generi leo, hoc est, Antichristus: & draconem illum serpentem vetustum alligans, & subiiciens potestati hominis, qui fuerat victus, ad calcandam omnem eius virtutem.]*

S. Anastasius Sinaita lib. 10. in Hexaemeron: *Ecclesia dicebatur de serpente: Ipse obseruabit calcaneum tuum, & tu obseruabis eius caput. Quod autem calcanei obseruator & calcanei persecutor sit Antichristus, ipse nos docet Moses in hoc libro Genesis. Restat ergo ut nos ex Iacobi quoque prædictionibus congruenter ostendamus, ex Tribu Dan procedere Antichristum, & serpentem mordentem calcaneum equi, &c.] Et lib. 11. Inimicitias ponam inter te & inter mulierem. Ponam inimicitias, rem futuram & ponendas inimicitias significat illud, ponam, eo qui dicit, ostendente: Ego in nouissimis temporibus ponam inimicitias inter te & Ecclesiam.] Et post alia: Ponam inimicitias inter te & mulierem, & inter semen tuum, & semen eius. Ipse obseruabit caput, & tu obseruabis eius calcaneum. De muliere loquens, & eius semine, quomodo ad masculum traduxit orationem, dicens: Ipse obseruabit caput, & tu obseruabis calcaneum eius. Eius? Cuius? Numquid mulieris? Absit. Non habet enim quod dictum est, sensum. Atque ut maligno quidem serpenti sit inimica & ei non obediat, mulieri & Ecclesia dedit Deus: obseruare autem, seu cum insidiis eius caput conterere, non potest Ecclesia. Et propterea à muliere ad hominem, nempe Christum, traduxit Deus orationem, dicens Serpenti: Ipse obseruabit caput tuum, te conterens cum insidiis: & tu obseruabis eius calcaneum. Hoc est, extrema totius corporis Christi (Hoc autem est Ecclesia) in extremis temporibus eam cribrans. Calcaneus autem eius & extremum, est Antichristi præsentia, quæ futura est in extremis temporibus. Eius enim tempus obseruat, & expectat malus serpens, quo utetur tanquam instrumento ad supplantandum Ecclesiam.]*

Huic expositioni mirifice congruit, quod ex Hebræo conuerti possit: & tu obrues id sine, vel in fine, seu ad finem, quæ etiam ratione, uti superius vidimus, Chaldaïs interpretatus est. AKEB enim propriè calcaneum, plantam significat: Sed quia calcaneus seu

planta, supis & extrema pars animantis est. AKEB transfertur interdum ad significandum extremitatem seu finem, Exempla vide in Lexicis. Vnde rectè dicitur hic, serpens diabolus obruturus semen mulieris in fine, quoniam quosque Christi Fideles, seu ipsum Christum, eiusque Ecclesiam, in fine rerum per Antichristum atrocissimo persecutionis turbine veluti totius inferni afflatu contundet, & proteret. Oleastrio visum est hic interpretari: & tu conteres eum ex insidiis, vel à tergo. Quod vero LXX. dixerunt: & tu obseruabis eius calcaneum, nimirum ad insidiandum, & supplantandum, ut mordeas & perdas. Ut illud Psalm. 55.7. & ipsi calcaneum meum obseruabunt. Vel sit alia metaphora, ut serpens, quasi spiris & voluminibus calcaneos vinctos & constrictos custodiat & feruet: quod loco Psalmi congruit, cum ibi ponatur verbum SAMAR, ex quo est MISMAR, Custodia, Hispanicè Masmorra.

Sic igitur incredibili crudelitate opprimente & deuastante Ecclesiam Antichristo, Martyres Sanctos, qui eo tempore ab immanissima bestia trucidabuntur, futuros omnium quotquot ante se fuerunt, fortissimos & præstantissimos, & acerbissimas, sæuitiaque persecutionis supra omnem modum, & temporum suprema pressura, & maior tunc atque vberior diuinæ gratiæ protectio facile persuadent. De illis enim certum est prædixisse Daniele cap. 12. 10. *Eligentur & dealbabuntur, & quasi igni probabuntur multi. Vbi LXX. Eligentur, & dealbabuntur, & quasi per ignem probabuntur, & sanctificabuntur multi. Vide oraculum VII. Danielis, à nobis superius cap. 5. explanatum. Sed & Patres.*

S. Hippolytus Martyr Oratione de consummatione mundi: *Recusantes vero imperium ipsius Antichristi, penis incomparabilibus, cerbissimisque tormentis, & machinis absumet: qualia numquam fuerunt, nec auribus homo percepit, nec oculis mortalium conspecta sunt. O beatos, qui tunc Tyrannum illum deuicerint! quippe prioribus Martyribus illustriores & sublimiores declarandi sunt: propterea quod superiores Martyres, illius dumtaxat satellites superarunt; ij vero diabolum ipsum filium perditionis expugnarint, ac victoriam reportarint. Quibus igitur encomius & coronis non ornabuntur à rege nostro Iesu Christo?*

S. Cyrillus Ierolymitanus Catechesi 15. *Numquid autem non beatus martyr erit, qui tunc pro Christo martyrium pertulerit? Ego vero illum super omnes Martyres esse dixerim. Nam qui antea præcesserunt, cum hominibus, illis tantum certamen erat: qui vero tempore Antichristi patientur, personaliter cum Satana pugnabunt. Tum verò superiores illos Martyres, Reges solum occidebant, mortuos autem non excitabant, neque signis & prodigiis phantasiam cuiuscumque perturbabant. Hic autem & timore & necessitatis mala subuersione: Ut seducantur si fieri potest, & electi: Nequando in cor assendat quæ Christus plura his fecerit.]*

S. Ephræm Syrus Sermone de Antichristo: *Quis, inquam, erit iste, sicut antea dixi, homo, ut eum, patientiamque eius omnes mortales, Angelique Dei felicem prædicent?*

S. Augustinus lib. 20. de Ciuitate Dei, cap. 8. *Tunc autem soluetur diabolus, quando & breue tempus erit. Nam tribus annis & sex mensibus legitur totis suis, suorumque viribus seuiturus: & tales erunt, cum quibus ei belligerandum est, ut vinci tanto eius impetu, insidiisque non possint.] Et paulò inferius: Et soluetur in fine, ut quam fortem aduersarium Dei ciuitas superauerit, cum ingenti gloria sui Redemptoris, adiutoris, liberatoris, aspiciat. In eorum sane qui tunc futuri sunt, Sanctorum atque Fidelium comparatione quid sumus? Quando quidem*

quidem ad illos probandos tantus soluetur inimicus, cum quo nos ligato tantis periculis dimicamus.

S. Gregorius lib. 32. in Iob, cap. 12. Nunc enim Fideles nostri mira faciunt, quum peruersa patiuntur: tunc autem Behemoth huius satellites etiam quum peruersa inferunt, mira facturi sunt. Pensemus ergo quæ erit humane mentis illarentatio, quando pius Martyr, & corpus tormentis subiicit: & tamen ante eius oculos totior miracula facit! Cuius tunc virtus non ab ipso cogitationum fundo quatiatur, quando is qui flagris cruciat, signis coruscet?

S. Isidorus lib. 1. Sententiarum, cap. 25. In quo tempore per patientiam gloriosi erunt sancti, non per miracula, sicut Martyres fuerunt priores. Illi enim & persecutores sustinebunt, & facientes prodigia. Proinde & durius bellum sustinebunt: quia non solum contra persequentes, sed etiam contra miraculis coruscantes dimicabunt.]

Ambrosius Ansbertus in 12. Apocalypsis: Tunc etiam, quod adhuc nusquam apparuit, subiacit ab Ecclesia magna ex parte signis & virtutibus, persecutores eiusdem Ecclesia, etsi falsi, miraculis coruscabunt. O quam dura erunt corporis vulnera, atque omnium cruciamentorum tormenta! sed quam duriora erunt aduersariorum miracula! Et quidem Ecclesia in prioribus suis persecutionibus habuit solatia ex miraculorum signis: sed in extremis & miraculis caret, & grauissimas persecutiones sentit. Et cuius cor quamuis robustissimi, inter persecutorum miracula, & sua vulnera, non a fundo quatiatur, non formidolosa trepidatione moueatur? Nullumne erit adiutorium? Erit certe. Tanto namque robustior tunc Sanctorum erit constantia, quanto immenor persecutorum sentitia.] Et in 3. Apocalyp. ad verba illa: Ego seruabo te ab hora tentationis quæ ventura est &c. ait: Melius per hanc tentationem Antichristi tempus specialiter comprehendere intelligitur. Tunc enim veniet illa tentatio, quæ non per paries, sed totum simul examinabit mundum. Tunc quod nusquam in retro actis temporibus apparuit, persecutores eiusdem Ecclesia miraculis coruscabunt: & hinc tormenta sentient, illinc miracula suadebunt. O quam dura erunt corporis vulnera! sed quam duriora aduersariorum miracula!]

Atqui eadem omnino mens est omnium posteriorum, qui de Antichristo perscripserunt. Videndi scilicet Bellarminus lib. 3. de Romano Pontifice, cap. 7. Acoſta lib. 3. de Nouissimis Temporibus, cap. 4. Suarez Tomo 2. in 3. Partem, Disputatione 54. sectione 6. Florimundus Remundus libro de Antichristo, cap. 43. Cæterum illud omnium consensu est exploratissimum, Antichristi persecutionem futuram esse vniuersæ per totum mundum: nimirum occupaturam totum terrarum orbem, quam latè longèque patebit Antichristi imperium: attamen Ierololymis, ubi Antichristus sedem Regni sui figet, & vicinioribus locis acrius, & crudelius sæuituram. Quod & Ansbertus annotauit in 12. Apocalyp. In illis tunc regionibus, in quibus Christus traditur crucifixus, in quibus & caput malorum apparebit: immenor persecutio Ecclesiam vexabit. Persecutio etenim illa etsi illic immenor erit: tamen per totum orbem desauet.] Eadem quoque habet Haimo.

CAPVT XVI.

Quid illo funestissimo tempore factura sit Christi Ecclesia, è vaticinio Ioannis in Apocalypsi.

Gravissimas Ecclesiæ Sanctæ sub Antichristo Terribilissimasque singulate patrociniis, quo à Deo supremo illo discrimine conseruabitur, graphice Tom. II. de Antichristo,

S. Ioannes descripsit Apocalyp. 12. 6. Et mulier fugit in solitudinem, ubi habebat locum paratum à Deo, ut ibi pascant eam diebus mille ducentis sexaginta. Et vers. 14. Et data sunt mulieri ala due aquila magna, ut volaret in desertum, in locum suum: ubi alitur per tempus & tempora, & dimidium temporis, à facie serpentis. 15. Et misit serpens ex ore suo post mulierem, aquam tanquam flumen, ut eam faceret trahi à flumine. 16. Et adiuuit terra mulierem, & aperuit terra os suum, & absorbit flumen, quod misit Draco de ore suo. 17. Et iratus est Draco in mulierem: & abiit facere prælium cum reliquis de semine eius, qui custodiunt mandata Dei, & habent testimonium Iesu Christi.

Iam superiori cap. 7. ostendebamus ex magnis & multis Interpretibus, mulierem hanc, de qua tanta his verbis vaticinatus est diuinus Apostolus, ipsam esse Christi sub Antichristi Tyrannide afflictam: atque hic Ioannem diuinitus prænuntiasse, quæ illis turbulentis temporibus Ecclesiæ essent euentura. Sed plura in huius vaticinii enarrationem ad Explanatores ablegantes, quæ propriè nostri instituti erunt, dumtaxat attingemus.

Et mulier fugit in solitudinem. Victorinus: Mulierem autem volasse in desertum auxilio alarum magna aquila, dono scilicet Prophetarum, Ecclesiam illam catholicam, ex qua in nouissimo tempore creditura sunt centum quadraginta quatuor millia hominum Elia. Sed & cæterum populum vniuersum inuentum in aduentu Domini hic dicit. Sed & Dominus in Euangelio ait: Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant in montes, id est, quotquot in Iudæa fuerint collecti, eant ad illum locum, quem paratum habent, & nutriantur ibi triennium, & menses sex à facie diaboli.] Tychonius: Mulierem volasse in desertum, ipsam Ecclesiam intelligit, in qua nouissimo tempore sub Elia creditura est Synagoga.] Præclate Andreas: Quando, inquit, diabolus, qui in Antichristo efficax erit, aciem per ipsum contra Ecclesiam direxerit: tunc illius electi, summaque eiusdem capita, civilibus, tumultibus, mundanisque voluptatibus contemptis, in desertum ab omni malitia alienum, vitæque consuetudinem omni virtutum genere lucentem sese recipient: iuxta magni Methodij sententiam ibidemque impugnantium demonum, malignorumque hominum impetus atque insultus subterfugient. Probabile fit quoque sensilem eremum eos conseruatos qui in montibus, & speluncis, & cauernis terra, propter Apostatæ & Antichristi insidias confugerint: quemadmodum primos quoque Martyres ad eiusmodi latibula sæpe se recepisse mortemque ad tempus euasisse constat.] Aretas. Mulieris fuga in desertum, electorum inuit fugam, quam sub Antichristi aduentum, ab ipso diabolo procuratam, & effectui mancipatam, arripit Ecclesia coryphaei, ac præcipui præfules, civilibus tumultibus, mundanisque voluptatibus fugientes.] Equidem fugiat reuera tunc Ecclesia, truculentia persecutionis Antichristi, contrita, in loca deserta, semota, in auias solitudines, in antra, in cauernas, speluncas, in saltus, in nemora densissimis arboribus ac fruticibus impedita, ut ibi lateat. S. Irenæus lib. 5. cap. 25. de ministris Antichristi: Et fugabunt Ecclesiam.] S. Hippolytus Martyr Oratio de Consummatione Mundi: Confestim mittet Antichristus demonum cohortes ad montes, speluncas, & cauernas terra, qui scrutentur eos qui subdixerunt sese ab oculis eius, & adducet eos ad adorandum illum.] Et post alia: Clave enim perspicient insidias eius, & impostura arrogantiam: effugientque è manibus eius ad montes, & occultabuntur in cauernis terra, cum lacrymis & contrito corde querentes illum Amantem hominum, qui eripiet eos a linguis illius, & conseruabit a molestis illius scadalibus: dexteræque manu suæ inuisibili modo proteget eos qui dignè ac iuste ei supplicabunt. Vides quali ieiunio, quibusque precibus tunc videntur sancti.

R.

Simul

Simulque disce, quam durum tempus ac dies orientur illis qui in urbe, agrisque erunt.] Et rursus: Cuncti enim aufugere conabuntur, & abscondi: nusquam tamen latere poterunt à malis aduersarij.] Et paulo inferius: Neque tamen eo tempore misericors & hominum amans Deus relinquet humanum genus omni consolatione destitutum: sed decurrabit dies illos, & tempus trium annorum & semis concisum reddet, propter reliquias Latitantium in montibus, & speluncis: ne phalanx illa Sanctorum illorum omnium deficiat.]

Lactantius Firmianus, lib. 7. cap. 17. *Qui autem recusauerint notam eius [nempe Characterem Antichristi] aut in montes fugient, aut comprehensi exquisitis cruciatibus necabuntur.] Et inferius: Cum hæc facta erunt, tunc iusti & sectatores veritatis, segregabunt se à malis, & fugient in solitudines.] S. Ephraem Cyrus sermone de Antichristo: Fugiet enim etiam quisque ad montes, ut abscondantur in illorum cacuminibus.] Et paucis interiectis: Erunt enim, erunt tunc plurimi, qui Deo grati, placitque reperientur, in montibus, ac collibus, locisque desertis, in multis orationibus planctuque immenso saluandi. Deus siquidem Sanctus contemplanus eos sic in gemitibus ineffabilibus, fideique sinceritate perseverantes commiseratione illorum ducetur, velut indulgentissimus pater, securos eos ubi sese abdiderant, conferuans. Etenim impurissimus ille non cessabit inquirere Sanctos quosque in terra, ac in mari.] Et post multa: Plurimique Sanctorum, qui tunc reperientur, simulatque exploratum habuerint aduentum impuri illius Antichristi, mox profusis lacrymarum fluminibus, gementes ac flentes, ad Deum recurrent, ut liberentur à Dracone illo: confugientque maximo cum studio ad desertum, & occultabuntur timore perculsi, in solitudinibus, & montibus, atque speluncis. Caputibusque suis terra, ac cinere conspersis, cum ciuitatu ac lacrymis orabunt die, noctuque in maxima humilitate cordis. Donabiturque illis à Deo Sancto quod orantes petierint: deducetque eos gratia ipsius ad loca definita, & saluabuntur occultati in cauernis & speluncis, ne Antichristi signa atque terrores conspiciant.] Verum Ecclesia quæ tum Ierosolymis, & in vicinis locis eius prouinciæ reperietur, in qua deserta sit fugitura, dicemus cap. 18. De Ecclesiis aliarum regionum, coniectura verisimili ex situ locorum, poterit quisque æstimare. Fugient enim tunc Christiani in quæcumque poterunt loca.*

Vbi habebat locum paratum à Deo. Singularem Dei tunc curam & tutelam hæc verba indicant, qui amantissimam suam columbam in foraminibus petrae, & in cauernis, locisque tutissimis ac munitissimis diuina prouidentia preparatis conferuabit.

Vt ibi pascant eam. Sic numero plurali pascant, non singulari, pascat, legendum, manifestè docent Græca exemplaria, & emendatissimi codices, Regij, Louanienfes, Plantiniani, & nouissime insu Xysti V. & Clementis VIII. editi: consentiuntque explanatores. Primasius legisse videtur, ut eam illic aliat: scilicet Deus. Sed rectissime intelligamus, Ecclesiam tempore Antichristi in solitudinibus delitescentem pascendam à Sanctis Episcopis, Præsulibus, Doctoribus, Concionatoribus multiplici spiritali cibo, nempe verbo Dei, ac doctrina salutis, ex Sacris Scripturis, deinde diuina Sacramentorum communicatione, ceu celestibus quibusdam ac robustissimis alimentis. Ansbertus: Qui vero sunt qui hanc mulierem in solitudine pascant, nisi Sancti predicatorum?] Primum enim tunc ac præcipuum Ecclesiæ alimentum, ac pastus præualidus erit Sacra Scriptura & Ecclesiæ doctrina, qua Fideles omnem versuriam, fraudes, technas, & machinas Antichristi dissipabunt. Nullum enim tunc potentius telum ad euertendam omnem Antichristi vim erit, quam diuinatum scripturarum meditatio &

intelligentia, in qua manifestissime Doctorum Ecclesiæ magisterio Christiani cernent, omnia quæ Antichristus tunc molietur, multo iam antea fuisse in scripturis prænuntiata: ex quibus facile cognoscent illum impurissimum nebulonem ipsissimum esse Antichristum, idest, Hominem peccati, Filium perditionis, & maximum Dei Aduersarium. Hinc S. Hippolytus Martyr Oratione de Consummatione mundi, inquit: At multi qui audient Scripturas Diuinas, eas in manibus habebunt, mente versabunt, imposturam illius euitabunt: clarè enim perspicient insidias eius, & impostura arrogantiam: effugientque è manibus eius ad montes, & occultabuntur in cauernis terra, &c.] S. Ephraem Syrus Sermone de Antichristo: Et cunctis quidem diuina cognitione atque intelligentia illustratis, continuo innotescet Tyranni aduentus.] Equidem hoc ipsum indicasse Daniele cap. 12. 10. illis verbis: Et impiè agent impij, neque intelligent omnes impij. Porro docti intelligent. Facile existimamus. Locum enim de temporibus Antichristi intelligendum, cap. 6. & 11. fusè docuimus, quasi dicat: Impij adhærebunt Antichristo, nec volent intelligere veritatem, nec quis & qualis futurus sit Antichristus: at docti & eruditi in Sacris litteris probe intelligent ex verbo Dei & Traditione ac doctrina Patrum illum esse Antichristum: & eum reiicient.

Alter vero fortis & opimus pastus Ecclesiæ tunc erit diuinorum Sacramentorum participatio, ac præsertim frequentissima & assidua Sacro sancti Corporis & Sanguinis Domini in Eucharistia communicatio. Certum etenim est, & multis ex antiquitate exemplis contestatum, Fideles olim, quum violentior aliqua persecutionis procella intonuisset, solitos frequentius, & penè quotidie communicare, ac se tanto præsidio aduersus ingruentem vim communire. Vnde S. Cyprianus Epistola 56. egregiè admonet: Scire enim debetis ac pro certo credere ac tenere, pressuram diem super caput esse capisse, & occasum seculi atque Antichristi tempus appropinquasse: ut parati omnes ad prælium stemus, nec quidquam nisi gloriam vitæ æternæ, & coronam confessionis Dominica cogitemus: nec putemus talia esse quæ veniunt, qualia fuerunt illa quæ transferunt. Grauior nunc & ferocior pugna imminet, ad quam fide incorrupta, & virtute robusta parare se debent milites Christi: considerantes id circo se quotidie calicem sanguinis Christi bibere, ut possint & ipsi propter Christum fundere.] Et Epistola 54. Quos excitamus & hortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus: sed protectione sanguinis & corporis Christi muniamus: & cum ad hoc fiat Eucharistia, ut possit accipientibus esse tutela: quos tutos esse contra Aduersarium volumus, munimento Dominica saturitatis armemus. Nam quomodo docemus aut prouocamus eos in confessione nominis, Sanguinem suum fundere, si eis militaturis Christi sanguinem denegamus? Aut quomodo ad martyrij poculum idoneos facimus, si non eos prius ad bibendum in Ecclesia poculum Domini, iure communicationis admittimus?]

Neque sanè existimandum est in grauissima omnium persecutione Antichristi, quid minus facturos pios Christianos: imò potius ardentioribus votis, & feruentiore deuotione tantum Mysterium frequentaturos. Nec mysterio vacat verbum plurale, pascant: in summa enim turbinis oppressione, ut vberiori ac multiplici ex verbo Dei cum scripto, tum Tradito doctrina, & præstantioribus Doctoribus, ac Præsulibus, & frequentiori Eucharistiæ, ac Sacramentorum usu Ecclesia tunc opus habebit: ut firmioribus armis munita, ad quæuis pro Christi nomine subeunda, sit parata. Expendendum quoque piis & eruditis ingenijs relinquimus, quid tunc Romanus Pontifex Christi Vicarius, summus Ecclesiæ Pa-

flor, ubicumque cum Sanctis delituerit, in supremo illo rerum discrimine, sit pro cætu Fidelium, in odium, & execrationem Antichristi facturus. Subit in mentem, ne forte veteribus innouatis exemplis, (quod aliquando in grauissima pestilentissimi alicuius Hæresiarchæ, aut schismatici damnatione factum nouimus) calamo in tremendo Christi sanguine tincto, dirissimum anathema in Antichristum, seu horrendum carmen, aut extremam maledictionem in maximo Concilio subscribat, ac pronunciet. Paulus Diaconus, seu potius Landolphus Sagax, lib. 18. Miscellæ, cap. 56. agens de Pyrrhi Hæresiarchæ damnatione facta per Theodorum Papam, anno XX. Heraclij Imperatoris, hæc habet: *Papa Theodorus plenitudine conuocata Ecclesia, ad sepulcrum Verticis Apostolorum accessit: & diuino Calice postulato, ex uiuifico sanguine atramentum stillauit, & ita propria manu depositionem Pyrrhi, & ei communicantium facit.* Sic quoque Patres in octaua Synodo Generali damnationem Photij Constantinopolitani Archiepiscopi firmasse, Nicetas in Vita S. Ignatii Patriarchæ Constantinopolitani, testatur his verbis: *Subscribunt autem Patres huiusmodi damnationi, non simplici atramento facto chirographo, sed, horrendum dictu! ut ab iis qui norunt, accepi, ipso uidelicet Saluatoris Sanguine calamus tingentes: ita damnaverunt Photium.* Digna hæc tanta uisa sunt Cardinali Baronio, quæ Annalibus Ecclesiasticis à se editis infereret: & quamuis magna ratione videri possint, in extremam perditissimorum hominum detestationem, quos ipse Christi per se Sanguis condemnasse videatur: at sunt planè horrenda, & auditu ipso tremenda: quæ nunc Romanus Pontifex in execrationem & diras Antichristi sit instauraturus, alij viderint.

Sed & illud, *pascant*, haud alienè de pascu corporeo etiam accipiatur. Siquidem etsi Ecclesia illo tempore in locis desertis & semotis abstrusa manebit, non propterea catebit rebus necessariis ad victum & vitam vcuinque tolerandam: ibi Deo illam singulari prouidentia, ministerio hominum vel Angelorum, vel aliis rationibus pascende & conseruante. Pascendi enim verbum Hebraica phrasi, indicare, abundè necessariis vitæ subsidiis instruere, & cuncta boni pastoris officia præstare, ut sunt, familiariter adesse ouibus, dulci erga eas esse affectu, ducere, educere, introducere, pascere, alere, potare, curare, regere, fouere, conseruare, defendere à lupis, feris, &c. notius est, quam ut exemplis sit demonstrandum. Vnde illud Psalm. 22. 1. *Dominus regit* [Hebraicè, *pascit*] *me, & nihil mihi deerit.*

Nec mirum videri debet, Ecclesiam extorrem, & per deserta latitantem, illo tam difficili tempore, rebus omnibus tam ad corpus, quam ad animam pertinentibus, diuina benignitate fruituram: cum etiam olim inter Tyrannorum oppressiones sciamus, Christianos in carceribus, in cryptis, arenariis, & rerum ad vitam necessarium copia, & diuinorum Mysteriorum crebra participatione fuisse recreatos. Cuiusce rei extant complura antiquorum testimonia, & exempla: seorsim apud Lucianum in Peregrino, Tertulianum ad Martyres, cap. 1. S. Cyprianum Epistola 1. & 27. S. Augustinum in Breuiculo Collationum, Collatione dici 3. cap. 12. & alios: quæ quia sunt cunctis nota, & iis abundant Ecclesiastici Annales, omittimus recensere.

Diebus mille ducentis sexaginta. Andreas: *Idque ad annos tres cum dimidio, per mille ducentorum sexaginta dierum numerum designatos, inter quos regnum obtinebit Apostasia.* Aretas: *Ad tres annos & dimidium: tantum enim mille ducenti sexaginta dies temporis spatium implem.* Primasius: *150 sane dierum mille ducentorum*

sexaginta numero, qui tres annos & sex menses faciunt. Ansbertus: *Numerus autem dierum mille ducentorum sexaginta, quibus in solitudine mulier commoratur, & pascitur, predicationis decursus, vel finem persecutionis, quo antiquus aduersarius contra Sanctam Ecclesiam, per damnatum illum, quem assumpsit hominem [Antichristum] efferari permittitur.* Cæterum mille ducenti sexaginta dies, præfixè tantum efficiunt tres annos quinque menses & dies decem: atqui totidem dies determinate assignantur predicationi Henoch & Eliæ, aduersus Antichristum, ut lib. 10. cap. 20. videbimus: quæ sane summa non æquat integrum tempus persecutionis Antichristi, quod ut libro 13. cap. 8. demonstrabimus, futurum est annorum trium ac sex mensium integrorum: desunt enim in mille ducentis sexaginta diebus, dies viginti ad integrandam summam trium annorum & sex mensium. Cur igitur hic subtrahuntur hi viginti dies? Aut quare tempus fugæ Ecclesiæ in persecutione Antichristi notatur viginti diebus minus ipsa persecutione Antichristi? Rectè nostro iudicio annotauit Ribera, idcirco viginti dies detrahi, vel quia forsitan Sancti non statim ipso primo die decretæ & promulgatæ ab Antichristo persecutionis fugient in deserta, quo vsque plenius cernant, quò tandem tendant illa tam immania edicta de abolendo Christiano nomine publicata. Aut quia interfectis Henoch & Eliæ ab Antichristo viginti diebus ante mortem eiusdem Tyranni, & finem persecutionis, ut lib. 10. cap. 20. ostendimus: tam mirabili exemplo confirmati Fideles complures, quum viderint illos viros Apostolicos clarissimo miraculo, & resurrexisse, & cum ingenti gloria in cælos ascendisse: nouos spiritus induent, latebras relinquent, in publicum prodibunt, quiduis pro Fide Christi passuri.

Forsitan dici congruentius possit, illos viginti dies, qui hic demuntur, consumendos in eundo & redeundo ex solitudinibus Ecclesiam, & tempus quo abscondita & ruta in desertis manebit, futurum præfixè mille ducentos sexaginta dies. Nam quamuis ipso statim primo persecutionis die Ecclesia aufugiat, in quærendis tamen latebris, & locis tutis dies decem præterituros satis est verisimile. Quando vero cognoscet vel ex diuinis litteris, vel ex cælesti reuelatione imminere Antichristi interitum, prodibit in publicum, & se itineri accinget, atque decem alios in redeundo consumeret dies: ut magno illi prælio Gog & Magog, & neci Antichristi, Dei peculiari ordinatione intersit: sicuti lib. 12. cap. 9. copiosè describemus.

Porro illud pro certo tradimus, non omnes Christianos fugituros in deserta: sed fortiores quidem, atque in fide & constantia validiores, mansuros in urbibus, ac præsertim Ierosolymis, ubi sedes erit Imperij Antichristi, Dei prouidentia selectos ad decertandum cum Antichristo, & pro diuina religione fortiter occumbendum. Qui vero se non tantum virum reputabunt, ut cum Antichristo, eiusque ministris manus conferere audeant, aufugient in solitudines. Nam equidem id semper licuisse, & sæpe sæpius expeduisse in Ecclesia, Patres Orthodoxi, ex verbo Dei, & certa Traditione constantissimè docuere, contra delitia Montani, & huius veneno tincti Tertulliani. Eritque hæc peculiaris Dei cura erga suam Ecclesiam, ut multi sanctorum se in deserta subducant, ne Antichristus totam Ecclesiam occisione deleat, seu martyriis extinguat: alioqui enim nullus tanto furori superstes esse potuisset. Vide Caput sequens.

Nec dubitamus Henoch & Eliam clam ad Ecclesiam in desertis Iudææ latitantē, sæpius vēnturos, eosque consolaturus, ac omni exhortationum genere in Fide diuina confirmaturos. Idcirco enim videri possit Iōānes dixisse

Ecclesiam in desertis mansuram dies Mccclxx. quod reuerà erit tempus Apostolatus Henoch & Eliæ, vt ab iis quoque incomparabilibus viris in solitudine paciscendam Ecclesiam significaret.

Illud quoque monemus, vno eodemque die, & Ierosolymis, vbi Antichristus præfens aderit, & in toto terrarum orbe, vbi cumque rerū potietur Antichristus feralia esse promulganda edicta aduersus Christianos: & persecutionem illam grauissimam vno eodemque tempore & Ierosolymis & in reliquis mundi partibus esse inchoandam. Hoc quàm sit vero consentaneum, quisque prudens facile cernet, qui & oracula Scripturarum & doctrinam Patrum de Antichristi persecutione probè considerauerit.

C A P V T XVII.

Perducitur expositio eiusdem Vaticanij Apocalypsis.

ET date sunt mulieri ala dua, aquila magna, vt volaret in desertum. Explicat nunc quonam modo mulier in solitudinem fugerit: nimirum præperibus aquilæ pennis. Tychonius: *Dua ala magna, duo sunt Testamenta Ecclesie, quæ accipit, quibus serpentem euaderet in eremum. Aliter alas duas aquila magna, duos vult intelligi Prophetas, scilicet Eliam, & qui cum eo venturus est.* Victorinus: *Ala dua magna, duo sunt Prophetæ, Elias, & qui cum eo fuerit Prophetæ.* Primasius: *Ecclesia in modum alarum, duobus vititur Testamentis. Gemina quoque regitur Dei, & proximi Charitate.* Andreas: *Verum ab initio in præsidium data est Ecclesia Charitas erga Deum, & proximum: Huius porro addita est eius prouidentia adiutrix, qui propter nos in crucem actus est: & duo præterea Testamenta, quæ simul omnia designantur per alas aquilæ: quo per has in sublime sublata, concedat in desertum, ibidemque omnis vegeta, solidaque virtutis nutriatur alimento. Et id quidem semper, Antichristo verò sentiente, maxime. Hunc enim trieteride cum anni semisse grassaturum sapius, iam antea indicatum est. Quo etiam tempore ad sensilem eremum concessuros, inque montibus, & cauernis terra, quo furiam illius euadant, sese abdituros, valde probabile est.* S. Beda: *Dua ala, Ecclesia duobus fulta Testamentis.* Haimo: Ansbertus: *In duabus autem eiusdem mulieris alis; siue duorum Testamentorum eloquia, siue duo charitatis præcepta, in quibus tota Lex pendet, & Prophetæ: siue actiuam vitam & contemplatiuam, non incongruè dicimus figurari.* Ambrosiaster: *Per aquilam, Christum possumus intelligere: dua verò ala, duo sunt Testamenta. Dua igitur ala data sunt mulieri, quia duo Testamenta Ecclesia accepit, vt eorum doctrina, & diabolum euadat, & ad celestem patriam quotidie conscendat.* Anselmus Laudunensis: *Dua ala duo Testamenta, vel dua dilectiones, vel dua vitæ.* Richardus de S. Victore: *Dua illa ala, duo sunt Testamenta, vel vita actiua, & contemplatiua: vel Dilectio Dei, & proximi.* Ergo duas alas ferè omnes, duo Testamenta, Nouum & Vetus interpretantur etiam, recentiores, Pannonius, Gagnæus, Bulengerus, Viegas, Alcasar: qui etiam alias excogitauit expositiones, & facile est duas istas alas Ecclesie in varias mysticas significationes detrahare.

Ribera hac metaphora alarum aquilæ, indicatam putat magnam fugæ Ecclesie celeritatem, quæ validè & velociter fugiet, vt est aquilæ magnæ volatus velox & validus. Thranorum 4. 19. *Velociore fuerunt persecutores nostri aquilæ: aut certe indicatus est locus remotus, & ab insidiis tutus, in quem se Ecclesia recipiet: vt solet aquila in altum se tollere, & in ar-*

duis nidum ponere, quo insidiæ, aut iniuriæ persequentium pertingere nequeant, vt in Abdia, vers. 4. *Si exaltatus fueris vt aquila, & inter sidera posueris nidum tuum, inde detrahā te, dicit Dominus.* Et Prouerbior. 23. 5. *Ne erigas oculos tuos ad opes, quas non potes habere, quia facient sibi pennas quasi aquila, & volabunt in celum.* Hinc Prouerbiū, *Aquila in nubibus.* Apud Erasmus, & Manutium.

Forſan ea allegoria indicet, futuram tunc Ecclesie sedem firmam, stabilem, atque inuictam, etiam inter tot procellas, ac discrimina. Nam aquilam firmæ mansionis esse hieroglyphicum Sacerdotes Ægyptij annotarunt, quā produnt, aquilam simul ac sibi nidum præstruxerit, quo possit eum validius figere, vbi rem suam procuret, lapidem quempiam exquirere, quem in nido pro libramento ac veluti subramento collocet. Hinc hominem qui firmam, stabilemque in ciuitate, locove alio sedem sibi posuisset, hieroglyphico aquilæ saxū gestantis significabāt apud Pieriū l. 19. hieroglyphicorum. Sic alæ aquilæ hinc Ecclesie tribuuntur à Ioanne, fortasse vt innueret Ecclesiam ea tempestate, quantumvis afflictam, atque fugatam, fundatam tamen atque egregiè nixam in lapide, seu petra Christo, eiusque Vicario Romano Pontifice, firmam & inuictam permanſuram. Sunt & alia Hieroglyphica Aquilæ obseruata à Pierio, quæ mirè in Ecclesiam competant, quorum nonnulla hinc Viegas explanauit. Ego hinc simpliciter intellexerim datas mulieri duas ingentes alas, quales esse solent aquilæ alicuius magnæ, vt velociter ac tuto volaret in solitudinem.

In locum suum: vbi alitur per tempus, & tempora, & dimidium temporis. In locum quem ipsi Deus præparauit, & constituit, è vers. 6. Quid vero sit tempus, & tempora, & dimidium temporis, lib. 1. 3. cap. 8. copiosè declarabimus: dicemusque esse tres annos & sex menses. Existit tamen difficultas, cur supra vers. 6. dixerit, Ecclesiam in desertis versaturam tres annos, quinque menses, & decem dies, hoc est, minus viginti diebus, quam sit duratura Antichristi persecutio: modo vero tempus illud, quo in desertis est mansura, & ibidem à Deo nutrienda, aſtruitur esse trium annorum & sex mensium? cur hinc latebris Ecclesie tribuuntur tres anni & sex menses; supra vero vers. 6. tres anni, quinque menses, & dies decem tantum. Ribera nodum ita dissoluit: vt summa temporis breuior intelligatur de Ecclesia secundum feruentiores, ac præstantiores, qui vt è latebris prodeant, non expectabunt mortem Antichristi, & finem persecutionis, quæ erunt exactis plenè tribus annis & sex mensibus, ab initio persecutionis, & fugæ Ecclesie: sed audita morte, & resurrectione Henoch & Eliæ, illico se in medium dabunt, viginti ferme dies ante mortem Antichristi: aut certè ad primum nuntium mortis Apostolicorum virorum, exemplò conuolabunt in publicum, vt Ecclesie tam validis truncatæ capitibus, adſint, atque ope subue-niant. Summa vero maior, in timidiore ac imbecilliores competat, qui emergere ex occulto non audent, nisi audita morte Antichristi: quæ contingeret expletis tribus annis & semis, persecutionis eius.

Forſan illud fuerit simplicius, Ecclesiam non nisi præfixè tres annos, menses quinque, dies decem, in desertis latituram, & alendam vt vers. 6. expresse dicitur: hoc autem versu 14. dici nutriendam ibidem per tres annos & sex menses, quamuis minus viginti diebus, nimirum synecdochicè, vt indicaretur, fugam, & latebras & passionem Ecclesie in desertis futuram propter persecutionem Antichristi, quæ tantumdem temporis desæuiet. Idcirco enim statim additur:

A facie serpentis: Id est diaboli, per Antichristū. Primasius:

masius: *Ab Antichristi facie, idest, illius Serpentis, trium annorum tempore, & sex mensium.* Est autem hy- perbaton, ut volaret in desertum, à facie serpentis. Re- liqua illa vero: in locum suum, ubi alitur per tempus & tempora, & dimidium temporis. Interiecta sint per parenthesis. Vel intelligamus, Ecclesiam fugere, la- titare, & ali in deserto à facie serpentis, hoc est, secu- ram, & tutam ab incurfione & vi diaboli per Antichri- stum debacchantis. Vel Hebraica phrasi, à facie serpen- tis, idest, propter serpentem, metu nimirum serpentis, quasi dicat, fugiet, occultabitur, nutrietur in desertis: nam in urbibus seruari non poterit, omnia deuastan- te & trucidante Antichristo. Hebraismi satis alioqui noti, exempla habes, Genes. 3. 8. cap. 16. 8. Isaia 2. 10. 19. & cap. 21. 15. & alibi passim. Alcasar exponit, à facie serpentis. Idest, procul à Serpentis conspectu. Ipsi intererat hanc suam Hebraismi huius enoda- tionem aliquo exemplo firmare: quod sane nescio an facile reperiri alicubi possit, nisi forsan Ionæ 1. 3. *Et Surrexit Ionas ut fugeret in Tharsis, à facie Domini.* Idest, ut fugeret procul à loco ubi Deus præsentiam suam in Ecclesia seu Cætu fidelium, signis etiam ex- ternis ostendebat: nimirum volebat in longinquas regiones fugere, unde non posset propter locorum di- stantiam, Ninivem mitti: ut nonnulli exponunt. Sed illud tamen rectius, à facie Domini. Idest, ne impe- rio Domini pateret. Hic vero, à facie serpentis. Possit etiam esse, ab ira serpentis. Nam faciem Hebraica phrasi pro ira & indignatione, quæ potissimum in fa- cie apparet, interdum sumi, non est dubium, ut Le- uitici 17. 10. Psalm. 20. 10. Psalm. 33. 17. Ieremiæ 44. 11. Ezechielis 14. 8. Vide Lexica Forsteri & Merceri.

Et misit serpens ex ore suo post mulierem aquam tan- quam flumen, ut eam faceret trahi à flumine. Tychonius: *Aquam, idest, violentiam persecutorum. Aqua emissa de ore Draconis, exercitum persequentium Ecclesiam signi- ficat.* Victorinus: *Aqua quam emisit de ore suo ser- pens, iussu suo exercitum eam sequi significat.* Andreas: *Quum, ait Ecclesia ad loca inuia & inaquosa propter Impostoris insidias se recepisset: draco ex ore suo, nem- pe per os sui mandatum, aquam instar fluminis à ter- go illius eructavit: hoc est, ingentem impiorum virorum, aut malignorum demonum, aut infestarum tentationum multitudinem aduersus illam armauit, quo hac ratione eam si queat, in seruitutem redigat.* Aretas: *Flumen vero quod ex ore suo serpentem iecisse ait, tentationes vo- cauit, ut moris est Scriptura has allegoricè & aquam & flumina nuncupare.* Primasius: *Impetum persecutio- num aqua significat.* S. Beda: *Aqua tanquam flumen, vis persecutionum, qua propulsa est Ecclesia.* Ansbertus: *Solent per aquas in Scriptura sacra persecutionum impe- tus designari.* Haimo: *Aquam, infidelium multitudi- nem diabolus in necem Sanctorum commouit.* Anselmus Laudunensis: *Flumen, tribulationem inundantem.* At- qui hic flumen, violentiam persecutionum intelligi, consentiunt quoque recentiores, Lyranus, Gagnæus, Pannonius, Bulengerus, Ribera, Viegas, Alcasar. Sed Bulengerus, Ribera, Viegas, signatè de persecu- tione Antichristi, ut etiam Tychonius, Victorinus, Andreas. Et vero aquas, seu flumina in Scriptura vim & impetum persecutionum & hostium ac inimico- rum impressionem, nimis est peruagatum, præsertim è Psalm. 123. v. 4. & 5. Isaia 8. 7. Ergo ait Ioannes, mit- tendam ab Antichristo validam persequentium ma- num, & procellam persecutionis aduersus Ecclesiam profugam & latitantem in desertis.

Atque id proculdubio est, quod S. Hippolytus Mar- tyr Oratione de Consummatione Mundi ait: *Conse- stim Mittet Antichristus demonum cohortes ad montes, speluncas, & cavernas terræ, qui scrutentur eos, qui sub-*

duxerunt sese ab oculis eius: & adducent eos ad adoran- dum illum. Et S. Ephræm Syrus Sermone de Anti- christo: *Erunt tunc plurimi Deo grati, in montibus, ac collibus, locisque desertis. Etenim impurissimus ille An- tichristus non cessabit inquirere Sanctos quosque in terra, ac in mari.* Vide verba Andreæ Cæsariensis Episcopi in hunc locum, quæ paulo ante descripsimus. *Ut eam faceret trahi à flumine.* Biffariam id intelligi potest: vel quod, quasi interiecta metaphora Draconis ex ore rapidum efflantis & reflantis flumen, diabolus misso Antichristi exercitu, conetur ad se Ecclesiam fugien- tem retrahere, ut veluti flumine implicitam & obuo- lutam diglutiatur, & absorbeat: nempe Christianos ex fuga retractos, diris tormentis excruciet, & consumat. Ita Ribera. Dracones enim hauflu & reflatu valere, discas ex Plinio lib. 8. Capitulo 12. & lib. 10. cap. 72. Eliano lib. 15. de Historia Animalium, cap. 21. lib. 2. cap. 21. vel, quod missis copiis nitatur mergere, & raptare Ecclesiam, ut veluti aquarum vorticibus, & gurgitibus, & immani impetu penitus abstrahatur & absorbeat. Erasmus ex Græco: *Ut efficeret, ut illam auferret flumen.* Vel, ut raperetur à flumine. San- ctes & Vatablus: *ut eam faceret rapi à flumine.* Mon- tanus: *ut eam flumine-latam faceret.* Græcis enim est vna dictio composita. Sà, trahi, idest, rapi & mergi. Et hic sensus est aptior.

Et adiunxit terra mulierem. Mirabilis Dei cura, & vis inuicta Ecclesiæ, ut terra elementorum crassius, & pi- grius, atque inertius causam Ecclesiæ & veræ pieta- tis peragat. Nimirum Sapientia 5. 18. 21. *Armabit creaturam ad ultionem inimicorum: & pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.*

Et aperuit terra os suum, & absorbit flumen. Tycho- nius: *Significat absorpta aqua, de persecutoribus factam vindictam.* Victorinus: *Aperuisse terram os suum, & deuorasse aquas, vindictam de persequentibus manifestam significat.* Præclare Andreas: *At terra, inquit, iunxit il- lam. Iunxit autem aut via longitudine, aut locorum squa- lore & siccitate, improborum hominum impetus sistens, tentationumque flumen eius rei causa electum absorbens: Sanctorum denique submissione, qui vere recteque dicere solent, Ego sum terra & cinis, omnes diaboli laqueos ener- uans. Nihil enim, ut diuino Antonio ab Angelo indica- tum est, diaboli vires ita frangit, sicut humilitas.*

Ribera, Bulengerus, Viegas, existimant, veteribus innouatis prodigiis, reuera tunc terram ingenti mi- raculo, vasto hiatu disrumpendam, & absorpturam copias illas seu exercitus missos ab Antichristo ad op- primendam Ecclesiam. Quid enim mirum si in gra- tiam Ecclesiæ suæ tum Deus prisca mirabilia instau- ret, cum & Mare Rubrum exercitus Pharaonis penitus absorpserit: & discedens terra Dathon & Abiron cum reliqua impiorum colluie impetu hauserit inte- gros & viuentes, Numerorum 16. v. 31. 32. 33. Deute- ronomij 11. 6. Psalm. 105. 17.

Forfan sit metaphora de celeri & facili copiarum Antichristi à Christianis in desertis disiectione: ni- mirum exercitus Antichristi missos aduersus Eccle- siam in desertis latitantem, singulari Dei ope ac præ- sidio, profligandos & dissipandos esse à Christianis, & instar fluidarum aquarum quæ à sicca & arente ter- ra facile ebibuntur, fundendos, & disijciendos, lib. 11. cap. 12. quum de manifestatione Arcæ Testamenti accurate differemus: etiam illud addemus, Antichri- stum missurum suas turmas aduersus Christianos in solitudinibus latitantes: sed repellendas & profligan- das à piis.

Atque hæc est illa præclara Dei protectio, qua Deus Ecclesiam suam profugam & absconditā illo tempore, est ab impressionibus Antichristi seruaturus: de qua

S. Hippolytus Oratione de Consummatione Mundi, ait: *Effugientque à manibus eius [Antichristi] ad montes, & occultabuntur in caavernis terre, cum lacrymis & contrito corde querentes illum Amantem hominum, qui eripiet eos, à laqueis illius, & conseruabit à molestis illius scandalis: dexteraque manu sua, inuisibili modo proteget eas.* S. Ephræm Syrus Oratione de Antichristo: *Plurimique Sanctorum confugient maximo cum studio ad desertum, & occultabuntur timore perculsi, in solitudinibus & montibus, atque speluncis. Donabiturque illis à Deo Sancto quod orantes petierint: deducetque eos gratia ipsius ad loca deserta, & saluabuntur occultati in Caavernis, & speluncis.* Et alia habet in eandem sententiam, quæ, cap. 16. descripsimus.

Et iratus est Draco in mulierem, & abiit facere prælum cum reliquis de semine eius, qui custodiunt mandata Dei, & habent testimonium Iesu Christi. Nolumus onerare lectorem variis aliorum explanationibus recitatis. Illa nobis videtur rector, & accommodatior, Diabolum in Antichristo, quum viderit se nihil agere potuisse aduersus Ecclesiam in solitudinibus & desertis versantem; immensa ira percitum, conuersurum bellum aduersus reliquos de semine eius, nempe contra reliquos Ecclesiæ filios, qui in urbibus & in oppidis erunt: mutabit prælum & ad oppugnandas reliquias Christianismi, quæ in ciuitatibus, & in cæribus populorum residuæ fuerint, omnes vires, & animas conuertet. Ut enim iam cap. 16. docuimus, non omnes Fideles tunc in deserta confugient: nam cum qui discedent, sint statim sub ipsa initia persecutionis Antichristi recessuri; atque istos nequitiam sit læsurus Antichristus, uti hoc capite demonstrauimus: si nulli in urbibus & oppidis remansissent Christiani: indè perspicuè deduceretur, vel nullos, vel paucissimos pro Christo interficiendos ab Antichristo: atque eius persecutionem non nisi fugationem Ecclesiæ futuram, quod nullus prudens affirmauerit, cum toto hoc libro id potissimum demonstramus, persecutionem Antichristi omnium grauissimam & crudelissimam fore. Erunt igitur complures in urbibus Fideles Antichristianis permixti, contra quos atrociter dimicabit Antichristus, cum cernet omnes suos conatus in eruenda ex latebris & concidenda Ecclesia irritos euasisse. Sed inspicere quàm illustri elogio S. Ioannes præclaros illos athletas ciuicos & vrbanos ornet: *Qui custodiunt, inquit, mandata Dei, & habent testimonium, martyrium, Iesu Christi.* Hoc est, Sanctissimi & inuictissimi Martyres.

Sed enim vnde tanta Christianorum multitudo Ierosolymis, & in vicinioribus locis, vbi potissimum Antichristi rabies debachabitur, tunc sit futura, dicemus opportunè lib. 12. cap. 7. Illud quoque monemus, quæcumque toto hoc Capite, & superiore de fuga Ecclesiæ tempore Antichristi ex verbis Sacræ Apocalypsis exposuimus, potissimum de Ecclesia illa, & cætu fidelium, qui in Iudæa & finitimis locis tunc reperientur, esse intelligenda: illic enim præcipue tragædia impietatis ab Antichristo perageretur. Nihilominus tamen existimare par est, eiusmodi grauia & dura passuram Ecclesiam in aliis mundi regionibus ab Antichristi ministris.

Et verò quod ad Draconem, & Mulieris aquilinas alas spectat, illud obseruatu dignum, Ioannem scitè & concinnè sub allegoria Draconis, & Mulieris aquilæ magnæ alas præferentis, descripsisse bellum diaboli seu Antichristi aduersus Ecclesiam postremi temporis, quod inter Draconem & Aquilam sit internecinum bellum. Plinius lib. 10. cap. 4. *Acrior est aquila cum Dracone pugna, multoque magis anceps, etiam si in aère.* Qua hic consuetatur aquilæ audacitate maleficat:

illa ob hoc rapit vbiicumque visum. Ille multiplici nexu alas ligat, ita se implicans, ut simul decendant. [Ælianus Historiæ Animalium lib. 2. cap. 26. Aquilæ alarum crepitum, vbi primum Draco (intrepidissima alioqui serpentium) auribus perceperit, in latebras statim abditur.] Vide quam aptè Ioannes Mulieri, ut esset tuta à Dracone, alas magnæ aquilæ tribuerit, quarum strepitu Draconem perterrefacere potuerit. Vide dissertationem de insigni hoc Apocalypsis Vaticinio apud Ieremiam Ferrerium Libro de Antichristo, cap. 25.

CAPVT XVIII.

Explicatur Locus Daniel. 11. 41. *Hæ autem solæ Saluabuntur de manu eius, Edom, & Moab, & principium filiorum Ammon.*

Hoc oraculum, vtrumque Antiocho Epiphani conueniat: siquidem S. Hieronymus, quorundam, Porphyrij fortassis, interpretationem referens inquit: *Antiochus, aiunt, festinans contra Ptolemæum regem Aulæ, Idumæos, & Moabitas, & Ammonitas qui ex latere Iudææ erant, non tetigit: ne occupatus alio prælio, Ptolemæum redderet fortiorem.* At primario & præcipuo historico sensu, de Antichristo loqui, Antiqui Patres, S. Ephræm, S. Hieronymus, Theodoretus, & posteriores omnes summo consensu affirmant: & nos superius cap. 5. huius libri in VIII. Danielis oraculo, & lib. 6. cap. 20. abundè confirmauimus.

Cæterum Theodoretus existimauit Antichristum parsurum istis regionibus, quod earum incolæ futuri sint tunc impij, & si inter eos pij fuerint, segnes in opere Domini erunt: quos propterea indignos sua persecutione iudicabit Antichristus. Verba Theodoreti sunt: *Neque hæc Antiocho conueniunt: etenim cum hos subegisset, Duces ipsi præfecit, ex quibus unus erat Timotheus Dux Ammonitarum, 1. Machabeorum, 5. v. 6. Hoc impio Duce Antichristo verisimile est istos effugisse, quippe non probè quidem & serio pietatem colentes: omnibus enim probis prorsus Impius bellum facit.* Et inferius: *Si vero secundum historiam hæc omnia velis intelligere, ita facito, ut paulo antea diximus. Hos enim contemnet Antichristus, quasi maxima eorum parte impietate obstricta: & paucis illis, qui in ipsis pij fuerint, haud flagranti studio erga res diuinas affectis.*

S. Ephræm Syrus in eandem fermè sententiam, scribit, Antichristum nihil nociturum iis populis, quod à partibus eius statuti sint, ipsumque recepturi. Sic enim Sermone de Antichristo ait: *Edom rursus & Moab unà cum filiis Ammon, illum ut verum regem cum gaudio magno adorabunt, ipsiusque cumprimis se propugnatores multa cum potentia ostendent.*

Nec defunt qui addant, hos populos, ut spurios, & semper hostes populi Dei, futuros studiosissimos sectatores Antichristi, quos ut amicissimos, & in paucis Charissimos sit habiturus.

At pace præstantium auctorum dictum sit, hanc Interpretationem verba facti vatis non rectè ferunt: nam verbum illud *Saluabuntur*. Vel ut Hebraicè est, *Euadent*, eripientur, effugient, liberabuntur, propriè in Fonte est, ex aliquo periculo seu malo eripi, & euadere saluum: vel erui fugiendo, vel fuga sibi consulente: vti Forsterus, Metcerus, & Auenarius annotarunt; quasi indicet, è violentia alicuius hostis, & ingruentis mali vel periculi seruandos: quod de impijs recipientibus Antichristum dici nequaquam potest: quos Antichristus non persequetur.

Quanto aptius & congruentius S. Hieronymus suam & Patrum ante se expositionem promens, inquit: *Antichristus quoque Idumæam, & Moabitas, ac filios Ammon,*

Ammon, id est, Arabiam relinquet intactam: quia illuc Sancti ad desertum confugient.] Eadem habet Strabus. Anselmus verò Laudunensis, inquit: *Saluabuntur Dei miseratione.*] Lyranus: *Hæ autem sola saluabuntur &c. Hoc autem fit propter diuinam misericordiam, quia sancti habebunt illuc aliquod refugium tempore Antichristi: quod fiet propter minus perfectos, qui non auderent se opponere Antichristo. Ex ista etiam littera patet, quod non potest exponi de Antiocho &c.*] Atque eodem modo Interpretantur, Isidorus, Clarius, Veldius, Peterius, Pintus, Maldonatus. Sed Clarius hæc habet: *Hæ autem sola saluabuntur. Qui ad montana fugiunt, ut sunt deserti Moab, Esau, & Ammon, id est, qui illecebras mundi relinquunt, ab Antichristo securi erunt. Hoc videtur conuenire, quod Apocalypsis de muliere scribit à facie Draconis fugiente*] Hoc ipsum etiam annotauit Pintus. Sic igitur vides quàm apte & concinnè inter se conueniant vaticinia Danielis & Ioannis de Ecclesia tempore Antichristianæ persecutionis in desertum fugiente: nam proculdubio desertum illud, in quæ fugituram Ecclesiam prædicit Ioannes, & in qua tutam & incolumem à pressura Antichristi seruandam affirmat; sunt ipsissima loca in solitudinibus Idumææ, Moabitarum, & Ammonitarum, quæ hîc Daniel seruanda prænunciat à manu & furore Antichristi. Itaque sensus & intelligentia vtriusque oraculi Ioannis & Danielis, res ipsæ reuera futuræ, omnia denique mirifice inter se consonant, ex fidei & germana Patrum & Posteriorum interpretatione, ut nihil aptius & congruentius optari possit videatur.

Ergo intrepidè asserimus in his regionibus, Idumæa, Moab, & Ammon, esse loca deserti, solitudines, montes, ut pote partibus Arabiæ Desertæ, in quæ Sancti Christiani fugientes ex Ierosolymis ac Iudæa, rabiem persecutionis Antichristi, se recipient & abscondent, tutique & incolumes seruabuntur. Arabiæ quidem solitudines & deserti nota sunt ex Geographis, vnde & nomen Desertæ factum. S. Beda de locis Hebraicis Actorum Apostolicorum: *Arabia regio inter Sinum Maris Rubri, qui Persicus, & eam qui Arabicus dicitur, habet gentes multas, Moabitas, Ammonitas, Idumæos, Saracenos, aliosque quam plures.*] S. Hieronymus in Isaia 15. ad vers. 1. *Moab prouincia est Arabum.*] Desertum Idumææ fit mentio 4. Regum 3. 8. & in Titulo Psalmi 62. Solitudinis & deserti Moab, Numerorum 21. 11. Deuteronomij 2. 8. S. Hieronymus de Locis Hebraicis: *Moab vero Arabia ciuitas est, quæ nunc Areopolis nominatur. Offendunt regionis illius accola locum vallis in prærupta demersæ, satis horribilem & periculosum, qui à plerisque usque nunc Arnonas appellatur: extenditurque ad septentrionem Areopoleos: in quo & militum ex omni parte præsidia distributa, plenum sanguinis & formidinis testantur ingressum.*] Et in 21. Ezechiel ad vers. 19. *Sed cum veneris per desertum & solitudinem ad binium terre Arabiæ, quæ appellantur filiorum Ammon, &c.*]

Neque verò mirum videri debet, Christianos tunc sæuitiam Antichristi declinantes, deserti solitudinesque Arabiæ petitorios, cum ex S. Dionysio Alexandrino Episcopo nouerimus, Christianos Confessores Ægypti complures olim tempore persecutionum, in montes Arabiæ ac horridas eius solitudines fugere consueuisse. Sic enim S. Antistes de persecutione Decij verba faciens Epistola ad Fabium Antiochenum Episcopum, prodit apud Eusebium lib. 6. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 34. *Quid attinet percensere multitudinem eorum, qui in solitudine, & in montibus vagi, errantesque, fame, siti, frigore, morbis, latroni-*

bis, bestis fuerunt extincti? Quorum electionis beate & eximia victoria quamquam testes sunt ii, quibus adhuc ex illo numero vita suppeditat: tamen unum aliquod facinus proferam, quo res ista sint exploratius cognita, perspectaque. Charemon Episcopus ciuitatis quæ Nilus dicitur, cum iam planè grandis esset, & ætate propè exacta, una cum uxore sua ad montem Arabiæ confugiens, neque post reuersus est, neque usquam eos quispiam videre potuit. Et licet fratres iam aliquoties eum cum uxore quærent, tamen neque ipsos, neque corpora eorum uspiam reperire potuerunt. Permulti certè in eo Arabico monte erant à Barbaris Saracenis facti captiui: quorum alij agrè quidem, & vix ingenti pecunie summa redimi poterant: alij hætenus nullo modo.] Hæc S. Dionysius.

Sed inuisamus tantisper Hebræa. de manu eius. id est, de potestate, hoc est euadent de manu eius, non eas capiet, non rediget in potestatem. Hispanice, *Escapar seam de sus manos.* Vel de manu eius, id est, de percussione, plaga, impressione, tyrannide eius, hoc enim significato poni interdum manum in Scriptura, docebunt te exemplis Phrales Villauicentij, & Sà.

Et principium filiorum Ammon. Lxx. seu potius Theodotion, & principatus filiorum Ammon, Apud Theodoretum, & principes filiorum Ammon. RESCITH, propriè significat principium, seu temporis, seu dignitatis. Vatablus: & primitia filiorum Ammon, id est, primitia Ammonitarum. Aut, melior, & optima pars Ammonitarum.] Seu præcipua & optima pars Regni seu prouinciæ Ammonitarum. Tremellius & Iunius: ac præcipua Hammonitarum. Ponitur interdum RESCITH, pro præcipuo & summo. Numerorum 24. 20. *Principium gentium Amalech, id est, præcipua & summa gens Amalecitarum, primaria gens.* Sic Græce Ecclesiastici 12. 3. & principium dulcoris fructus eius, id est, præcipua seu summa dulcedo. Possis hîc exponere: *Et caput* [seu sedes regni] *Ammonitarum.* Sic Genesis 10. 10. *Fuit autem principium regni eius Babylon, id est, metropolis, & vrbs Regia.* Constat autem ex scriptura Rabbath fuisse primariam urbem Ammonitarum. S. Hieronymus in Ezechiel 21. v. 19. *Rabbath filiorum Ammon, quæ est ciuitas metropolis, & hodie Philadelphia nominatur.*] Eadem habet in Locis Hebraicis. Commodè quoque intelligemus, principium filiorum Ammon, initium terræ Ammonitarum, & quasi introitum regionis, & prima loca prouinciæ: quæ tum erunt tuta ab impressione Antichristi: forsan quia montuosa, nam illuc spectat Mons Galaad & Rupes Arnon.

CAPVT XIX.

Elucidatur locus Isaia 16. 3. 4. *Abconde fugientes, & vagos ne prodas. Habitabunt apud te profugi mei: Moab esto latibulum eorum, à facie vastatoris: finitus est enim puluis, & consummatus est miser: defecit qui conculcabat terram.*

S. Hieronymus hoc vaticinium ad cladem Ierosolymitanam sub Nabuchodonosor refert, dicens: *Vastata enim Ierusalem, & omni Iudæa quæ confinis est Moabit: ad te omnis populus meus transmigrabit, o Moab: esto igitur latibulum eorum, nec timeas imperum vastatoris, quia sicut puluis cito transibit: & depopulator vniuersa terra, qui conculcabat eam, & suis pedibus subiiciebat, aura flante disperiet.*] Scilicet Nabuchodonosor, ut satis innuere videtur ipse S. Hieronymus

ronymus. Hanc interpretationem secutus est Leo Castrus.

Verum alij potius volunt vaticinari hîc Isaïam de tempore illo quando venit Sennacherib Rex Assyriorum in Iudæam : vbi cum cepisset vrbes regni Iudæ deuastare, 4. Regum, 18. & Isaïæ 36. & 37. multi Iudæorum, & Israelitarum profugi ad Moabitas se recipiebant. Ita exponunt Hebræi, teste S. Hieronymo, Strabus, Anselmus Laudunensis, Lyranus, Vatablus, Isidorus, Clarius, Adamus, Forerius, Pintus, Montanus, Sanctus. At Clarius & Forerius à verbis illis antecedentibus, vers. 3. *In consilium, coge consilium* &c. existimant esse sarcasum, & amaram ironiam, quasi dicat : Late vastante omnia Assyrio, & Iudæis hinc inde vagis, ac expulsis, latebras apud Moabitas captantibus, in summo vitæ rerumque discrimine, vos ò Moabitæ, sedete scilicet otiosi nimis ac lentè ineuntes consilia, ac tempus terentes, an Iudæos profugos receptare debeat, ne in vos prouocetis Assyriorum indignationem : cum interim Iudæi mei huc illuc abeant latebras quærentes, ac palabundi periclitentur. Nempe putatis Assyrium potiturum rerum, ac Ierusalem deuastaturum ? Erratis tamen toto cælo, nihil enim fiet eiusmodi : nam finitus est puluis ac miser Sennacherib : & confirmatum est regnum Ezechia, & Iuda, Dei misericordia & bonitate. Sed lenior sensus fuerit, Isaïam consulere Moabitæ, vt fugientes Iudæos in illa calamitate, apud se recipiant ac foueant, sibi in ea benignitate prospicientes, quo valeant hospitalitatis beneficio Dei misericordiam promereri, ne sibi talia obuenant : neque timeant impetum Assyrij, aut putent præualiturum in Iudæos, quoniam momento tanquam puluis difficietur & dispelletur : qua ratione exposuit S. Hieronymus ac reliqui post illum.

Sed mirum quod idem S. Pater in huius loci explanatione adiecerit, dicens : *Quidam locum hunc male de Antichristo interpretantur, vt putent Sanctos eo tempore propter viciniam vrbis Ierosolymæ, ad Arabes transiuros : & nunc eis præcipi ne prodant fugientes ad se.* Nam cur Isaïas saltem mystico & sublimiori sensu de Antichristo loqui non possit, cuius figura & typus Sennacherib fuit ? Nonne persecutio Sennacherib aduersus populum Dei, postremam illam Antichristi aduersus Ecclesiam adumbravit ? Nonne locus iste cum illo Danielis quem superiori Capite explanauimus, germanissimè congruit ? Nonne ibidem S. Hieronymus disertissime asseruit, Sanctos tunc in pressura Antichristi ad Arabes fugituros ? Sed bene habet, quod idem S. Hieronymus ait, aliquos ante se Patres de Antichristo exposuisse : quid enim verat nos eorum vestigiis insistere in interpretatione apta & cohærente ? Quid quod ad vers. 5. *Et preparabitur in misericordia solium, &c.* hæc addit idem S. Doctor. *Alij de Christo intelligunt : finito Antichristi puluere, & vastatore sublato, qui conculcabat vniuersam terram, Rex Christus adueniet, qui sedebit in tabernaculo David, & in die Iudicij reddet cunctis pro operibus suis. Nec est ulla dubitatio, quin Capitulum hoc de Christo vaticinetur. Sed nos & in primo aduentu id ipsum intelligere possumus &c.* Non igitur prohibet, quin de secundo aduentu accipi possit. Dicamus ergo Scripturam esse fecundam & opulentam, ac sensibus grauidam : Simulque hîc & de Sennacheribo & de Antichristo, personis & rebus quam simillimis intelligere potuisse cum & ipsa verba aptissime & verissimè Antichristo conueniant. Vide Pererium in 11. Danielis ad vers. 41. *Hæc autem sole saluabuntur, &c.* qui hanc nostram interpretationem amplectitur.

Ait ergo Isaïas : O Moab, amaro illo tempore,

quo Antichristi inundante furore, Sancti mei è Ierosolymis ac Iudæa profugi, ad te current, latebras quærentes, atque in desertis tuis occulti habitabunt, seu peregrinabuntur : tu eos ne prodas : sed benignè in tuis solitudinibus excipe, recepta, absconde, foue ; para eis opportuna & tuta latibula, quæ plura sunt in tua regione, in quibus secure condantur & delitescant : bene occulta eos & serua à facie illius truculentissimi vastatoris, & Prædonis humani generis : quia breui puluisculus ille, terræ filius homuncio Antichristus, mortalium miserrimus, orbis conculcator de medio tolletur, & delebitur. Sed inspiciamus Hebræa.

Absconde fugientes. Ad verbum, *Absconde*, [occulta,] *expulsos* [propulsos, depulsatos, extorres.]

Vagos ne prodas. Nō dēd omnia ista complectitur, commotum, agitatum, vagum, vagabundum, peregrinantem, demigrantem, impetumque denotat, *ne reueles*, ne detegas, manifestes, aut indices, possis exponere : *ne deuoluas*, aut *denigres*, q. d. demigrantem ab aliis ne demigres à te, ne cogas exulem exulare, ne eum à te repellas, aut proicias.

Habitabunt apud te ad verb. peregrinabuntur in te, profugi mei. Heb. *expulsi mei*, vt paulo superius. *Moab sis latibulum, abscondio, eis, à faciebus vastatoris,* propriè, vastantis, deprædantis, depopulantis, perdentis.

Finitus est enim puluis. Sanctes, quia defecit expressor. & in Thesauo, quia defecit emulsor. Forerius & Forsterus, quoniam defecit emunctor, vel emulsor, vel emulgens. Vatablus, Auenarius, & Leo Iudas : quoniam cessauit emunctor. Vatablus, quoniam finitus est, [finit, aut esse desiit] emulsor. Clarius, finita est enim oppressio. Marinus, quia defecit exprimens. Montanus, quia finit emunctor, exuctor. Tremellius, Iunius, Buxtorfius, quia desinet qui premat. Schindlerus, quia defecit emulgens. Chaldaeus Paraphrastes habet ΜΕΙΚΑ, idest angens, affligens, hostis. Ergo fere omnes ΜΕΤΖ, exponunt, expressorem, emunctorem, emulsorem, exuctorem genuinum Antichristi cognomen, quod ipse comprimet, exprimet, opprimet Ecclesiam atque penitus emunget, exfugiet, emulgebit vsque ad sanguinem & ossa. Est autem cum emphatico articulo, ΗΑΜΕΤΖ, id est, *Ille Emunctor, & Expressor*, vt magis indicet Antichristum per antonomasiam, quasi supremum oppressorem humani generis. Pomarius dixit, *Populi expilatores.* Sed verius dicas magnum *sanguisugam* Ecclesiæ.

Quod vero Noster hîc, *puluis*, dixit, haud dubie legit eisdem omnino litteris, sed mutato Tferi, in Holem ΜΟΤΖ, pro ΜΕΤΖ. ΜΟΤΖ autem, cum octo tantum vicibus reperiatur in scriptura, idem Vulgatus, secutus plerumque LXX. puluerem exponit, præterquam in duobus locis, quos mox subiiciemus. Cæterum conueniunt omnes, ΜΟΤΖ esse vel folliculum illum qui immediate tegit granum, vel tenuissimum ac leuissimum illud purgamentum grani, quod dum triticum ventilatur, in altum à vento propellitur ac diffilatur ; paleam, vel lanuginem tenuissimam ac minutissimam putant, ac fermè interpretantur, glumam, acerem, acum, paleam, quisquiliam, scobem, festucam, stipulam, folliculum, vel simile quidpiam leuissimum. Sicque dictum aiunt, quasi expressionem, seu emulsionem, vel emuctionem, aut excussionem grani, quod triturando à granis excutitur. Generaliter vero etiam transferri ad minutias quasuis aliarum rerum significandas. Pomarius, subtilem illam paleam qua stramina infarciuntur, esse existimat. Nonnulli apud Marinum nebulam, caliginem, fumum interpretantur.

Nos in Hebraicis Notis ad Psalm. 1. 4. vniuersè expoluimus emunctionem seu emulsionem, hoc est, vile quod vis & abiectum excrementum seu purgamentum, quod ex quapiam re quasi emungitur vel excutitur, vt comprehendat glumam, puluisculum &c. atque etiam fauillam, & extremam illam ellychnij partem, quam iam exustam, & lumini officientem forcipibus præcidimus ac detruncamus, & in terram conculcandam abiicimus, quod fumus eius grauitèr oleat. Vnde dicimus, emungere lucernam, & emuntoria quibus reusta capita ellychniorum decutimus. Noster vulgatus bis in scriptura vocem *MORZ*, fauillam reddit Iob 21. 18. & sicut fauilla quam turbo dispergit. Et Isaia 29. 5. & sicut fauilla pertransiens. Iam probè tecum repura, diserte lector, quàm appositè cuncta hæc nomina extremæ vilitatis & contemptus vna sub voce comprehensa in Antichristum incurrant. Quem abiectissimis & despiciatissimis hisce nomenclaturis Spiritus sanctus traducere voluerit, appellans ipsum Puluerem, Glumam, Quisquiliam, Paleam, Folliculum, Stipulam, Caliginem, Fumum, Excrementum exusti ellychnij, Fauillam; nempe quem Dominus Iesus flatu oris sui facillimè extinguet, ac dispellet: atque ceu fauillam, vel fumum seu exustum ellychnium, propriumque ignis fomentum & excrementum in infernum æternum exurendum demerget.

Quod autem Vulgatus reddit, *finitus est*. APHE, proprie est, Absumptus est, terminatus, finitus est, defuit, cessauit, vt amplius eius nihil superfit.

Consummatus est, proprie omnino cessauit, consummatus, consumptus ex toto, absolutus, terminatus, finitus est, finem habuit, penitus defecit, periit.

Miser. Heb. *vastator*, prædator, direptor, grassator. Vel in abstracto. *Deuastatio-vniuersalis*. In concreto posuerunt, Sanctes; Forsterus, Vatablus, Leo Iudas, Forerius, Leo Castrus, Tremellius, Iunius, Buxtorfius: in abstracto, Clarius, Auenarius, Montanus, Schindlerus, Marinus. Sensus abstractus augeat significatum, vt Antichristus nedum deuastator, sed ipsa deuastatio sit futurus. Vt illud, *Non scelestus, sed ipsum scelus*. Chaldaus, *depradator*. Lxx. *Princeps perit*. Legerunt proculdubio *pro Sar*, princeps, pro *Sod*, *vastatio*, propter similitudinem Daleth, & Resc.

Defecit qui conculcabat terram. Sanctes: *Consumpta sunt reptilia de terra*. Et in Thesauto habet: *consumpta sunt reptans [pro reptantia, id est reptilia] de terra*. Rabbi Scelomoch, *animalia tua quæ reptant, [aut ambulant] in terra tua*. Rabbi Abraham, *consumpta sunt [defecerunt] scilicet, castra, calcans [seu ambulans] id est, Rex Assur de terra*. Thargum, *defecerunt omnes qui conculcabant, de terra*. Leo Iudas: *consumptus est conculcator de terra*. Ita quoque Vatablus in editione Sanctandrea: in Salmantina vero hæc ponit: *defecerunt [exercitus] conculcantis, id est, ipsius Sennacherib. vel exercitus conculcans, id est, qui omnes nationes conculcare & opprimere solet*. Addit in Sanctandrea: *verbum plurale normini singulari iunctum*. Forsterus: *consumpti sunt quatuor [Mercerus, Gressile, Calcabile] de terra*. Auenarius, *consumptus est conculcator de terra, id est, defecerunt exercitus conculcantis*. Marinus: *Finiti sunt conculcans [quilibet] de terra*. Montanus, *consumpti sunt [defecerunt] conculcans de terra*. Tremellius, Iunius Buxtorfius: *consumpti sunt calcans, id est, calcatores singuli, de terra*. Forerius: *consumpti sunt qui conculcando eiciebant de terra*. Leo Castrus: *Finiti sunt conculcantis de terra* ROMES, *singulare, id est, Calcans, Reptans,*

Quatens construitur cum verbo plurali THAMV, *consumpti sunt*, ex verbo: *consumpti sunt omnino quatens de terra*, nec sine mysterio, vt indicaretur, Antichristum vnum terræ quassatorem instar multorum futurum, vt solus ipse effusus ac perniciosus sit debacchaturus in terra; quàm plurimi alij Tyranni, etiam conflatis viribus. Vel quod non solum ipse, sed etiam eius ministri & satellites sint insolentissime grassuri. Lxx. *Princeps perit qui conculcabat de terra*. Apud S. Basilium, *conculcans à terra*. Apud S. Cyrillum, *conculcans super terram*. Apud Procopium, *qui conculcabat terram*. Hebraicum illud, *de terra*. Vel iungendum cum *consumpti sunt*. Vel exponendum: *quatens de terra omnia, id est, extrudens proterens omnia de terra*.

CAPVT XX.

Prelum Sanctorum Angelorum, Michaële Imperatore, contra diabolum, eiusque ministros, pro Ecclesia tempore Antichristi: Victoria etiam ac triumphus.

Diuinus Angelus Gabriel agens de persecutione Antichristi aduersus Ecclesiam, hæc ait Danielis 12. 1. *In tempore autem illo consurget Michaël Princeps magnus, qui stat pro filiis populi tui. Et veniet tempus quale non fuit, ex quo gentes esse ceperunt, usque ad tempus illud, &c.* Hoc vaticinium historico & primario sensu intelligendum esse de tempore Antichristi, eiusque aduersus Ecclesiam persecutione, & de præsidio Sanctorum Angelorum Ecclesiam conseruantium, ex consensu omnium Patrum, & Recentiorum copiosè demonstrauimus supra cap. 5. in 1x. Oraculo Danielis, & cap. 11. Atqui aiunt fermè omnes, (quid enim necesse est singulos citare?) Angelum Gabrielem prædixisse, Michaëlem Principem magnum cælestis militiæ, Ecclesiæ Christi custodem, atque tutelarem Præsidem, funestissimo illo persecutionis Antichristi tempore ingentem ac singularem curam gesturum pro Christianis & pro populo Dei, valideque protecturum ac propugnaturum Fideles Aduersus Antichristum, atque accerrimè conseruantum Ecclesiam, ne machinis diaboli, Antichristique quassata succumbat aut ruat: ac inde relaturum de prostrato & deleto Antichristo insignem victoriam, & de patta victoria clarissimum triumphum erecturum. Theodoretus: *Archangelus enim, cui vstra, inquit, commissa est tutela, consurget auxilio iis, qui tum in Antichristi persecutione dimicauerint. Hoc etiam hic innuit fore vt hac faciente Antichristo, Sanctus Michaël Archangelus omnia molietur, vt Elias adueniens Domini pronunciet aduentum, quo Iudei qui tunc extiterint, salutem consequantur*. Primasius in 12. Apocalyp. *Ipsam enim Michaëlem & Daniel in nouissima pressura in adiutorium dixit Ecclesia esse venturum. In tempore inquit, illo consurget Michaël, qui stat pro filiis populi tui. Et veniet tempus, quale non fuit ab eo quo gentes esse ceperunt, usque ad tempus illud*. Eadem omnino Ansbertus.

Sed præter veteres & recentiores Danielis huius loci explanatores, vide Riberam in 12. Apocalypsis, Numero 27. & Viegam in 12. etiam Apocalypf. Commentario 1. sectione 17. Becanum Opusculo de officiis Angelorum, cap. 4. Numero 2. & 1. Parte summæ Theologiæ, Tract. 3. cap. 6. Numero 2. vbi hunc locum Danielis eodem, quo diximus modo, interpretantur. Qua propter nullo modo tolerandus est

est Iacobus Veldius, qui expositionem Porphyrij hoc oraculum de Antiocho, eiusque persecutione in Iudæos, tempore Matthathie, & filiorum Machabæorum, explanantis, tueri utcumque ausus est. Peiusque multo est quod Ludouicus Alcasar in 12. Apocalypsis, ad vers. 7. & 8. Quæstione 2. nedum eandem Porphyrij intelligentiam amplectitur: sed etiam Michaëlem hic magnum Principem, Matthathiam Machabæorum Patrem interpretatur. Scilicet, illud prudentiæ est, interpretationem Porphyrij, quam S. Hieronymus, & omnes cum illo exprofesso reiciunt, amplecti, ac bonam rectamque existimare? Scilicet, fuit maior calamitas & clades Iudæorum sub Antiocho, quam sub Nabuchodonosor: Scilicet, insignissimus locus de Resurrectione mortuorum, detorquendus erit aliò nescio quò, ineptissimè & falsissimè? Hoc non est planè lucem inferre scripturæ sacræ, sed crassissimas tenebras: & ludere prorsus pro animi libidine, in rebus minimè Ludicris. Et ut quemadmodum sentio, loquar, eiusmodi non refutanda, sed punienda erant.

Iam verba sacri vaticinij sequamur. *consurget, proprie, Stabit*, ad protectionem & munimen. Verbum *AMAD*, stare, consistere, subsistere firmiter & immotè. Inde *AMVD*, columna, quasi statua. Ut indicetur, magnam validamque columnam Ecclesiæ tunc futuram Michaëlem. Hic putò esse verbum militare, metaphoricèque dici de eo, qui deuicto & prostrato hoste in campo victor persistit. Hispanice, *Estará poreal, el campo yla victoria*. Leo Iudas: *Illo tempore verum potietur Michaël Princeps magnus*. Illud Vulgati, *consurget*, magnum sensum habet, consurget ad pugnam, eriget se se, maiores vires neruosque ad propugnandam Ecclesiam intendet, quia maius illud erit prælium, maioresque hostis vires. Vel sit figurata locutio, ut apud Virgilium lib. 11. *quantus in clypeum assurgat*. Vbi Seruius: *qui enim scripserunt de arte militari, dicunt, summum genus esse dimicandi. quoties calcato umbone aduersarij, se in hostilem clypeum erigit miles, & ita contra instantis vulnerat terga.*] *consurget* ergo, id est calcatis hostis armis, victor se eriget in pedes.

Qui stat pro filiis populi tui, idem hîc verbum *AMAD*, id est, qui stationem habet, qui excubias agit pro filiis Ecclesiæ, seu Synagogæ. Est hîc quoque verbum militare. Vnde *MAAMAD*, statio; seu ordo stantium. Notarunt omnes fermè ac præsertim Scholastici Theologi, ex S. Dionysio Areopagita de Cælesti Hierarchia, cap. 9. Michaëlem olim fuisse patronum, præsidem, Custodem, tutelarem Synagogæ. Idque inde sumunt, cum ex Daniel. 10. 21. *Michaël Princeps vester*, tum ex hoc loco: *Michaël qui stat pro filiis populi tui*: Nunc vero post fundatam Ecclesiam, ipsi Ecclesiæ præesse, eamque tueri, & custodire, tanquam singularem patronum & aduocatum. De qua re vide Martinum Becanum Opusculo 14. quod est de officiis Angelorum, cap. 4. & 1. Parte Summæ Theologiæ, Tractatu 3. cap. 6. Numero 2. Ridiculum & alienum quod hic annotat Isidorus Clarius: *Dominus ipse est Michaël magnus Princeps, de quo Ioannes in Apocalypsi scribit, quod insidens equo albo praelietur pro populo suo.*] Omnes enim hîc Archangelum Michaëlem intelligunt. Rectè Vatablus: *Hebraismus, stabit, vel consurget, ut scilicet tueatur electos ab Antichristo qui stat à filiis tui populi: id est, qui fauet popularibus tuis: Synagoga. Vel præest populo tuo. Qui fuit Angelus patronus & tutelaris Synagogæ; nunc est tutelaris Ecclesiæ, qua significabatur per Synagogam.*] Illud *filiis populi tui*. Syna-

gogam intelligunt Strabus, Anselmus Laudunensis, Vatablus, Veldius, & alij. At Maldonatus Ecclesiam potius. Ait enim: *Qui stat pro filiis populi tui. Qui Ecclesiæ custodiendæ præfectus est, ut supra cap. 10. vers. 13. exposuimus. Rectè ex hoc loco veteres auctores collegerunt, Michaëlem etiam nunc Ecclesiæ nostræ præesse: nec enim Angelus hîc de veteri Synagoga, sed de populo Christiano loquitur, cum hac ad Antichristi tempora referantur. Vocatur autem populus, Christianus populus Danielis, eadem enim verus illa & hæc noua Ecclesiæ est, status tantum mutatus fuit. Eam vocat populum Danielis, quia vir desideriorum erat, id est, Ecclesiæ studiosissimus. cap. 9. 23. cap. 10. 11. 19. sicut cap. 9. 19. 24. & cap. 10. 14. & cap. 11. 14.*] Sed prior sensus est rectior: Michaël qui nunc præsidet Ecclesiæ Iudæorum, id est, Synagogæ; in tempore illo Antichristi præliabitur pro Ecclesiæ Christianorum, tanquam eius præses & tutelaris. Theodoretus hîc & Ansbertus in 12. Apocalypsi, ad vers. 7. existimant, illud, *qui stat pro filiis populi tui*, intelligendum de Iudæis qui tempore Antichristi, prædicatione Eliæ conuerterentur ad Christum.

EST ALTER LOCUS SANE PRÆCLARVS, qui vigilantissimam curam, & præsentissimum præsidium Michaëlis & cæterorum Angelorum, pro Ecclesiæ Catholica sub impressione Antichristi, mirificè declarat. Ioannes enim Apocalypsi. 12. v. 7. hæc habet: *Et factum est prælium magnum in calo: Michaël & Angeli eius praeliabatur cum Dracone, & Draco pugnabat, & Angeli eius. 8. & non valuerunt, neque locus inuentus est eorum amplius in calo. 9. Et proiectus est Draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus & satanas, qui seducit vniuersum orbem: & proiectus est in terram, & Angeli eius cum illo missi sunt. 10. Et audiui vocem magnam in calo dicentium: Nunc facta est salus, & virtus, & regnum Dei nostri, & potestas Christi eius: quia proiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte. 11. Et ipsi vicerunt eum propter sanguinem Agni, & propter verbum testimonij sui, & non dilexerunt animas suas vsque ad mortem. 12. Propterea letamini celi, & qui habitatis in eis. Vae terræ & mari, quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet. 13. Et postquam vidit Draco quod proiectus esset in terram, persecutus est mulierem, qua peperit masculum. 14. & data sunt mulieriae due aquila magna, ut volaret in desertum, in locum suum, &c.*]

Prælium istud magnum & acce tam accuratè descriptum à Ioanne, plerique Auctorum, ac præsertim Theologi Scholastici illud ipsum esse putant, quod initio mundi & Creationis Angelorum, factum est inter cælestes illos spiritus, bonos, malosque: quibusdam eorum per superbiam à Deo descendentibus: aliis verò eidem inhaerentibus: eiectis ac deturbatis è cælo superbis illis & desertoribus angelis, & in infernum detrusis: Sanctis autem & Deo dignis, beatitudine æterna donatis. De qua re vide Petrum Lombardum in 2. sententiarum, Distinctione 6. & ibidem omnes eius Interpretes Scholasticos, & S. Thomam. 1. Parte, Quæst. 63. Arti. 8. Sed iuxta hanc interpretationem coguntur Theologi, nomen Michaëlis in hoc prælio, non pro proprio illius Archangeli supremi ex secundo ordine tertiæ Hierarchiæ, qui dicitur Archangelus Michaël, accipere. Nam qui summus dux & Imperator fuit omnium Sanctorum Spirituū etiam Seraphinorum, pugnantium aduersus Luciferum & omnes eius affeclas malignos Spiritus: necesse est supremum omnium bonorum Seraphinorum fuisse: sicut Lucifer supremus quoque fuit Sera-

phorum, & omnium aliorum prauorum spirituum: sed pro appellatio, quo sit appellatus in eo praelio supremus ex sanctis Seraphinis; nimirum, *Quis sicut Deus*, hoc enim sonat nomen Michaëlis: quod tunc pro diuina maiestate atque omnipotentia, aduersus raptos diuinitatis depugnaret. Quod incommodum persenserunt etiam ipsi Theologi, ut videre est apud Dominicum Bannes in 1. Partem, Quæstione 112.

Nisi quis dicere malit, illum quem proprio nomine scripturæ Michaëlem appellant, & Ecclesia communiter nouit, ac colit, non Archangelum propriè ex secundo ordine infimæ Hierarchiæ, sed Seraphinum summum ex sanctis spiritibus esse: quod multi quidem asseruerunt: dictum vero in Ecclesia Archangelum generali vocabulo, quasi Principem omnium nouem celestium Ordinum, qui communi & vniuersali naturæ vel ministerij appellatione Angeli nuncupantur. Nam equidem ipsum S. Michaëlem Ecclesiæ Præsidentem, & tutelarem, S. Patres non pauci, & Ecclesia ipsa solent appellare Principem, Primatem celestis exercitus, seu militiæ. De qua re nobis nunc non est otium disquirendi. Vide Molinam 1. Parte, Quæst. 108. & 112. Viegam in 12. Apocalip. Commentario 1. Sectione 18. & Becanum Opusculo 14. de officiis Angelorum, cap. 4. numero 11. Nos in communi & recepta sententia maneamus, Michaëlem Ecclesiæ custodem & præsidentem, supremum domtaxat esse Archangelorum secundi Ordinis tertriæ Hierarchiæ: in quo ordine eum diserte constituit S. Dionysius de Cælesti Hierarchia, cap. 9. ut etiam S. Maximus in Scholiis eius loci, & Theologi ferè.

Atque interim primæuo illo praelio mundi omisso, quod nostri instituti non est: existimamus proculdubio, Ioannem hinc descripsisse praelium quod Michaël Archangelus, Ecclesiæ Christianæ Summus Imperator, & Rector, cum suis Angelis, sanctis, idest cunctis Angelis, qui singulis hominibus, vel toti humanæ multitudinī custodes à Deo deputati sunt, qui omnes sunt ex Ordine Angelorum, & Archangelorum, ut docet S. Thomas 1. Parte, Quæstione 113. Art. 3. continenter gerit pro Ecclesia aduersus principatus, & potestates spiritualis nequitiæ, contra mundi rectores & tenebrarum harum, nimirum aduersus sceleratos cacodæmonas, qui totis viribus nituntur Ecclesiam Christi euerrere: Michaële cum suis beatis Angelis è contra, Ecclesiam & homines propugnantes, & conseruare nitentibus: quod sanè bellum magnis animis, viribusque vtriusque exercetur. Ita hoc praelium interpretati sunt, S. Gregorius Homilia 34. in Euangelia, Victorinus, Primasius, S. Beda, Ansbertus, Aretas, Strabus, Haimo, Anselmus Laudunensis, Pannonius, Gagnæus, Sà, Bulengerus, Ribera, Viegas, Melus.

Et licet praelium istius modi à Ioanne descriptum, quo Michaël pro Ecclesia aduersus Diabolum decertare refertur, intelligi rectè possit, ab exordio nascentis Ecclesiæ continenter exerceri ad finem vsque mundi, quando tempore Antichristianæ pressuræ maioribus viribus & acriori Marte vtriusque decerneretur; at Ioannem enarrantem tam ingens praelium, potissimum significare voluisse in atroci persecutione Antichristi verè & propriè esse complendam, & de illo quod tempore Antichristi depugnabitur, præcipue loqui, melior, maiorque interpretum sententia docet. S. Gregorius Homilia 34. in Euangelia: *Vnde & ille antiquus hostis, qui Deo esse per superbiam similis concupiscit: dum in fine mundi in sua virtute relinquetur extremo supplicio perimendus, cum Michaële Archangelo praeliaturus esse perhibetur: Sicut per Ioannem di-*

citur Apocalyps. 12. 7. Factum est praelium cum Michaële Archangelo, ut qui se ad Dei similitudinem superbis extulerat, per Michaëlem peremptus discat, quia ad Dei similitudinem per superbiam nullus exurgat. Notanda hic duo illa verba, *perimendus, & peremptus*, quæ propriè non in diabolum, sed in Antichristum competunt.

Victorinus: *ut [mulier, Ecclesia] illa autem fugiat à facie serpentis, adhuc factum non esse scimus. Deinde ait, Factum est bellum in cælo, Michaël & nuntij eius. Et non est inuentus ei locus iam in cælo: & iactatus est Draco magnus anguis antiquus in terram. Hoc est initium Antichristi.*

Primasius: *Et accidit praelium in cælo, Michaël & Angelis eius, ut pugnarent cum Dracone. Non hic putandum est, ut Angelos Dei in cælo ausus fuisset impugnare: sed calum hic manifestius Ecclesiam declarauit, ubi contra spiritualium nequitiæ ab vnoquoque fidelium ingiter dimicatur. Hinc Apostolus: Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, & aduersus mundi rectores tenebrarum harum. Ideo autem hic Michaëlem cum Angelis suis contra diabolum confligere dicit, quia secundum Dei voluntatem pro peregrinante Ecclesia orando, & adiutoria ministrando recte intelligitur pro ea confligere. Nonne sunt omnes, inquit Apostolus, administratores spiritus, missi in ministerium, propter eos qui hereditatem capiunt salutis æternæ? Nam & nomen ipsum, Michaël, adiutorium Dei, interpretatum dicitur, & congruè hoc ei opus specialiter deputatur. Ipsum enim & Daniel 12. 1. in nouissima pressura in adiutorium dixit Ecclesiæ esse venturum. In tempore, inquit, illo consurget Michaël princeps magnus, qui stat pro filiis populi tui. Et veniet tempus quale non fuit ab eo quo gentes esse ceperunt, vsque ad tempus illud.]*

S. Beda: *Et factum est praelium magnum in cælo, &c. Calum Ecclesiam significat, in qua Michaëlem cum Angelis suis contra diabolum dicit pugnare: quia secundum Dei voluntatem pro peregrinante Ecclesia orando & adiutoria ministrando configit. Quem & Daniel in nouissima, grauissimæ pressuræ in auxilium dicit Ecclesiæ venturum: vnde ab eo putant Antichristum esse perimendum.] Descripsit verba Primasij: sed posterioribus alluit ad illa S. Gregorij, quæ superius descripsimus.*

Ansbertus: *Et factum praelium magnum &c. Absit à fidelium cordibus, ut hoc praelium in initio temporis, quando per superbiam antiquus hostis cum satellitibus suis de cælesti patria ruit, factum fuisse existiment: sed à passione Christi, in Ecclesia inchoatum fuisse, & nunc vsque fieri, & in fine seculi, quando etiam solutus fuerit, consummari. Calum itaque est electorum Ecclesia, in qua id praelium ab eo inchoatum fuisse creditur, quo Apostolica voce clamatur. Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum contra spiritualia nequitiæ in celestibus. Sic enim dicitur, Factum est praelium magnum in cælo, ut ab initio fidei Christianæ, vsque ad finem, totum tempus vite presentis comprehendat, sine aliqua dubitatione credatur: quatenus & factum in præteritis, & esse in presentibus, & consummandum in nouissimis asseratur. Et cerè non solum hoc in tempore secundum hanc Apocalypsim, sed etiam in nouissimis diebus, iuxta Danielis prophetiam, idem ipse pro populo Dei, qui ex plebe Israelitica, Henoch & Elia prædicantibus, crediturus est, pugnaturus asseritur: sicut illic Angelica voce ad eundem Prophetam dicitur: In tempore illo consurget Michaël Princeps magnus, qui stat pro filiis populi tui. Et veniet tempus, quale non fuit ab eo quo gentes esse ceperunt, vsque ad tempus illud.]*

Aretas

Aretas : *Et factum est praelium in caelo &c. Praelium initium in caelo fuit ob primam superbiam & inuidiam aduersus Adam. Princeps itaque exercitus Michaël, cum superbiam diaboli non tulerit, & illum bellica vi à sua consuetudine ac conuersatione longè antè propulsauerit : rursus in aduentu Antichristi una cum Iudæis, suisque Angelis sibi ministrantibus, per tentationes aduersus fideles, ac sanctos, tanquam ignominiosum redditus seruis illius qui ipsum iam deiruserat, grauius perfectiusque diabolus corrueat.*]

Haimo : *Non tunc solummodo factum est praelium, quando in initio temporis diabolus per superbiam deiectus est à caelo : sed & quando à Domini passione eiectus de cordibus fidelium, capit amplius sauire contra omnes : & hac pugna persenerat usque ad finem sæculi. Cælum Sancta Ecclesia est, in qua fit hoc praelium.*] Ergo praelium hoc Michaëlis, de quo hinc vaticinatur Ioannes, tempore Antichristi futurum propriè ac præcipuè, diserte quoque docent, Gagnæus, Sà, Bulengerus, Ribera, Melus, Viegas. Insuper Acosta lib. 3. de Nouissimis Temporibus cap. 2. Tunc enim maiore impetu insurgente per Antichristum diabolo aduersus Ecclesiam ; fortiore robore & apparatu ex opposito occurret Michaël cum Sanctorum Angelorum agminibus pugnans pro Ecclesia.

Et vero quod quemlibet eruditum permouere facile debet, ut existimet Ioannem hic cæleste S. Michaëlis præsidium pro Ecclesia in persecutione Antichristi prænucciasse, istud est, quod proculdubio diuinus Apostolus suis verbis vel respexerit, vel alluserit ad illud vaticinium Danielis 12. 1. *In tempore autem illo consurget Michaël Princeps magnus, qui stat pro filiis populi tui : & veniet tempus quale non fuit ab eo, ex quo gentes esse caperunt, usque ad tempus illud.* Quod superiori Capite de præsidio etiam S. Michaëlis, quo Ecclesiam à prælio Antichristi inuictam & victicem conseruabit, ex communi omnium consensu declarauimus : ut propè S. Euangelista sua interpretatione visus sit oraculum illud Danielis hinc illustrasse. Et verò qui verba Ioannis & Danielis contulerit, facile ex germana similitudine intelliget, vnam & eandem esse prophetiam, & vnum, & eundem esse vtriusque sensum. Viderunt hoc ipsum, & obseruarunt, Primasius, S. Beda, & Ambrosius Ansbertus, ut in verbis eorundem, quæ paulo antea exscribebamus, intueri licet : deinde & Recentiores, Ribera explanans apud Ioannem Praelium Michaëlis contra Antichristum, inquit : *Hoc ipsum est quod prophetauit Daniel cap. 12. de eisdem temporibus loquens : In tempore autem illo consurget Michaël Princeps magnus qui stat pro filiis populi tui : & veniet tempus quale non fuit ab eo ex quo gentes esse caperunt, usque ad tempus illud, &c.*] Veldius in 12. Daniel. ad vers. 1. de vaticinio Danielis, *In tempore illo consurget Michaël Princeps magnus &c.* ait : *In Apocalypsi. 12. 7. quoque testatur Ioannes, Michaëlem & Angelos eius praeliatos esse cum Dracone, haud dubie pro electis & filiis populi Dei.*] Sà in eundem Danielis locum : *In tempore illo scilicet, Antichristi, consurget Michaël scilicet, ad defensionem electorum.* Vide Apocalypsin 12.] Maldonatus in eundem Danielis locum : *In omnibus praeliis quæ pro Deo committuntur, Michaël dux esse solet, ut apud Iudam, vers. 9. & in Apocalypsi, cap. 12. 7. legimus.* Propterea hoc loco vocatur magnus, quia ut ait diuus Ioannes, cæterorum Angelorum dux futurus est. Ille enim locus hunc Danielis & hic illum illustrat.] Viegas in 12. Apocalypsi. Commentario 1. Sectione 17. elucidans praelium Michaëlis quod Ioannes hic describit, adducit vaticinium Danielis 12. 1. *In tempore illo consurget Michaël Princeps magnus &c.* notatque : *Quo loco*

prædicat Gabriel, Michaëlem tempore Antichristi, tanquam Ecclesie præsidem, pro eius, fideliumque defensione acerrimè pugnaturum, illaque omnia effecturum, quæ hoc ipso capite Apocalyp. 12. 7. Ioannes commemorauit : ut locus hic Apocalypsis, quedam videatur illius Danielis commentatio & expositio.] Martinus Becanus Parte 1. Summæ Theologiæ, Tractatu 3. cap. 6. Numero 2. Michaël apud Daniele cap. 12. dicitur venturus tempore Antichristi, & pro populo suo pugnaturus. Et in Apocalypsi cap. 12. describitur ipsius pugna cum Lucifero, quæ apud Daniele, 12. 1. prædicta erat.] Eadem habet Opusculo 14. de Angelorum officiis, cap. 4. Numero 2.

Hanc Prælij Michaëlis à Ioanne descripti interpretationem, tanto auctorum consensu, tantaque ratione firmatam Alcasar in serie suæ explicationis stare non posse contendit : & ego id valide credo. Mi Pater, malo credere rot, tanquam nobilibus Explanatoribus Apocalypsis, quam vni tuæ Acoluthiæ à te primum inanissimè fabricatæ. Nolo tecum hinc manus conferere, in re planissima, ne te præiudicio quodam, in causa tam inæquali, æqualem vtumque constituissè disputando videar. Nam quo vis asserente contrarium, in re perspicua sollicitum esse, stultum est.

CAPVT XXI.

*Explicantur verba Ioannis Apocalyp. 12.
de Prælio Michaëlis pro Ecclesia,
tempore Antichristi.*

ET factum est praelium magnum. Annotat Ribera in Græcis codicibus non legi *magnum* : sed simpliciter, *Et factum est Praelium in caelo*, nec vocem *magnum* legerunt Tychonius, Victorinus, Primasius, Aretas, S. Gregorius. Quin etiam quinque exemplaria manuscripta Latinæ Editionis vulgatæ antiquissima eandem vocem *magnum* omittunt, teste Plantino vnde : existimat Ribera, neque legendam videri. Sed tamen eam retinent Biblia vulgata emendata iussu Xysti v. & Clementis vii. ut proinde temere eicienda non videatur : augetque mirificè sensum. Nam id praelium pro Ecclesia futurum reuera maximum, quotquot vnquam suscepta fuere pro defensione fidelium.

In caelo, id est in : Ecclesia ita Primasius, S. Beda, Ansbertus, Haimo, & alij, quàm verè aptèque Ecclesia cælum vocetur, mille suppetunt perspicuæ rationes. Mihi admodum placet quod Sà annotauit : *In caelo, scilicet, illis Ioanni apparebat, quod tempore Antichristi faciendum erat.*] Sanè rationi consentaneum est, Ioanne in diuina visione, vel imaginaria, vel intellectuali, ostensum fuisse in cælo ingens istud praelium inter Michaëlem & Draconem cum suorum agminibus, tanquam tum acerrimè vtrinque gereretur animis : quod post modum in terra tempore Antichristi reuera factis in Ecclesia decernendum erat. Ergo quod oculis vel corporis, vel mentis cernebat in præsentis Ioannes, vmbra erat & figura magni illius prælij futuri in persecutione Antichristi. Sauiet enim tunc Antichristo regnante Diabolus perse, per suos Angèlos, per Antichristum, per huius ministros, multò crudelius, & atrocius, quàm vllis retto temporibus, aduersus Ecclesiam ut toto hoc libro demonstramus : sed ex aduerso Michaël patronus & tutelaris Ecclesiæ, & Angeli eius humanæ custodiæ deputati, magna nitentur opum vi, ut Ecclesiam propugnent

pugnent, defendant, conferuent, hostiumque conatus omnes & impressiones retundant, & infringant. Nempe arma diaboli, & Antichristi, suorumque tunc erunt, omnes artes internæ & externæ, omnes apparatus spirituales, vel corporei, quibus Ecclesiam, si possint, penitus extinguant & deleant: nimirum tota & integra ipsa Antichristi persecutio cum spiritualis, tum corporalis, quam abunde eam toto hoc libro explicare potuimus. Michaëlis vero & Sanctorum Angelorum arma erunt, efficacissimæ ad Deum pro Ecclesia preces, intercessiones, internæ exhortationes & inspirationes Fidelibus immixtæ, consolationes electione scripturarum, & Doctorum Ecclesiæ, ex verbis concionatorum, præsertim ex Henoch & Eliæ prædicatione: animi robur inuictum quod infundent Christianis: conatus & curæ, quibus aduersariorum impetus & furores auerterent, & dissipabunt: externaque complura subsidia, quibus Ecclesiam iuuabunt, & fouebunt, & plura alia, quæ nos mente concipere non valebimus, quæ plenam & perfectam panoptiam, & tutelam Christianæ religionis complectuntur. Prælium quidem exterius & aspectabilius inter Antichristum & Ecclesiam magno incurfu agitabitur, Antichristo cum suis Ecclesiam funditus perdere totis viribus annitente: sed acius multo atque vehementius intus in animis exardescet inter Michaëlem & diabolum & vtriusque angelos, tanti certaminis præfides, & agonotheas, spirituales vtriusque potentias, implacabili odio supremas suas vires, & maxima robora in extremo periculo experientes.

Et non valuerunt, neque locus inuentus est eorum amplius in calo. Græca singulatiter: *Et non valuit, neque locus inuentus est ei amplius in calo,* de Duce, & Dracone. Verba prima facie indicant corticem visionis: viderat Ioannes in cælo prælium grande vtrinque commissum, ingentibus viribus decerni; mox prospexit victoriam, nimirum Draconem cum suis, victum, fustum, fugatumque fuisse, vt neque ipse, neque vllus ex suis amplius visus sit in calo. Hispanice, *Barrido el campo de los enemigos, quedo por S. Miguel, el campo y la victoria:* Facies hæc visionis indicabat, futurum, vt in prælio illo magno, quod diabolus per Antichristum gesturus est aduersus Ecclesiam, victus & fugatus abscedat diabolus, & nihil eorum, quæ in Ecclesiam cogitabit, moliri possit: nullusque penitus ei locus relinquatur affligendi & premendi amplius Ecclesiam.

Et proiectus est in terram. Plerique hic allegoriam putant, vt videre est apud Riberam & Viegam, *in terram*, id est ad terrenos homines oppugnandos: quia deiectus è calo, calum id est, cælestes & electos expugnare non potuit. Nos metaphoram malumus victi & prostrati hostis, qui cadit & ad terram allisus iacet, vel in lucta, vel in pugna. Sic Virgilius 12. *Æneidos:*

— incidit istus,

Ingens ad terram duplicato poplite Turnus.

Sic, *proiectus*, quasi dicat, de sua potestate deiectus. Amisissis viribus victus à Sanctis ope & auxilio Michaëlis.

Et audiui vocem magnam in calo dicentem. Vel est prosopopeia læti & iucundi epinicii de victoria & triumpho Michaëlis, quæ Ioanni in diuina visione representata in calo fuere. Vel & vox calitum beatorum, exultantium, ac Euangelia canentium; victo diabolo in pugna Ecclesiæ, est interfecto Antichristo. Aut quod magis remur, est acclamatio Christianorum in Ecclesia militante postremi temporis, Deo immensas laudes referentium ob fi-

Tom. II. de Antichristo,

nitam persecutionem Antichristi, & Tyrannum delectum. Quantis enim gratiarum actionibus putamus tunc Christianos celebraturos diem illum, finem malorum? canent enim:

Nunc facta est salus, & virtus, & regnum Dei nostri, & potestas Christi eius. Id est, efficacissime fecit salutem, attulit opem populo suo: virtutem & robur suum potentissimum exeruit, exhibuit, in conferuando cætu Fidelium: nunc stabilitum & firmatum est regnum eius, quod est Ecclesia: fecit Christus potentiam in brachio suo: ostendit vim & potestatem suam, liberando suos à summo periculo vel *potestas Christi eius* id est, ditio & Imperium Christi præualuit, vincit.

Et ipsi vicerunt eum propter sanguinem Agni. Illud, *Et*, positum pro, id est, vel nam, quia. *Nunc facta est salus, virtus &c.* Id est, ipsi vicerunt eum: vel, Nam ipsi vicerunt eum &c. Apertè demonstrat, prælium & victoriam Michaëlis contra Draconem diabolum; illam ipsam esse, quam Christiani de diabolo ipsorum calumniatore & immortalis hoste prostrato reportant. Id quod præcipue fiet in bello Antichristi, in quo egregiè vincant filij Dei. *Propter sanguinem Agni.* Simplicior interpretatio est, propter virtutem & efficacitatem Sanguinis Christi, propter, id est, per, Romanor. 11. 30. *misericordiam consecuti estis propter* [per] *incredulitatem illorum* 1. Corinth. 7. 5. *ne tentet vos satanas propter* [per] *incontinentiam vestram* 1. Corinth. 15. 31. *Quotidie morior propter* [per] *vestram gloriam*, formā iurantis, vt Græca præferunt. Ergo, *propter sanguinem Agni*, id est, virtute & merito sanguinis Christi, pro nobis in Cruce effusi, vnde robur omne & vires opera nostra hauriunt.

Et propter verbum testimonij sui, id est, & per claram fortemque suam confessionem, qua inter omnia genera cruciatuum illustrissimum Christo reddidere testimonium, fidem eius egregiè professi. Vel Hebraica phrasi, *per verbum*, per rem, causam, negotium, factum, *martyrij sui*. Clarissimis martyriis fortiter occumbentes, illustrem victoriam de hoste sunt consecuti. De Martyribus hunc locum interpretantur Andreas & Aretas. Alij exponunt, virtute prædicationis & verbi Dei.

Et non dilexerunt animas suas usque ad mortem. Et, & pro, id est; Potestque hic duplex subesse sensus. Primo, id est, non ita dilexerunt animas suas, vt volentes eas seruare, nec dare pro Christo, æterna morte perdidissent, vt sit illud Christi Ioann. 12. 25. *Qui amat animam suam, perdet eam.* Secundo, id est non adeo capiti sunt amore vitæ, quin eam libentissime pro Christo profuderint. Et hic sensus, præstat. Animam pro vita phrasi Hebraica passim in scriptura reperies.

Va terra & mari, quia descendit diabolus ad vos habens iram magnam, sciens qui modicum tempus, habet. Iam superius cap. 7. cæpimus hunc locum explanare. Hinc apparet loqui Ioannem de tempore, Antichristi, tres enim tantum annos & dimidium scit rectè dæmon ex scripturis, & ex Traditione Ecclesiæ, se habiturum, vt omnibus suis, suorumque viribus defæuiat in Ecclesiam. Vide Ansbertum. Vnde breuitatem temporis curabit grauitate præssuræ compensare. Videtur autem S. Ioannes hisce verbis, à proposita prosopopeia, siue ab oblata sibi in calo visione, ad eiusdem explicationem descendere. Ac si dicat, diabolus in illo imaginario prælio inter Michaëlem & ipsum, quod Ioannes vidit in calo, victus & deiectus descendit

descendit in terram ad verum & reale, per Antichristum, Ecclesiae inferendum, quod illo imaginario praesignificabatur. Vel voluit Ioannes peculiariter nunc exponere qua ratione factum fuerit praelium ex parte diaboli: dixerat haecenus, qualiter Michael & sui pugnaverint, quibus viribus, quo praesidio confectum sit tam acre praelium, & obtemperata nobilis victoria, nempe ope sanguinis Christi, & Martyrum confessionibus: nunc declarat quanto apparatu, quibusnam armis, & artibus decertauerit, quidnam tandem in tanto conflictu petuerit diabolus. Omnes, inquit, irarum effundet habenas, totis suis, suorumque viribus inuehetur: sciens superesse sibi tantum tempus breuissimum trium annorum & semis, quo possit Ecclesiae nocere.

Et postquam vidit Draco quod proiectus esset in terram, persecutus est mulierem. Id est, Ecclesiam. Hic locus turbare plane videtur omnem à nobis haecenus perductam vaticinij explanationem. Si enim Ioannes praelium in Ecclesia gestum inter Christianos duce Michael, & Antichristianos duce diabolo, iam confectum & absolutum, & partem à nostris victoriam, & decantatum epinicion, Dracone deuicto & profligato morte Antichristi, & extincta persecutione, dixerat vers. 7. 8. 9. 10. 11. 12. quid est quod nunc post omnia illa peracta, addit idem Apostolus vers. 12. Draconem victum & proiectum denuò bellum aduersus Ecclesiam instaurare? Num enim post mortem Antichristi, post sublatam eius persecutionem, alia oritura expectanda est procella? Quod nec verum est, nec cum sequentibus vaticinij verbis cohaeret.

Nodum hunc dissoluunt Ribera in 12. Apocalyp. Numero 31. 35. & 36. Viegas commentario 1. Sectione 20. quos tu consulens. Nos facilius dicimus, ut paulo antea notabamus, cum Ioanni praelium Michaelis, quod erat gerendum tempore Antichristi, prius ostensum ipsi fuerit in diuina visione quasi in caelo depugnaretur, ex viso illo imaginario conflictu deuictus & deiectus diabolus, conspectus fuerit à Ioanne descendere ad inferendum verum & reale bellum Ecclesiae per Antichristum. Vel si id non arripserit, addimus: In primo impetu & impressione persecutionis Antichristi, in qua maior strages Christianorum edita fuerit, plures Martyres trucidati, plures animae caelo illatae, futurum intelligi praelium illud magnum Michaelis cum Dracone: ubi victus diabolus tam gloriosis Martyrum triumphis iure existimari debet: tunc quæ à Sanctis merito decantari dignum victoriae epinicion: *Nunc facta est salus, & virtus &c.* Sed postquam Satanas videbit se cum tanto pudore victum & deturbatum, velut coluber pede pressus, maiori rabie & furore irarum vibrans venena aggreditur denuò persequi Ecclesiam, praefertim illam in desertis & solitudinibus latitantem: nimirum, postquam viderit se in illam quæ in vrribus & locis cultis manebat nihil haecenus potuisse: atque hoc esse quod Ioannes nunc ait: *Et postquam vidit Draco, quod proiectus esset in terram, nimirum primo illo & accerrimo praelio persecutionis Antichristi, retusa validè prima eius impressione, persecutus est mulierem. Ecclesiam fugientem in solitudinem. Et data sunt mulieri ala duae aquila magna ut, volaret in desertum, in locum suum, & cetera quæ omnia iam explanauimus superius cap. 11. & 17.*

Atque hæc de obscuro & perdifficili Apocalypsis vaticinio: alia ab expositoribus petenda nos enim instituto nostro tantummodo necessaria delibauimus. Esset autem totius vaticinij faciliior & apertior intelligentia, si à verbis illis vers. 7. *Factum est praelium*

magnum in caelo &c. vsque ad illa vers. 12. exclusiue: *ut terra & mari, quia descendit diabolus ad vos habens iram magnam &c.* interpretatemur, de toto tempore Ecclesiae à passione Domini ad Antichristum: quo Michael belligeratur contra diabolum pro Ecclesia, & vincit illum, Ecclesiamque conseruat inter tot turbines & procellas hostium visibilibus & inuisibilibus: ab illis autem vers. 12. *ut terra & mari, quia descendit diabolus ad vos &c.* vsque ad finem capitis, accipiamus de tempore Antichristi, eiusque aduersus Ecclesiam persecutione. Quasi diabolus cum toto priori tempore aduersus Ecclesiam nullo modo praeualere potuerit, victus & prostratus à Michael, & Sanctis: in extremo mundi tempore tribus annis & semis, omnibus suis collatis iris & viribus maiori impetu per Antichristum oppugnet Ecclesiam.

Neque dubitamus illo acerbissimo tempore sacratissimam Dei Genitricem Mariam, Apostolos, ac reliquos Sanctos diuina gloria perfuentes, feruentioribus quàm vnquam antea precibus pro Ecclesiae salute & incolumitate Deum interpellaturos, ut delectissimos suos Christianos in tanto rerum discrimine seruet. Sed præcipuum tunc Ecclesia patronum ac defensorem futurum S. Michael Archangelum, iam ex his quæ diximus facile intelligitur. Cuius præclara quædam in Ecclesiam merita, ac diuina miracula & beneficia, Pantaleon Diaconus & Chartophylax Ecclesiae Constantinopolitanae, Apud Metaphrastem 8. Nouembris accuratè recensent: quæ quoque Lippomanus & Surius describere.

CAPVT XXII.

An Christiana Fides & Religio furore Antichristi persecutionis sit penitus in orbe extinguenda: & in quod discrimen redigenda sit tunc Christi Ecclesia.

Non hîc deliria & amentias Bartholomæi Ianoesij, atque Begurdorum de Christianae Religionis summis angustiis in quas sub gladio Antichristi est coniicienda, recitabimus, quod eiusce nugis & stultitiis nostras scriptiones haud onerandas existimemus. Si quis eas videre cupit, adeat Nicolaum Eymericum in Directorio Inquisitorum, Parte 2. Quæstione 11. & 15. Abstinemus quoque consulto à Reuelationibus Abbatis Ioachim, quæ ferebant, illo tempore in Romana Ecclesia non esse lapidem super lapidem relinquendum. Certè Dominicus Sotus vir insigni pietate & doctrina in 4. Sententiarum, Distinctione 46. Quæstione 1. Articulo 1. hæc litteris mandauit. *Quapropter quanto tempore est duratura Evangelica Fides, stabit Romana Sedes: atque adeo abscissio & defectio totius orbis ab illa sede, signum erit consummationis seculi.* Et paulo inferius: *Extincta fide per discessionem ab Apostolica sede, totus mundus vanus erit, ac deinceps in casum processurus.* Et post alia: *Elatio & superbia sub ductu tandem Antichristi, ciuitatem Dei labefactabit.*

Bellarminus lib. 3. de Romano Pontifice, cap. 17. extremo; hanc Soti sententiam defendi non posse iudicat. Gregorius de Valentia 4. Tomo, Disputatione 11. Quæstione 2. Puncto 2. §. 4. falsam esse, & inco-gitanter auctori excidisse existimat. Suarez tamen Tomo 2. in 3. Partem, Disputatione 54. sectione 6. piè intelligendum Sotum ait, quum scripsit, tempore Antichristi defecturam Fidem in vniuerso orbe. Nimirum vel per hyperbolem quod maxima omnium tunc futura sit à Christiana Fide defectio: vel quodd in

in publico edictis Antichristi, eiusque ministrorum, omnis cultus Christianæ Religionis sit indicendus: impiis tunc omnia imperio tenentibus. Verum de sincera orthodoxaque mente viri præstantissimi nemo dubitet.

Videamus quibus argumentis probari possit, Christianam religionem & Ecclesiam Antichristi persecutione penitus in mundo interituram. Primum quia Christus lucæ 18. 8. ait: *Filius hominis quum venerit, putas inueniet fidem in terra?* Deinde, quia Paulus 2. Thessalonicens. 2. 5. inquit: *Nisi venerit discessio primum &c. subaudi non veniet Christus ad iudicium, seu dies Domini. Discessionem autem hinc plerique interpretantur defectionem vniuersalem à Fide tempore Antichristi.*

Cæterum non esse omnino fidem, Ecclesiamque Christianam sæuitia persecutionis Antichristi extinguendam: sed Ecclesiam tunc conseruandam iri, & multos pios, fideles, orthodoxos in vera fide mansuros, ex Scriptura, ex Patribus, ex communi sensu Theologorum, tam certum est, ut Fidei assertionem esse affirmet Suarez, & iure optimo sane. Primum, quia alioqui vana & falsa esset Christi promissio, Matthæi 16. 18. & porta inferi non præualebunt aduersus eam. Quid enim magis est præualere aduersus Ecclesiam, quam eam de mundo radicitus extirpare. Si illam Antichristus extinguet, proculdubio aduersus eam præualebit. Secundo, Matthæi 24. 22. *Et nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro: sed propter electos breuiabuntur dies illi.* Erunt igitur tunc electi qui non succumbent Antichristo, in quibus Ecclesia manebit. Tercio, Matthæi 24. 24. *ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi,* quibus verbis satis indicat Dominus, in illa oppressione Antichristi, electos futuros, qui non poterunt ab Antichristo in errorem induci, seruante eos diuinâ gratiâ. Quarto, Quia Ezechiel, Daniel, Paulus, Ioannes in Apocalypsi, vbicumque loquuntur de persecutione Antichristi, semper victoriam eius belli penes Ecclesiam esse dicunt, uti toto hoc opere demonstramus. Quinto quia Patres omnes, & posteriores summo consensu, nihil apertius atque constantius affirmant, quam in medio atrocissimæ illius Antichristi tyrannidis futuros multos iustos & amicos Dei, veritatis diuinæ sectatores, plerosque inuictissimos Martyres, Ecclesiamque inter tot validissimos impulsus tribulationum duraturam, statutam, ac de impietate denicta ac prostrata illustria trophæa erecturam. S. Hippolytus Martyr, Lactantius Firmianus, S. Ephrem Syrus, inter alios signatè docent, qua ratione Fideles, & Sanctus Dei populus inter turbines pressuræ Antichristi, conuersabuntur, stabitque tunc Ecclesia, quamuis pro maxima parte, profuga, & in desertis occultata: quorum sententias supra cap. 16. 17. descriptas habes. Sexto, quia à cap. 16. huius libri, ad hunc vsque locum, ex Isaia, Daniele, Apocalypsi, luculentissimis diuinis oraculis nihil aliud demonstramus, quam in summo illo ardore truculentia Antichristi, Ecclesiam seruandam iri, & victricem euasuram. Septimo, quia S. Augustinus id expressè docet lib. 20. de Ciuitate Dei, cap. 8. *Post hoc, inquit Ioannes, oportet eum [diabolum] solui modico tempore [Antichristi] Si hoc est diabolus ligari & includi. Ecclesiam non posse seducere: hac ergo erit solutio eius. ut possit. Absit. Numquam enim ab illo Ecclesia seducetur prædestinata & electa ante mundi constitutionem: de qua dictum est, 2. Timoth. 2. 19. & tamen hic erit Ecclesia illo tempore etiam quo soluendus est diabolus, sicut ex quo est instituta, hic fuit, & erit omni tempore in suis utrique qui succedunt nascendo morientibus. Nam paulo post dicit, quod solutus diabolus seductas gentes toto*

orbe terrarum attrahet in bellum aduersus eam. Ne quis existimet, eo ipso paruo tempore, quo soluetur diabolus, in hac terra Ecclesiam non futuram, illo hic eam ut non inueniente, quum fuerit solutus, vel absumente, quum fuerit modis omnibus persecutus.] Et paulo inferius: *Tunc autem soluetur, quando & breue tempus erit. Nam tribus annis, & sex mensibus legitur totis suis, suorumque viribus seniturus: & tales erunt, cum quibus ei belligerandum est, ut vinci tanto eius impetus, insidiisque non possint. Et soluetur in fine, ut quam fortem aduersarium Dei ciuitas superauerit, cum ingenti gloria sui Redemptoris, adiutoris, liberatoris, aspiciat. In eorum sanè, qui tunc futuri sunt Sanctorum atque Fidelium comparatione quid sumus? Quandoquidem ad illos probandos tantus soluetur inimicus, cum quo nos ligato tantis periculis dimicamus.] Et paucis interiectis:*

Vtrum autem etiam illis vltimis tribus annis & mensibus sex, quando solutus, totis viribus seniturus est, aliquis in qua non fuerat, sit accessurus ad fidem, nonnulla quæstio est.] Soluitque post pauca quæstionem, dicens: Imo vero id potius est credendum, nec qui cadant de Ecclesia, nec qui accedant ad Ecclesiam illo tempore defuturos: sed profecto tam fortes erunt & parentes pro baptizandis paruulis suis, ut ii qui tunc primitus credituri sunt, ut illum fortem vincant etiam non ligatum, id est, omnibus qualibus antea numquam, vel artibus, insidiantem, vel urgentem viribus, & vigilanter intelligant, & toleranter ferant: ac sic illi etiam non ligato eripiantur.] Et paulo inferius: Ita cogitandum est, non solum quos bonos fideles illud tempus inueniet, sed nonnullos etiam qui foris adhuc erunt, adiuuante Dei gratia per considerationem Scripturarum, in quibus & alia, & finis ipse præiunctus est, quem venire iam sentiunt; ad credendum quod non credebant, futuros esse firmiores, & ad vincendum etiam non ligatum diabolum fortiores.]

Et cap. 11. *Hac enim erit nouissima persecutio, quam sancta Ecclesia toto terrarum orbe patietur: vniuersa scilicet ciuitas Christi ab vniuersa diaboli ciuitate, quantacumque erit vtraque super terram.] Et post alia: Christi Ecclesia toto terrarum orbe diffusa, vbicumque tunc erit, que in omnibus gentibus erit, persecutionis illius immaritate cingetur, hoc est, in angustias tribulationis arctabitur, urgebitur, concludetur: nec militiam suam deseret, que vocabulo est appellata castrorum.] Hactenus S. Augustinus de his pulchrè disseruit.*

VIII. Equidem toto hoc Opere, quod de Antichristo dictamus, ac præcipuè lib. 9. 10. 11. 12. hoc potissimum ex communi sensu scripturarum, Patrum, Theologorum demonstramus, Ecclesiam inter omnes extremas Antichristi procellas & tempestates mansuram, & de Antichristo ac satana, insignem victoriam consecuturam.

IX. Quid pluribus verbis in re adeo perspicua opus est? Si Ecclesia vehementia & efficacia persecutionis Antichristi funditus esset peritura, id plane nihil aliud foret, quam Deum & diabolum, Christum & Antichristum, omnibus viribus, totis castris, omnique conatu de summa rerum extremo prælio decernentes diabolum & Antichristum victores & triumphatores: Deum verò & Christum victos, profligatos, & pudefactos concidere. Neque enim pro alia re bellum geretur nisi pro fide & Religione Christiana, seu pro Ecclesia.

Neque que his obiecta fuere scripturæ loca secus statuunt. Primus ille locus Lucæ 18. varias interpretationes. I Christum non locutum de Fide diuinâ simpliciter: sed de eximia quadam & excellenti fide, quæ in

paucis reperitur, & in paucioribus inuenietur tempore Antichristi: quæ potius ad quandam perfectionem virtutis, quam ad necessitatem salutis pertinere videtur nempe simplicitas quædam mentis, & deuotio eximia erga Deum. Ita S. Hieronymus Dialogo aduersus Luciferianos, & S. Augustinus libro de vnitae Ecclesiæ, cap. 15. Secunda, de Fide miraculorum, vt illud Lucæ 17. 6. Matthæi 17. 19. *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, transi hinc illuc, & transibit.* Ita Montanus. Sed non videtur hæc explanatio cum verbis Christi congruere, qui de fide quæ necessaria est, vel ad salutem, vel promerendam Dei misericordiam, proculdubio loquitur. Tertia, de Fide coniuncta cum fiducia & charitate. Ita Maldonatus, S. a, Franciscus Lucas. Quarta, de vera fide Catholica: sed esse hyperbolem de ingenti paucitate Fidelium illo Antichristi tempore. Non quod nulli tunc sint futuri Fideles: sed quod paucissimi, omnia corruptente & deprauante, vel sæculo, vel Antichristo. Ita S. Augustinus de vnitae Ecclesiæ, cap. 15. Theophylactus, Euthymius, Caietanus, Ianfenius, Franciscus Lucas. Ita quoque hyperbolice accipienda est. Tertia, Explanatio. Vide Bellarminum lib. 3. de Ecclesia Militante, cap. 16. Sed non ita tunc pauci fideles erunt, vt non faciant Ecclesiam. Quinta Fidem hinc non intelligi assensum & persuasionem, seu conuictionem mentis ad credendum verbo Dei, quæ passim dicitur Fides Catholica: Sed Hebraica phrasi, constantiam, veritatem, fidelitatem, sinceritatem, stabilitatem, firmitatem, probitatem dictorum, factorumque. Vnde dicitur Latinis Fides, quia fiat quod dicitur. Sic accipi interdum Hebraicam vocem *EMVNAH*, in scriptura, cunctis est notissimum. Sic Ieremiæ, 7. 28. *Perit fides, & ablata est de ore ipsorum* Isaia 11. 5. *& fides cincturum renium eius.* Psalm. 11. 1. *quoniam diminuta sunt veritates à filiis hominum.* Heb. *Fides, Fidelitates.* Sic Dido apud Maronem 4. *Aeneidos: Nusquam tota fides.* Ita quoque capiunt illud Psalm. 32. 4. *Omnia opera eius in fide.* Hoc est, sunt vera fidelia, solida, sincera, non fucata, falsa, hypocritica. Fideliter cuncta operatur & præstat. Nihil agit in cuiusquam fraudem. Vide Genebrardum: qui addit: *Sic aliqui exponunt illud Christi, Non inueniet fidem in terra, id est, fidelitatem, integritatem.* Omnia sub finem sæculi dolis fraudibus, hypocrisis erunt plena. Rara erit probitas & integritas in terra, paucissimi qui officio probi viri fideliter, ritèque fungantur. Hunc rerum statum futurum in mundo, quum veniet Antichristus, & quum ipse regnauerit, diximus abundè superius cap. 8. & 9.

Expendi à pijs & eruditjs velim, quo spiritu ductus vir magnus Caietanus in huius Christi sententiæ explanationem hoc scripsit: *Ex hoc loco timeo diminutionem Christianæ fidei, quam videmus non solum inchoatam, sed valde extensam: non esse restaurandam, sed potius extendendam. Non sum tamen propheta, neque filius propheta: sed video viam valde frequentatam ad verificationem huius textus. Magna siquidem mundi pars Maumethana est, & parua pars Christianis relicta, tot hæresibus, & schismatibus ac prauis vsibus repleta est, vt exiguus verè fidelium numerus iam apparere videatur. Vere autem fideles dico professores Christianæ fidei verbis & factis.* Hæc ille. Sed vt minus iam eius seu vaticinium, seu coniecturam pertimescamus, facit amplissima per Nouum orbem Fidei propagatio: & quæ iam hoc tempore apparatur ingens Sinarum conuersio ad Christum, plantato iam & crescente Euangelio in Iaponijs, Philippinis & innumeris tum insulis, tum regionibus Orientis. Quamuis non sit negandum plures nobis in septentrione pro-

uincias hæresim abstulisse. Sed hæc videbunt posteri.

Alterum vero Pauli locum: *Nisi venerit discessio primum &c.* exquisito studio explicatum dedimus lib. 3. c. 32. Probè hic tamen capienda sunt verba quædam Engelberti Abbatis Admontensis libro de ortu & interitu Romani, cap. 18. *Appropinquante tempore aduentus Antichristi veniet discessio primum regnorum omnium ab Imperio Romano: deinde Ecclesiarum ab obedientia sedis Apostolica: & ultimo Fidelium à Fide.* Tunc enim Ecclesia membris influentiam suorum capitum in temporalibus & spiritualibus non capientibus, & per consequens motu ac sensu gratie priuatis, locum & facultatem habebit deceptio & dominatio Antichristi. Erit quidem tempore Antichristi maxima quidem omnium quotquot, vnquam fuerunt Discessio à Fide & Religione Christiana, imò violentia ipsius persecutionis patrabitur, quando ingens erit lapsum numerus, & multo maior quam in vllis retrò persecutionibus: sed non propterea discedent omnes à Fide: quin plurimi vbique gentium, fortes & inuicti in Religione permaneant: tamen respectu lapsum, paucissimi videri queant. Erit magna defectio, sed non omnium. Verum de his vide præ alijs Bellarminum lib. 3. de Romano Pontifice, cap. 17. Acoftam lib. 3. de Nouissimis Temporibus, cap. 1. Suarem Tomo 2. in 3. Partem, Disputatione 54. Sectione 6. Gregorium Valentiam Tomo 4. Disputatione 11. Quæst. 2. Puncto 2. §. 4. Henrriquez de Fine hominis, c. 23. §. 8. littera d. ii in textu & in cōmentario, Florimundum Remundum libro de Antichristo, c. 45. Leonardū Coquæum in libro 5. Augustini de Ciuitate Dei, ad cap. 8.

Iam nunc disquirendum, quantus tunc erit lapsum à fide numerus, & in quas angustias reducenda sit Christi Ecclesia. Lactantius Firmianus lib. 7. cap. 16. extremo, hæc annotat: *De cultoribus autem Dei, due partes interibunt, & tertia qua fuerit probata remanebit.* Quæ vnde hauserit, clam nos est. Rabbanus Opusculo de Antichristo: *Deinde Ierosolymam veniens, omnes Christianos, quos ad se conuertere non poterit, per varia tormenta ingulabit. Reges autem & Principes primum ad se conuertet, deinde per illos ceteros populos. Loca verò per quæ Christus Dominus ambulauit, prius destruet: deinde per vniuersum mundum nuntios & predicatorum suos mittet.* Et post alia: *Tunc omnis Christianus, qui inuentus fuerit, aut Deum negabit, aut siue per ferrum, siue per ignem fornacis, siue per serpentes siue per bestias siue per aliud quodlibet genus tormentorum interire iubebit, si in fide permanferit.* Et inferius: *Subito autem & impropiè Antichristus veniet, & totum simul hominum genus suo errore decipiet, & perdet.* Et post nonnulla: *Postquam ergo isti duo [Henoch Et Elias] interfecisti fuerint, inde ceteros fideles persequens, aut martyres gloriosos faciet, aut apostatas reddet.* Et paulo inferius: *Postquam magna persecutione totum mundum vexauerit, & omnem populum Dei varijs pœnis cruciauerit, postquam Eliam & Henoch interfecerit, & ceteros in fide permanentes martyrio coronauerit, ad vltimum veniet ira Dei super illum.* Hactenus Rabbanus. Quæ quidem nisi per hyperbolem, vera esse non possunt. Nam si fortes & constantes martyris delecturus est Antichristus: & reliquos omnes apostatas effecturus: in quibus alijs manebit Ecclesia in hoc mundo?

In Compendio Theologiæ lib. 7. cap. 10. annotatur, tertiam partem Christi fidelium tunc impietati consensuram, è vaticinio Apocalyp. 12. 4. & *Draco cauda sua trahabat tertiam partem stellarum.* Quem locum de Antichristo esse intelligendum, lib. 5. cap. 25. demonstrauimus. Victorinus in Apocalyp. 12. Quod autem dicit, *Draconis caudam*

eandam traxisse tertiam partem stellarum: multi arbitrantur, tertiam partem hominum credentium posse cum [Antichristum] seducere.] Equidem Draconem hinc intelligi diabolum, qui cauda sua, idest, Antichristo administro, qui extremo mundi tempore venturus est, partem Fidelium in errorem & impietatem tracturus sit, nedum Victorinus, sed etiam S. Gregorius lib. 32. in Iob, cap. 12. Ambrosiaster, Ansbertus, Haimo, Ribera, Melus, Sà, Bulengerus, Viegas docent.

Ribera huncce locum enarrans, inquit: Quod si quis putat, maiorem multitudinem, quam que tertia parte significatur, ab Antichristo peruerendam, animaduertat, non de vniuersis Christianis nunc verba fieri: sed de his qui tanta inter ceteros prestant sanctitate, ut stella dici mereantur: ex quibus tertiam partem vinci posse, satis mirabile est.] Viegas: Tertia pars fidelium, non quorumlibet, sed iustorum, qui in persecutione Antichristi de Ecclesia calo ruent.] Suates adiicit: Per hanc Antichristi persecutionem maiorem fortasse Fidelium partem à Fide defecturam.]

Nos verò attentè considerantes immanitatem persecutionis Antichristi, quam huc vsque denarrauimus, rursusque Domini verba expendentes: Ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi. Ac etiam oraculum Pauli intuentes, Nisi venerit discessio primum. Aliaque eiusmodi in consilium adhibentes, dicere aliud non possumus quam ingentem futurum tunc lapsum numerum, qui à diuina Christi religione desciscant, & Antichristum sectabuntur: certam & præfixam multitudinis apostatarum seu desertorum summam constituere ac definire non possumus. Id enim in arcanis diuini pectoris latet: nec nisi temerè affirmari posse videtur. Et si quis suspicaretur, tributis vniuersum in duas partes Fidelibus eius temporis, alteram totam martyrio consummandam, alterius verò maiorem portionem Antichristo inhæsuram: maiorem verò in fide mansuram, fortassis non multum à verisimili coniectura aberrasset. Quamuis dubitandum non sit, maximum omnium quam vniquam antea, tunc Christianam religionem & Ecclesiam passuram Fidelium naufragium. Neque ambigimus, (certam ex aliis Ecclesiæ magnis pressuris capientes coniecturam) innumeros lapsos, qui metu pœnarum, vel aliis de causis Antichristo, vel ex animo, vel in speciem adhæserint; postmodum extincto Tyranno, & redita pace Ecclesiæ, ad eandem pientissimam matrem, quæ patefactis misericordiæ viscibus, deperditas ouiculas excipiet, extemplo libentissimè redituras.

De hæreticis quid tunc fiet? Nam hos nunquam defuturos coniectura præteritorum omnium temporum facile persuadet. Crediderim, aut Antichristo consensuros, aut fugituros, aut martyriis cum sanctis absumendos: sed erunt illi martyres diaboli. Nec dubium, facturos eadem, quæ in maximis aliis Ecclesiæ persecutionibus, à Gentilibus vel infidelibus illatis, eos fecisse, Annales Ecclesiæ referunt.

CAPVT XXIII.

De Nomine proprio Antichristi è Ioannis
Apocalypsi sententia Patrum, &
Posteriorum.

Ioannes Apostolus Apocalyp. 13. 17. Et ne quis possit emere, aut vendere nisi qui habet Characterem, aut nomen Bestiæ, aut numerum nominis eius. Hic sapientia est. Qui habet intellectum, computet numerum Bestiæ. Numerus enim hominis est: & numerus eius sexcenti sexaginta sex. Bestiam hanc esse Antichristum, lib. 5. cap.

26. & 27. fusè demonstrauiimus: describi hinc à Ioanne nomen eius proprium ex notis numerorum, quos litteræ nominis ipsius reddent & expriment, Patres & Posteriores omnes summo consensu tradiderunt. Nos hinc primùm sententias Ecclesiæ Doctorum de nomine proprio Antichristi proferemus. Deinde locum hunc Apocalypsis elucidabimus, verumque & proprium Antichristi nomen ex eo eruere omni studio curabimus.

S. Irenæus li. 5. aduersus Hæreses, cap. 30. His autem sic habentibus, & in omnibus antiquis & probatissimis, & veteribus Scripturis numero hoc posito, & testimoniū perhibentibus his qui faciem Ioannis viderūt, & ratione docete nos, quoniam numerus nominis Bestiæ secundum Gracorum computationem per litteras que in eo sūt, sexcentos habebit, & sexaginta, & sex: hoc est, decadas aequales hexacontasin, & hecatontadas aequales monasin. Numerus enim qui digitus sex similiter custoditus, recapitulationes ostendit vniuersæ apostasia eius qua initio, & quæ in mediis temporibus, & quæ in fine erit. Ignoro quomodo errauerunt quidam sequentes idiotismum, & medium frustrantes numerum nominis Qui nquaginta numero deducentes, pro sex decadis, vnam decadem volentes esse. Hoc autem arbitror scriptorum peccatum fuisse, ut solet fieri, quoniam & per litteras numeri ponuntur, facile litteram Gracam, quæ sexaginta erantiat numerum, in nota Gracorum litteram expensam: post deinde quidam sine exquisicione hoc acceperunt. Alij quidem simpliciter & idioticè usurpauerunt denarium numerum: quidam autem & per ignorantiam ausi sunt, & nomina exquirere habentia falsum erroris numerum. Sed his quidem qui simpliciter & sine malitia hoc fecerunt, arbitramur veniam dari à Deo. Quotquot autem secundum inanem gloriam statuunt nomina continentia falsum numerum, & quod à se fuerit adinuentum nomen, definierunt esse illius qui venturus est: non sine damnosæ exient, quippe qui & semetipsos, & credentes sibi seduxerunt. Et primum quidem damnum est excidere à veritate, & quod non sit quasi arbitrari: post deinde apponenti, vel auferenti de scriptura, pœnam non modicam fore, in quam incidere necesse est cum qui sit talis. Subsequetur autem & aliud non quodlibet periculum eos qui falsò præsumunt scire nomen eius. Si enim aliud quidem hi putant, aliud autem ille habens adueniet: facile seducuntur ab eo, quasi nedum absit ille, quem cauere conuenit. Oportet itaque tales discere, & ad verum recurrere nominis numerum, ut non in pseudo prophetarū loco deputentur.

Sed scientes firmum numerum qui à Scriptura annunciatu est, idest, Sexcentorum sexaginta sex, sustineant primum quidem diuisionem Regni [Romani] in decem: post deinde illis regnantibus, & incipientibus corrigere sua negotia, & augere suum regnum: qui de improviso aduenierit Regnū sibi vendicās, & terreat predictos, habēs nomen cōtinens predictū numerū, hunc verè cognoscere esse Abominationē desolationis.] Et paucis interiectis: Certius ergo & sine periculo est, sustinere adimpletionem propheta, quam suspicari & diuinare nomina quolibet: quando multa nomina inueniri possunt, habentia predictum numerū. Et nihilominus quidē erit hæc eadē quæstio. Si enim multa sunt quæ inueniuntur nomina, habentia numerū hunc; quod ex ipsis portabit, qui veniet, queritur. Quoniā autem non propter inopiā nominū habentū numerū nominis eius, dicimus hæc: sed propter timorē erga Deum, & Zelū veritatis: EYANΘAΞ enim nomē habet numerū, de quo quæritur: sed nihil de eo affirmamus. Sed & LATEINOS nomen habet sexcentorum sexaginta sex numerū: & valdè verisimile est, quoniam nouissimum Regnum hoc habet vocabulum. Latini enim sunt qui nunc regnant. Sed non in hoc nos gloriabimur. Sed & TEITAN, prima syllaba per duas Gracas vocales, & i, scripta, omnium nomi-

5. 401. 1.
E Y A.
50. 9. 1. 200.
N Θ A Ξ.
Summa 666.
30. 1. 200. 5. 10
Λ A T E I.
50. 70. 200.
N O Ξ.
Summa 666.
300. 5. 10.
T E I.
300. 1. 50.
T A N.
Summa 666.

num qua apud nos inveniuntur, magis fide dignum est. Et enim prædictum numerum habet in se, & litterarum est sex, singulis syllabis externis litteris constantibus, & vetus, & semotum: neque enim eorum regum qui secundum nos sunt, aliquis vocatus est Titan. Namque eorum que publice adorantur idolorum apud Græcos & Barbaros habet vocabulum hoc, & diuinum putatur apud multos esse hoc nomen, ut etiam Sol Titan vocetur ab his qui nunc tenent: & ostentationem quandam continet ultionis, & vindictam inferentis: quod ille simulat se male tractatos vindicare. Tale autem & antiquum & fide dignum, & regale, magis autem tyrannicum nomen. Cum igitur tantum suasionum habeat hoc nomen TITAN, tantam habet verisimilitudinem, ut ex multis colligamus, ne forte TITAN vocetur, qui veniet. Nos tamen non periclitabimur in eo, nec asseuerantes pronuntiabimus, hoc eum nomen habiturum: scientes, quoniam si oporteret & manifeste præsentem tempore præconari nomen eius, per ipsum vique editum fuisset, qui & Apocalypsim viderat. Neque enim ante multum temporis visum est, sed penè sub nostro sæculo, ad finem Domitiani Imperij, Hunc autem numerum nominis ostendit, ut caueamus illum venientem, scientes quis est. Nomen autem eius tacuit, quoniam dignum non est præconari à Spiritu sancto. Si enim præconatum ab eo fuisset, fortassis & in multum permaneret: nunc autem quoniam fuit, & non est, & ascendet de abyssu, & in perditionem vadit, quasi qui non sit: sic nec nomen eius præconatum est: eius enim quod non est, nomen non præconatur.] Huc vsque S. Irenæus de Nomine Antichristi differuerit.

Eusebius Cæsariensis lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 8. de S. Irenæo hæc habet: In quinto autem libro, de Apocalypsi Ioannis, & supputatione numeri nominis Antichristi differit: Cum hac ita se habeant, & in omnibus emendatis atque antiquis exemplaribus Apocalypseos, numerus ita positus sit: & ij qui Ioannem coram viderunt testimonio suo comprobent: & ratio nos idem doceat: numerus cerè nominis Bestia, secundum Græcorum supputationem, per litteras qua in eo sunt, continebit sexcenta sexaginta sex. Atque paulò longius sermone prouectus, de eodem nomine iterum verba facit: Nos de nomine Antichristi quidquam constanter ac pro certo affirmandi periculum subire nolumus. Nam si isto temporis momento nomen illius palam esset diuulgandum, non dubium est, quin ab eo, qui illam vidisset reuelationem, fuisset euidenter explicatum. Non enim longinquo ab hinc temporis spatio, sed nostra prope memoria, sub finem Imperij Domitiani visa est. Hæc ab eo, quem diximus, Irenæo, de Ioannis Apocalypsi traduntur.] Eadem habet Nicephorus lib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 9. & lib. 4. cap. 14.

S. Hippolytus Martyr Oratione de Consummatione Mundi: Sigillum illius Antichristi tam in fronte quam dextera manu est calculus χξς 666. Ac ut opinor, neque certo hoc scio, quòd in Scriptura, qua est in calculo illo, permulta reperiuntur nomina, qua numerum illum habeant. At dicimus fortasse Scripturam illius sigilli esse ἀντιχρίστου, id est, N ego. Nam antea quoque hostis ille nobis aduersarius opera ministrorum suorum, hoc est, idololatrarum, Christi martyres hortantium, Negato, aiebat, Deum tuum Crucifixum. Tale erit tempore illius, infra cap. 26, adducuntur hæc ipsa verba S. Hippolyti, & pro honestatis corrigit, & substituitur tempestatis, sed malè honestatis omnis oforis sigillum, dicens: N ego creatorem cali & terra, nego Baptisma, nego adorationem à me Deo præstari solitam: tibi adhæresco, in te credo.]

Victorinus in 13. Apocalypsis: Qui tamen Antichristus licet nomine mutato, & actu immutato veniet, ait Spiritus: Numerus eius nomen hominis est: & numerus eius sexcenti, sexaginta sex. Quum attuleris ad litteram

Græcam hunc numerum explebit. * At. N. L. T. CCC. F. V. M. L. X. L. O. L. XX. CCC. I. III. EVN. LCC. N. V. III. P. CIX. K. XXOLXX. CC.] Locus obscurus & deprauatus: cui sanando non sum.

Andreas Cæsariensis Episcopus: Accuratam calculi notitiam, ut reliqua iidem qua de Antichristo scripta extant, tempus & experientia viris prudentibus & sobriis manifestabit. Nam si in exquisita nominis huius cognitione magnum aliquod opera premium situm esset, illi vique cui visionem impressit, ut veteres rectè admonent, Evangelista illud patefecisset. Verum diuina gratia aliud quam Corruptoris, perditique hominis nomen diuino huic libro inferere visum fuit. Verumtamen per modum exercitationis, multa secundum Beatum Hippolytum, & alios confingi possunt nomina, qua numerum illum complectantur, cum propria, tum etiam appellatiua: idque in omni propemodum lingua. Proprium exempli causa Græcis sit λαμπέτις, Latine, Benedictus, Persicè Sarmineus. Similis in ceteris linguis efformatio fiat. Appellatiua verò, ut κακὸς ἄνθρωπος, Dux improbus: ἀνὴρ βλαβερὸς, iam olim inuidus; ἀνὴρ ἄδικος. Agnus iniquus, quibus ab illis præcipue appellabitur Antichristus, qui errores illius auersantur: siquidem is gloriam suam in flagitiis probro dignis constituit vel maxime.] In Græcis

Andræ, quæ edidit Findexius Sylburgius, copiosiora de nomine Antichristi habentur, in hunc modum: Propria autem [nomina] sunt, λαμπέτις Illustris, Τείταρ, à τεινω, pro τινω, vlcescor, punio, secundum Hippolytum: Λατείνος, Latinos, similiter per diphthongon, Βενεδίκτης, Benedictus, Περγασίος, Persicus, Σαρμένιος, Sarmineus. Εὐνίας, Euinas. Χαίεν, Chæien. Appellatiua verò, &c.] Annotat autem Sylburgius: Barbarà verò illa nomina siue Persica, siue Arabica, aut alterius dialecti sunt vocabula, ad numerum quidem propositum quadrant: sed male ad verborum structuram congruunt. Itaque vel omnino cum Palatino & Bauarico exemplaribus ablegari possunt, vel proximè ante appellatiua collocabuntur, hoc fere modo: Similiter autem & Barbarica, Perseus, Sarmineus, Euinas, Caien, & alia eiusmodi propter eos videlicet, qui è Tribu Dan, per Arabiam & Persiam dispersa, oriturum Antichristum existimant.] Hæc Sylburgius.

Atetas Cæsariensis Episcopus: Numerus autem nominis calculi est sexcenta sexaginta sex. Sed nequaquam manifestè nomen ipsum prodidit, quod indignum esset, quod in libro scriberetur. Quamobrem non fuerit importunum exercitationis gratia hoc resolere nomina tam propria quam appellatiua, qua calculum hunc conficiant. Propria quidem, ut λαμπέτις, Τείταρ, à futuro τεινω, Latinos, per diphthongon, perinde ac à σπερῶ, σπός & Appellatiua verò ὀνικετὴς: forsitan enim sese appellabit & κακὸς ἄνθρωπος, id est, Præuus dux & ἀνὴρ βλαβερὸς, hoc est, verè nocuus:

30. 1. 40. 80. 5. 300. 10. 200.
Λ Α Μ Π Ε Τ Ι Σ.
Summa 666.

2. 5. 50. 5. 4. 10. 20.
Β Ε Ν Ε Δ Ι Κ.
300. 70. 200.
Τ Ο Σ.
Summa 666.

300. 5. 10. 300. 1. 50.
Τ Ε Ι Τ Α Ν.
Summa 666.

30. 1. 300. 5. 10. 50. 70. 100.
Λ Α Τ Ε Ι Ν Ο Σ.
Summa 666.

80. 5. 100. 200. 1. 10. 70. 100
Π Ε Ρ Σ Α Ι Ο Σ.
Summa 666.

200. 1. 100. 40. 50. 5. 70. 100
Σ Α Ρ Μ Ν Ε Ο Σ.
Summa 666.

5. 400. 10. 50. 1. 200.
Ε Τ Ι Ν Α Σ.
Summa 666.

600. 1. 10. 5. 50.
Χ Α Ι Ε Ν.
Summa 666.

20. 1. 20. 70. 200.
Κ Α Κ Ο Σ
70. 4. 8. 3. 70. 200.
Ο Δ Η Γ Ο Σ.
Summa 666.

1. 30. 8. 9. 8. 100.
Α Λ Η Θ Η Σ
2. 30. 1. 2. 5. 100. 70. 200.
Β Λ Α Β Ε Ρ Ο Σ.
Summa 666.

80. 1. 30. 1. 10. 2. 1. 200. 20. 1.
Π Α Λ Α Ι Β Α Σ Κ Α
50. 70. 100.
Ν Ο Σ.
Summa 666.

1. 40. 50. 70. *nocuus* : & *παλαι βάσανος* , id est , iam olim inui-
AMN O- *dius* : necnon , *ἀμν* , *ἀδμ* , hoc est , agnus no-
200. 1. 4. 10. *xius* , quibus se ex contrariis appellabit , propriam glo-
Σ A Δ I- *riam* per dedecus colligens.]

20. 70. 100. *Primasius* : Faciemus ergo numerum quem dixit Ioan-
K O Σ. nes , accipi , ut in numero nomen etiam cognoscamus , &
Summa 666. *notam* . Numerus eius , inquit , est sexcenti sexaginta

O N I K I sex : quem faciemus secundum Gracos , praesertim quia
8. 300. 8. 100. ad *Asiam* scribens , & secundum idioma lingua eorum ,
H T H Σ. Ego sum , inquit , α , & ω . Praemissis quantum potuit

Summa 666. *simulationibus* partis adversae , quibus sibi indebitum
Deitatis honorem diabolus nititur usurpare , ut Anti-
christum exprimeret divino honori contrarium : siue per
notam siue per numerum nominis eius , id est , Bestia ipsius
nequissime voluntatis , atque actionis , indagandam pre-
monet qualitatem . Est enim nomen *ἀντεμ* , quod no-

1. 50. 300. 5. *men* si per characteres suos , quibus numeros Graci lecti-
ANT E- tant , supputetur , sexcenti sexaginta sex impleri profecto
40. 70. 200. reperies : interpretatum quoque dicitur , honori contrarius ,
M O Σ. quo dicitur *Ineptus* , *Importunus* , *Incongruus* : neque
Summa 666. enim honor ei , sed anathema convenit . Quocirca per

numerum nomen , & ex nomine supputatus numerus in-
uenitur : atque ipsius interpretatione nominis , qualitas
meritorum agnoscitur . Item aliud nomen , quod eiusdem

1. 100. 50. 70. numeri complectitur summam , prudenter animadverti
A P N O- potest *Αντιχρ* , qui simul ducti faciunt sexcenti sexa-
400. 40. 5. ginta sex . Interpretatio autem eius intelligitur , *Nego* .

Summa 666. Nec mirum quod hoc vocabulo dignus dicatur Antichri-
stus , id est negationis , cum Christo nomen congruat cre-
dilitatis ipso testante , quum dicit : Hoc est opus Dei ut

credatis in eum qui me misit . Itemque : Creditis in Deū ,
& in me credite . Ac per hoc siue Honori contra-

rium dixeris , quod est *Antemos* : siue , *Nego* quod est
Arnume , iure ad Antichristum potest utrumque re-

ferri : ut pote per duas partes orationis , nominis scilicet
& verbi , & personae qualitas , & operis insinuetur
asperitas .

300. 5. 10. S. Beda : Et numerus eius sexcenti sexaginta sex .
T E I. Hic numerus apud Gracos in nomine *Titanis* , id est ,
300. 1. 50. *gigantis* dicitur inveniri , hoc modo : Tenim ccc. E. v.

T A N. I. x. T. ccc. A. i. N. l. Et sibi nomen Anti-
Summa 666. christus , quasi omnibus potentia antecellat , usurpatum
repetat , ipsum se esse iactans , de quo scriptum est : Exul-
tauit ut gigas ad currendam viam a summo caelo egressio

1. 50. 300. 5. eius . Ponit autem *Primasius* & aliud nomen , eundem
ANT E- numerum complectens , *Antemos* . A. i. N. l. T.

40. 70. 200. ccc. E. v. M. xl. O. lxx. Σ cc. quod signi-
M O Σ. ficat honori contrarium . Sed & verbum , *Arnume* , A.

Summa 666. 1. P. c. N. l. O. lxx. Y. cccc. M. xl. E. v.

1. 100. 50. 70. id est , *Nego* : per quae , & personae qualitas , & operis
A P N O- Antichristi insinuetur asperitas . Sed operosa expositione

400. 40. 5. indiget , quomodo se tantus appetitor laudis , tali velit
Y M E. characterem notari . Aliter senarium numerum , quo mun-

us factus est , perfectionem operis significare quis nes-
ciat ? Qui siue simplex , siue per decem , centumve multi-

plicatus , eiusdem perfectionis , sexagesimum , sexcente-
simumque fructum demonstrat . Erat autem pondus

auri quod afferebatur Salomoni per singulos annos sex-
centorum sexaginta sex millium talentorum . Quod ergo

vero regi iure munus & debetur , & soluitur , hoc etiam
sibi seductor ille tyrannus exigere praesumet .]

Ambrosius Ansbertus : Qui habet intellectum , com-
putet numerum Bestiae &c. Adhuc nobis nimium ob-

scura cernuntur , quia intellectus ille , ut cupimus , nobis
inesse non videtur . Oremus ergo necesse est datorem in-

tellectus , ac gemitibus cordis dicamus : da mihi intellectum
Domine . Obsecro mi Domine Iesu , dator prudentiae ,
qui das , & non improperas , obsecro , inquam dis inter-

iori homini meo . Intellectum dabo tibi , & instruam
te . Et ecce dum orans loquor , praesentiam tuam adesse co-

gnosco , qui etiam invocantes te , pia munera largitorus ,
praecupans dicis . Antequam me invocaverint , dicam .

Ecce adsum . Quae ergo à te mihi elucet , perducere ne-
cesse est ad cognitionem lucis . Age nunc , faciamus nu-

merum quem dixit Ioannes accipi , ut numero nomen
etiam cognoscamus : numerum nominis , ipsumque nume-

rum in nomine requiramus . Quod utique in ea , lingua
faciendum esse cognoscimus , in qua prius haec Apocalypsis

initium sumpsit , in Graca scilicet , in qua praeter Euange-
lium Matthaei , & Epistolam Pauli ad Hebraeos ,

Nouum Testamentum initium dedisse , nulli dubium est .
Quia enim haec reuelatio Graca locutione sit edita atque

conscripta , ipse Ioannes auctor eiusdem historiae indicat ,
qui Angelum in persona Christi dicentem secundum idio-

ma eiusdem linguae introducit dicentem , Ego sum α , &
ω . Et quia his qui Gracas litteras ignorant , consulimus ,

1. 50. 400. 5. ipsum etiam nomen Latinis litteris scribimus . Nomen ANT E-
vero est *Antemos* , numerus autem nominis est , sexcenti 40. 70. 200.

sexaginta sex . Quem numerum ut fieri decrevimus , M O Σ.
secundum quod Graci per characteres suos scribunt nume-
Summa 666. ros , & lectitant , super ipsum nomen affiximus . Sed

quid prodest invenisse nomen Bestiae , numerumque nomi-
nis eius , nisi quid ipsum nomen interpretatum in nostra

lingua significet , indagemus ? Praemissis namque inquanti-
um voluit auctor huius historiae , simulationibus partis

adversa quibus sibi indebitum deitatis nomen diabolus
nititur usurpare , ut ostenderet Antichristum ipsi honori

contrarium , admonuit , per numerum nomen querere ,
atque ex nomine qualitatem meritorum agnoscere . No-

men autem per numerum inuentum , id est , *Antemos* , in
nostra lingua interpretatum , honori contrarius sonat .

Nec immerito , nam & Antichristus , Christo contra-
rius interpretatus . Ac si ipsa interpretatio nominis lo-

queretur , dicens : Honori qui solum comperit Christo , in
eo contrarius , quo docetur , *Ineptus* , *Importunus* , *In-*

congruus , neque enim honor ei , sed anathema convenit .
Quamobrem per numerum nomen , & ex nomine suppu-

tatus numerus inuenitur : atque ipsius interpretatione no-
minis , qualitas meritorum agnoscitur .

Est autem adhuc aliud nomen , imo Gracum verbum 1. 100. 50. 70.
quod eiusdem numeri complectitur summam , id est , *Ar-* A P N O-
noume , qui simul ducti faciunt sexcentos sexaginta sex . 400. 40. 5.

Interpretatio autem eiusdem intelligitur , *Nego* . Sed Y M E.
nec mirum , quod hoc vocabulo dignus iudicetur Anti-
Summa 666. christus , id est negationis , Cum Domino Iesu Christo

nomen congruat credulitatis , ipso dicente : Hoc est opus
Dei , ut credatis in eum qui me misit . Itemque : Cre-

ditis in Deum ? & in me credite . Ac per hoc siue hono-
ri contrarius , quod est *Antemos* : siue *negō* , quod est

Arnoume , dignè ad Antichristi personam potest utrum-
que referri : ut pote per duas partes orationis , nominis

scilicet ac verbi , & personae qualitas , & operis insinuetur
asperitas .

Est quoque adhuc aliud nomen Graca , Latinaque
consuetudine apud Poetas huius saeculi usurpatum , apud

vulgi vero multitudinem penè ignotum . Quod si Gra-
cis litteris , quibus ipsi numeros scribunt , exaretur , ipso

sexcentesimo sexagesimo sextus numerus impleri videretur ;
est enim nomen *τῆται* , Titan vero dicitur Sol . 300. 5. 10.

Et reuera non absurdum habet intellectum , ut damnatus
ille homo tunc solem se iustitia asserat , ac lucem veram

qua illuminat omnem hominem venientem in hunc mun-
dum : cum sit in eo apostata Angelus , transfigurans se

in Angelum lucis , suadens hominibus se lucem veram
profiteri , quos vult à luce iustitiae separare , in ipsis

etiam latinis litteris hunc numerum invenimus , hoc modo ,
D I C L V X : nam D . apud nos , quingentos ; I . unum ; 500. 1. 100.

C . centum ; L . quinquaginta ; V . quinque ; X . de-
D I C- cem perficiunt : qui simul ducti , sexcentos sexaginta sex 50. 5. 10.

consummant , L V X .

Summa 666.

Et quia Latino sermone hunc numerum etiam nomine, Latino inuenimus, possumus adhuc eundem numerum, si per litteras Gracas scribatur, in Gothico [potius VVandalico] reperire hoc modo, Γενσηρ, Genfericus, qui simul ducti, faciunt sexcentos sexaginta sex: interpretatio autem nominis est, eiusdem gentium seductor, in eo Christo contrarius, quod ille seductor, iste vero dicitur Gentium saluator. Sive ergo hoc, siue illo modo, siue in Graca, siue in Latina, siue in Gothica lingua hic numerus accipitur, non incongrue ad Antichristi personam refertur.] Haecenus Ansbertus.

Haimo: Et numerus eius sexcenti sexaginta sex. Obscuritatem huius loci considerans Beatus Iohannes, intentum voluit lectorem facere: atque idcirco eum prae-mouit, ut numerum Bestia perspiceret: Et numerus eius sexcenti sexaginta sex. Omnes libri Novi Testamenti Graco sermone sunt scripti, praeter Euangelium Matthaei, & Epistolam Pauli ad Hebraeos. Quia ergo hic liber, ut ceteri, Gracè scriptus est, idcirco sensus huius loci more Gracorum est requirendus: apud quos omnes littera numeros in se continent. Dicamus itaque Antemos, quod interpretatur honori contrarius: quod nomen illi bene conuenit, qui Antichristus, id est, Christo contrarius dicitur. Hoc enim nomen precedentem in se continet numerum, hoc modo: A. i. N. L. ccc. E. v.

M. xl. O. lxx. z. cc. Dicamus adhuc & aliter, Arnoume, quod interpretatur, Nego. Et hoc nomen bene illi aptatur, quia Christum negabit Deum esse, seque Deum confitebitur iniuste. Et in hoc quoque nomine numerus ipse continetur. Nam A. i. ostendit; P. c. N. l. O. lxx. Y. cccc. M. xl. E. v. qui simul ducti faciunt dclxvi. Dicamus & aliter, Teitan, quod Latine Sol dicitur: sol autem Christus est per significationem, qui illuminat omnem hominem

venientem in hunc mundum. Titan quoque appellatur gigas: unde & in Virgilio legimus, Titamaque astra. Christus enim gigas, de quo Psalmista dicit: Exultauit ut gigas. Ipse itaque Antichristus hoc nomen sibi fallaciter usurpabit, & dicet se esse solem illum, de quo scriptum est: Vobis timentibus nomen meum orietur sol iustitiae. Littera autem huius nominis totum illum precedentem continet numerum, id est. dclxvi. T. quippe ccc. exprimit E. v. i. x. iterum T. ccc. A. i. N. l. qui simul iuncti faciunt dclxvi.

Quod nomen, sicut diximus sibi Antichristus usurpabit, audens se hominibus lucem profiteri, cum sit in eo apostata Angelus, transfigurans se in Angelum lucis. Quam ob causam, si etiam hoc aliquis intelligere vult, Latinis litteris ponamus nomen, in quo idem numerus inueniatur, hoc modo, Diclvx. Ipse enim, ut dictum est, fatebitur se esse lucem: nam D. quingentos, i. unum, C. centum, L. quinquaginta, v. quinque, X. decem exprimit: quae in unum collectae faciunt similiter dclxvi. Possumus adhuc eundem numerum, si per

Gracas litteras scribatur, Gothico [VVandalico potius] nomine reperire hoc modo, Γενσηρ, Genferikos, & quippe tria, & quinque, & quinquaginta, & ducentos, & octo, & centum, & decem, & viginti, & septuaginta, & ducentos ostendit: qui simul ducti, faciunt dclxvi. Interpretatio autem nominis eiusdem est, Gentium seductor: in eo Christo contrarius, quod iste Seductor, ille vero dicitur Gentium Saluator. Sive ergo hoc, siue illo modo, siue in Graca, siue in Latina, siue in Gothica lingua hic numerus accipitur, non incongrue ad Antichristi personam refertur.] Huc usque Haimo, qui ad verbum Ansbertum descripsit, uti Ansbertus Primasium.

Strabus: Qui habet intellectum computet numerum Bestie, &c. Cum liber hic Gracè sit editus, secundum Gracos numerus est querendus, apud quos omnes littera

numeri significant. Nomen eius Antemos, quod ei competit, qui Christo contrarius dicitur. A. i. N. A. N. T. E. quinquaginta, T. trecentos, E. quinque, M. quinquaginta, O. septuaginta, z. ducentos. Vel Arnoume, id est, Nego, qui Christum negat Deum: in quo idem numerus, A. i. P. ducenti, N. quinquaginta, O. septuaginta Y. quadringenti, M. quadraginta, E. quinque. Vel Teitan, id est, sol, gigas, quod verè Christo, usurpatuè conuenit Antichristo, T. ccc. E. v. Summa 666. I. x. T. ccc. A. i. N. quinquaginta. Vel Latinis Diclvx: quia ipse se lucem esse dicit. D. quingentos, I. unum, C. centum, L. quinquaginta, V. quinque, X. decem. Et sic est eadem summa.]

S. Anselmus: Et numerus eius sexcenti sexaginta sex. Quia hic liber Gracè factus fuit, secundum Gracos numeros, de quo hic dicit, est inquirendus. Significat enim numerum omnes litterae apud Gracos. Nomen eius Antemos, quod ei conuenit secundum hoc quod Christo contrarius dicitur: ex litteris illius nominis, A. unum, numeratur, & quinquaginta, & trecenti, & quinque, & quadraginta, & septuaginta, & ducenti. Sunt alia multa nomina, sed ex singulis colligitur eadem summa, scilicet, sexcenti sexaginta sex.]

Rupertus Abbas: Qui habet intellectum, computet numerum Bestia, &c. Ergo quoniam ad computandum citatur hic non alius nisi qui sapientiam habet, forte in numero problema est. Et quidem viri illustres Scripturae huius tractatores ante nos hunc numerum strenuè versantes, nomina quadam aduerterunt, tria Graca, & unum Gothicum [VVandalicum potius] ANTEMOS, APNOTME, TEITAN, ΓΕΝΣΕΡΗΚΟΣ. Quorum primum interpretatur, honori contrarius; secundum, Nego; tertium verò sol: quartum Gentium seductor. Singulorum nominum istorum littera numerum istum in se continent sexcentos, sexaginta sex: 1. 50. 300. 5. nam prima huius nominis quod est ANTEMOS, A. N. T. E. littera A. unum, N. quinquaginta, T. trecentos, & breue quinque, & quadraginta, & breue septuaginta, & ducentos significat. Similiter alio nomine APNOTME, nam A. unum ostendit, & centum, & quinquaginta, & breue septuaginta, Y. quadringentos, & breue quinque; qui simul ducti faciunt sexcentos sexaginta sex. Nominis autem quod summa 666. est TEITAN, littera T. trecentos exprimit, & breue quinque, & decem, item T. trecentos, & unum, & quinquaginta: qui simul iuncti faciunt sexcentos sexaginta sex. Porro nomen Gothicum [VVandalicum potius] Gracis litteris scriptum est hoc modo, ΓΕΝΣΗΡΗΚΟΣ, I. tria, & quinque, & quinquaginta, & ducentos, & octo, & centum, & decem, & viginti, & septuaginta, & ducentos ostendit. Laudanda haec Patrum inspectio: verumtamen est adhuc quod non otiose queramus.

Numquid enim illa Bestia talibus volet nominibus appellari? talibus vocabulis saluari? Numquid eos à quibus, Honori contrarius, siue Gentium seductor dicitur, pace sua remunerabit, ut vendere vel emere possint? Sic enim hic habes, ut ne quis possit emere aut vendere, nisi qui habet characterem, aut nomen Bestie, aut numerum nominis eius. Numquid hoc ediceret, ut contrarius quod est satan, siue ANTEMOS, aut negator, vel Gentium seductor pronuntietur? & ut qui hoc pronuntiauerit, ille sit liber, ille vendere vel emere possit? Aut numquid giganteo nomine, quod est TEITAN contentus erit, cum extollatur supra omne quod dicitur Deus, aut quod collatur, ostendens se tamquam sit Deus? Apud nos Latinos littera quibus scribitur, Diclvx, eundem numerum continent: nam D. quingentos, I. unum, C. centum, L. quinquaginta, V. quinque, X. decem significat: quae in unum collectae faciunt similiter sexcenta sexaginta sex. Sed etiam si Scriptura hoc loco nomen istud illi palam adscriberet

adscribere, & nominis huius numerum sexcenta sexaginta sex esse diceret: nonne tunc quoque ad quarendum superesset, quid ad illum Hominem hic numerus pertineret?] Sequitur pluribus mysticam eius numeri notionem explicare: quem tu si videbitur, consules.

Richardus de S. Victore: Numerus nominis eius dicitur numerus ille, qui in litteris, quibus nomen eius scribitur, continetur. Et numerus eius sexcenti, sexaginta sex. Sed ut virtutem huius numeri clarius cognoscamus, secundum sanctorum Doctorum traditionem diligentius illum discutiamus. Dicunt enim, quod cum liber iste Græcè sit editus, secundum Græcos numerus ipse sit querendus: apud quos omnes littera numerum habent significare. Nomen eius Græcè Antemos dicitur, quod

1. 50. 300. 5.
A N T E-
40. 70. 100.
M O S.
Summa 666.

honoris contrarius interpretatur. In hoc nomine significat A unum, v quinquaginta, t trecenta, e quinque, u quadraginta, o, septuaginta, s ducenta: quorum omnium summa sexcenta sexaginta sex constituit. Sunt & alia eius nomina, quorum huiusmodi interpretatio hunc eundem numerum reddit. Sed nos plurima, præterimus quia præsentis breuitati pauca sufficere videmus.]

Ambrosiaster: De hoc numero multi multa dixerunt, pluraque nomina reppererunt, in quorum litteris hic numerus inuenitur. Tamen si aliquod ex iis nominibus Antichristus possideat, prævidere non poterunt. Sed de re tam incerta nihil audeo definire. Quis enim scit, si nomen quod ei a parentibus imponetur, hunc numerum contineat?]

Ergo quamuis Patres, ut in eorum verbis vidimus, nihil certi de nomine Antichristi in particulari quale, & quodnam illud futurum sit, statuere potuerint: at in vnam sententiam omnes coniurant, ex præsentis vaticinio Apocalyp. 13. v. 17. & 18. haberi certissimum, Antichristi nomen eiusmodi tale futurum, ut litteræ eius nominis reddant præfixe numerum sexcentorum sexaginta sex. Et hoc ipsum docent Recentiores summo consensu, Xystus Senensis lib. 2. Bibliothecæ Sanctæ, verbo, Nomen, & Numerus nominis Bestia. & lib. 3. cap. De secundo Elementaria Explanationis modo, Nicolaus Sanderus lib. 8. de Visibili Ecclesiæ Monarchia, cap. 48. Bellarminus, lib. 3. de Romano Pontifice, cap. 10. Franciscus Feuardentius in Notis ad S. Irenei lib. 5. cap. 30. Henricus Henricus de Fine hominis, cap. 23. § 2. Ludovicus à S. Francisco lib. de Diuinis Arcanis, cap. 14. Franciscus Suarez lib. 5. aduersus Anglicanos errores, cap. 19. Florimundus Remundus lib. de Antichristo, cap. 21. 22. 23. 24. 25. Cælius Pannonius, Cæsar Bulengerus, Ioannes Gagnæus, Emanuel Sà, Franciscus Ribera, Blasius Viegas in 13. Apocalypsis, & alij multi. Id ipsum quoque affirmat Iosephus Scaliger in Epistola quadam Gallica ad Vazetium, quæ habetur ad finem Opusculorum eius: & Ioannes Obsopeus in Notis ad lib. 1. Sibyllinorum.

Sed non pigeat paucis hic audire Alcasarem, vaticinium S. Ioannis de Numero Nominis Bestiæ explicantem, sic enim ait: Valde ab scopo aberrant, meo iudicio, qui putant Spiritum sanctum in his verbis de numero Nominis Antichristi agere. Antichristi nomen nobis reuelari, nã res esset supernacua curiositatis plena, atque adeo indigna Spiritus sancti grauitate.] Subiungit alia in eandem sententiam. Sed appositè dixit, meo iudicio. Nam iudicio Patrum, & innumerorum præstantissimorum Interpretum, Spiritus sanctus de Numero nominis Antichristi his verbis agit. Vtris igitur credendum censebimus? tot Patribus & posterioribus, an vni soli Alcasari? Fruaris percipide tuo iudicio Pater Alcasar: non inuideo, nam esse tibi in hac re præposterissimum (sic liceat loqui)

tam certò mihi constat, quàm exploratissimum habeo, Ioannem hic de numero Nominis Antichristi vaticinari.

CAPVT XXIV.

Elucidantur verba Apocalyp. 13. v.

17. 18. De Numero Nominis Antichristi.

Aut nomen Bestia, aut numerum nominis eius. Hic sapientia est. Qui habet intellectum, computet numerum Bestia: numerus enim hominis est. Et numerus eius, Sexcenti sexaginta sex.

Quod ait: Hic sapientia est: volunt ferè indicare ingentem loci difficultatem & obscuritatem: quasi dicat, Hic sapientia opus est & iudicio. Voci sapientia Græce additur articulus, illa sapientia: ut innuatur, non qualicumque, sed insigni & exquisita sapientia opus esse, ut intelligantur, quæ hic de nomine Antichristi prædicuntur. Hic aduerbium ad, in hoc, in hac re. Aliter, Hic sapientia est. In hoc vaticinio magnum est artificium, præclara sapientia: summa prudentia constructum est oraculum, ad testè & obscure præsignificandum Antichristi nomen, in quo aperiendo & explicando præclarissima ingenia defudabunt. Qui habet intellectum, computet &c. Id est, cui acumen ingenij est, qui vi intelligendi pollet, qui iudicij præstantia valet, perquirat, & accuratè inuestiget aliquod nomen quod in litteris numerum 666. contineat, proprièque Antichristo conueniat.

Numerus enim hominis est. Quidam existimant, id tantum hic à Ioanne dici, nimirum Antichristi nomen futurum hominis veri, non diaboli, aut Dei, quasi dicat, erit numerus nominis cuiusdam hominis. Vel, nomen eius erit humanum, quod numerari, exprimi, ac nominari poterit: non erit Dei nomen, quod est ineffabile, cuiusque sapientiæ non est numerus: quantumvis ipse Antichristus falsò sibi nomen Dei usurper. Ita S. Beda, Haimo, S. Anselmus, Richardus, Gagnæus, Pannonius, Bulengerus, Sà, Viegas. At Ribera exponit: Qui habet intellectum, computet bene, numerus enim proprius hominis est, & intellectum habentis ac ratiocinantis est numerare.] Forfan, numerus hominis, vel humanus sit Hebraica phrasis, pro eo quod est, numerus facilis, expeditus, promptus, vulgaris, notus, qui citò iniri ac numerari possit, à quouis homine, etiam si in arte numerandi non sit valde peritus. Consimili idiotismo Paulus Romanor. 6. 19. inquit: Humanum dico propter infirmitatem carnis vestre. Humanum, idest, facile, & viribus vestris attemperatum. Et 1. Corinth. 10. 13. Tentatio vos non apprehendit nisi humana. Idest, facilis, humanas vires non superans. Sic Isaia 8. 1. stylus hominis, dicitur, vulgaris, notus, apertus, qui facile legi & percurri possit. Ergo hic ait Ioannes: Qui mente & ratione præditus est, computet numerum qui in litteris nominis Antichristi continetur: numerus enim facilis est & brevis, qui promptè & expeditè iniri potest. Et, pro nam, quia, numerus nominis eius Antichristi, sexcenti sexaginta sex. nimirum satis numeratu facilis. Aretas Cappadox: Quod verò numerus hominis nomen sit, idest, familiare, neque insolitum, occultatum, & ambiguum: sed consuetus calculus, & hominibus cognitus.] Drusus in Posterioribus Annotationibus Apocalyp. 13. 18. hæc habet: Numerus hominis est, an qui ab homine facile numerari potest? idest, paucus & exiguus, nec adeo multus. Sanè scriptores Hebraei paucitatem indicaturi,

dicantur, dicunt, Numerus sunt. Et viri numeri vocantur viri pauci. Sic dies numeri, populus numeri, idest, paucus. Theocritus quoque æquiuocus pro paucis usurpat qui Horatio numerabiles, & aliis æquiuocari dicuntur. Apud Iesaiam, vel puer numeret, quod dici solet de numero denario vel qui infra eum. Nam pueri ad decem ferè numerari possunt. Ergo mens diuini Apostoli, omnium consensu hæc est: Nomen quo se Antichristus propriè appellabit, eiusmodi futurum quod in se contineat numerum 666. nempe vt litteræ ipsæ, quæ nomen totum component, reddant iustè & exactè præfatum numerum, per ipsas ceu per numerorum notas expressum.

Notissimum est singulas Græci Alphabeti litteras, numerorumque esse notas, & vnamquamque suum numerum significare. Vt etiam omnes Hebraicas litteras, suum quamque numerum exprimere: quam apud Latinos pauca tantum numeros indicent, nimirum I. V. X. L. C. D. M. Quamuis annotent Mercerus & Bertramus in Thesaurò in Radice CHARAH, recens esse Kabbalicotum inuentum, quoddam Litteræ Hebraicæ numeros exprimant: cuius rei illud haud futile adducunt argumentum, quoddam numquam in ipso Hebraico contextu Bibliorum litteræ Hebraicæ numeros significare reperiantur. Sed S. Hieronymus in 8. cap. Zachariæ, ad vers. 23. *Tota littera non solum apud Græcos, sed & apud Hebræos denarium numerum significat.* De qua re plenius scripsimus in libello de Dei Nomine Quadrilittero, cap. 7.

Scimus quidem nonnullos existimasse numerum 666. prædictum hic à Ioanne, significare tempus quod fuit ab ortu Domini ad mortem vsque tetrici Mahometis, spurcissimæ saracenorum sectæ conditoris: quem mortuum volunt anno Domini 666. Existimant enim Ioannem illo cap. 13. Bestiam vel primam, vel secundam intellexisse Mahometem. Vel addunt, forsan eo numero 666. designatum tempus quo in mundo duratura est nefaria Hæresis, nempe permansuram tantum annos 666. integram saltem & sine dissectionibus. Vide de his Lyranum & Burgesem in hunc locum, S. Antoninum 1. Parte Historiarum, Titulo 6. cap. 1. §. 9. Petrum Aureolum in Compendio Bibliorum, Georgium Ederum lib. 4. Oeconomix Bibliorum. Tabula 228. cum Euentu: citantque in eam sententiam grauissimum testem Innocentium Tertium Romanum Pontificem. Iodocus Eliotouæus in Commentariis ad lib. 4. de Fide Orthodoxa, cap. 27. S. Ioannis Damasceni, arbitratur hunc numerum esse annorum ab Incarnatione Domini ad exortum Mahometi, eiusque sectæ, Qui Mahometem verum Antichristum, & Bestiam primam Apocalyp. 13. vel crediderunt, vel suspicati sunt, ei numerum nominis Antichristi 666. exquisitè affinxerunt, vti Genebrardus lib. 3. Chronographiæ, pag. 472. & 486. Hieronymum Mediolanensis apud Petrum Bonguin, de Mystica Numerorum significatione, Parte 2. pag. 153. hoc modo, Μαμετις, formæ μαρις μαρις.

40. I. 70. 40. 5. 300. 10. 200.

M A O M E T I Σ.

Summa 666.

Cæterum Maometem non esse verum Antichristum, nec de eo vllò pacto historico & primario sensu hic vaticinari Ioannem, iam demonstrauimus lib. 1. cap. 25. & lib. 5. cap. 26. Aptari quidem ei numerum nominis Antichristi, tamquam eius anteambuloni ac præcursori, typoque insigni facile acquiescimus. Sed quod attinet ad verum tempus Mahometis interitus, nullus vnquam auctor Annalium dixit eum obiisse

anno Christi 666. Matthæus Palmerius in Chronico defunctum tradit anno Domini 637. Ioannes Vaseus in Chronico Hispaniæ, anno 628. Rudericus Tolestanus in Historia Arabum, cap. 6. Lucas Tudenfis in Chronico, Aëra 666. idest Christi 627. Heraclij 17. & Suintillæ Regis Hispaniæ, 7. Equidem Aëre numerus est ipsissimus nominis Antichristi, secundum Rudericum & Tudensem: sed Aëra antecedit 39. annis Natalem Christi. Henricus Buntingus, & Iacobus Gordonus in Chronographiis, mortuum aiunt Christi anno 631. Landolphus Sagax in Historia Miscella lib. 18. cap. 58. Cedrenus in Annalibus, pag. 346. decessisse scribunt anno 21. Heraclij, quem notant Annales Ecclesiastici & meliores Fasti incidisse in annum Christi 630. vel 631. Sigebertus in Chronico, anno Salutis 632. Mahometis mortem consignat.

Maneat tamen firmum ac stabile, quod Patres & Posteriores semper intellexisse constat, numerum hunc nominis Bestiæ, seu Antichristi 666. non à Christo nato annorum, non ortus aut obitus alicuius, non durationis, aut temporis, sed numerum quem reddent litteræ nominis Antichristi, reuera futurum. Quocirca ex lacunis Geneuensis proculdubio est, quod nomine Vatabli ad hunc Ioannis locum annotatum est, in hunc modum: *Aut numerum nominis eius. Idest, numerum eius, vt paulo post dicit, numerum Bestiæ, hoc est, numerum sectatorum eius.* Vnde illud quod sequitur, *numerus enim hominis est: & numerus eius sexcenti sexaginta sex.* Intellexisse videntur, numerum hominum, qui Antichristum sequuntur. Absurdissimè, quasi verò Antichristus aut Bestia non nisi sexcentos, sexaginta sex sectatores sit habiturus. Et quid disertius Ioannes dicere potuit, quàm numerum illum 666. esse numerum nominis Antichristi, idest, quem litteræ nominis eius, omnes junctæ conficiant?

Non est hoc loco prætermittenda singularis quædam numeri nominis Antichristi interpretatio, quam affert Baptista Mazerius Tractatu in Apocalypsim, pag. 177. hisce verbis: *Nam si per nomen auctoritas, dignitas, & potestas, quam multi in terra habere solent, intelligitur; cum Antichristus sibi omnem terram, vt Apocalyp. 13. & passim in Prophetis dicitur, subiecturus sit: difficile intelligere non erit, quod sexcenta & sexaginta sex dignitates, & potestates super terram. Si numerus nominum eius, numerus hominis est, ergo numerus dignitatum & potestatum quas solent habere homines super terram, futurus est. Et sic per nomen Antichristi titulus dignitatis, & potestatis eius intelligendus est: similiter per omnia ipsius, tituli & dignitates, & gradus, qui sæpe numero ab Imperatoribus, regibus, & principibus in edictis, priuilegiis, investituris, & legibus recenseri solent, intelligendi sunt.* Hactenus ille. Quod autem nomen in Scripturis dignitatem significet, probat ex illo Philipp. 2. *dedit illi nomen quod est super omne nomen.* Idest, dignitatem, & potestatem. Noua, singularis, & parum solida explanatio. Frigida insuper quæ affert Victor Palma in Additionibus ad Chronographiam Genebrardi, pag. 486.

Illud quoque apprimè obseruandum, quod tametsi Ioannes Apocalypsim suam Græco sermone conscripserit: non propterea adigi nos ad asserendum, nomen Antichristi, non nisi Græcum futurum, aut numerum nominis eius, non nisi ex Græcis litteris, quæ illum exprimant, desumendum esse. Equidem Ioannes Græcè scribens, ait, numerum nominis Antichristi futurum 666. sed non dicit, in qua lingua, nunc Græca, nunc Latina, Hebraica, Syriaca, Persica, Arabica,

Arabica, aut quavis alia Barbara. Nescimus enim quamam vteretur, & in quo nomen sibi proprium inder: quamvis recte monuerint Patres, Primasius, Ansbertus, Haimo, Strabus, S. Anselmus, Richardus, & alij, ex eo quod Ioannes Græcè scripserit, more Græcorum, qui litteris pro numeris vtuntur, requiring numerum nominis Antichristi, in litteris nominis ipsius: scilicet, tametsi id sit in alia lingua, siue Hebræa, siue Barbara: quamvis, vt postea demonstrabimus verisimile sit, ipsum Hebraica lingua vsurum, in eaque sibi nomen impositurum.

Vidimus quanto ingenio, quam exquisita arte Patres complura nomina adinuenere, quæ suis litteris numerum 666. conficiant: quæque Antichristo vt-cumque conuenire posse videantur: nunc ea omnia simul collecta maioris lucis causa, in prospectum dabimus, distinctè & sigillatim, ex suis auctoribus. S. Irenæus: ΕΤΑΝΘΑΣ, EVANTHAS, id est, pulchre, floridus, venustus.

5. 400. 1. 50. 9. 1. 100.
ΕΤΑΝΘΑΣ.

Summa 666.

S. Irenæus, Andreas, Aretas: ΛΑΤΕΙΝΟΣ, per E i diphthongon, LATEINOS, Latinus. Sanderus, Bellarminus, Suares, Florimundus, & alij qui contra Nouantes scribunt, vt inuidiam, infamiamque numeri huius nominis Lateinos, à Romano Pontifice amoueant, in quem sectarij malignè & imperite deriuant: annotant Lateinos non dici nec scribi, cum E i diphthongo: sed simplici, i, Latinos: tuncque in numero nominis deesse quinarium ad explendam summam 666. sed clarè falluntur: nam accipe quæ de his annotauit Scaliger in Eusebianis pag. 106. colum. 1. Hanc litteram i. jota veteres Græci & latini in diphthongon EI, conueriebant, quum eam ante N. producebant, vt ΑΝΤΩΝΕΙΩΝ & ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΣ, ΣΑΒΙΝΩΝ, ΣΑΒΙΝΕΙΝΟΣ, ΛΑΤΕΙΝΩΝ, ΛΑΤΕΙΝΕΙΝΟΣ, apud Irenæum: pro Antoninus, Sabinus, Catinus: nec vnuquam aliter scribebant: longum ante N. quod ita consuetudo recepit, vt non solum non vitiosum esset ita scribere: sed & necessarium esse videretur: At ante alias litteras vitiosum est, vt ΤΑΥΝΩΝΙΣ, ΝΕΙΝΩΝ, quod in Nummis, & Lapidibus creberrimum est. Sic quoque apud eundem Irenæum ΤΕΙΤΑΝ mendosè vulgus vsurpabat, & Meisæ Hieronymo, commentario in Amos, cap. 3. &c.] Hæc aded vera sunt, vt S. Irenæus scribens nomen Lateinos, nihil obseruauerit de diphthongo, quod nimirum ita vsu receptum esset scribi: cum tamen de Teitan, quasi rem insolitam annotauerit: Sed & ΤΕΙΤΑΝ, prima syllaba per duas Græcas vocales ε, & ι, scripta, &c. Hinc Ennius Annali 1.

Teque Quireine pater veneror, Horamque Quireinei,

Teque pater Tibereine tuo cum flumine sancto. Et rursum:

Quam preimum Cascei popolei tenere Lateinei.

Vide Lipsium de Recta Pronuntiatione Latinæ linguæ cap. 8.

30. 1. 300. 5. 10. 50. 70. 200.
ΛΑΤΕΙΝΟΣ.

Summa 666.

S. Irenæus, Andreas, Aretas S. Beda, Ansbertus Haimo, Strabus, Rupertus, Richardus: ΤΕΙΤΑΝ, Titan, idest, sol, vel Gigas.

300. 5. 10. 300. 1. 50.
ΤΕΙΤΑΝ.

Summa 666.

S. Hippolytus Martyr, Primasius, S. Beda, Ansbertus, Haimo, Strabus, Rupertus: ΑΡΝΟΥΜΕ. ARNOVME, idest, Nego: scribendum erat cum diphthongo ΑΡΝΟΥΜΑΙ.

1. 100. 50. 70. 400. 40. 5.
ΑΡΝΟΥΜΕ.

Summa 666.

Andreas, Aretas: ΛΑΜΠΕΤΙΣ, LAMPETIS. Hoc est illustris, Splendidus, Clarus, gloriosus. Sed cum H.

30. 1. 40. 80. 5. 300. 10. 200.
ΛΑΜΠΕΤΙΣ.

Summa 666.

Primasius, S. Beda, Ansbertus, Haimo, Strabus, S. Anselmus, Rupertus, Richardus: ΑΝΤΕΜΟΣ, idest, Honori contrarius: sed cum jota.

1. 50. 300. 5. 40. 70. 200.
ΑΝΤΕΜΟΣ.

Summa 666.

Andreas: ΒΕΝΕΔΙΚΤΟΣ, Benedictos, Latinum nomen, sed Græcis litteris:

2. 5. 50. 5. 4. 10. 20. 300. 70. 200.
ΒΕΝΕΔΙΚΤΟΣ.

Summa 666.

Aretas: Ο' ΝΙΚΗΤΗΣ, Ο ΝΙΚΕΤΕΣ, id est, Ille victor.

70. 50. 10. 20. 8. 300. 8. 200.
Ο ΝΙΚΗΤΗΣ.

Summa 666.

Andreas, Aretas: ΚΑΚΟΣ ΟΔΗΓΟΣ, KAKOS ODEGOS, id est, Prauus, improbus Dux:

20. 1. 20. 70. 200. 70. 4. 8. 3. 70. 200.
ΚΑΚΟΣ ΟΔΗΓΟΣ.

Summa 666.

Andreas, Aretas: ΑΛΗΘΗΣ ΒΛΑΒΕΡΟΣ, ALITHIS BLABEROS, id est, vere nocens, seu verè nocuus:

1. 30. 8. 9. 8. 200. 2. 30. 1. 2. 5. 100. 70. 200.
ΑΛΗΘΗΣ ΒΛΑΒΕΡΟΣ.

Summa 666.

Andreas & Aretas: ΠΑΛΑΙ ΒΑΣΚΑΝΟΣ. PALÆ BASKANOS, id est, iam olim inuidens.

80. 1. 30. 1. 10. 2. 1. 200. 20. 1. 50. 70. 200.
ΠΑΛΑΙ ΒΑΣΚΑΝΟΣ.

Summa 666.

Andreas, Aretas: ΑΜΝΟΣ ΑΔΙΚΟΣ, AMNOS ADICOS, id est, Agnus nocens, vel iniquus.

1. 40. 50. 70. 200. 1. 4. 10. 20. 70. 200.
ΑΜΝΟΣ ΑΔΙΚΟΣ.

Summa 666.

Ansbertus, Haimo, Strabus, Rupertus: ΔΙΓΛΥΧ, latinum nomen, quasi Antichristus sit imperaturus, vt omnes eum credant & dicant Lucem: ac si ipse sit lux mundi.

ΔΙΓ

500. I. 100. 50. 5. 10.
D I C L V X.
Summa 666.

Ansbertus, Haimo, Rupertus: T E N Σ H P I K O Σ,
Genfericus, nomen Vandalorum Regis in Africa,
qui Romam cepit.

3. 5. 50. 200. 8. 100. 10. 20. 70. 200.
T E N Σ H P I K O Σ.
Summa 666.

Andreas: Π Ε Ρ Σ Α Ι Ο Σ, PERSÆVS,
nomen Regis Macedonum, quem vicit ac triumphauit
Paulus Æmilius. Sed sine diphthongo.

80. 5. 100. 200. 1. 10. 70. 200.
Π Ε Ρ Σ Α Ι Ο Σ.
Summa 666.

Andreas adducit alia nomina Barbara, incognita,
obscura, quæ eundem numerum faciunt 666. sunt
autem ista, Σ Α Ρ Μ Ν Ε Ο Σ, SARMNEVS.

200. 1. 100. 40. 50. 5. 70. 200.
Σ Α Ρ Μ Ν Ε Ο Σ.
Summa 666.

5. 400. 10. 50. 1. 200.
E T I N A Σ. E V I N A S.
Summa 666.

600. 1. 10. 5. 50.
X A I E N. C H A I E N.
Summa 666.

Mirati tamen sumus. Andream atque Aretam
Cæsareæ Cappadociæ Episcopos ea nomina Antichristo
adscribere, quasi iis sit ipse verè appellandus,
quæ inuidia & ignominia plena sunt: vt, *Prauius
dux, Verè Nocens, Iam olim inuidens, Agnus Iniquus*:
Sed Andreas iis eum nominibus appellandum ait,
ab iis qui eius errores auersantur. Aretas verò:
*Quibus, inquit, se ex contrariis appellabit, propriam
gloriam per dedecus colligens.*] Sed illud Andream est
extra rem: non enim hic agitur de nomine, quo eum alij
& maxime veritatis amatores, nuncupabunt: sed
quod ipse sibi inder, quoque gloriabitur. Illud autem
Aretæ est omnino inuerisimile, Antichristum sibi,
impositum nomen aliquod, aut nomina probro &
ignominia plena. Quod etiam accuratè, refutatum
est à Ruperto, vti superiori Capite vidimus.

Nec defuere qui in numero 666. nominis Antichristi
miras allegorias excogitarunt: quas fusè profecuti
sunt S. Beda, Ansbertus, Haimo, Rupertus, S. Anselmus,
Richardus, Pannonius, Melus, in hunc locum Ludouicus à
S. Francisco lib. de Diuinis Arcanis, cap. 14. quos tu si
videbitur, consules. S. Hippolytus obseruauit tres istas
Græcas litteras, X, Ξ, Σ, Chi, xi, st, efficere numerum
666. nempe X chi, 600., Ξ χι, 60. 5. st, 6. At quid tres istæ
litteræ significant, quodue nomen compingere valeant,
nec ipse expedit, nec nos diuinare possumus: nisi dicamus,
per illas posse hæc tria nomina reddi, Xp̃s, Xylon,
Stauros, idest, Christus, Lignum, Crux, vel Crucis:
quasi in nomine præferat, compendio capitalium
litterarum, Antichristus, quæ sint sibi potissimum
immortali odio prosequenda, nempe Christus, eiusque Crux.

Ergo cum quale re ipsa futurum sit nomen Antichristi,
quod suis litteris reddat numerum 666. aded variant
Sanctorum Patrum sententiæ, nec quippiam

certi aut explorati statuunt: potiusque humanis &
ingeniosis coniecturis, quam certa ratione nitantur:
satiùs multò & modestius fuerit, S. Irenæi, aliorumque
Patrum inhærentes vestigiis, ignorantiam ingenuè
profiteri, quam temeritate aliqua insolenter pro-
uehi. Diuinus etenim Ioannes data opera, arcanoque
consilio nomen proprium Antichristi disertè &
explicatè noluit exprimere: sed illud numerorum
integumentis & ambagibus obuoluit, vt nos attentos &
vigilantes redderet, quum venerit ille homo peccati,
vt litteras nominis eius, quod sibi imponet, quoque
se nuncupari gaudebit, acutè inspiciamus, in quibus
expressè numerus 666. inuenitur. Ex qua sacri
Apostoli salubri præmonitione illud habemus, quod
quamuis nunc Antichristi nomen sit abstrusissimum,
nec quale futurum sit certò præscire possumus: at
quum venerit ille feralis impostor, & se nomine
proprio appellabit, obseruato numero nominis, si fuerit
666. aliisque eius infandis operibus & vitiis conde-
ratis, atque ad amissum Scripturarum, & Patrum
Doctrinam expensis, facillè quisque prudens ex iis
signis dignoscere valeat, illum teterrimum hominem
esse ipsissimum Antichristum.

Eiusmodi sanè sunt Prophetarum oracula, quæ
tamen antequam impleantur, sint obscurissima: at
quando re ipsa complentur, sunt perspicua & aperta:
præsertim cum certam & designatam notam ceu
indicem habent, quæ nos promptius in cognitionem
rei veluti manu perducit: qualis est in præsentem
numerus litterarum nominis Antichristi, 666. Vnde
præclare S. Irenæus lib. 4. cap. 43. *Omnis enim
prophetia priusquam habeat efficaciam, enigma &
ambiguitas sunt hominibus: quum autem venerit tempus,
& euenit quod prophetatum est tunc prophetia habent liqui-
dam & certam expositionem.*] Habemus appositum
exemplum, quod ad numerum nominis Antichristi
adhuc ignoti, attinet, in sacro Saluatoris nomine
I E S V, de quo, vt ferunt, Sibylla Cumana multò
antequam Christus nasceretur, cecinerat, litteris suis
expressurum numerum 888. sicuti Ioannes numerum
nominis Antichristi futurum prædixit 666. cum ta-
men numquam satis cognoscere potuerint homines
ante Christi aduentum, Dei filium vocandum iri
I E S V M, nisi postquam natus Dominus, & tam dulci
appellatione nuncupatus, viderent apertè in litte-
ris nominis I E S V Græcis exprimi numerum 888.
à Sibylla prænuntiatum: cuius hæc feruntur car-
mina lib. 1. Sibyllinorum Oraculorum.

*Tunc ad mortales veniet, mortalibus ipsis
In terris similis natus Patris omnipotentis,
Corpore vestitus. Vcales quatuor autem
Fert, non vcalesque duas binum geniorum.
Sed quæ sit numeri totius summa docebo:
Namque octo monadas, totidem decadas super ista,
Atque hecatondadas octo infidis significabit
Hominibus nomen: tu verò mente teneto.*

Nomen autem † I H Σ O T Σ, I E S V S.

10. 8. 200. 70. 400. 200.
I H Σ O T Σ.
Summa 888.

Vcales autem quatuor, & duæ consonantes
clare visuntur in Græco nomine I H Σ O T Σ: quod
verò ait, duas consonantes ferre nomina duorum
Angelorum: sic enim in Græco catmine vocantur,
Xystus senensis lib. 2. Bibliothecæ, existimat intelligi
duos præcipuos Angelorum, alterum bonum quem
vocant Satael, alterum malum, quem dicunt Saran.

Castalio

Castilio in Notis ad sibyllina Carmina, inquit: Significat Sibylla duos ecce genios, quorum nomen à littera sigma incipiat: quorum unum alicubi nominat ipsa Sani-lem: alter qui sit, non video. Sed nihil hic affirmo.] Nos Libello de Nominibus Angelorum, largè nota- mus, è cœtu Sanctorum Angelorum, quendam vocari Sani-lem, alium Samaelem. Sanielis fit mentio in Pseudosibyllinis lib. 2. At de numero Nominis I E S V egregiè philosophatur S. Beda in 2. Lucæ.

Postquam Patres & Posteriores complura nomina solerti studio excogitauerunt, quæ numerum 666. conti- nentia, Antichristo convenire utcumque possent, à no- bis in superioribus recitata: nunc ope diuina nobis an- nitendum est, ut aliquid, quod hand prorsus futuri coniectura firmeretur, de eodem nomine adiciamus. Cum primis verisimile existimamus Antichristum no- men sibi aliquod Hebraicum desumpturum, potius quàm Græcum, aut Latinum, aut Barbarum: tum quia ipse natura, & professione primùm Iudæus, hanc præ cæteris linguam callebit, vsurpabit, eaque potissimum utetur: tum ob linguæ maiestatem & augustam di- gnitatem: tum quia in nulla alia lingua reperiri pote- runt aptiora, & præstantiora nomina ad sacram di- uinamque maiestatem exprimendam, quam sibi arro- gabit Antichristus, ut ipsa Hebraica Dei nomina pro- pria, quibus in scripturis nuncupari solent.

Ergo tamen si non ignoremus, aliqua posse Hebrai- ca nomina reperiri numeri 666. quæ aptè Antichristo convenire possent, omnibus tamen accuratè perpen- sis, quærendum est nomen Hebraicum, litteris suis præ- fatum numerum referens, splendidum illud quidem atque magnificum, quo ipse Antichristus summopere gloriatur, & tanquam sibi proprio ac genuino inso- lenter exultet. Neque enim est verisimile, vsurpaturum sibi aliquod nomen, quod non summam superbiam, & animi immensum fastum præferat. Et cum omnia ritè in consilium adhibuerimus, non aliud forè penè suspicari cogimur, quàm sacrosanctum illud ac inef- fabile, propriumque Nomen Dei יְהוָה I E H E V E H, hoc est, *Erit*: de quo mira ex reconditiore Hebraica doctrina, peculiari Opusculo tradidimus. Hoc enim esse omnium Dei Nominum propriissimum & maxi- mè genuinum, inconfesso est apud omnes.

Nos pro certo non damus, sed ad iudicium lecto- ribus exhibemus, non forsan hoc sibi Hebraicum nomen amplissimum sumet Antichristus: קְדוֹשׁ אֱלֹהֵינוּ אֲדֹנָיִל Elion Adonay I E H V E H hakados. Hoc est, *Altissimus, Supremus, Dominus, Deus Sanctus*. Isto enim diuinissimo nomine, ex multis conflato, nos Christiani, Christum Dominum æterni Patris Filium quotidie appellamus in Sacro Angelico Hymno: *Domine Deus, Agnus Dei, Filius Patris. Quo- niam tu solus Sanctus, Tu solus Dominus, Tu solus Altis- simus Iesu Christe*. Facile quidem quisque assentietur, Antichristum, supremum ac verū se Deum appellante hoc quoque proprium diuinitatis nomen sibi vsurpa- turum cum priuatim, tum publicè in edictis, rescriptis, Epistolis, titulis, elogiis Imperij & magnitudinis suæ, nepe: *ALTISSIMVS Dominus Iehueh SANCTVS*: ut ve- ro ac legitimo Christo rapiat ac furetur, quæ illi sunt propria ac genuina: sibi autè falsò ac blasphemè ad- scribat Inveniuntur autem litteræ præfati Hebraici nominis numerum 666. continere, in hunc modum?

300. 4. 100. 5. 5. 6. 5. 10. 10. 50. 4. 1. 50. 6. 10. 30. 70.
ש ק ר ה ה ו ה י ה ו א ר נ י ל י ו א ר נ י
Summa 666.

Nec mirum, Antichristum tam longum sibi nomen impositurum, ex quatuor nominibus, & septemdecim litteris coagmentatum, cum probè sciet ab Hebræis

Tom. II. de Antichristo.

seu Thalmuldicis Deo tribui nomen, & Quatuor, & Duodecim, & Quadraginta duarū litterarū, de quibus Petrus Galatinus lib. 2. cap. 10. & seqq. & nos plenius in Quadrilittero.

At de his iam satis, ne fastidio afficiamus legentes. Sed cur voluit Spiritus sanctus Antichristū illud ha- bere nomen, quod nec maiorem, nec minorem quàm 666. numerum contineat? Et qui possumus nos id di- uinare? Latet enim in arcano, reconditoque diuini pe- ctoris consilio, sicuti cur nomen I H E O T S. 888. nume- rum præferat. Nec desunt qui mysticas aliquot ratio- nes sedulò excogitauerint: de quibus vnum tantum S. Irenæum audiamus, qui lib. 5. cap. 29. ita differit: *Congruenter autem & nomen eius [Antichristi] habebit nu- merum sexcentos sexaginta sex, recapitulans in semetipso omnem, quæ fuit ante diluuium, malitiæ commixtionē, quæ facta est ex Angelica apostasia. Nō enim fuit annorum sexcentorum, & diluuium aduenit terra, delens in resurre- ctionem terra, propter nequissimam resurrectionem, quæ fuit temporibus Nōe. Recapitulans autem & omnem qui fuit à Diluuii errore commentatorem idolorum, & Pro- phetarum interfectionem, & succensionem iustorum. Illa enim, quæ fuit à Nabuchodonosor instituta imago altitu- dinem quidem habuit cubitorum sexaginta, latitudinem autem cubitorum sex: propter quæ & Ananias, & Azarias, & Misael non adorantes eam, in caminum missi sunt ignis: per quod eis euenit prophetante eam, quæ in finem futura est iustorum succensio. Vniuersa enim imago illa præfiguratio fuit huius aduentus, ab omnibus omnino hominibus ipsum decernens adorari. Sexcenti itaque anni Nōe, sub quo fuit diluuium propter apostasiam: & nu- merus cubitorum imaginis, propter quam iusti in caminum ignis missi sunt, numerum nominis significat illius, in quam recapitulabitur sex millium annorum omnis apo- stasia, & iniustitia, & nequitia, & pseudopropheta, & do- lus: propter quæ & diluuium superueniet ignis.*

Illud tamen hic non est prætermittendum, veteres, ex numeris nominum multa obseruasse. Terentianus Maurus antiquus Grammaticus annotat in duellis ex numero omnium depugnantium capi omen solitum quis victor euaderet, si vnus numerus alterum superaret. Sic in duello ECTORIS & PATROCLI.

5. 20. 300. 800. 100.

E K T A P.

Summa 1265.

80. 1. 300. 100. 70. 20. 30. 70. 200.

Π Α Τ Ρ Ο Κ Λ Ο Σ.

Summa 871.

Superat Hectoris summa illam Patrocli, 354.

1. 600. 10. 30. 30. 5. 400. 200.

A X I A A E Y Σ.

Summa 1276.

Superat illam Ectoris, 51.

Verus alter Poeta Græcus, in nomine cuiusdam Da- magoræ, Græcum nomen Δαίμων, id est, pestis, ex nu- meris obseruauit: cum hæc duo nomina Δαμαγώρας, & Δαίμων, sint Isopspha, scilicet eundem numerum reddentia:

4. 1. 40. 1. 3. 70. 100. 1. 200.

Δ Α Μ Α Γ Ο Ρ Α Σ.

Summa 420.

30. 70. 10. 40. 70. 200.

Δ Ο Ι Μ Ο Σ.

Summa 420.

S. Hieronymus in Amos 3. ad vers. 9. *Vt Basilides, qui omnipotentem Deum portentoso nomine appellat ABPA- ZAS, ABRAXAS, & eundem secundum Græcas litteras, & anni cursus numerum, dicit in Solis circulo contineri: quæ*

T

Ethnici

Ethnici sub eodem numero aliarum litterarum, vocant MEIΘPAΣ MITHRAS.] Nimirum quia ABPAZAΣ, & MEIΘPAΣ sunt Isopsepha, idest, eundem numerum continentia, nempe 365. in hunc modum:

1. 2. 100. 1. 60. 1. 100.
A B P A Z A Σ
Summa 365.

40. 5. 10. 9. 100. 1. 100.
M E I Θ P A Σ
Summa 365.

Ergo duorum horum nominum litteræ eundem numerum concipiunt, nempe 365. quot diebus annus constat. Mithras autem ethnicis est Sol. Idem S. Hieronymus in cap. 8. Zachariæ extremum: *Quod autem numerum septem millium ad Christianorum numerum diximus pertinere, supputa Græcè ΕΠΤΑΚΙΣ ΧΕΙΛΙΟΥΣ ΕΠΤΑΚΙΣ ΧΕΙΛΙΟΥΣ*, idest, septem millia: *ΧΡΙΣΤΙΑΝΟΥΣ CHRISTIANOVΣ*, & eundem numerum, summamque reperies: idest, *Mille nongentos quādraginta unum.*] In hunc modum,

5. 80. 300. 1. 10. 10. 100. 600. 5. 10. 30. 10. 70. 400. 100.
Ε Π Τ Α Κ Ι Σ Χ Ε Ι Λ Ι Ο Υ Σ,
Summa 1941.

600. 100. 10. 100. 300. 10. 1. 50. 70. 400. 400.
Χ Ρ Ι Σ Τ Ι Α Ν Ο Υ Σ;
Summa 1941.

Itaque vides, vt hæc duo vocabula ΕΠΤΑΚΙΣ ΧΕΙΛΙΟΥΣ, & ΧΡΙΣΤΙΑΝΟΥΣ, sint Isopsepha, idest, eundem numerum 1941, præferentia.

In Pseudosibyllinis, lib. 5. nomina priorum Romanorum Imperatorum, ex numeris litterarum capitalium eorumdem nominum, instar numeri nominis Antichristi, prædicuntur: si tamen illa vaticinia sint, & non magis, post exortos eos Imperatores, vt est verisimile, conscripta, De Iulio Cæsare:

K₁₀.æsar. *Primus erit Regum, cuius capitalis habebit Littera bis decies, poterit qui plurima bello, Et numeri formam primam denarij habebit.*
I₁₀.ulius.
De Augusto: *Proximus huic princeps sequitur quæ littera signat Prima elementorum* —

De Tiberio:

— post tempore longo
T₃₀₀.iberius. *Imperium tradet cuidam, cui prima valebit Littera Tercentum* —

De Caio Caligula:

I₃.ajus. *Deinde notam trini numeri sortitus habebit Imperium* —

De Claudio:

K₂₀.laudius. *— mox quem nota vicenaria monstrat Rexerit.* —

De Nerone:

N₅₀.ero. *Quem verò Dominum nota quinquagesima signat, Dirus erit serpens* —

De Vespasiano:

O₇₀.vespasianus. *Hinc veniet quidam magnus, casusque piorum, Quem nota perspicue decies septena docebit.*

De Tito:

T₃₀₀.itus. *Filius est huius (nota tricenaria monstrat) Auferet Imperium* —

De Domitiano:

— post quem fatale tenebit
Imperium, numeri quem quarta littera signat.
De Nerua:

Δ₄.omitianus. *Hinc quinquagemum numerum vir honestus habebit.*

De Traiano:

Quem sequitur, cui dat nota tricenaria nomen. T₃₀₀.trajanus.
Hæc ego non à Sybilla, sed ab otioso aliquo conscripta longè post exortos eos Principes putauerim.

CAPVT XXV.

Blasphemia Nouantium difflantur: veriusque in eos Nomen, Numerumque Antichristi conuenire.

NE querantur Nouatores nos mira eorum acumina maligno silentio obruisse: non piget tantisper audire quæ ipsi præ alta sapientia excogitarunt Nomina numeri 666. quæ in S. mum Romanum Pontificem, eiusque Apostolicam sedem, tamquā in Antichristum, impiè delirè, blasphemè conicerent. Primum illud ΛΑΤΕΙΝΟΣ, S. Irenæi, Andreæ, Arctæ, de quo superiori Capite.

30. 1. 300. 5. 10. 50. 70. 200.
Λ Α Τ Ε Ι Ν Ο Σ
Summa 666.

Effusè in hoc gloriantur, quasi Papa Romanus, Latinus, præsidens in Latina Ecclesia, ipse sit Antichristus. Sed S. Irenæus disertè pronuntiat: *Sed non in hoc nos nomine gloriabimur.*] Non ipsum valde probans, quasi Antichristo conueniat: præmisit quidem: *Et valde verisimile est: quoniam nouissimum Regnum hoc habet vocabulum: Latini enim sunt, qui nunc regnant.*] Oriturum quidem Antichristum, ex reliquiis Imperij Romani, abundè toto libro Quinto demonstrauimus. Vnde si Latinus ei nomen futurum est, non propter Papam, non propter Sedem Ecclesiasticam: sed propter Imperium Romanum sæculare, quod totum ad se transferet, sed sub suo nomine, posset verisimile videri.

Effictum quoque ab ipsis est Hebraicum רומית ROMITH, idest, Romana forma fœminea, vel aduerbali, Romanè.

400. 10. 10. 40. 6. 100.
ר ו מ י ת

Summa 666.

Addunt aliud Hebraicū אבנא חקדושה אבנא ABINV HAKADOSAH APHIPHI, hoc est, Pater noster Sancta Papa, vel, Pater noster meretrix seu scortum Papa.

10. 80. 10. 80. 1. 1. 300. 6. 4. 100. 5. 6. 50. 10. 2. 1.
א ב נ א ח ק ד ו ש א ב נ א
Summa 666.

At quæ portenta verborum sunt ista? quis vnquam Hebraicè ita loqui potuit? Quid illud de Romana fœmina, aut illud, Sancta Papa, vel Meretrix, seu scortum Papa? Nimirum refricant nobis fabellam de Ioanna Papissa. Sed non pudet eos mendacium impudentissimum, omni probationum genere à viris eruditis, luce meridiana clarius confutatum, obtrudere? Ergo fabulam falsissimam Ioannæ Papissæ perspicuè euerterunt, Onuphrius Panuinius in Additionibus ad Platinam, in Ioanne VIII. Papirius Maso Libro de Episcopis Vrbs, Nicolaus Sanderus lib. 7. de Visibili Ecclesiæ Monarchia, pag. 412. Gilbertus Genebrardus lib. 4. Chronographiæ, pag. 532. 533. Robertus Bellarminus lib. 3. de Romano Pontifice, cap. 24. Iodocus Coccius Tomo 1. Theauri Catholici, lib. 8. Articulo 14. Cæsar Baronius Annali 10. Anno Christi, 853. Numero 57, & seqq. Nicolaus Serarius in Historia Moguntina, Seuerinus Binius in Notis ad Tomum 3. Conciliorum, pag. 657. Iacobus Gordonus in Chronographia, anno Christi 853. Georgius Scherer peculiari opere In fabulam Ioannæ Papissæ, & omnium copiosissime

copiosissime & accuratissime Florimundus Remundus peculiari volumine de Fabula Ioannæ Papissæ, quod iam è Gallico Latinum legimus.

Adiiciunt aliud Græcis litteris, ITAAIKA EKKΛΗΣΙΑ, ITALICA ECCLESIA.

10.300.1. 30.10.20.1. 5.20.20.30.8.200.10.1.

ITAAIKA EKKΛΗΣΙΑ.

Summa 666.

Sed non erat propius Romana Ecclesia? nisi quod numerum nominis Antichristi non habet: Ecquis unquam Romanam Ecclesiam appellauit Italicam, etsi sit in Italia? Equidem Græca phrasi, qua Ioannes scripsit, non dicitur *Ιταλικα*, sed *Ιταλικη*, superatque numerum 666. septem unitatibus.

Afferunt alia summi ingenij, ex numero Latinorum litterarum:

1. 1. 1. 1. 100. 500. 1. 50. 5. 5. 1.
ERIT IPSI IN CARDINALATV VIGOR.

Summa 666.

Gallicè:

5. 100.50. 500. 5. 5.
VN CLERGIE DES EVESQVES.

Summa 666.

Italicè:

1.5. 100. 5.1. 50.1. 100.50. 1.100.
IVESCOVI PAPALI ET CLERICATO
ECCLESIASTICO.

Summa 666.

Cæterum quia isti dixerunt, quæ voluerunt, audient quæ non volent. Orthodoxi quoque valent ingenio ad excogitanda Nomina Antichristi, numeri 666.

Hebraicum לולתר LULTER, reddit 666.

200.400. 30. 6. 30.
לולתר

Summa 666.

Græcum ΣΑΞΟΝΕΙΟΣ, SAXONIOS, quæ patria fuit Lutheri, eundem numerum concipit 666.

200.1. 60. 70. 50. 5. 10. 70.200.
ΣΑΞΟΝΕΙΟΣ.

Summa 666.

Si literæ Latinæ eo ordine, quo Græcæ & Hebrææ, numeros denotare accipiamus, nimirum A 1, B 2, C 3, D 4, E 5, F 6, G 7, H 8, I 9, K 10, L 20, M 30, N 40, O 50, P 60, Q 70, R 80, S 90, T 100, V 200, X 300, Y 400, Z 500: proculdubio MARTIN LAVTER fert numerum 666.

30. 1. 80. 100. 9. 40. 20. 1. 200. 100. 5. 80.
MARTIN LAVTER.

Summa 666.

Quod si Latinis litteris numeros Græcarum tribuamus, vel si Græcis litteris scribamus ΑΟΥΘΕΡΑΝΑ, LUTERANA, nempe Hæresis: eundem numerum 666. exprimit:

30. 70. 400. 9. 5. 100. 1. 50. 1.
ΑΟΥΘΕΡΑΝΑ.

Summa 666.

Sic in hac voce IEAN TΣ, IEAN VS, reperitur idem numerus:

10. 5. 1. 50. 400.200.
IEAN TΣ.

Summa 666.

In hoc etiam BEZA ΣΑΝΤΙΘΕΟΣ, BEZA EST ANTIΘΕΟΣ, hoc est, Beza est contra Deum, idem est numerus.

2. 5. 7. 1. 6. 1. 50.300.10. 9. 5. 70.200.
BEZA ΣΑΝΤΙΘΕΟΣ.

Summa 666.

Hebraicè autem דָּוִד כִּיחֹרִי David Chithroi, David Chithraus, qui est insignis nouator, & qui Commentariis suis in 13. Apocalypsis, excogitauit nomen ROMITH, idest, Romana, vt inde probaret, nomen & numerum Antichristi Romano Pontifici conuenire: eundem ipse Antichristi numerum suo in nomine egregie sustinet.

10. 6. 200. 400.10. 20. 4. 10. 2. 4.

דָּוִד כִּיחֹרִי

Summa 666.

At de his vide latius Lindanum Dialogo 3. Dubitantij, Bellarminum lib. 3. de Romano Pontifice, cap. 10. Florimundum Remundum lib. de Antichristo, cap. 23. Verum quoniam, vt prædiximus, Antichristi nomen quale reuera futurum sit, quod certum eum numerum 666. præferat, in occulto adhuc diuini decreti manet, nec aperte reuelatum est; otiosum proflus & inane videtur in his nominibus, quæ eum numerum concipiant peruestigandis nimia curiositate prouehi. Parcè quidem ac moderatè Patrum vestigiis insistendo, nonnulla de his annotasse, operæpretium fuit.

Alcasar qui Bestiam Apocalypf. 13. existimauit esse Romanum Imperium, diuinavit nomen numeri 666, quod propriè Romano Imperio conueniret: idque è Ioannis Catholica Epistola existimat esse.

ΗΑΛΛΑΖΟΝΕΙΑ ΒΙΟΥ, SVPERBIA VITÆ.

3. 1. 30. 1. 7. 70. 50. 5. 10. 1. 2. 10. 70. 400.

ΗΑΛΛΑΖΟΝΕΙΑ ΒΙΟΥ.

Summa 665.

Tamet si deficiat vnum: at notat subiiciendum esse, quòd postremum A, cum sit longum, veteres solerent duplicare. Sunt hæc profecto vanissima: nam cur potius nomen Romani Imperij erit *Superbia vitæ*, quàm *Concupiscentia carnis*, vel *concupiscentia oculorum*: cum Romani & luxuria & Ambitione omnes mortales superarint: imò illud semper elogium præferrent:

Parcere subiectis & debellare superbos?

Sed huic Patri omnia quantumuis aliena, remota, inepta; propriè, aptè, concinnè ad mirabilem suam illam Apocalypsis acoluthiam rara felicitate obueniunt.

CAPVT XXVI.

De Antichristi Charactere.

Mira sunt & recondita, quæ de Characterè Antichristi S. Ioannes vaticinatur Apocalypf. 13. 16. Et faciet omnes pusillos & magnos, & diuites & pauperes, & liberos, & seruos, habere Characterem in dextera manu sua, aut in frontibus suis. 17. & ne quis possit emere aut vendere, nisi qui habet Characterem, aut nomen Bestiæ, aut numerum nominis eius. Et c. 14. v. 9. Si quis adorauerit Bestiam & imaginem eius & acceperit Characterem in fronte sua, aut in manu sua: 10. & hic bibet de vino iræ Dei, & c. Et v. 11. Et fumus tormentorum eorū ascendet in sæcula sæculorum: nec habent requiem die ac nocte, qui adorauerunt Bestiam, & imaginem eius, & si quis acceperit Characterem nominis eius. Et cap. 16. 2. & factum est vulnus sauum & pessimum, in homines, qui habebant Characterem Bestiæ: & in eos, qui adorauerunt imaginem eius. Et cap. 19. v. 20. Seduxit eos, qui acceperunt Characterem Bestiæ, & qui adorauerunt imaginem eius. Et cap. 20. 4. & qui non adorauerunt Bestiam, neque imaginem eius, nec acceperunt Characterem eius in frontibus, aut in manibus suis.

Quid autem sit Character Bestiæ, idest, Antichristi, & quid eo nomine significatum à Ioanne omni-

T 2 bus

bus hisce fuerit, operosius est nunc disquirendum. Character, siue ut Græcè est Charagma, propriè est, Nota impressa, seu insculpta, vel ceræ, vel chartæ, vel ferro, æri, vel cuius aliæ materiæ. Cælius lib. 2. lectionum Antiquarum, cap. 17. *Dicitur homo in Canonicis Decretis Charagma Dei, siue signum, aut sculptura, & numerus ab eo percussus cum imagine Dei.*

Illud ante omnia considerandum, quod ut Christiani proprium ac geminum Christianitatis Characterem habemus, signum Dominicæ Crucis, quod fronti, ori, pectori affigimus, tamquam certissimam tesseram nostræ professionis, qua ab aliis falsis religionibus nos esse alienos ostendimus: quod equidem ex Apostolica traditione manasse, consuetudo tot sæculorum euincit: ita quoque Antichristum suis datarum peculiarem Characterem & notam, qua ab aliis discernantur, & Antichristiani probentur.

S. Hippolytus Martyr Oratione de Antichristo, Primasius, Victorinus, Andreas, Aretas, S. Beda, Rupertus: & ex Recentioribus Cælius Pannonius, Bulengerus, Sa, Alcasar, Matiana, in 13. Apocalypf. Xyftus senensis lib. 2. Bibliothecæ Sanctæ, Florimundus Remundus cap. 42. de Antichristo, Leonardus Lessius Demonstratione 11. de Antichristo, Ieremias Ferrerius cap. 29. de Antichristo, & alij existimant characterem Antichristi nihil aliud futurum, nisi nomen ipsum Antichristi proprium, de quo proximè antecedentibus capitibus tam multa disseruimus. Quod sanè nomen bifariam suis asseclis tanquam Characterem imprimet Antichristus. Primò in suis litteris, vel integris, vel compendio decurtatis, exaratum: secundò, in calculo illo, seu numero nominis 666. vel litteris, vel notis tantum intellecto. Aretas: *Ecquidnam sit iste Character, insert, nempe nomen Bestiæ. At huius duplex cognitio est, vel per illationem ipsius nominis, aut per calculum.*

Refellunt hanc sententiam Bellarminus lib. 3. de Romano Pontifice, cap. 11. Ribera, & Melus in 13. Apocalypsis, ex perspicuis, ut ipsi putant, Ioannis verbis, nam ait: *nisi qui habet characterem, aut nomen Bestiæ, aut numerum nominis eius.* Ut etiam disjunctiue Græca habent, Aliud igitur est character Antichristi, aliud nomen, vel numerus nominis eius. Bellarminus existimat, Primasium, Bedam, Rupertum, deceptos, quod apud Ioannem legerint, *nisi qui habuerit characterem nominis Bestiæ, aut numerum nominis eius.* Cum tamen Ioannes diserte non ita scripserit, sed in hunc modum: *nisi qui habet charagma, aut nomen bestie, aut numerum nominis eius.* sub disjunctione, distincteque characterem, & nomen Bestiæ ponens. Sed hic perspicuus est lapsus Bellarmini: nam Ioannes Apocalypsis 14. 11. aperte ait: *Si quis acceperit characterem nominis eius.* Ad quem locum respexisse Patres, & illos qui Characterem Antichristi, nomen eius esse dixerunt, non est dubium. Vbi loquutum Ioannem de nomine illo Antichristi proprio & insigni, de quo in antecedentibus capitibus egimus, nulla est ratio cur inficiantur Ribera & Melus.

Neque Ioannis disjunctiua loquutio quidquam præfatæ Patrum ac Recentiorum interpretationi præiudicat. Nemo enim nescit particulam *aut*, sumi plerumque pro, & vel, siue, esseque interdum magis expositiuam, quàm disjunctiuam, quod ex usu Hebraicæ, & Latinæ linguæ nimis est manifestum. Sic & Hebraicum in o solet Noster Vulgatus exponere, ut Prouerbiis. 30. 31. & aries. & Numeror. 15. 6. & alibi. Sic Psalm. 84. 6. *Numquid in æternum irascèris nobis, aut pro siue, idest, extendes iram tuam à generatione in generationem?* in qua oratione nulla est disjunctio, sed expositio. Vnde Lexica Sanctis, & Forsteri.

S. Hippolytus Martyr arbitratus est, characterem Antichristi fore hoc elogium: *Nego Iesum*, vel, *Nego Baptisma*, vel, *Nego Crucifixum*, aut aliud eiusmodi impietatis, & Blasphemie symbolum: sic enim ait: *Max cuncti accedent atque adorabunt eum, quibus dabit characterem in dextera manu & fronte: ne quis dextera sua pretiosam illam crucem pingat in fronte. Ex quo tempore non poterit illum signare membrorum suorum, sed adhaerebit seductori, eique seruiet: neque ducetur penitentie: sed periet ille, cum quod ad Deum, quod ad homines attinet. Ita seductor ille dabit eis pauca cibaria, id quod ob impurum sigillū suū. Sigillū illius tā in fronte, quā in dextera manu est calculus XEs. At ut opinor, neque certo hoc scio, quod in scriptura qua est in calculo illo permulta reperiantur nomina, que numerum illum habeant. At dicimus fortasse scripturam illius sigilli esse *Αρμα*, (*Αρμα*), idest, *Nego*. Nam antea quoque hostis ille nobis aduersarius opera ministrorum suorum, hoc est, idololatrarum, Christi martyres hortantium, *Negato*, aiebat, *Deum tuū crucifixū. Tale erit tempore illius honestatis* (sic correxi propter dictionē *μωναδ*, qua est in Græcis, idest, honestatis oforis) *omnis oforis sigillum, dicens: Nego Creatorem Cali & terræ, Nego Baptisma, Nego adorationem à me Deo præstari solitam: Tibi adharesco, in te credo.* Hæc ille. Quibus aliqui quoque recentiores subscribere, & inter eos Peterius lib. 15. in Daniele.*

Nec est dubium, Antichristum, Christianos qui ad ipsum defecerint solemnè quodam & execrando ritu coacturum, sacrum abiurare Baptismum, fortè, ac ad diuinā illam imitationem deradere, ut olim fecisse Iulianum Parabatam, ex S. Gregorio Nazianzeno, aliisque ostendimus lib. 1. cap. 18.

Ribera, & Melus in 13. Apocalypf. suspicati sunt, forsàn characterem Antichristi futurum effigiem aliquam seu insigne Draconis, quem Antichristus, vel in quo se adorari iubebit: ut olim Romani inter signa militaria Dracones præferebant. Sed hanc opinionem lib. 8. cap. 6. confutauimus.

Gagnæius in 13. Apocalyp. Bellarminus lib. 3. de Romano Pontifice, putant, Antichristi characterem futurum signum aliquod certum & expressum ab ipso excogitandum, ut notam professionis: ut nos Christiani Crucem habemus: sed quale illud, & qua forma erit, nunc nesciri, quo usque veniat Antichristus: nam tunc viso eius caractere seu simbolo, facillè pij intelligent, illud ipsummet esse, de quo hic Ioannes vaticinatur: quemadmodum de nomine ipsius Antichristi, præcedentibus Capitibus obseruauimus.

Viegas in 13. Apocalypf. Antichristi Characteres tres constituit, Primum, imaginem ipsius ad viuum expressam, secundum, nomen ipsius proprium, suis litteris inscriptum, tertium, litteras compendio continentes numerum nominis eius 666. sed quæ ad rem proprius faciunt, pressius discutiamus.

Primum facillè omnes assensuros credimus Characterem Antichristi futurum aliquod gloriosum insigne, quo in sigillari annulo suo vteretur Antichristus, quodque in instrumētis, vasis, suppellectili, in frontispiciis domorum, palatiorum, in armis, clypeis, vexillis, signis militariis depingi, intexti, imprimi curabit, ac pompose circumferet: atque etiam in nomismatis publicæque moneta percuti ac cudi iubebit. Eiusmodi insignia, seu stemmata Hispanicè appellamus *Armas Blason*. Solere enim Reges ac Principes peculiare aliquod ac gentiliū stemma habere, quo epistolas ac diplomata obsignet, & in annulis signatoriis gestet, ex I. Esther, c. 3. v. 10. & 11. & ex plurimis auctoribus habetur exploratissimum. Atteius Capito Iuris inter primos peritus, apud Macrobiū 1. 7. Saturnaliū, c. 13. hæc scribit: *Veteres non ornatus, sed signandi causa annulum secum*

secum circumferebant. Imprimebatur autē sculptura materie annuli, siue ex ferro, siue ex auro foret.] Suetonius in Augusto cap. 50. In diplomatibus, libellisque, & epistolis signandis initio sphinge usus est: mox imagine Magni Alexandri: nonissimè sua, Dioscoridis manu sculpta qua signare insequuti quoque Principes perseuerauerunt.] Plinius, lib. 37. cap. 1. Quique diui Augusti imaginem similem expressit, qua postea Principes signabant, Dioscorides. Sulla Dictator traditione Iugurtha sepe signauit. Diuus Augustus inter initia sphinge signauit. Duas in matris annulis iam indidre similitudinis inuenerat. Altera per bella ciuilia, absente eo, amici signauere epistolas, & edicta, qua ratio temporum nomine eius reddi postulabat, non infaceto lepore accipientium, anigmata asferre eam sphingē. Quin etiam Mæcenatis rana per collationem pecuniarum in magno terrore erat. Augustus postea ad euitanda conuicia sphingis, Alexandri Magni imagine signauit.] Trebellius Pollio in Quietō: Videtur mihi nō pretermittendum de Macrianorū familia, qua hodiēque florēt, id dicere, quod speciale semper habuerunt: Alexandrum Magnum Macedonem, viri in auro & argēto, mulieres in reticulis, & dextrocheriis, & in annulis, & in omni ornamentorum genere exsculptum semper habuerunt: eousque ut tunica & limbi, & penula matronales in familia eius hodiēque sint, qua Alexandri effigiem delitiis variantibus monstrant. Quod idcirco posui, quia dicuntur iuuari in omni actu suo, qui Alexandrum expressum vel auro gestitant, vel argento.] Vide de his plura apud Alexandrum Genialium dierum lib. 2. cap. 19.

Insuper obseruamus, Primasium, & Ansbertum; atque ex recentioribus Riberam, Melum in 13. Apocalypf. Cornelium à Lapide in 2. Thessalon. 2. ut cum primis verisimile tradidisse, Antichristo characterem futurum signum quoddam, in quo totum Christi nomen compendio & notis litterarum inscriptum includatur: nempe Græcas litteras Ro, P. & χ chi, adiecta transuersa lineā, utramque litteram in modum teli traiciente, in hanc formam:



Primasius: Hoc in nota, idest, in monogramma, qua in hunc modum fit, exprimitur: ubi compendio totum Christi nomen includitur.] Ansbertus: Est autem Character in hunc modum expressus, ubi compendio totum Christi nomen includitur.] & paulo ante præmiserat: Et ecce dum orans loquor, præsentiam tuam adesse cognosco: qua ergo à te mihi elucet, perducam necesse est ad cognitionem lucis.] Quæ verba quidam ita capiunt, ut indicet Ansbertus, se quæ de forma Characteri Antichristi tradit, à Deo reuelatione accepisse. Veritas est, quod à Primasio interpretationem, & verba transcripsit.

CAPVT XXVII.

De Antichristi characterē adhuc, & de Labaro Christianorum Imperatorum.

Verum hæc de Characterē Antichristi, nomen Christi compendio complectente, sunt accuratius explicanda. Labarum insigne militare vexillum, quo Christiani Imperatores vsi sunt in bellis, nulli non notum: de quo opportuna hic occasione nonnulla paulo selectiora colligere iuuat.

Rem ipsam, & penè formam Labari extitisse iam apud Romanos multo ante tempora Constantini Magni, & sciunt omnes, & figuræ ipsæ Labari, quæ in diuersis Lapidibus sculptæ, & in Nummis excussæ hodiēque extant, facillè ostendunt. Apud Hubertum

Goltzium, aliosque Numismatum collectores, videntur numismata diuersorum Consulū tempore Reipublicæ, C. Iulij Cæsaris, M. Antonij Trium viri, & Hadriani Imperatoris cum expressa Labari figura. Est hastile oblongum ac teres, cui in superiori parte hastula transuersa affigebatur, ex qua velum rugis aliquibus contractum dependebat. Exhibent quoque nonnullas eiusmodi Labarorum effigies Pamelius in Notis ad Apologeticum Tertulliani, cap. 16. Lipsius lib. 4. de Militia Romana. Dialogo 5. Godeschalcus Stevvechius Commentariis ad cap. 9. lib. 3. Vegetij de Re Militari, & ad cap. 17. Lazarus Bayfius de Re Nauali, & idem Stevvechius ad cap. 2. lib. 3. Vegetij, ex numero L. Veri Imperatoris, descripserunt speciem Liburnicæ, in qua est Labarum cum distincta & perspicua Cruce in summitate. Erat ergo iam ante Constantinum vexillum illud Romanum. Insignis & expressa Crucis imago, quod & omnes fatentur: vnde.

S. Iustinus Martyr Apologia 2. ad Antoninum Pium Imperatorem, pag. 90. Quin & signa vestra figura huius [Crucis] vim præferunt ac declarant. Vexillorum signa dico, aliorumque insignium & tropæorum, per quæ progressus à vobis in publicum quouis locorum fiunt, imperij & potestatis indicia in hisce ostendentibus, licet hoc non intelligentes faciatis.] Tertullianus Apologeticus cap. 16. Religio Romanorum tota castrensium signa veneratur. signa iurat, signa omnibus diis præponit. Omnes illi imaginum suggestus insignes (in Signis), nomina crucium sunt. Suppara illa vexillorum & Cantabrorum stola crucium sunt. Laudo diligentiam, noluisse nudas & incultas Cruces conseruare.] Minutius Felix in Octauio: Ipsa signa & Cantabra, & vexilla Castorum, quid aliud quam inaurata cruces sunt, & ornata.] Elucidandæ sunt duæ voces obscuræ in Tertulliano & Minutio. Syppara, vel suppara, & Cantabra. De supparo Festus: Siparium, quo in scænis mimi vruntur, dictum ait Verrius à velamento quod vocetur, alias aulam.] Rursus idem: Supparius dicebatur puellare vestimentum lineum, quod & fibucula appellatur, ut ait Pomponius in Fullonia. Item velum omne quod ex lino est, supparum dicitur, Punicum vestimentum ita vocat. Nautius de bello Punico, in Nautis. Nautis autem vestem consecratam supparum vocamus: & nunc supparos dicimus vela linea in Crucem expansa. Mulier videtur puella esse supparo induta, ut ait Afranius. Puella non sum, supparo si induta sum.] In quem locū ista annotat Scaliger: Ita hæc diuinauimus, vel potius hariolati sumus ex his Festi, quæ nobis supersunt, reliquis. Iam supparum esse omne lincum velum, id verum est, neque aliter potest esse. Ita enim vela in nauibus vocabant. Vnde Lucanus & Seneca dixerunt, Suppara velorum. Vestem consecratam, & velamentum in signis militariibus cruce superpositum, siparium vocari tam certum est, quàm verum illo Tertulliani loco supra à nobis emendato indicari sipara illa vexillorum, & candelabarum (vel & Cantabrorum) stola crucium sunt. Nam & candelæ vestes, sipara, vela illa de quibus ait Festus.] De supparo quoque Nonius Marcellus cap. 14. Numero 20. Varro lib. 4. de lingua Latina, cap. 30. S. Isidorus lib. 19. Originum, c. 3. Sed & idem Festus in Schedis Pomponij Læti, quæ editæ sunt ex Bibliotheca Farnesiana: Supparum appellant dolonem, quod est velum minus in naui, ut Acation maius. Supparum autem dictum ait Siniis Capito, velut separatum quod sit, disiectumque à dolone interioris mali.] Ex iis facillè intelligitur, quæ sint syppara, vel suppara vexillorum in Tertulliano.

Iam de Cantabris. Hadrianus Turnebus lib. 15. Aduersariorum, c. 16. tentauit Cantabra, pro Cantabra, in Minutio restituere, ut enim à Cādela candelabrū, ita à cōto dici cōtabrū. In Tertulliano verò olim passim legebatur, & Labarorū. Alij. Cādelabrōrū. Iose. Scaliger in

castigationibus ad Festum, verbo, *Stripatores*, inquit: *Locus corruptus apud eundem eruditissimum scriptorem: sipara illa vexillorum, & candelabrorum stola crucium sunt. Legendum enim: Sipara illa vexillorum, & candelabrorum, stola crucium sunt. Notum, Labarum inter signa militaria fuisse: ex illo ut ex antenna pendebat Candys, quod est genus paludamenti Barbarici. Itaque in veteribus monumentis ita visitur semper Labarum ea forma pictum. Neque multum negotij fuit Constantino Imperatori id in speciem Crucis consignare, cum iam transuersum antennae specie lignum haberet. Candys ergo sunt candyses, à nominatiuo Candis. Non ignoro tamen in veteribus libris Tertulliani Cantabrorum legi, ut etiam apud Arnobium (Minutium dicere debuit) praeterea Labarum tempore Tertulliani non fuisse. Quare hoc modo labefactabitur coniectura nostra.] Et planè labefactatur: nam ridiculum est existimare aetate Tertulliani fuisse formam, & nomen Labari, & si res fuerit, cum constet sub Constantino natum. Falsus quoque fuit Onuphrius Commentariis in lib. 2. Fastorum, qui ex deprauata Tertulliani & Minutij lectione labarorum putauit ab Hadriano Imperatore inuētā Labari vocē.*

Equidem in Tertulliano & Minutio Cantabrorum habent, plures & vetustiores codices, quam lectionem probant quique eruditi. In Codice Theodosiano, extat mentio de Signiferis & Cantabtrariis. nempe de his qui signa & cantabra in acie gestabant. Baronius Annali 3. Anno Christo, 312. Num. 33. coniectatur à Cantabris Hispaniae populis, quos debellauit Augustus, eiusmodi vexilla cantabra dicta, & in Romanas acies recepta. Mos enim Romanis fuit deuictarum ab se gentium signa inter sua recipere; sic à Traiano subiugatis Dacis, Dracones in vexilla Romana transiere. Mera coniectura nominis, nulla auctore nixa.

Franciscus Iunius in Notis ad Tertulliani Apologetici, cap. 16. hæc habet: *Sunt autem Cantabra Persica sipara, quae Imperatores Romani à solempni Persarum more in usum suum conuerterant: ex eo sortita nomen, quod de hasta seu conto descenderent & deponerentur commodè: cum alia vexilla exercitus continentia essent hastilibus vel contis suis non exemptilia. Est enim Cantabrum Persicā origine ad verbum, Conto descendens: nam contum appellant Kanath: quod descendit, deponiturque Baron sine Boron. Grauius enim signum, Principale & Imperatorium erat, quam ut ferri indefinenter posset: ideoque nunquam nisi pro necessitate appendi solebat, atque explicari. Quare prudenter distingui tria hæc apud auctores, ad argumentū hoc pertinentia, Candys siue Candies Labarum, siue Laborum, & Cantabrum. Candys siue Candyes fustis est, hasta, vel Contus cui appenditur militare signum Persæ Kanath, Hebræi in suis Commentariis dixerunt Kendes: ut Grecis Contos. Et inde quoque Candys, militaris & honorata hastatorum vestis fuit appellata Hesychio. Labarum siue ut Sozomenus, Laborum fuit regium, vel Imperiale siparum, & sola Candys, ut vocibus Tertulliani utar, vel signum pensile, quod recentiores Greci ex usu Gallorum, qui eo immigrauerant, appellant σταυρον, quasi Auristamneum dicas; ut in Europalatem ostendimus. Cantabrum est instrumentum illud totum ex Candye, Labaroque constans; ut principio diximus: & ita Minutius accipit.] De Candy Persarum veste Iulius Pollux in Onomastico lib. 7. cap. 13. plura.*

Idem Iunius Annotationibus in Genes. 8. v. 4. ita obseruat: *Ex verbo Labor, quod sermone Armenio atque Aegyptio significat descendere, est nomen Labarum, signū pensile, quod præferebatur Regibus, & Imperatoribus ex Armeniorum & Persarum usū: quia exemptile erat, & de conto suo, ut ita dicamus, descendebat, amouebaturque commodè. Sic vocat Tertullianus in Apologetico, &c.] Hoc idem de etymo Labari habet Fungerus in Etymo-*

logico Trilingui. Sed quo auctore, Romani Cantabra à Persis, aut Armenis mutuati sunt? Nam Persis regale in Bello signum fuisse Aquilam, Xenophon lib. 7. Cyropædias, & in Anabasi Cyri Minoris, Curtius lib. 3. Rerum Alexandri, & Philostratus in Heroicis, in Themistocle tradunt. Mirum istos cum etymon Cantabrorum ex Armenia aut Persia arcessunt: non illud è Scandinauica aut Sclauonica, aut Cimbrica, aut Malabarica voce, aut lingua deducant. Irrisimus etiam horum vanitatem in Notis nostris Hebraicis ad Genes. 8. v. 4.

De re ipsa quoque Labari loquutum putant Dionem Cassium lib. 40. cum de Crassi Parthica expeditione, scribit: *Vexillum præterea quoddam ex eorum numero, quæ magna, velorumque similia sunt, inscriptum puniceis litteris, ad notitiam exercitus, Imperatorisque faciendam, inuersum vi vehementis venti, à ponte in flumen decidit.]*

Cæterum Constantinus Magnus vexillum eiusmodi, dependentis veli ex hasta transuersa, conto affixa, quod Crucis effigiem utcumque referebat, plenius & perfectius in formam Crucis expressit, ex eiusmodi diuina plane & admirabili occasione, quam Eusebius in eius Vita, lib. 1. cap. 22. & seqq. exquisitè refert: cum enim latè exposuisset apparatus belli Constantini aduersus Maxentium Tyrannum, & ut se cum primis precibus Deo commendasset: ita sequitur: *Imperatori igitur ista precanti, obnixèque flagitanti visio quadam diuina, & in primis admirabilis apparuit: quam si quis forte alius dixisset, non tam facile hominibus potuisset persuaderi: verum cum Imperator ipse Victor nobis ipsis qui hanc historiam jam litteris prosequimur, longo tempore post, cum notitia eramus, & familiari colloquio ab eo dignati, narraret, & sermonem iure iurando confirmaret: in dubium esse posuit, quin sit rei ita commemorata fides omnino adhibenda: præsertim cum tempus postea consequutum, ratum orationi testimonium dederit? Cum iam sol ad medium calum ascendisset, die in pomeridianum tempus paululum inclinante, dixit se crucis signū ex lucis splendore figuratum, in ipso calo soli imminens manifestè oculis aspexisse, inque inscriptionem consignatam, quæ hæc verba complectebatur: IN HOC VINCE. Admiratio ingens ipsum, & totum exercitum, qui cum quopiam iter facientem comitabantur, atque adeo huius prodigy spectatores facti erant, incescit.*

Sed dubitatione admodū intra se distrabi, quid tandem illud ostentum sibi vellent, asseruit. Atque cum diu, multumque de eo cogitarem oppressit nox. Ibi ei dormienti Christum Dei cum signo in celo monstrato visum esse, præcepisseque, ut exemplari ad imitationem illius signi quod in celo apparuerat, fabricato, eo tamquam presidio in præliis cum hostibus committendis uteretur.

Ille simulatque dies illuxit, surgens, primum arcanum illud visum amicis exponit: deinde artificibus, qui aurum, & lapides pretiosos affabre sculperet nouerant, accersitis, medio inter illos loco assidet: verbis signi describit effigiem, eam auro & lapidibus pretiosis imitatione adumbrare mandat. Quam quidē effigiem contigit, ut nos oculis olim contempleremur: ipse enim Imperator, Deo illud largiente, eam nobis ostendere dignatus est.

Erat autem tali figura fabricata: Hastile oblongum, erectumque auro undique obductum fuit: quod cornu habuit transuersum, ad formam Crucis constructum. Supra in fastigio ipsius operis, corona affixa, lapidibus pretiosis, & auro politè circumtexta. In ea salutaris appellationis seruatoris nota inscripta, duobus solum expressa elementis, id est, duabus primis litteris nominis Christi, (erant enim littera P. Ro, in ipso medio littera X ehi, curiosè & subtiliter inserta) quæ totum Christi nomen perspicuè significarunt: quas quidē litteras deinceps semper Imperator in Galea gestare consuevit. Ad cornu illius particula, quæ ex trans-



uerso erat per hastile traiecta, velamen quoddam pertenuè appensum adhaesit, regalis videlicet, & magnifica textura, mirabili varietate lapidum pretiosorum artificiosè coniunctorum, lucisque sua claritate pulchrè resplendescentium depicta, & multo auro intertexta: quae dici non potest, quantum spectatoribus ob sui pulchritudinè excitaret admirationè. Istud igitur velamen ad cornu affixum longitudinis, latitudinisque crucis mensuram penitus exaequauit. Oblongum verò & erectum hastile in sublime appensum, cuius pars inferior versus basim longius ducta fuit, sub ipsius Crucis insigne, ad textura discurrentis simbrias, aurea p[er] Imperatoris, pariter ac liberorum suorum effigiem, ad pectus usque concinne descriptam cōtinuit. Isto igitur salutaris ligno Imperator, tanquam hostilis cuiusque infestae violentiae propugnaculo semper usus est. Cuius expressa similitudines mandauit, ut vniuersum exercitum perpetuo antecederent.] Haecenus Eusebius. Eadem Zozomenus l. 1. Historiae Ecclesiasticae, cap. 3. & 4. Acta Metrophanis & Alexandri apud Photium, pag. 765. Bibliotheca, Paulus Diaconus in Miscella lib. 1. cap. 7. & seqq. Cedrenus in Compendio Historiarum, Zonaras initio Tomi 3. Annalium, Nicephorus lib. 7. Historiae Ecclesiasticae, cap. 29. & alij posteriores. Atque hoc est Labarum insigne illud militare vexillum, quod primum Constantinus in plenam & absolutam Crucis effigiem conformauit.

De quo non sunt praetermittenda ista Zozomeni: Imperator Constantinus prophetias de Christo admiratus, mandatum v[er]is arte peritis dat, ut signum quod a Romanis labarum vocatur, in effigie crucis, auro, & lapidibus pretiosis collustratum mutaret. Hoc signum bellicum in multo maiore honore, quam alia, propterea fuit, quod sepe Imperatorem antecederet, & a militibus adorari consuevit. Quod quidem cum signum esset Imperij Romani omnium praestantissimum, arbor a Constantino ob hanc causam in primum in signum crucis mutatum, uti assiduo eius aspectu & cultu subiectos suos pedetentim a patris ritibus desuefaceret: eumque solum Deum existimarent, quem coleret Imperator: atque illo duce & adiutore in bello contra hostes gerendo vterentur. Nam istud veluti propugnaculum ante copias suas semper gestandum curauit: & si quae cohors laboraret, illud ei admoouere iussit: atque lectissimos satellites ad illud negotium obeundum constituit: quibus onus impositum erat, ut singuli vicissim in signum humeris ferrent, & acies hostium circumirent.

Fertur autem eum qui illud quodam tempore gestaret, repentina hostium incursione perterritum, idem ipsum tradidisse alteri, & se a praelio subduxisse: ac cum jam extra telorum iactum confisteret, ex improviso lethali vulnere sauciatus concidisse, eum autem qui diuinum Crucis signum ab illo acceperat, sine vulnere perstitisse, idque cum multi tela in ipsum conicerent. Nam tela coniecta ab hostibus, mirandam in modum diuina virtute directae, in ipso signo insiguntur: ab eo autem qui illud ferebat, quique in mediis periculis versabatur, avolant. Dicitur porro nullum unquam militem, qui munere signi huius gestandi fungebatur, in bello, quod sanè credibile est, in grauem aliquam calamitatem incidisse, aut vulnus accepisse, aut captiuum abductum esse.] Haecenus Zozomenus. Eadem Paulus Diaconus lib. 11. Miscellae, cap. 8. quae exscriptae sunt ex Eusebio lib. 2. de Vita Constantini, cap. 7. 8. 9.

S. Gregorius Nazianzenus Oratione 2. quae prior Inuectiua in Iulianum Imperatorem, qui Labarum sustulit, haec de Labaro: Qui iam etiam aduersus magnū illud vexillum audacia effertur, quod cum cruce magnificè praecedit, in altumque elatum exercitum ducit, erummarū soluendarum vim habens: hincque apud Latinos nomen trahens, principatumque, ut ita dicā, in reliqua omnia vexilla tenens, tam quae Imperatorum imaginibus, atque expressis texturis, in variis tincturis ac litterarum picturis decorantur, velutque exultant, quam quae horrendis draco-

num hiatibus super summas lanceas elatis inflata, & per tractus contextis squamis distinctos agitata, iucundissimū simul, & horrendum spectaculum oculis praebent.] Vult S. Gregorius Labarum Latinis dictum, quasi soluens labores, quam etymologiā secutus quoque videtur Sozomenus: vnde in quibusdam Antiquis Glossis Labarum se inuenisse ait Turnebus.

Vidimus iam perspicuè in Eusebio, aliisque in Labaro mira concinnitate, simul cum Cruce expressum fuisse Christi nomen duabus Graecanicis litteris Chi X. & Ro P, in hunc modum **P**. In antiquis Nomismatis, tabulis, lapidibus **P** variae multiplicèque cernuntur Labarorum formae, quae tamen inter se plurimum differant: semper tamen nomen Christi compendio duarum Graecarum litterarum Chi & Ro, X P, hoc quo diximus modo **P** inclusum, simul cū Crucis figura praefertur. Hinc **P** S. Ambrosius Epistola 17. quae est ad Theodosium Imperatorem: *Habebis Imperator Comitem praenaricatore, & huic vexilla committis victricia, huic Labarum, hoc est, Christi sacrum nomine lignum, qui Synagogam instauraret, quae Christum nesciat? Iube Labarum Synagoga inferri, videamus si non resistunt.*] Prudentius lib. 1. in Symmachum, canens bellū Constantini aduersus Maxentium; *Christus purpureum, gemmati textus in auro Signabat Labarum.*

Eiusmodi Labaris cum cruce & nomine Christi, nequā Constantinus, sed etiam insequuti Christiani Principes vsi sunt in bellis; ut Constantius, Magnentius, Iouianus, Valentinianus, Valens, Gratianus, Theodosius, Honorius, & alij. Horum labarorum formae ex praeis nummis & lapidibus, typis redditae & expressae extant, à quamplurimis viris eruditis collectae, Pierio Valeriano lib. 50. Hieroglyphicorum, Lipsio lib. 3. de cruce cap. 16. Baronio Tomo 3. 4. & 5. Annalium, & aliis. De Labaro proculdubio intellexit Prudentius cum li. 1. in Symmachum, alloquens Romam in aduentu Constantini, canit:

Agnoscas, Regina, lubens mea signa necesse est,

In quibus effigies crucis aut gemmata resulget,

Aut longis solido ex auro praefertur in hastis.

Et lib. 2. in eundem Symmachum, de Romano stili-
phonis exercitu:

— Cecinero iube: prima hasta dracones

Pracurrit quae Christi apicem sublimior effert.

Apicem Christi, **P** intelligit.

Sed quod Eusebius ait Constantinum in Galea gestare solitum ipsum Christi apicem, extant Nummi Constantini, in quibus eius imago cum galea, in qua expressa cernitur eiusmodi sacra nota **P**: vnum exhibet Baronius typis excusum Annali **P** 3. Anno Christi 312. Numero 32.

At non solum Constantinum in galea; sed eius exercitum etiam in galeis, & clypeis idem sacrum Symbolum circumtulisse, Prudentius lib. 1. in Symmachum affirmat:

— Clypeorum insignia Christus

Scripserat, ardebat summis crux addita cristis:

Et rursum:

— quod signum dextera vindex

Pratulerit, quali radiarent stemmate pila.

Insper:

— tunc ille senatus

Militia vtricis titulum, Christi que verendum

Nomen adorauit quod collucebat in armis.

Maiorianum Imperatorem in scuto praetulisse eiusmodi Christi Characterem, aureus eius nummus, iam typis redditus, ostendit. Atqui non solum in galeis & scutis, verum etiam in coronis & laureis militum in-

scribi & depingi solitum istud Christi signum, ex veteri monumento quod publicauit Baronius Annali 3. Anno Christi 351. Numero 7. cognoscitur. In epitaphiis quoque veterum sepulchrorum visuntur coronæ laureæ, in quarum medio est signū Christi, **P** apud Baronium Annali 4. Anno Christi 367. Numero 1. In vetustissima alia tabulæ sepulchralis inscriptione, habetur eadem nota, non cum transuerso X. chi; sed in hasta litteræ P. Ro transfixa linea, expressa crucis effigie, in hunc modum, **P** Aliquando vero tantum litera Ro protensa P. ali **P** bi inuenitur. Vide de his Annalem 3. Baronij Anno Christi 312. Numero 25. Obseruatum quoque est, annulos quos Christiani olim gestare solerent, eadē Christi nominis nota **P** sculptos. In Nomismate Magnētij Tyranni, cuius figuram exhibuit Baronius Annali 3. Anno Christi 350. Numero 2. ponitur eadem Christi nominis tessera, inter duas Græcas litteras extremas, in hūc modum **A** **P** cum inscriptione SALVS DD. NN. AVG. ET **CAES.** Inueniuntur quoque Constantij Imperatoris nummi cum eisdem litteris & nota nominis Christi, quos retulit Ambrosius Morales Hispanicarum rerum lib. 11. cap. 41. Significant eæ litteræ Christum esse Alpham & Omegam, Principium & finem rerum omnium, vt se ipse appellat in Apocalypsi. Equidem ab ipsis Gothorum Arianorum temporibus in multa postmodum subsequētia sæcula illum, apud Hispanos Catholicos viguisse morem, vt in ipsis cippis, lapidibusque sepulchralibus, prædicta nominis Christi nota extremis illis Græcanici Alphabeti litteris inclusa adsculperetur plura eiusmodi monumenta, quæ Ambrosius Morales lib. 11. cap. 31. 41. 44. 53. 56. & alij rerum Hispanicarum Auctores proferunt, aperte demonstrant. Testatur idem moral vidisse se sæpius in laterculis vetustissimarum parietinarum, in numis præscorum Hispaniæ Regum eandem Christi Notam inter duas illas litteras **A**, & **Ω**. Videbatur tessera fidei orthodoxæ de diuinitate & consubstantialitate Filij Dei aduersus Arianos; quāuis eam vsurparit Constantius Arianus. Atque hæc satis de Labaro, & de Compendio seu Nota nominis Christi **P**. Sed de Labaro disseruere quāplurimi, seorsim **P** Onuphrius Panuinius lib. 2. Commentariorum in Fastos. Lilius Giralduus Dialogismo 25. qui habetur Tomo 2. Theauri Critici Grutteriani, Iustus Lipsius lib. 3. de cruce, cap. 16. Baronius Annali 3. Anno Christi 312. Numero 23. & seqq. Steuuechius Commentariis ad lib. 3. cap. 17. Vegetij de Re Militari, Ioannes Vuetzius in Notis ad lib. 1. Prudentij aduersus Symmachum, Antonius Bozius in cruce Triumphanti, Iacobus Gretzerus Tomo 1. de cruce, lib. 2. cap. 39. qui immanes de cruce Tomos composuit. Nec omiserim, extare adhuc Nummum Prolemæi Cyrenarum Regis, ante natum Christum, cum hac Nota **P** de quo agunt Iosephus Scaliger ad Numerum **P** Eusebianum MDCCCXXI. & Gretzerus lib. 2. de cruce, cap. 38. cum tamē certum sit in eo nummo non significari nomen Christi; sed Christion, idest, Oraculum Ammonis Cyrenis proximum, vel quiduis aliud.

Sed haud otiosè & extra rem hæc nobis de Labaro & admirabili illo nominis Christi compendio annotata sunt, vt dilucidius explicaremus celebrem illam multorum sententiam, characterem Antichristi, vt superiori capite vidimus, futurum, Notam nominis Christi Chi, Ro. X. P. cum transuersa linea, litteram X interfecante, in hunc modum;



Verisimile enim esse crediderunt, Antichristum se ve-

rum Christum iactantem, vsurpaturum quoque vt nomen, ipsum characterem & insigne nominis Christi, in quo nomen Christi compendio litterarum continetur; atque insignis suis militaribus, clypeis, galeis, armis instrumentis, annulis signatoriis, aulæis, peristromatis, & aliis eundem Characterem instar præscorum Imperatorum prælaturum: sed vano & impio titulo, quo se verum Christum ac Messiam furato, ac rapto Christi nomine, ac genuino stemmate propalam profiteatur.

Sed cum venerabile Christi nomen apud veteres Christianos per simplices tantum duas litteras X P, sine vlla interiecta linea eas transfigente, exprimeretur; vnde Primasio, Ansberto, aliisque in mentem venire potuit, Antichristum huic signo lineam instar teli litteras eas transuerberantem additurum? Forfan, vt retento nomine Christi, & nominis Characterem, quo gaudebit, & se iactabit, traiecto per litteram Chi X. veluti quodam telo, crucem ipsam, quam ea littera refert, obscurare, expungere, abolere videatur. Nihil enim æque execrabitur, vt crucem ipsam, proprium insigne Iesv Nazareni æterni Filij Dei.

Sed accuratius nobis ista introsipientibus potior diluxit ratio, Antichristum vsurpaturum quidem pro insigni stemmate eiusmodi characterem, sed non quòd eo se verum Christum intelligi aut profiteri velit: nam licet initio rerum suarum, vt Iudæis imponat, se Messiam prædicabit; at postquam ad culmen impietatis & blasphemiae euaserit, vt se Deum ipsum æternum faciat, & nomen Christi repudiabit, nec volet videri, aut appellari Christum, sed Deum, vt lib. 8. cap. 4. annotabamus: quo tempore non est dubium vsurum proprio characterem, de quo nunc ex verbis Ioannis differimus. Quorsum igitur sumet sibi præfatū insigne? Suspiciamus, quod cum illud diuinissimum Christi nomen, eo compendio litterarum inclusum, cunctorum veterum & recentium Christianorum perpetuò extiterit inclutum & gloriosum stemma, & vnicū salutis elogium, quo nihil charius & optabilius habent, nempe veræ suæ religionis certissimam tesseram, in qua salui sunt; Antichristus, quo toti mūdo testatum reddat se ad nihil aliud in mundum venisse, nisi ad extinguendum Christi nomen, & religionem; conflabit sibi peculiare symbolum seu characterem, in quo nomen Christi includatur, vt olim Christiani præferebant, sed traiectum & veluti confossum telo transuerberante, ad eum quem prædiximus modum nimirum,



Vt eo signo profiteatur, omnes suas artes, conatus, studia eò tendere, vt quasi spiculo, telo, lancea, pilo nomen & religionem Christi confodiat, transuerberet, iugulet, ac penitus deleat.

CAPVT XXVIII.

De Antichristi charectere insuper, & de Formatu litteris, seu Epistolis.

Quamuis hæc à nobis hætenus obseruata satis esse videri possint ad explicandum Antichristi characterem: verum rem pressius discurrentibus, aliud longè diuersum apparet. Siquidem Ioannes indicat, characterem Antichristi eiusmodi futurum, in quo siuè compendio, siuè expresse nomen proprium ipsius Antichristi describatur: nomen illud, inquam Antichristi quod numerum 666. continet: verba Ioannis cap. 14. v. 11. sunt: *Et si quis acceperit characterem nominis eius, non sanè alterius nominis Antichristi, nisi illius*

illius, de quo idem Apostolus dixerat, suis litteris completi numerum 666. ut superioribus capitibus copiose demonstraui: at quis non videt in nomine Christi vel Græcis, vel Latinis, vel Hebraicis litteris expresso, vel compendio descripto, nullo pacto reperiri numerum 666? cum etiam cap. 25. docuerimus, non satis constare nomen Antichristi, in quo erit numerus 666. & cuius characterem Antichristus circumferet, num Græcum, an Latinum, vel Hebraicum sit futurum: nisi quod probabilius duxerimus, Hebraicum fore. Non ergo satis solidum videtur Antichristi characterem illum esse, quod Primasius & Ansbertus existimauere, nempe nomen Christi compendio X. & P. contractum, interiecto telo, hac effigie:



Vanumque esse vllam hinc prætexere reuelationem, Neque hic nodus aliter depelli posse videtur, quam si dicamus, illud Ioannis: *Et si quis acceperit characterem nominis eius*, non de nomine proprio Antichristi, numeri 666. sed de professione, fide, religione, secta, partibus Antichristi intelligi, ut nomen ista omnia indicet Hebraica, & Latina phrasi, ut quidam hinc accipere: quod tamen minimè probamus: cum Ioannes de nomine illo Antichristi Arithmetico, de quo antea varicinat fuit, proculdubio loquutus fuisse videatur.

Sic igitur cunctis æqua lance perlibatis, in eam libentius sententiam imus, characterem Antichristi, futurum symbolum quoddam, seu notam, in qua descriptum erit nomen Antichristi, vel omnibus suis litteris integrè positum, vel compendio circumscriptum: aut in qua numerus tantum nominis, nempe 666. seu litteris exaratus, seu notis vel cifris expressus, (hæc enim sciri certò non possunt) depingeretur: ac propterea dixisse Ioannem, *Characterem nominis eius*, nempe quod vel litteris, vel numero litterarum repræsentabitur. S. Hippolytus Martyr Oratione de Antichristo: *sigillum illius tam in fronte, quam in dextera manu est calculus χξς*, nempe 666. *At opinor quod in Scriptura, qua est in calculo illo per multa reperiantur nomina, qua numerum illi habeant.* Victorinus: *Faciet etiam hic ipse Antichristus, ut accipiant serui & liberi notam in frontibus aut in manibus dextris, numerum nominis eius, ne quis emat aut vendat.* Aretas: *Ecquidnam sit iste character, infert, nempe nomen Bestie. At huius duplex cognitio est, vel per illationem ipsius nominis: aut per calculum.* Vide sub initium cap. 26. Cæterum, cum quale futurum sit Antichristi nomen hæcenus ignoretur, ut prædiximus, ita quoque nescitur apertè, qualis erit character eius, quousque res ipsa præsens rem totam edoceat.

At illud ut verisimile tradimus, Antichristum cum suo characterem, simul etiam imaginem suam, in signis militaribus, numismatis, annulis signatoriis, aliisque prælaturum: ut facitasse veteres & posteriores Principes nouimus. Ut in signis militaribus Cæsarum & Principum imagines ponerentur, ex auctoribus nimis est peruagatum. De quo more extant obseruata à Lipsio de Militia Romana lib. 4. Dialogo 5. Streuuechio in 2. lib. Vegetij, ad cap. 6. aliisque. In nummis res est notissima: ab vna enim parte imago Principis in sculpta erat: ab altera insigne aliquod Victorie, aut alterius rei memorabilis: vnde illud Christi: *Cuius est imago hæc & superscriptio?* cap. 26. notabamus Augustum sua imagine obsignare solitum.

Hæc omnia nobis accurato studio elucubrantibus, quiddam in animum subiit, quod mirificè ad præsens institutum de nomine, numero, characterem Antichristi facere videtur: nempe vsus & consuetudo illa prisca Formatarum in Ecclesia Christi, in quibus litteræ certæ & numerus litterarum exprimebatur, tanquam cer-

ta & indubitata tessera Catholicæ cõmunionis: quem morem in cõtrarium vertet fortasse & vsurpabit Antichristus. Nam præterquam quod nimis est exploratum, diabolus in falso cultu ac religione sacrilega perpetuo Dei simiam agere, eiusque ritus mentiri: scimus Iulianum Parabatam, cõplura Christianorum sancta instituta æmulatum, atque in Ethnicismum transtulisse, ne falsa sua religio inferior Christiana vlla ex parte in probis obseruationibus videretur. Sic scholas, Ecclesiasticum chorum, Hospitales domos, Monasteria virginum, & id genus alia, instar Christianorum, in Paganismo constituit: ut S. Gregorius Nazianzenus 11. in eum Inuectiua, Sozomenus lib. 5. cap. 15. & alij referunt. Vnde nihil mirum si Antichristus, quosdam Christianis similes ritus, quos firmandæ ac propagandæ impiæ suæ sectæ cõducere reputabit, sit imitaturus: quam vnicam rationem Iulianus magnus Antichristi histrio prætendebat, Epistola ad Arfacium Galatiæ deorum Pontificem: *Cur inquebat, non potius conuertamus oculos ad ea, quibus impia Christianorum religio creuit &c.* Sed de Formatas pauca ab instituto haud aliena iuuat annotare.

Vetustatem Formatarum Anastasius Bibliothecarius in vita S. Xysti 1. Romani Pontificis, qui ad annos Christi 132. ledit, aperuit, cum ait: *Hic constituit, ut quicumque Episcoporum euocatus fuisset ad sedem Apostolicam, & rediens ad Parochiam suam non susceperetur, nisi cum litteris Patriarchæ salutis plebi quæ est formata.* In editione Latina Concilij Laodicensi ante Nicenum 1. celebrati, Canone 41. habetur: *Non oportet ministrum altaris, vel etiam laicum sine canonicis litteris id est Formata, aliquo proficisci.* S. Optatus lib. 2. aduersus Parmenianum: *Cum quo Romano Pontifice nobis totus orbis commercio Formatarum in vna cõmunionis societate concordat.* S. Augustinus Epistola 163. *Epistolas Communicatorias, quas Formatas dicimus.* Formatarum est quoque mentio in Concilio Mileuitano, cap. 20. Hispalensi cap. 7. Formatas dictas putant quoddam certa formula & modo conceptæ essent. Læuinus Torrentius, & Andreas Schottus, existimant esse instar earum, quas Formales Epistolas appellauit Suetonius in Domitiano, cap. 13.

Formula autem harum litterarum expressa extat ab Attico Episcopo, ad finem Concilij Chalcedonensis in hunc modum: *Græca elementa litterarum numeros etiam exprimere, nullus qui vel tenuiter Græci sermonis notitiam habet, ignorat. Ne igitur in faciendis Epistolis Canonicis, quas mos Latinus formatas appellat, aliqua fraus falsitatis temere præsumeretur, hoc à Patribus trecentis decem & octo Nicæa congregatis saluberrimè inuentum est, & constitutum, ut Formate Epistola hanc calculationis seu supputationis habeant rationem: id est, ut assumatur in supputationem prima Græca elementa Patris, & Filij, & Spiritus sancti, hoc est π, υ, α, quæ elementa & octogonarium, & quadringentesimum & primum significant numerum. Petri quoque Apostoli prima littera, id est π, quæ numerum octoginta significat. Etus quoque qui scripsit Epistolam prima littera: cui scribitur secunda littera: accipiens tertia littera: cuiusque quoque, de qua scribitur, quarta: & Indictionis quacunque est temporis idem qui fuit numerus assumatur: atque ita his omnibus Græcis litteris, quæ, ut diximus, numeros exprimunt in vniuersis, vnam, quacunque fuerit collecta, summam epistola teneat: hanc qui suscipit, omni cum cautela requirat expressè: addat præterea separatim in epistola nonagenarium, qui secundum Græca elementa significat, vale in Domino.* Restituenda postrema verba ex Iuone & Gratiano, addat præterea separatim in Epistola quod nonagenarium & nonum numerum secundum Græca elementa significat: Nā certè in fine Formatæ ponebatur, Amen. Itaque secundum Atticū peculiare Notæ Formatæ erant quatuor hæc litteræ Græ-

ca π, υ, α, π, quæ sunt initiales nominū Patris, & Filij & S. Spiritus, & Petri Apostoli: quibus prædicta hæc quatuor nomina intelligebantur: quæ sanè quatuor litteræ exprimebāt numerū 561. Addebatur in fine Α, υ, υ, quæ vox reddit numerū 99. confurgebat sūma 660. quæ numerum, ut Formata esset sincera, & legitima, nullaque fraude vitata, perpetuo, & inuariabiliter retinebat. Atqui cum alia in formata pro locorū, temporū, personarū, rerū varietate, ac circūstantiis mutarentur: quatuor tamen capitales illæ litteræ, & Amen in fine, numerusque 660. sēper inuariata manebāt. Tria Formatarū exempla habes, duo apud Iuonē in decreto, Parte 6. de Causis Clericorum, cap. 434. & 435. tertium apud Burchardum lib. 2. Decretorum, cap. 227.

Vsus autē Formatarū erat, ut qui eas deferret vel acciperet, velut certissimo symbolo, ac constanti tessera, quasi immutabili Characterē ab omnibus posceretur, & probaretur Catholicus, & orthodoxæ cōmunionis & cōfessionis: erat enim Formata, verū signū ac sigillū Fidei & Cōmunionis Catholice: quo obliuata, & veluti oppignerata fidē suā Catholici deferebāt, & profitebantur. Dabatur autem ab Episcopis, sed potissimū à Romano Pōtifice. Erat autē Formatarū varia genera. Sed de Formatis satis fuerit ista annotasse: qui plura de eis cupit, adeat Garfiam Loaysam in notis ad Concilij Hispaniensis c. 7. Baroniū annali 2. Anno Christi 142. Seuerinū Biniū in Notis ad vitā Xysti 1. Tomo 1. Cōciliorū, Gerardū Rodolphū Grauiēsē peculiari libello de Litteris Canonis, Franciscum Bernardinū Ferrariū lib. 1. de Antiquo Ecclesiasticarum Epistolarum genere qui de his accuratē scripserunt.

Qui attentē cōsiderauerit, quæ hæcenus de Nomine, Numeroque nominis Antichristi, deque eiusdē characterē à nobis sunt obseruata, nō penitus aberrauerit, si asserat, Antichristū Formatarū morē & vsū, praua & impia usurpatione tāquā impudentē Dei simiā imitaturū. Nam ut apud Orthodoxos character veræ religionis ac fidei erat nomē Sacræ Triadis, ac Petri, super quē fundata Ecclesia fuit: & Numerus Sanctorum istorū nominū 660. quē qui deferebat, verus cēlebatur Orthodoxus: ita Antichristū instituturū, ut character suorū sit nomen ipsius, & numerus nominis eius 666. quo veluti certo & indubitato signo sectatores Antichristi ab aliis discernantur.

Sed quæret aliquis, cur cū Formatæ numerum 660. cōtinerent, Antichristus huic numero senariū addet, ac 666. præferet? Fortasse, ne in numero cū Christianis cōsentiatur. Sed magis videtur in numero cōsensurū: nā nō est dubiū in Formatis adfuisse quoque Crucē, initio præfixā, more recepto, & ducto ab ipsis Apostolorū temporibus, ut signū Crucis initiis Epistolarum adpingeretur, uti fusc ostēdit Franciscus Bernardinus lib. 3. de Ecclesiasticis Epistolis, c. 2. At Crux capitali hac littera seu nota Græca Ϟ, designati solet, nepe Stauros, id est, Crux, & Ϟ, autē Græcis senariū numerū designat: senario igitur numero ad reliquū Formatarū 660. adiecto efficitur integer & plenus numerus 666. qui est ipsissimus numerus nominis & characteris Antichristi. Ergo Formatarū numerus, hoc est, Christianorū symboli & characteris sūma cōstabat ex his notis vel litteris, Ϟ, π, υ, α, π, Ϟ, π, υ, α, π, υ, quæ conficiunt numerū 666. qui numerus erit nominis & characteris Antichristi, propria tessera & nota Antichristianorū: quia diabolus semper impietate, pietatis titulis & ornamentis circumuestire & insignire tentat. Verum in his æstimet quisque ut voluerit.

C A P V T XXIX.

De magno Pseudopropheta, Armigero, Præcurfore, Myste, Antesignano Antichristi.

Iohannes Apocalypsis 13. v. 11. hæc habet: Et vidi aliā Bestiā ascendēte de terra, & habebat cornua duo similia

Agni, & alia, quæ subdit ad finē vsque capitis postea à nobis elucidanda. Hanc Bestiā secundā ascendente de terra, diuersam ab illa prima marina, quā diximus esse Antichristū: quidā volūt esse Mahometem Saracenorū sectæ cōditorē. Ita Lyranus & Būrgensis in 13. Apocalyp. S. Antoninus 1. Parte Historiarū, Titulo 6. & c. 18. 9. Iodoccus Clithouæus in Cōmentariis ad lib. 4. S. Damasceni de Fide Orthodoxa, cap. 27. Ioannes Hentenius in iudicio de Apocalypsi & Antichristo, Ioānes Mariana in 13. Apocalyp. Sed est interpretatio aliena, nec Mahometi cōueniūt quæ de Bestia hac terrena vaticinatur hæc Ioā. ut postea locū exponēdo videbimus.

Alij eam Bestiam cœtū & colluuiem Pseudoprophetarum, prædicatorum, præcurforum ac ministrorum Antichristi intellexerunt: nam ex eiusmodi fœco quamplurimos prodromos habiturum Antichristum, non est dubium: de quibus Christus Matthæi 24. v. 23. surgent pseudoprophetae, & pseudochristi, Hæc explanationem amplectuntur S. Gregorius lib. 33. in Iob, ca. 26. Haymo, Ricardus, Strabus, Anselmus Laudunensis, S. Anselmus, Cælius, Gagnæus, & alij.

Emanuel Sā plures hæc breuiter interpretationes perstringēs, inquit: *Bestiam aliā, scilicet Antichristi ministros, vel ipsū Antichristū, qui etiā supra per caput vnum prioris bestie significatus est, vel aliquem eius Pseudopropheta.* Ad eundem modum philosophatur Bellarminus lib. 3. de Romano Pontifice, cap. 15.

Cæterū illa iā melior & recentior explanatio habetur, quæ hæc secundā Bestiā esse docet singulārē quēdā ac insignē pseudopropheta & impostorē, Armigerum, Antesignanū, Præcurforē Antichristi, eiusque Arcanorū mystē & antistitē. Ut enim Christus æterni Dei Filius habuit Ioannē Baptistā præcurforē suū, virū sanctissimū diuinissimū, ipsis etiā Angelis admirandū: ita quoque Antichristus habebit peculiārē quendam prodromū, & anteambulonē profligatissimæ & perditissimæ improbitatis ardelionē, agyrā, alastorē, socium fidissimū, rerū omnium Antichristi ministrū, priuicarium, & totius scenæ iniquitatis vicariū, ipsi moribus, vita, doctrina, perueritate simillimū, ac planē parē: de quo statim ex vaticinio Ioannis plura nefandissimo nebulone digna perscribemus. Ita oraculum Ioannis auctores edisseruere præclari.

S. Irenæus lib. 5. aduersus Hæreses c. 28. hunc locum Apocalypsis elucidans, inquit: *Post deinde, & de Armigero eius Antichristi, quem & Pseudopropheta vocat: Loquebatur, inquit, quasi draco: & potestatem primæ Bestie omnem faciebat in conspectu eius. Et facit terram, & qui habitant in ea, ut adorent Bestiam primam, &c.*

Victorinus in Apocalypsim: *Aliam Bestiam subeuntē de terra magna, falsam Prophetam dicit, qui facturus est signa & portenta mendacia ante illum, Antichristum, in conspectu hominum.*

Andreas Cæsariensis Episcopus: *Sunt qui per hanc Bestiam Antichristū intelligant. Aliis magis placet quēpiam ē diabolorum numero esse. Per duo vero eius cornua, Antichristum, & Pseudopropheta quēpiam Antichristi aduentū præuenturum, multorū est opinio. Nos autē putamus, per draconē, satanā: per Bestiā autē, quæ de mari ascendit, Antichristū: per Bestiā verò, quæ hac loco ē terra ascendere scribitur, Pseudopropheta denotari. Quæ sententiā Irenæus quoque probatur. Quæ de re Irenæus ita fere scribit: De Satana hyperaspiste, satellite, Clypeario, quē Pseudopropheta quoque vocat, Loquebatur aut, ut draco. Adit porro signorum, prodigiorumque potestatem huic impertinisse, quo viam per hæc Antichristo sterneret, adiuturque ad hominum perditionem eidem patefaceret.*

Aretas Cæsariensis Episcopus, enarrans illud Apocalyp. 13. v. 15. Et fecit signa magna &c. in conspectu hominum, hæc scribit: *Inuentium, inquit oculos fascinando hæc faciet Antichristi Præcurfor, ut existimetur Antichristus*

christus esse Christus, ut qui à tali miraculorum patratore testimonium accipiat, & certam gloriam, ad imitationem Ioannis Baptiste, qui de Christo Salvatore ferebat testimonium, & ipsum precedebat]

Nec multū ab hac sentētia abest Ambrosiaster, cum ait: *Hac bestia aut vnum ex discipulis Antichristi designat deteriorē ceteris: aut multos, qui eū predicaturi sunt.*

Verum vnum certū & singulārē futurū prae ceteris Antichristi praecursorē, à Ioanne hīc designatū, praeter laudatos Partes, plerique recentiorū affirmāt, Ribera, Melus, Viegas in 13. Apocalyp. Iansenius c. 123. Commentariorum in Harmoniā Euangelicā, Sonnius lib. 2. Demonstrationum, cap. 9. Tractatus 6. Ludouicus à S. Francisco li. 10. Globi linguae Sanctae c. 14. Acoſta li. de Antichristo c. 17. Valentia Tomo 4. Disput. 11. Quaest. 2. Puncto 4. Henriques de Fine Hominis ca. 23. Num. 8. Suares Tomo 2. in 3. Partem Disput. 54. Sectione, Lessius Demonstratione 10. de Antichristo: Cornelius à Lapide in Thessalonicens. 2. & alij.

Hanc interpretationem ipsemet Ioannes cap. 19. adprobare videtur, cum v. 20. inquit: *Et apprehensa est Bestia, & cum ea Pseudopropheta, qui fecit signa coram ipso, quibus seduxit eos, qui acceperunt Characterem Bestiae, & qui adorauerunt imaginem eius: vini missi sunt ii duo in stagnum ignis ardentis sulphure.* Profecto aliud hīc videre non possumus, quā eam bestia quā c. 13. 11. ascendentem de terra facientē signa corā prima bestia, cōpellentem omnes accipere characterem prioris bestiae, Ioan. pluribus descripsit, esse ipsū illū Pseudopropheta, cui c. 19. ea omnia tribuit, quae secundae illi bestiae c. 13. tribuerat: & quā prius vocauerat Bestia alia, postea vocauerit Pseudopropheta. Hunc autē Pseudopropheta vñ singulārē, certūque hominē fore, & Graecus articulus emphaticus illi praefixus, ille pseudopropheta: & quod ait, *nisi missi ii duo*, nempe Antichristus & eius Armiger, satis ostendunt. Sed iam quā Ioannes de nequissimo alastore vaticinatur inspicimus.

Et vidi aliam Bestiam ascendentem de terra. Ascendere de terra, obseruant, phraſi Hebraica duo posse significare: Alterū ex paruis, obscurisque initiis, oriri, & emergere. Sic dicimus filios terra, obscuros ignobiles, quibus nullū est praeclarū generis aut sanguinis stēma, quasi terra cōmuni omnīū parente natos. Sic Armiger Antichristi *ascendet de terra*, hoc est, vili & sordido loco nascetur: erit obscuro & ignobili genere, Terrae filius, Fraterculus gigantū. Alterum vehemēter crescere, augeri, multiplicari, diffundi, sic dicitur de terrae nascētibz, quae crescunt in altū: vt verbū חָלָה GHALAH Hebraeis dicitur de terra productis, quae augmētū capiūt, & sursum emjnent, aut expanduntur, vt notant lexicographi Forsterus, Mercerus, item Forerius Isaia 5. v. 6. Exemplis significatū illustant, ē Genes. 40. v. 10. Isaia 5. v. 6. c. 11. v. 1. c. 34. v. 13. c. 53. v. 2. Sic illud Osee 1. v. 11. capiunt: *Et ascendent de terra*, id est, crescent, vt Lyranus Sa. exponit: praeclare multiplicabūtur, quasi ē terra germinātes: nā subditur, *quia magnus est dies Iesrael*, id est, seminis Dei. Nec dissimili phraſi praecursor Antichristi *ascendet de terra*, quia breui, adiuvante toto inferno in immanē magnitudinē, potētia, & auctoritatē crescet.

Multa hīc explanatores differunt, cur prior Bestia, Antichristus de Mari: posterior autem, eius Praecursor de terra ascendere dicitur. Sed putamus, illū de mari, hunc de terra ascendere, vt intelligatur ingēs tribulatio, quae tū in Ecclesia orietur, nempe vndique, ē Mari, ē terra, velis, equisque, vt dicitur. Vel forsan vt indicaretur, Antichristi prodromum, potentia & magnitudine non aequaturum Antichristum, sed illo inferiorem futurum, quod terrestres bestiae, non ita vastae, aut turpes esse soleant, vt marinae.

Et habebat cornua duo similia agni, quae solent esse minora quā aliorum animantium: nimirum quod robur

Armigeri minus erit quā Antichristi, vel quod arietū cornua soleant esse recurua, animum Impostoris prophetae recuruum, fraudulentum designet, qui sub specie agni, & māsuetudinis, ferociam leoninā exercebit.

Et loquebatur sicut draco, voces edet immanes, terrificas, horrendas, quibus cuncta prosternebat, vt draco ille Indicus, de quo Alianus lib. 15. Historiae animalium, c. 21. qui maximo sibilo, & ingēti afflatu edito exercitū Alexandri exterruit. Dracones quoque spiritu & flatu aues ad se attractas deglutit, vt Alianus li. 2. c. 21. tradit. Sic improbus Alastor trahet ac vorabit cuncta.

Et potestatem prioris Bestiae omnem faciebat in conspectu eius, omnia miracula & prodigia, quae edebat Antichristus, eius quoque satellites faciebat, Aliter habebit Praecursor Antichristi summā potestātē in toto imperio Antichristi, ab ipso sibi traditam, quasi supremus quidam praefectus, & Vicarius Antichristi. Illud enim, in conspectu eius, id est, tanquam eius minister, illi immediatus, qui ex eius ore ac praesentia iussa ac mandata capeſset, aliisque Principis nomine dictabit.

Et fecit terram, & habitantes in ea, adorare Bestiam primam. Quia non solum homines ipsos terrae habitatores, sed & ipsam humū seu tellurē, agros, arua, terras facultates, bona, omnia subiiciet Antichristo, & eorū constituet absolutū Dominū. Putant alij secundum, *Et*, positū pro expositiua particula, id est, Hebraica phraſi, cuius extāt passim in Scriptura exempla, & nonnulla collecta habes apud Martinū Cantapertensem lib. 8. Hypotyposeon, c. 9. Emmanuelē Sa in Phraſibus Scripturae. Forſan dixit, Ioan. & terram: vt innueret istum nebulonē contentioſiſſimē praedicaturū, Antichristum verum esse Deū ac Dominū, creatorem nō solū hominum, sed etiā ipsius terrae, & rerū omnium, quae in ea sunt: vt terra ipsa elementorum crassius & insensibilis cogatur adorare diuinam Antichristi maiestatem, & eum vt Dominum venerari: vt sit simile iis quae de vero Deo ait Scriptura: *Dominus est terra & plenitudo eius, &c. & omnis terra adoret te Deus, & spallat tibi.*

Et fecit signa magna, vt etiam ignem faceret de caelo descendere in terram, in conspectu hominum. Et seduxit habitantes in terra propter signa, quae data sunt illi facere in conspectu bestiae, dicens habitantibus in terra. Vt faciāt imaginem Bestiae, quae habet plagam gladij, & vixit. Et datum est illi, vt daret spiritum imagini bestiae, & vt loqueretur imago bestiae, & faciet, vt quicumque non adoraverint imaginem bestiae, occidantur.

Hae omnia de miraculis Antichristi, eiusque Praecursoris diffusē à nobis explicata sunt in secūda Parte libri 8. Nam etſi Lactantius lib. 7. c. 17. & alij miracula hae Ioan. narrat facturum Antichristi Satellitem, ipsi Antichristo tribuat: satis tamē perspicuū utrūque eadem patraturū: siquidē Ioan. paulo antea diſerte pronuntiauit, & potestatem prioris Bestiae omnem faciebat in conspectu eius, nimirū, eius nomine, auctoritate, imperio, tanquā primarius eius minister & prodromus: nisi quod illa Antichristi erunt splēdidiora, maiori apparatu ac vanitate: huius, vt omnem gloriā diuinitatis Antichristo concilieret. Andreas: *Quidquid, inquit Ioannes Pseudochristi Praecursor ad hominū deceptionē facturū est: hoc totū per praestigias & incantationes facturū est: quō hac ratione Antichristū Deum esse persuadeat: vt qui testimonium habeat à viro, qui tāta miracula parravit: eamque virtutem & gloriā ad exēplum Ioannis Baptista, qui fideles ad Christum adducebat, diuinitus citra controuersiam acceperit. Siquidem mendacium ad hominū seductionem veritatem imitari contendit.*] Eadem quoque Areras, Quod verō Ioannes ait, Antebulonē Antichristi, spiritum imagini Bestiae daturum, vt ea loquatur, superius à nobis explicatum est l. 7. c. 19. extremo. Andreas: *Narrat Apollonius, & alij confirmant, demones incarnationum & praestigiarum vi per imagines & statuas*

per

per arbores rursus, & aquas, per aliaque eiusmodi sapientia numero loquutos. Ad eum itaque modum probabile sit, Antichristum quoque prodromum & administrum, demonum vi impulsam Bestia imaginem facturum, arte & fraude diaboli loquendi facultate illi communicaturum, adeoque daturum operam, ut omnes trucidentur, quotquot eam adorare recusauerint.] Aretas: Hoc autem circa simulachra considerandum est, quod multa & sudore emisisse, & loquuta fuisse per operationem diabolicam, Græcorum temporibus enarratur. Quod simulachra, ut dictum est, loquuta fuerint, ex historia discere possumus, quod scriptum sit, per præstigia & arbores, & aquas loquuta fuisse, per Apollonium, aliosque Poetas.] Et vero de imaginum, simulachrorumque apud Gentiles loquutionibus pleni sunt Annales veterum. Præsertim apud Liuium, Iuliumque obsequentem innumera eiusmodi extant exempla.

Franciscus Sonnius lib. 2. Demonstrationum, Tractatu 6. cap. 9. annotauit, Præcursores hunc Antichristi, futurum tanquam insulatum mithra Episcopali Pontificem & Antistitem sacrorum Antichristi, ac mystem totius eius impiæ religionis, & sacerdotum principem, qui Antichristo tanquam Deo sacra facient. Unde non dubitamus, fore primarium Consiliarium, arcanorum Imperij ac religionis Antichristi interpretem, summum Pseudo-prophetam, Prædicatorem ac Præconem Antichristi, ac præcipuum exercituum eius Imperatorem. Addit Sonnius, futurum quendam de numero Christianorum apostatarum: quod ut fieri potest, ita nobis incognitum. De eodem Acosta hæc scribit lib. de Antichristo c. 17. *Acerrimum hunc Antichristi defensorem non regem, aut militem, sed virum in Ecclesia insignem accipere possumus, quod duo agni cornua Episcopalis dignitatis insigne sint. Erit fortassis apostata quispiam, atque hereticus, simulator religionis, Ecclesiastici honoris proditor, qui draconis venenum suis sermonibus instillet auditoribus, atque propinet.*] Qualem hoc tempore, quo scribimus, Ecclesia patitur hostem infensissimum, crassi abdominis Apostatam, Marcum Antonium à Dominis Spalatensem Archiepiscopum, Istriæ & Dalmatiæ Prælatem: nunc peruersissimum hæreticum, qui ex Anglia scriptis in Ecclesiam tonat ac fulminat insignis Antichristi præambulo.

CAPVT XXX.

Cur Antichristi Præcursor compellet omnes accipere in dextera manu & in fronte characterem Antichristi.

Pergit Ioannes de Antichristi Prodtomo vaticinari Apocalypsi. 13. v. 16. *Et facies omnes pusillos & magnos, & diuites & pauperes, & liberos, & seruos habere, characterem in dextera manu sua, aut in frontibus suis.* Fere omnes obseruant, id circo adigi omnes accipere characterem in dextera manu, & in fronte, quod ista nimirum partes sint præstatiores corporis, & oculis omnium magis expolitæ, in quibus, luculentius character Antichristi eluceat, & ab omnibus perspicue conspici queat. Ad hoc, ut quia frons est sedes verecundiæ, dextera verò fortitudinis, cum in fronte accipient characterem profiteantur, non pudendum sibi, sed gloriosum & honorificum talem ducem sectari: in dextera verò se milites Antichristi & totis viribus pro eo pugnuros agnoscant.

S. Ephrem Syrus sermone de Antichristo: *Dabitque hoc suum signum scelestus ille, non quidem promiscue pro quolibet corporis membro, ne hoc graue sit atque molestum ipsis: sed in dexteram manum ac frontem sculpturus est*

homini characterem hunc suum impium: ne scilicet facultas sit homini dextera se signandi signo Christi Saluatoris nostri: neque rursus in fronte vllatenus tremendum, sanctumque Domini nomen imprimere queat: neque etiam gloriosam atque formidabilem Saluatoris Crucem insculpere. Nouit quippe infelix ille, per impressionem Crucis Domini, potestatem sibi omnem adeptam iri: quam obrem signat hominis dexteram, quod ea scilicet, cuncta membra nostra signemus: similiterque frontem, quod illa candelabri in modum, lucernam lucis, hoc est, signum saluatoris nostri in altum præferat.]

S. Hippolytus Martyr Oratione de Antichristo: *Quibus dabit characterem in dextera manu & fronte, ne quis dextera sua pretiosam illam crucem pingat in fronte. Ex quo tempore non poterit vllum signare membrorum suorum: sed adhærebit seductori, eique seruiet, neque ducetur penitentie: sed perit ille, tum quod ad homines attinet.]*

Andreas: *Lethiferi quoque nominis Characterem omnium seductorum frontibus & dextris impressurum: iis quidem quo omnium dexterorum bonorumque operum vim amputet: illis verò quod ab se deceptos hoc symbolo commonefaciat, perfrecta fronte in errore & tenebris persistendum esse. Verum non facile suscipient eiusmodi characterem, qui vultus, frontesque diuino lumine signatas habent.]*

Aretas: *In dexteram manum, & in frontem signum ponitur. Bonis enim pestiferi nominis opponitur insculptura. In dextris quidem, ut bonorum operum amputet operationem: in frontibus autem, ut parte illa, quæ oculis imminet, caliginem illis ingerat tenebrosam, qui seducuntur, ne tanquam in die honeste ambulantes, recipiant pietatem, sed non omnino characterem istum suscipient, qui in facie lumine vultus diuini obsignati sunt.]*

At quamuis ista scite sint & aperte dicta, forsan nec alienè, nec absurdè existimabimus, peculiate aliquod hæc subesse mysterium. Nota est Iudæorum religio, qui ex mandato Domini, quo præceperat, ut legis diuinæ verba in cordibus suis exarata gestarent Israëlites, in portis, postibusque affigerent: inter oculos appensa, & quasi signum in brachiis, manibusque ligata circumferrent, domi, peregrè, stantes, iacentes, illa meditarentur, de illis loquerentur, Exodi 13. v. 9. 16. Deuteronomi 6. v. 8. & sequentibus vel existimarunt fuisse sibi imperatum, vel ex ritu sacro illud sibi præscripserunt, ut in membranarum rite, concinnèque paratis, summam legis, nempe quinque versus, & alios septem ex Deuteronomij cap. 11. scriptos aptarent: atque membranulas illas sic inscriptas capiti & brachio appenderent, ac artificiosè circumponerent. Membranam capitis appellabant *Theophyllath Scel Ros*, hoc est, Oratorium capitis, seu Precatorium capitis, quam in modum coronamenti capiti imponunt, ac circumuoluunt, frontem, & tempora redimiti. Alteram membranulam, quam manui vel brachio inducunt, hodie sinistro brachio instar Ecclesiastici manipuli circumuoluunt, vocantque *Theophyllath Scel Iad*, id est, Oratorium manus: quamquam Chaldaus Interpres in Psalm. 120. v. 5. in dextera manu gestandum esse prodat.

De his multa Iudæi perscribunt, longos tractatus constant, mira in illis religione, seu potius superstitione vtuntur cum orant, atque alia sacra peragunt, vitrumque sibi imponunt: atque hæc esse putant, quæ Moses appellat *Totaphoth*, ipsi vero vocant *Thephilin*: in Euangelio dicuntur *Phylacteria* Matthæi 23. 5. hoc est, *conseruatoria*: vel quia conseruandæ memoriæ gratia gestabantur: vel quia ea ferentes, sic se putabant rite legem seruare: aut quia ea ut seruamina & sui munimenta portarent.

Vocem Hebræam *Totaphoth* dubiæ & obscuræ

rae significationis, variè interpretantur. 1. Lxx. *Inconcussa*, *Immotu*. 2. Noster, *Appensum quid inter oculos*, ob recordationem, idest, Appendices. 3. Kimchius, Reuelinus, Alfonsus, Camorensis, Sanctes, Steuchus, Vatablus, Tremellius, Iunius, Buxtorfius, *ornamenta frontis*, *Frontalia*. 4. Clarius, Leo Iudas Mercerus, *Monimenta*. 5. Auenarius, colludente voce, *Typos-monitorios*, seu *signa memoriæ*. 6. Schindlerus, *Incessoria*. à *Taphab*, incedendo, nimirum quod cum his Iudæi incederent, & ea gestarent. 7. Forsterus hæc annotat: *Quantum ex tribus scriptura locis colligi potest, Totaphoth fronti intra oculos alligata sunt, mandato diuino, ut iis semper ob oculos positus admonerentur Israëlita præceptorum Dei: unde memoralia, seu monimenta vertere poteris. Et Porchetus definit esse Phylacteria, idest, conseruatoria legis: nam & nostra aetate Iudæi quibusdam appendicibus vtuntur, quibus sententias aliquot ex lege minutissimis Characteribus scriptas includunt, easque oraturi, non modo fronti, sed & alteri brachio alligant. Arbitror autem ego quod cum ad originem vocis, tum quoque eius significationem attinet, quod deducatur à verbo Taphaph, quod plaudere, plodere, complodere, palpare significat: & inde istas Appendices & factas & dictas, ut plodendo ad frontem, ad omnes ictus & pulsus admonerentur, tanquam campanulis, legis & præceptorum Dei.] Vnde iuxta Forsterum, *Ploforia* vertes. 8. Oleastrius, *Specilla*, seu *Perspicilla*, aut *Conspicilla*, seu, *Ocularia*. Vt sit simile illi Psalm. 118. vers. 6. *Tunc non confundar, cum perspexero in omnibus mandatis tuis.**

Nonò, Dauid Pomarius hæc de ista voce obseruat; *Totaphoth, sunt ornamenta frontis, siue corona, quas nos ponimus super frontes nostras, ut admoneamur præceptorum Dei, quæ alio vocabulo Thephithin vocantur. Sunt qui putant esse dictionem Egyptiacam, quod idem significet quod Specula. Aliqui existimant significare eum locum frontis, in quo infantibus solent circumcingi frontalia.] Valentinè dicimus Gamboix. Verbo Taph vti solent Hebræi pro intueri, aspicere, circumspicere, admirari: quod significatui speculorum, & Perspicillorum congruit: sicut etiam Totaph vocant Armillam, seu Frontale quod mulieres eleganter fronti vel capiti appendunt ab aure ad aurem. Hispanicè, *Apretoderò*.*

Decimò, Sit quoque nostris coniecturis locus, Forfan Totaphoth sunt *Puellaria-Crepitacula*, seu *Crepundia*, nimirum, à *Taph*, paruulo, & *Thoph*, cum *Thau*, *tympano*, littera scilicet eiusdem exitus & sonitus: aut à *Taphah* *plodere*, quasi mandauerit Deus, Iudæos verba legis, ut puellaria Crepitacula, seu *Crepundia*, ex capite & manu pendentia gestare, quæ ante oculos obversarentur, & circum aures creparent ac circumsonarent: nempe ut omnes sensus commonefacerent, præsertim visum & auditum præcipuos ad rerum cognitionem comparandam. Vti pueris crepundia appenduntur. Festus: *Crepitulum ornamentum capitis: id enim in Capitis motu crepitum facit.] Crepidulum* vocat Tertullianus de pallio cap. & *Crepitacillum*, aduersus Iudæos, cap. 9. & lib. 3. aduersus Marcionem, cap. 8. Voluit Deus Iudæos vti infantes tractare.

Vndecimò, Nec alienè Totaphoth expones, *Sonora*, *Strictula*, substantiue neutraliter. Hispanicè *Cruxidoras*, à *Taphaph*, ut indicet membranas quæ collisu strepitum edant, vel quidpiam

Tom. II, de Antichristo.

eiusmodi, stridulo sono oculis, auribusque obuersans. Forerius in Isaia 3. vers. 16. posse quoque significare sonitum illum stridulum quem excitant pretiosæ vestes ex serico: Vnde nos appellamus *Taphetan* vestem sericam, à sono videlicet, quem edit.

Atque de Iudæis Totaphoth, aut Thephelin, seu Phylacteriis plura nosse desiderat, inueniet apud Fagium, & Oleastrum in Exod. 13. & Deuteronom. 21. Xistum lib. 2. Bibliothecæ, Genebrardum lib. 2. Chronographiæ, pag. 219. Marinum, & Schindlerum in lexicis Hebraicis, Lucam Burgensem in Matthæi 23. vers. 5. Nam Christum eo quoque Phylacteriorum apparatu ornatum, supremam celebrasse cum suis cœnam, nonnulli annotant.

Addiderunt postea Rabbini pleraque superstiosa: & illud peius, quod in horum gestatione totam legis meditationem & obseruantiam constituerunt. Nec longè est à verisimili, Antichristum Iudaico consimili ritu imperatorum suis per suum Hyperaspistem, ut omnes ferant in membranæ, seu laminis aureis, aut argenteis, vel ex alia materia bracteolis inscriptum aut depictum ipsius Characterem in fronte, vel in manu dextera: tanquam capitis, manusque Precatoriæ & insignia, seu Phylacteria.

CAP V T XXXI.

De antiquo ritu Stigmatiarum diuersi generis, non iniucundus excursus.

V Erum postquam huc opportuna se tulit occasio, non prorsus abs re fuerit, de veteri & nouo more, notas seu stigmata facieb, aut corporibus hominum inurendi, nonnulla annotare: nam cum primis verisimile est Antichristum suos stigmatias facturum, vti postea dicemus. Nonius Marcellus cap. 1. numero 194. *Stigmatias veteres punctos in notis dici voluerunt.]* Vocabant quoque eiusmodi Inscriptos, litteratos. Seruos fugitiuos, aut scelestos notis, seu stigmatibus inscribent, seu inurebant. Cicero lib. 2. officiorum: *Barbarum, & eum quidem ut scriptum est, compunctum notis Threiciis.]* & paulo inferius: *Omisserum qui fideliorum & barbarum, & stigmatiam putaret.]* Valerius Maximus lib. 6. cap. 8. *Seruus ab eo inexplabili litterarum notaper summam oris contumeliam inustus, &c.]* Plinius lib. 18. cap. 3. *At nunc eadem illa vincti pedes, damnate manus, inscripti vultus exercent.]* Plautus in Cassina, de seruo: *Si hic litteratus me sinat.]* Apuleius lib. 9. de Asino, agens de his qui erant in pistrino: *Dij boni quales illic homunculi, frontes litterati, & cappillum semirasi, & pedes annulati.]* Petronius Arbiter in satyrico: *Sequitur ego frontes notas inscriptione solemni, ut videamini stigmatibus esse puncti.]* & paulo post: *Impleuit Eumolpus frontes viriusque ingentibus litteris, & notum fugitiuorum epigramma per totam faciem liberali manu duxit.]* Iulius Pollux in Onomastico lib. 3. cap. 8. *seruos stigmatias vocat.* Et Martialis lib. 2. Epigram. 25.

Quatuor inscripti portabant vile Cadauer.

Iuuenalis Satyra 14. *Inscripta ergastula.*
V Ausonius

Aufonius Epigrammate 15. de Pergamo scriptore fugitivo:

*Ergo notas scripto tolerasti Pergame vultu:
Et quas neglexit dextera, frons patitur.*

Columella in Hortulo: *Deletura diu fronti data signa fugarum.*] XERXES Persarum rex immani vanitate Helleponto tanquam seruo fugitivo stigmata inurete tentauit. Herodotus lib. 7. numero 35. *Quod cum audisset Xerxes, indignè ferens, iussit trecenta Helleponto verbera infligi, & in eius pelagus par compedum demitti. Iam vero audui misisse quoque cum iis etiam qui stigmata Helleponto inurerent. Certè mandauit, ut colaphos Helleponto infligerent.*] Quod alludit Iuuenalis Satyra 10.

— *Quod non & stigmatè dignum credidit*

Erat insuper apud veteres genus supplicij ignominiosissimum cum ingenui hominis facies notis seu puncturis perenniter mansuris cauterio incidebatur, atque exarabatur. Plato lib. 8. de legibus sub initium hanc pœnam sacrilegis irrogat, sic dicens: *Si quis sacrilegium commiserit, si seruus, peregrinusve erit, in facie ac manibus, calamitate ipsius litteris iuncta, verberatus, prout iudicibus videbitur, nudus extra fines pellatur.*] Seneca lib. 3. de ira cap. 3. *Varia vinculorum genera, varia pœnarum, lacerationes membrorum, Inscriptiones frontis, &c.*] Plutarchus in Pericle: *Captiuorum Atheniensium Samij reddita contumelia, frontem scripserunt noctua: ut ipsorum frontem antea Athenienses Samana. Est Samana nauis prora demissa, concava autem magis & ventricosa. Ad hæc stigmata aiunt Aristophanem obscure alluisse, Samij periti litteris quam plurimum.*] Hinc Adagium, *Samij litterati.* Chiliadis 4. Centuria 6. Adagio 14.

Suetonius de Caligula, cap. 27. *Multos honesti ordinis, deformatos prius stigmatum notis, ad metalla, aut ad viarum munitiones aut ad Bestias condemnauit.*] Lucianus in Reuiviscentibus: *Frontique stigmata imprimat, vel intermedia inurat supercilia: sit vero deustionis figura vulpes, vel simia.*] Phanocles apud Stobæum Sermone 64. de Thracibus: *Quin etiam ad sumendum pœnas pro Orpheo occiso, stigmata infligunt mulieribus hodie, propter illud flagitium.*] Eadem habet Plutarchus de fera Numinis vindicta. Boëtius lib. 1. de consolatione, Prosa 4. scribit Theodoricum Italiæ regem Opilioni & Gaudentio CCmis. VVixis edixisse, ut nisi intra præscriptum diem Rauenna discederent per notas insigniti frontibus pellerentur.

Eiusmodi oris honestamento solitos affici Sanctos Christi confesores à Tyrannis, testantur Martyrologia: uti de S. Flauiano Ex præfecto à Iuliano Apostata pro Christo incertione damnato, 22. Decembris. S. Pontius Diaconus in vita S. Cypriani: *Quis denique tot confesores frontum notatarum secunda inscriptione dignatos, ad exemplum martyrij superstites reueratos, inextinguibili tuba Celestis animaret?*] S. Hilarius Libello aduersus Constantium Augustum: *Iussos à te Episcopos non esse, quos condemnare nullus audebat: etiam nunc in Ecclesiasticis frontibus scriptos metallica damnationis titulo recenseri.*] Sozomenus lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 2. de Macedonio hæresiarcha: *Alios in fronte notis ab illo compunctis fuisse, ut præ cæteris insignes essent.*]

Cedrenus in compendio Historiarum, pag. 427. Sanctos Confesores Theophanem & Theodorum

fratres à Theophilo impio Imperatore facies notis compunctos in hunc modum narrat: *Quin & frontibus eorum Barbarico more notis impressis, inscribi iussit ineptos hos à se compositos lambos, &c. Suntque inscriptis frontibus hisce versibus in exilium acti. Ante hos etiam Sanctus Methodius in quadam insulam relegatus, viuis cum duobus latronibus in sepulchrum inclusus fuerat: in eoque à piscatore quodam nutriebatur. In quem piscatorem cum incidissent Theophanes ac Theodorus, & Methodij rerum quis esset status, ex eo cognouissent: per eundem in hanc sententiam scribunt ad eum:*

*Qui viuis inter viuos esse desit,
Vitæque præbet mortuus, terram incolens,
Polumque obit, victo grauati vinculis,
Frontes ei scribuntque inscripti litteris.
Rescripsit Methodius opera eiusdem piscatoris:
Quorum libris scripta sunt celestibus
Nomina, pieque frontes compuncta notis:
Hos qui sepultus ante funus est suum,
Vinctos saluat, & ipse vinculis grauis.*

Eadem habet Zonaras Tomo 3. Annalium, in Theophilo. Eiusmodi fœdam vultus lanienam sancta lege sustulerat Constantius Magnus, Leg. 2. de Pœnis, codice Theodosiano: sed nihil profecit apud impios principes.

Gentes etiam quasdam bis reperi notas quasdam & stigmata corpori, tanquam nobilitatis insignia inurete consueuisse, scimus. Herodotus lib. 5. Num. 6. de Thracibus: *Punctas notis esse frontes, nobile indicatur: non esse notatas punctis, ignobile.*] Dio Chrysostomus Oratione 14. de seruitute: *Quid? fuistine unquam in Thracia? Equidem fui. Vidisti igitur illic mulieres liberæ stigmatum plenas, & tanto plura habentes, magisque varia stigmata, quanto honestiores, & honestioribus nata?*] De Throglodytis mulieribus Strabo lib. 16. *Eorum mulieres diligenter notis compunguntur.*] Plinius lib. 22. cap. 1. *Maresque etiam apud Dacos & Sarmatas corpora sua inscribunt.*] De Gelonis Claudianus lib. 1. in Rufinum: *Membraque qui ferro audeat pinxisse Gelonus. Et Virgilius 2. Georgicorum.*

Easque domos Arabum, pictosque Geionos.

Vbi Seruius: *Idest, stigmata habentes: & sunt populi Scythiæ. Mauri Africani, & Americani Indi noui orbis facies stigmatibus fulcare solent, generositatis & nobilitatis ergo. Abyssini notas sibi indelebiles in frontibus imprimunt, uti autor est Franciscus Aluarezus De Rebus Ethiopicis, cap. 22. De militibus quoque Certum est, notis inustos. Vegetius lib. 1. de Re militari, cap. 8. Sed non statim punctis signorum inscribendus est tyro dilectus: Verum ante exercitio prætendus.*] Et lib. 2. cap. 5. *Nam victuris in cute punctis milites scripti, & matriculis inserti iurare solent.*] Aëtius Medicus: *Stigmata vocant qua in facie aut alia parte corporis inscribuntur, qualia sunt militum in manibus.*] Arcadius & Honorius Imperatores Leg. Stigmata 3. c. de Fabricensibus, lib. 11. *Stigmata hoc est, nota publica Fabricensium brachiis ad imitationem tyronum infligantur: ut hoc saltem modo possint latitantes agnosci.*] S. Gregorius lib. 2. Epistola 62. querens de iniusta lege Mauritiij Imperatoris, qua vetabat milites ad Monachatum transire, inquit:

In qua lege subiunctum est, ut nulli qui in manu signatus est, conuerteri liceat.] Et statim: Ecce aperta voce dicitur, ut ei qui semel in terrena militia signatus fuerit, nisi aut expleta militia, aut debilitate corporis repulsus. Domino nostro Iesu Christo militare non liceat.] Et Epistola 65. praecepit enim Mauritius, ut nullus qui actionem publicam egit, nullus qui officio, & manu signatus, vel inter milites fuit habitus, ei in Monasterio conuerteri liceat.] Videndi de ea re S. Chrysostomus Homil. 3. in 2. ad Corinth. & S. Augustinus Epist. 1. Illud quoque peculiariter obseruatum, ut qui vnus sectae vel prauae religionis essent, aut Deo alicui consecrarentur, inusta aliqua nota vel stigmate insignirentur. Prudentius de Coronis, Hymno 14. vers. 1076.

*Quid? cum sacrandus accipit sphragitidas?
Acus minutus ingerunt fornacibus,
His membra pergunt urere, ut igniverint,
Quamcumque partem corporis feruens nota
Stigmatit, hanc sic consecratam praedicant.*

Lucianus de cultoribus Deae Syriae: *Certis autem notis compunguntur omnes, alij quidem in vola manus, alij autem in cervice: & inde est quod cuncti Assyri notas inustas habent.]* Vide notas nostras Hebraicas ad Leuitici 19. v. 28. De Carpocratianis haereticis S. Irenaeus lib. 1. cap. 24. *Alij vero ex ipsis signant, cauteriantes suos Discipulos in posterioribus partibus extantiae dextrae auris.]* S. Epiphanius Haeresi 27. *Ceterum signaculum per cauterium, aut nouaculam, aut subulam immittunt ac incutunt Carpocratiani in dexteram inferiorem auriculam iis qui ab ipsis decepti sunt.]* Tertullianus de Praescriptionibus Haereticorum, cap. 40. *Sic adhuc diabolus initia Mithrae signat adhuc in frontibus milites suos.]* Existimant quidem intellexisse hic Tertullianum de Basilidianis haereticis, qui Abraxan colebant, idest, Mithran, seu Solem. S. Hieronimus in Amos 3. *Vt Basilides qui omnipotentem Deum portentoso nomine appellat Abraxas, & eundem secundum Graecas litteras, & anni cursus numerum dicit in solis circulo contineri: quem Ethnici sub numero aliarum litterarum vocant Meithran.]* Equidem ΑΒΑΞΑΣ, & ΜΕΙΘΡΑΣ, sunt nomina Isopispha, idest, singulorum litterae eundem numerum continent, nempe 365, qui est numerus dierum anni, quos sol suo circulo conficit. S. Irenaeus lib. 1. cap. 23. *Trecentorum autem sexaginta quinque calorum locales positiones distribuunt Basilidiani, similiter vi Mathematici. Illorum enim theorematum accipientes, in suum Characterem doctrinae transtulerunt. Esse autem principem illorum Abraxas, & propter hoc 365. numerum habere in se.]* Tertullianus de Praescriptionibus, cap. 46. *Basilides dixit summum Deum nomine Abraxan &c. & ab istis Angelis 365. quinque calos institutos: & mundum in honore Abraxae, cuius nomen hunc in se habeat numerum, computatum.]* Eadem habent Sanctus Epiphanius Haeresi 24. Sanctus Augustinus lib. de Haeresibus, cap. 4. Theodoretus lib. 1. Haereticarum Fabularum, cap. 5. S. Ioannes Damascenus lib. de Haeresibus.

Extat Romae gemma amethystus, quam Baronius refert Tomo 2. Annalium, anno Christi 120. Num. 10. in qua effigies hominis exsculpta visitur, toto corpore per membra portentosis nominibus inscripta, hastam bidentem sinistra tenens, ad cuius contum incisum est nomen ΑΒΡΑΧΑΣ: similem aliam saepe nos vidimus Serabi apud amicum, Vides ut Basilidiani nomen ΑΒΡΑΧΑΣ, cum numero

eiusdem nominis 365. pro insigni & nota seu characterem sectae gestasse, quam similiter iis quae facturus est Antichristus. De nomine Abraxas vide etiam Iosephum Scaligerum, in Epistolis Gallicis ad finem Opusculorum ipsius. De Mithra plura Gyraldus syntagmate 7. Briffonius lib. 2. Persicorum, Bulengerus in Eclogis Arnobianis, cap. 4. Binius in Notis ad Histor. Ecclesiast. Socratis lib. 3. cap. 2. Nec ab his prorsus abludit, quod daemon prauus miseris mulierculas quas striges vocant, tanquam vilia mancipia sibi deuota, & mystas impuritarum suarum, stigmate aliquo seu Characterem in certa aliqua corporis parte imprimit: quae quidem pars ea nota impressa ad omnem ictum & vulnus redditur prorsus insensibilis. Huius lamiarum Characteris solent variae esse formae, ut pedis leporini, maniculae bufonis, seu ruberae, catelli nigri, denarii, & eiusmodi aliarum vilium, & absurdarum rerum, cuius diabolici moris ac ritus plura exempla reperies apud Claudium Charondam lib. de Antichristo reuelato, Nota 1. Nicolaum Remigium lib. 1. de Daemonolatria, cap. 5. Martinum Delrium Magicarum Disquisitionum lib. 2. Quaestione. 21.

Nec illud praetermittimus quod Ioannes Leo in Descriptione Africae refert, quosdam Africae indigenas Mahometanos candenti ferro geminas cruces alteram in gena, alteram in vola manus inurere solitos: quod nimirum eorum maiores ea nota cum Christiani essent, ab aliis qui non erant, dignosci consueuissent. De Turcis qui signum crucis inultum manibus & fronti gerebant, diximus lib. 6. cap. 26. De Iacobitis qui in oriente degunt, & magnam Armeniae partem occupant, tradit Abbas Ioachim in Appendice Christianarum nationum, eos ferro candenti characterem crucis frontibus imprimere, vel alia corporis parte, maxime in pectore.

Atque ex his omnibus hoc capite à nobis haecenus obseruatis, facile intelligi poterit, qua ratione Minister ille Vicarius Antichristi, faciet omnes accipere Characterem nominis Bestiae. Sed iam reliqua Ioannis verba de impurissimo Agyrra exequamur.

Et ne quis possit emere aut vendere, nisi qui habet Characterem, aut nomen Bestiae, aut numerum nominis eius. Haud probandum, quod plerique hanc pericopem, ad negotiationes, & commercia mercatorum tantum arctant: vniuersè potius dicta existimamus, de omni emptionis & venditionis genere, nempe tam mercium, quam victus, annonae, comestuum, & aliorum, sine quibus humana vita consistere nequit. Sauiissimum id erit persecutionis genus, ac planè intolerabile. Cum pio sea ratione oporteat fame perire. Vfos isto persecutionis genere aduersus Christianos, nonnullos ex Ethnicis Principibus ex Annalibus Ecclesiasticis constat. Acta S. Concordij Martyris apud Sutrium, Tomo 1. *Temporibus Antonini Imperatoris, grauissima persecutio orta est in vrbe Roma: ita ut nec emendi nec vendendi cuiquam facultas facile daretur, nisi qui diis immolasset.]* In Actis SS. Martyrum Sebastiani, & fociorum, ita refertur: *Conculibus Maximo & Aquilino, [putatur hic annus tertius Diocletiani] tam immanis exorta est persecutio, ut nulli quidquam vel vendere vel emere liceret, nisi paruis quibusdam statuis positis in eo loco, ubi emendi gratia conuentum esset, thura incenderet. Tum etiam circa insulas, rivos & aquas positi erant compulsores, qui neque molendi, neque aquas hauriendi potestatem facerent, nisi qui*

idolis libassent. Et S. Beda in vita S. Iustini Martyris hæc canit :

Et ne quisquam potuisset
Contutari latebris
Vbique componebantur
Hoc modo insidiæ
Quæ euntes compulissent
In ius idolatriæ.
Non illis emendi quidquam,
Aut vendendi copia :
Nec ipsam haurire aquam
Dabatur licentia
Antequam thurificarent
Detestandis idolis.

Similia quoque de eadem Diocletiani persecutione narrat Aretas Oratione de SS. Guria & Samona, apud Surium Tomo 6. Eius generis quoque sunt quæ Eusebius lib. 8. Eccles. Histor. cap. 19. scribit de Galerio Maximiano dire in Oriente exagitante Christianos : *Mandauitque ut omnes omnino viri cum uxoribus, famulis & pueris, matrum vbera adhuc sugentibus immolarent, libamina afferrent, & ipsa sacrificia reipsa degustarent, & cibaria in foro venalia impuris sacrificiorum libationibus contaminarentur : & pro foribus denique balnearum, quidam quasi custodes constituerentur, uti qui in his essent sordibus abluti, post scelestis illis & nefariis victimis se inquinarent.*]

Nectarius Constantinopolitanus Episcopus Oratione de Quadragesima apud Lippomanum Tomo v. immane quoddam facinus Iuliani Imperatoris aduersus Christianos memorat : nimirum Iulianum Constantinopoli cuncta cibaria quæ venum publice in foro prostabant, immolatio sanguine clam infecisse, ut iis ita pollutis Christianos à S. Theodoro diuina reuelatione admonitos, sedulo abstinuisset, ac tritico in ollis cocto, quod colybon vocant, in cibum vsos. Eiusmodi quoque Antiochiæ tentasse Iulianum, Theodoretus lib. 3. Historiæ Eccles. cap. 14. ita perscribit : *Iulianus quamquam personam induebat modestiæ, tamen retia parare, atque tendere plagas capit, quæ homines errore deceptos in impietatis perniciem inducerunt : nam primis fontes tui qui in urbe erant, tum qui Daphne, sceleratis victimis cõtaminare, quo singuli qui aqua gustarent, terra nequitia labe inficerentur. Deinde quæ in foro exponebantur, eadem sceleris machina inquinare : nam panes, carnes, fructus, olera, & alia omnia esculenta aqua lustrali aspergebantur, quæ cum viderent Christiani, etsi non poterant non gemere, lamentari, & scelera illa impensè detestari ; tamen eisdem vescuntur, legi Apostoli obsecuti : Quidquid in macello venditur, comedite, nihil diiudicantes propter conscientiam.* At his multo acerbior & intolerabilior erit Antichristi hac in parte persecutio. Vnde Sanctus Hippolytus Martyr Oratione de Antichristo : *Mox cuncti ciborum penuria accedent atque adorabunt eum : quibus dabit Characterem in dextra manu, & in fronte. Ita Seducitor ille dabit eis pauca cibaria, idque ob impurum sigillum suum.*]

S. Ephræm Syrus sermone de Antichristo : *Tunc vehementer omnis simul lugebit, ingemiscetque anima, quando cuncti aspexerint pressuram illam ineffabilem, quæ die nocturne prementur : nec vsquam reperient ubi cibis famem sibi expleant. Siquidem præfides quidam populi, duri atque immites per loca constituti erunt à Tyranno, qui illos dumtaxat paululam ciborum, eorum scilicet, quales tunc inuenien-*

tur, sibi coëmere permittent, qui signaculum improbi Tyranni secum in fronte, vel in dextera præstulerint. Sicque paulatim perire, ac mori incipient : hi quidem in plateis, illi vero in domibus, alij autem in foro. Deficient namque infantes in sinu ac vlnis matrum : ipsæque vicissim matres super infantes morientur : Vir item cum muliere ac prolibus in medio fori corruent mortui.]

CAPVT XXXII.

Varia nomina quibus Spiritus Sanctus dignè Antichristum traducit.

Monstrum horrendum solet Scriptura infamibus quibusdam titulis pro merito insignire.

Primum nomen est *Legislator*. Psalm. 9. vers. 21. *Constitu Domine legislatorem super eos, ut sciant gentes quoniam homines sunt.* Hunc locum latè de Antichristo exposuimus lib. 8. cap. 1. ibi vide. Legislator enim erit & Tyrannus crudelissimus orbis oppressor. Sub eo, scient ac reputabunt gentes se homines esse. Hebraicè *Enos*, sit dictum hominem volunt à dolore, ægitudine, miseria, ærumna, calamitate, morbo, desperatione ; q. d. Mortalem, ægum, calamitosum, ærumnosum, malis obrutum, deploratum, desperatum. Diximus de hac voce accurate in Notis Hebraicis ad Genes. 6. vers. 4. Numquam magis homines suam miseram & deploratam sortem experientur, quam sub Antichristo mundi Flagello. Eusebius Cæsariensis 11. de Præparatione Euangelica, cap. 4. singulariter de nomine *Enos* in hunc modum disserit : *Hominem Enos quoque appellant Hebræi, quo vocabulo non terrenam, sed rationalem naturam significant. Propriè autem si verbum de verbo Latine exprimas, obliuiscem Enos denotare videtur, qualis certè natura rationalis corpori alligata efficitur. Quod autem carni coniunctum est, quodque magno corporis pondere premitur, ignorantia, obliuionēque inuolutum rectè Iudaorum sermo Enos, idest, obliuiscem appellauit. Ita enim iacet apud quendam Prophetam. Quid est Enos quod memor es eius ? quasi dicat, Quid est iste homo ? iste dicam obliuiscens, quod tu qui es Deus, memor es eius, quamuis obliuiscens sit ?]* Deduxit proculdubio à *Nasah*, obliuisci : quamuis Mercerus, & alij hanc potius illusionem vocis, quam veram, genuinamque significationem esse existiment. Notabis ab *Anasim* plurali *homines*, deduci plurale quoque *Nasim*, mulieres, detracta prima littera capitali *aleph*, quod mulieres sint ipsæ magis ærumnosæ, & obliuiosæ quàm viri, nec tamen debeant esse caput. Sub Antichristo verò & oceanus ærumnarum, & profunda Dei obliuio erit.

Secundum nomen, *Inspiciens*. Psalm. 13. v. 1. *dixit inspiens in corde suo, Non est Deus.* De Sennacheribo blasphemio homine insigni Antichristi typo intelligunt Theodoretus, Euthymius, & alij : atque in ipsum Antichristum aptè conuenire, non est dubium, cum sit futurus omnium mortalium atheissimus. Nomen *Nabal*, quod Noster dixit *Inspiciens*, quibusdam est, Fatuus, inspiens, insipidus, insulsus, carens & destitutus ratione, cerebro, vigore ingenij, acedine, sapore, virtute, intellectu, sapientia, siue humana, siue spiritali : quique aliquid loquitur seu facit vicio aut morbo quodam deprauatus contra publicam honestatem, vel manifestum verbum

verbum Dei. Aliis, vilis, abiectus, stultus, nequam, homo nihili, amens, asymetos, deprauatus, omni sapientia, & virtute vacans, in quo ne mica quidem sit bonæ mentis, in quo nihil succi est. Nonnullis, Flagitiosus, Cui ratio, & mens concidit, vt stultè & turpiter agat. Nonnullis, vilis, emarcidus, Flauus, & qui flauescit, vt folium arboris, & caret omni humore, & vigore iudicij & rationis. Quibusdam, nebulo, abiectus, perditus, impius, sordibus, illiberalis, ignobilis, spretus, contemptus, reiectus, corruptus. Aliquibus, Non insipiens modo, sed sceleratus, qui stultitiam cum improbitate habet coniunctam, vanus in rebus omnibus, cui omnia defluunt, mente flaccidus, & labens. Latina vox *Nebulo* cum Hebraica *Nabal* congruit, sed hæc amplioris est significationis, quæ omnia significata prædicta complectitur: & omnia examussim Antichristo conueniunt.

Tertium nomen, *Inimicus*. Psalm. 73. v. 3. *Quanta malignatus est inimicus in Sancto*. De Tito & Romano exercitu intelligunt S. Augustinus, Hieronymus, Cassiodorus, Theodoretus, Euthymius, Strabus, Anselmus Laudunensis, & alij. Quidam de Nabuchodonosoro deuastante Ierusalem. De isto, & de Tito interpretatur Eusebius lib. 10. de Demonstratione Euangelica, cap. 1. Alij de Antiocho Epiphane. Nonnulli de Gog & Magog seu Antichristo. Adito explanatores. Fuit rationes eorum, qui hunc Psalmum temporibus Antichristi conuenire non posse contendunt. Et Titi vastatio suo modo, & illæ Nabuchodonosori, & Antiochi eximie, typi erant insignes futuræ illius per Antichristum, quem antonomastice *Inimicum* vocat, nam illo maior hostis aut Inimicus Ecclesiæ nunquam fuit.

Quartum nomen, *Aper de Silva*. Psalm. 79. v. 14. *Exterminauit eam*, nempe vineam Domini, *Aper de Silva*. Recentiores ferme putant singulare positum pro plurali: hoc est, siluestres porci, sues, apri, quibus vniuersæ, Gentes, vel tyrannos Ecclesiæ vastatores, & mastiges designari volunt. Theodoretus, & Euthymius ac permulti alij, *Aprum* hunc, Salmanassarum, aut Sennecheribum, seu potius Nabuchodonosorum, magnum Ecclesiæ Dei oppressorem accipiunt. S. Augustinus, Cassiodorus, Strabus, Vespasianum, seu Titum Ierosolymæ euerforem. Vterque typus Antichristi. Nec defunt qui de Mahomete exponant. Antichristo mire conuenit, *Porcus syluestris* dictus ob spurcitiam ac sæditatem morum, & crudelitatem magnam cuncta proterentem. Est enim id brutum maleficum, vt omnia non modo depascatur: sed etiam sædè proculcet, effodiat, rostroque eruat: vineis potissimum infestum, vti omnes observant. Collectores Hieroglyphicorum apud Pierium Valerianum, l. 9. annotant, Porcum seu Aprum esse symbolum perniciæ, bruticiæ, vaniloquentiæ, Sophistici, improbitatis, profanationis, voracitatis, ganeæ, ingluuiæ, salacitatis, ventris, luxus, deliciarumque, lasciuia, intemperantiæ, impuritatis: atque cum primis designare atrocem imperum, bellicam ferociam: vnde apri vim, & fulmineum robur Scriptores celebrant. Quæ omnia significata Antichristo adamussim competunt. Vineam verò Domini certum est Ecclesiæ Dei intelligi.

Sed expendendum verbum quadratum *CHIRSEM*, quod hic infuturo Piel ponitur. Hic tantum in Scriptura extat. Lxx. & Noster reddiderunt, *Exterminauit, eliminauit, vastauit*. Chaldaus, *effodiet, vel eruet more porcorum*. Ita quoque Pomarius, & Reuchlinus. Thargum Ierosolymitanum Deuteronom. 28. v. 38. *excidet, succidet, euellet*, Ita etiam Rabbi Scelomoh, & Schindlerus. Ar ben-Ezra, *conculcabit*.

S. Hieronymus, Leo Iudas, Flaminus, Mercerus, *vastabit, deuastabit*. Caietanus, *vorabit*. Campensis, *euertet*. Forsterus, *exuineabit, porcorum more eruet, eradicabit, vastabit, ne amplius sit vinea*. Putat ex *CHIREM*, vinea interiecta littera *Samech*, conflatum esse verbum *CHIRSEM*, quod contrariam nomini significationem habet, nempe *exuineare*, non vineam reddere extirpatis radicibus. Sed id Mercero, & Marino audacius videtur. Auenarius componit ex *CHIREM*, vinea & ex verbo *RAMAS conculcavit* idest, deuastare vineam conculcando, & perfodiendo vngulis vt faciunt apri & sues. Sanctes, *consumeret*. Mercerus, *depascetur*. Sanctes & Marinus *CHIRSEM* Conflant ex *CHERES, ventre*: vt *IECARSEMENAH* sit dictio composita, quasi *ICHARES-MENAH*, hoc est, *ventrabit, implebit ventrem ex ea*. Immanuel Tremellius, & Franciscus Ionius existimant verbum istud, Chaldaicum compositum potius esse, quam Hebræum origine, significareque, *rem absconditam vt thesaurum effodere*.

Quintum nomen, *Singularis Feras*. Eodem versu: & *singularis ferus depastus est eam*. Nimirum vineam Domini. Vox Hebraica *Ziz* ter tantum in Scriptura reperitur. Psalm. 49. v. 11. Lxx. & Noster, *pulchritudinem*. Reddiderunt, *Hic Monion agrion, singularem ferum*. Vtroque loco Chaldaus, *Gallum Siluestrem*. Isaia 66. v. 11. Lxx. *inroiturum*. Chaldaus, *elegantiam*, Noster, *omnimodam*.

Quidam vt Marinus, Genebrardus, idem esse volunt cum Chaldaico *Ziz*, mutato extremo *Zain* in *vau* quod splendorem, claritatem, pulchritudinem significat. Sic dictas Feras agrestes volunt, quod sint splendor & pulchritudo agtorum. Forsterus deducit à *BAZAZ, diripere*, & eo nomine collectim comprehendit vniuersitatem omnium illorum animalium, quæ carpunt ac diripiunt gramina, herbas, pascua, fruges, fructus arborum, & terræ nascentia, aliaque edulia. *Vniuersitatem* exponit. Id sequitur Forerius, quod Mercero durius videtur. Auenarius. *Copiam*. Schindlerus ait esse nomen collectiuum comprehendens feras, hinc inde sese mouentes, discurrentes in agris & siluis. Hebræi consentiunt, esse generale nomen bestiarum, seu ferarum agrestium aut siluestrium. Hic Rabbi Scelomoh, & Caietanus, *reptile*. Aben-Ezra, & Sanctes, *avis*. Forsterus, *vniuersitas*, Auenarius, Buxtorfius, Pellicanus, Munsterus, Campensis, Felix, Schindlerus, Vatablus, Leo Iudas, Genebrardus, Clarius, *Fera*, vel *Bestia*. aut collectiue, *Fera* vel *Bestia*: quod prior iam S. Hieronymus in sua translatione dixerat, nempe, *Fera omnis generis, omnimoda*. Audiamus Poetas: Buchananus:

Cur hanc Sæuus aper proterit? alites

Carpunt? omnigenæ depopulant fera?

Montanus:

Hanc Syluestris aper proterit, hanc agri

Depascit varia & fera.

Bochius: — at illac

Vastat aper totam que fera populantur agrestes.

Quod Hebraicè dicitur *Fera agri*, Lxx. reddiderunt *μόνος ἄγριος Monios* vniuersè est Solitarius, Soliuagus, solitudines captas, idem quod Monasticus, Peculiariter autem & substantiue Monios, accipitur pro Porco agresti, qui solitarius pascitur. Suidas: *Monios, agrestis sus, solus, vel Monolycus*. Idest lupus syluestris. Hesychius: *Monios, porcus syluestris, qui cum aliis non aggregatur*. Notat Hesychius, S. Cyrillum in expositione Osæ Prophetæ, *Monion* exponere Onagrum, seu Asinum syuestrem. Appollinaris: *syem Rabiosum* interpretatur. At vide de his Cæliū

Rhodiginum Lectionum Antiquarum lib. 4. cap. 7. & Henrici Stephani Thesaurum, Tomo 2. colum. 968. Theodoretus in eum Psalmi locum: *Porro singularem ferum appellat, qui solinagus viuit, quique aliis truculentior est, ut pote qui cum ceteris consuetudinem minime habet.*] Euthymius: *Singularis autem seu solitarius sus ille dicitur, qui solus incedit, & ob summam feritatem aliis non miscetur.*]

Ergo singularem hunc ferum, Theodoretus, Euthymius, & alij Nabuchodonosorum exponunt. Cassiodorus, Strabus, & alij Titum Romanorum imperatorem. Recentiores, collectiue omnes Ecclesie oppressores. Quidam, Antichristum, ut Iacobus Valentinus. Atqui cuncta significata vocis *ZIZ* Antichristo aptissime conueniunt, ipse enim, nedum Porcus syluestris, Monolycos, Onager, sed instar omnigenum ferarum, propter multijugam feritatem, & immensam truculentiam erit. Sic Scriptura elephantum *ВЕНЕМОТН* plurali numero, *Bestias* appellat, quod propter vasti corporis molem instar multarum bestiarum sit.

Sextum nomen, *Cauda Behemoth*. Iob enim de Behemoth seu elephanto, qui typum gerit Diaboli, cap. 40. v. 12, inquit: *Stringit caudam suam quasi cedrum.* Caudam Behemoth seu diaboli, Antichristum intelligunt, S. Gregorius lib. 32. in Iob, cap. 12. & Olympiodorus in catena eiusdem loci: S. Gregorius: *Quid autem cauda Behemoth istius, nisi illa antiqui hostis extremitas dicitur. Cum nimirum vas proprium, illum perditum hominem ingreditur, qui specialiter Antichristus nuncupatur.*] Olympiodorus: *Ex hoc genere ministrorum Diaboli, existet Antichristus, qui cauda est Diaboli in fine seculi venturus.*] ut enim cauda pars est extrema animalis, ita Antichristus extremum diaboli membrum est, in fine mundi venturus. Et quod de dracone dixit Ioannes Apocalyp. 12. v. 4. quod *cauda eius traheret tertiam partem stellarum.* Caudam draconis, Antichristum accipiunt, S. Gregorius eodem loco, & plerique alij.

Albertus Magnus, Steuchus, Immanuel, & Iunius, Sa, Mariana, in eum locum Iob, *caudam Behemoth* intelligunt, veretrum, seu membrum genitale, ita honesto vocabulo nuncupatum. Festus: *Penem antiqui codam vocabant: a qua antiquitate etiam num offa porcina cum cauda in conis puris, offa penita vocatur.*] Et paulo inferius: *Penes enim vocabantur cauda.* Apud Priscos enim dictas *codas*, quas postea caudas appellarunt, notum est ex Nonio Marcello, cap. 2. numero 135. & certe sumi caudam Behemoth pro veretro, sequentibus apte congruit, *nerui testiculorum eius perplexi sunt.* At quod hic de vastitate caudæ, vel veretri instar cedri dicitur, elephanto non conuenit: nam utrumque pro reliqua corporis mole exiguum & breue habet: de cauda constat: de veretro Aristoteles 2. de Historia animalium, cap. 9. *Elephantus equino simile veretrum habet: sed paruum, neque pro corporis ratione.*]

Sed expendamus Hebræa: Sanctes, Vatablus, Steuchus, Schindlerus secuti Hebræos. *Monebit celeriter, festinabit, caudam suam sicut cedrum.* Ut sit *ІА С Н Р Н О Т Z*, cum Tzade, pro *ІА С Н Р Н О Z*, cum Zain, littera eiusdem soni, & exitus. 2. Caietanus, *Agitabit cito caudam suam sicut cedrum.* eodem sensu. 3. Forsterus. *Volet caudam suam in modum cedri.* Ut sit oratio ecliptica, id est, si voluerit, caudam suam in modum cedri extendet. 4. Martinus Buxtorfius, *Cum volet, cauda eius est ut cedrus, scilicet arrecta & immobilis.* 5. Auenarius, *oblectabitur cauda sua ut cedrus.* 6. Aben-Ezra, *erigit, arripit, caudam suam tanquam cedrum.* 7. *Lxx.* erigit caudam suam sicut cu-

pressum. 8. Thargum incuruat caudam suam sicut cedrum. 9. Possis exponere, *volet caudam suam sicut cedrum.* Id est, cum vult, cum libidine insolescit, exerit penem ut cedrum. Quid si intelligas, cum caudam & veretrum breuia & exilia habeat, vellet ea tamen maiora, & tam magna ut cedrum. Hyperbole. Et sanè et si genitale membrum, & caudam non pro corporis ratione magna habeat: sunt tamen reuera magna, & maiora quam aliorum animantium. Forfan hic Iob typi potius, quam rei rationem habuit, quod ipse Antichristus veretrum diaboli ingens futurus esset: ob profusissimam & immanem ipsius libidinem ac nequitiam. Propudiosissimum & ignominiosissimum Antichristi epitheton, cauda, veretrum, penis genitale diaboli. Egimus de libidine Antichristi lib. 7. cap. 26.

Septimum nomen, *Impudens facie*. De quo disse-ruimus lib. 7. cap. 3.

Octauum nomen, *Vastator, Emulsor, Puluis, Gluma, Emunctio, Miser, Prado.* Ista elucidauimus cap. 19. huius libri 9.

Nonum nomen *Abominatio desolationis*. Istud explicauimus lib. 8. cap. 11.

Decimum nomen, *Alius*, seu *Alienus*. De quo diximus lib. 6. cap. 40.

Vndecimum nomen, *Aduersarius, Filius perditionis, homo peccati*. De quo egimus lib. 8. cap. 3.

Duodecimum nomen, *Apostasia*. Id est defectio. De quo tractauimus lib. 5. cap. 32.

Tertium-decimum, *Bestia*. De quo scripsimus lib. 5. cap. 26.

Decimum-quartum, *Pastor stultus, Idolum*. Quod sequenti capite elucidabimus.

Bartholomæus Vvesthamerus in Phrasibus Scripturæ, quas sine nomine auctoris damnati edidit Vincentius Villauicentius, plurima Antichristi nomina, quibus eum Spiritus Sanctus in Scriptura nuncupat, collegit. Sed nos tantum certiora, magis propria, & insigniora expendimus.

C A P V T XXXIII.

Exponitur Locus Zachariæ 11. v. 15.

Adhuc Sume tibi Vasa pastoris stulti, &c.

Verba sacri vatis sunt: Et dixit Dominus ad me: *Adhuc sume tibi vasa pastoris stulti: quia ego suscitabo pastorem in terra: qui derelicta non visitabit, dispersum non quæret, & contritum non sanabit, & id quod stat non enutriet: & carnes pinguum comedet, & ungulas eorum dissoluet ô pastor, & idolum, derelinquens gregem: gladius super brachium eius, & super oculum dextrum eius: brachium eius ariditate siccabitur, & oculus dexter eius tenebescens obscurabitur.*

Hunc locum totum de Antichristo esse intelligendum, quem Dominus Pastorem stultum, & idolum appellauerit, S. Hieronymus, S. Cyrillus, Theodoretus, Haymo, Remigius, Anselmus Laudunensis, Strabus, Albertus Magnus, Hugo Carenfis, Lyranus, Dionysius Carthusianus, Isidorus Clarius, Sa, Ribera, Vatablus, Oforius, Stunica, Palatius, Figue-rius, Mariana. Pudet referre facillissimam rationem, qua Christophorus Castus tantum consensum, facile se refellere putat: quasi verò Antichristus etiam charos suos initio, Iudæos, non sit sus deque habiturus improbius Tyrannus. Sanctus Hieronymus: *Pastor stultus & imperitus haud dubium quia*

quin Antichristus sit, qui in consummatione mundi dicitur esse venturus. S. Cyrillus: *Antichristum esse dicit, nescientem bene & docte pascere.* Theodoretus: *Mul- to igitur magis prophetia in Antichristum conuenit.* Reliquis ad explanatores amandatis, quæ magis in- stituto facient, persequemur.

Vasa. Heb. singulare *CHELI*, hoc est, *Vas*: sed sæpe collectiue sumitur. Aiunt esse generaliter omne vas, vel instrumentum, arma, vel suppellectilem, vel utensile, quidquid in usum hominis paratur, & consummatur, perficiturque. Vide Forsterum, Merc- erum Marinum, Auenarium, Schindlerum in Lexicis: & Forerium Isaia 10. v. 28. cap. 32. v. 7. *Vasa* etiam Latinis pro suppellectile & utensilibus, ut conclamare *vasa*, quando mouenda erant castra: *conuasare.* Hic Vas Kimchius, Vatablus, & alij, *peram pastorem* exponunt. Sic noster 1. Regum 17. v. 40. 49. *vas* interpretatur *peram pastorem*. Sed quod dicitur, *vas pastoris stulti*, intelligunt *peram pertusam*, & perfo- ratam ex qua disfluant & elabuntur reposita S. Hie- ronymus & alij, *vasa pastoris stulti*, intelligunt, in- signia pastoris, habitam, peram, pedum, fistulam, & sibilum. S. Cyrillus, Montanus, Palatius, Ribera, omnia instrumenta contraria iis quæ boni pastores gestare solent, nempe pro pedo Pastoralis grauem & nodosum baculum, quo oves contundat, pro cornu olei, gladium quo eas iugulet, acutas forcipes, qui- bus eas cum carne detondeat, aut scindat, *peram* in qua sibi necessaria non ouibus portet, denique arma in perniciem ouium comparata. *Stulti.* *EVIL*, *LXX.* imperiti, Forsterus deducit à *IAAL*, *voluit*, facta litteratum transpositione, id est, *stultus polypragmo- nicus, temerarius ardelio, affectator, qui audet & si- mul multa vult qua perficere non potest: quique suis cupi- ditatibus & affectibus, non ratione, neque verbo Dei fertur quolibet, sine timore Dei, qui certe in omnibus rebus agendis principalis ac precipua est sapientia.* Aue- narius putat cognitionem habere cum *IAAL*, quod ipse dissoluere exponit, & cum *ALAH*, iuramento se obstringere. Id est, *stultus, stolidus, delirus, qui insi- pienter res suas gerit, & qui dissolutus est moribus, atque leuiter, & cum temeritate quadam se obstringit.* vox Latina *vilis* forsan inde conflata. Hic cum Iod pa- ragogico scribitur *EVIL*, proculdubio ad augen- dum significatum, ut annotauit Marinus, q. d. *Stul- tissimi, temerarissimi, improbissimi, relictæ.* Heb. participium fæmineum, ex verbo, *succissas, exscissas*, subaudi oves. Hispanice *lassum & defatigatum* sine viribus, dicimus *Cortado succissum.* Vel *succissas* à reliquo grege, nimirum quæ perierunt incurfu fera- rum: vel dispersæ, perditæque sunt.

Quidam, *succissas*, id est grauissime ægrotantes, ac deploratas. Possis reddere, *celatas, absconditas, ex- terminatas*, id est, errantes, vel quæ in dumentis im- plexæ & absconditæ relictæ sunt, quas pastor solet quærere. Chaldaus, *errantem.* Forsterus, *lasa.*

Non visitabit. Verbum *PAKAD*, cum sit He- bræis amplissimi significatus, hic ista omnia ample- ctitur: Non inuiset, non recordabitur, non numera- bit, non recensabit, non requirer, non curabit, non habebit rationem, omnia enim hæc sunt pastoris bo- ni officia. Vide de vocis significatione Forsterum & Mercerum in Lexicis, Forerium Isaia 10. v. 3.

Et dispersum. *NAGHAR* propriè puerum, iuue- nem, voluntque dici hic de tenello adhuc pecore, de agnis paruis ac teneris, ut Kimchi, Sanctes Vatablus, Forsterus, Mercerus, Bertranus, Marinus, Montanus, Schindlerus, & alij. Leo Iudas & Schindlerus, *sto- lidum*, de ouibus stolidis, quæ ad gregem præ imperi- tia redire nesciunt. *NAGHAR* pro rudi, stolido,

imperito, ut pueri esse solent, capitur 2. Paralipomen. 13. 7. Ecclesiast. 10. 16. ad quod significatum respe- xit Paulus 1. Corinth. 14. v. 20. Sic etiam Latinis dicitur infans. Possit reddi, *excussus, agitatissimus*, quæ est propria verbi notio: nimirum à reliquo grege, seu à lupis aut feris. Vel, *proiectum precipitatum.* Vulgari interpretatio est etiam *Lxx. & Chaldaei.*

Et quod stat. Heb. Participium fæmineum, *stan- tem.* Vatablus, eam quæ præ lassitudine restitit, aliis redeuntibus ad caulas. Kimchius, Mercerus, Mari- nus Montanus, Schindlerus, eam quæ præ ægritudine & macie stat vno loco, nec se mouere, aut progredi ad pastum potest, ægram & macilentam. Fere alij exponunt, *stantem*, id est sanam, firmam, vegetam, robustam, bene habentem. *Lxx. integram.*

Non emuriet. Quadratum *CHILCAL*, propriè, *consummabit vniuersabit*, id est, non suppedietabit omnia quæ erunt necessaria. Alij non sustinebit, sustenta- bit, aler, nutriet: vel non disponet, dispensabit. Consuetudine voce *non calculabit*, non numerabit, non recensabit, vel nullam eius rationem habebit. Hispanice, *notendra cuenta.* Olim rationes calculis inibantur, unde Latinis calculus pro ratione. Vide quæ de significato huius verbi diximus Genes. 45. vers. 11. Chaldaus, *non sustentabit.* *Lxx. non di- riget.*

Et ungulas eorum dissoluet. Heb. *earum*, perstat in fæmineo genere ad maiorem commiserationem tam malè tractati gregis, ut intelligas semper ouicu- las, & gregem teneriorem. Primo, tam grauitèr baculo feriet, vel ictu pedis, calcæue contundet, ut ungulas eis diffingat. Ita Vatablus, Clarius, & Ri- bera. Secundo, tam celeriter eas coget incedere, adeo vrgebit eas, vel per aspera, & prærupta loca ager, ut præ labore itineris eis ungulæ diffindantur. Hispanice, *despearlas*: cum boni pastoris sit gregem sensim & placide ducere. Ita Palatius, & Stunica. Tertio, Abrumpet eis ungulas ad iis suauiter vescendum: nam ungulæ pecoris vel armenti sunt in delitiis pro- ceribus ganææ. Ita Montanus, *Lxx. & talos eorum peruerter*, hoc est distorquebit, seu eos claudos effi- ciet. Chaldaus, *consumet.* verbo *PARAX* omnia ista subsunt, *abrumpet, abstrahet, euellet, excutiet, conteret, confringet.* Auenarius ridiculè consentiente voce Latina, *Ericabit, confriticabit*, id est, atteret, seu defricabit, excutiet.

O pastor. Heb. *HOI*, id est heu, vel *va pastori & idolum.* Heb. non est coniunctio: sed, *O pastor idolum.* Non piget quæ de voce *ELIL* Hebraicæ linguæ tractatores annotarunt, hic pauca inferere, è quibus sua Lux vocabulo inferatur. Reuchlinus: *ELIL Nihil, res nullius momenti, idolum vanum, demonium.* Hieronymus traduxit, *peruersum dogma, Iob 13. Forsitan ab AL, id est, Non deriuatum, quia nihil sit boni.*

Alfonus Zamorensis: *ELIL, idolum, nihil, vanum.* Sanctes *ELIL, Vanum, inutile, nihil R. David in libro Radicum exponit vanitas, res que non est utilis, Nihil, Idolum.* Forsterus: *ELIL, idolum aliqui à vanitate, alij à stultitia dictum esse volunt: ego arbi- tror, quod ut Germani à Gott. deriuant Gotze. quo nomine idolum vocant, ita Propheta ab HEL seu ELO- HIM quadam paronomasia fecerint ELIL, id est, ido- lum, quod nomine & affectione cultus referat quidem verum Deum, sed tamen reuera non sit Deus, sed sit quasi dicas AL EL, non Deus, umbra Dei: neque ullam potentiam habeat, seu consolationem, seu opem ferre possit, quasi dicas, Inops. Iob 13. medici idoli, id est, sine ope.]*

Forerius Isaia 2. v. 8. *ELIL, idolum quidam à*

vanitate, alij à stultitia dictum volunt: mihi videtur, quod à nomine EL, vel ELOHIM propheta quadam paronomasia fecerunt ELIL, quod nomine & similitudine cultus, vel potius superstitione referat quidem verum Deum: non tamen sit Deus, sed sit quasi dicas AL EL, vel LO ELOHIM, non Deus, umbra Dei: neque ullam potentiam habeat, seu consolationem, seu opem ferre possit, quasi dicas, Inops. Iob 13. medici idoli uniuerſi vos, id est sine ope. Dicit enim, ut Paulus ait, Idolum nihil est: unde & dicitur superstitio, id est, cultus falsi, quemadmodum definiuit nobis Lactantius Firmianus in libris diuinarum institutionum.] Vides Lector manifestum plagium, quæ sunt Forsteri, sua facit: quod alias sæpius hic facere consuevit.

Mercerus recitata sententia Forsteri quam nuper exscripsimus, addit: ELIL ab AL non videtur deductum. Ego nomen generaliter putarim Nihilum, seu Nihilitatem sonare, quod apte idolis tribuitur, quæ per contemptum & paronomasiam quandam non ELIM, sed ELILIM vocentur. Deaſtros non incommode quidam recentiorum dixerunt: & si vox Hebræares nihili propriè sonet, seu substantiue, ut sic Dicam, Nilitates.]

Genebrardus in Psalm. 95. v. 6. ELILIM, deiculi propriè, exigua virtutis, vel Nibila, nullius potestatis.] Psalm. 96. v. 8. Propriè vox ELIL contemptum significat deiculos: vel AL ELIM, non di.]

Marinus ELIL, idolum, sic dictum, ut puto ab EL, quasi diceret ALEL, non Deus, nihili: absque fortitudine propriè, quod auxiliari non possit.]

Auenarius: ELIL, Nihilum, res nihili, & nullius momenti: atque sæpiſſimè tribuitur idolis, iuxta dictum S. Pauli 1. Corinth. 8. ſcimus quod idolum nihil sit in mundo: perinde ac si scriberetur AL EL, non Deus, omnia enim idola & dii gentium nihil sunt. Cognationem habet cum IALAL ululans: nam idolorum cultus in conscientis parit multos dolores, & eiulatus.]

Schindlerus: ELL, ab AL, nihil, res non existens, nihilum, inutilis, res qua nihil prodest, nullus.]

Buxtorfius, ELIL, Nihilum res nihil. R. Leui notat esse deductum ab AL Non geminata littera Lamed, ad extremam nullitatem indicandam. ELILIM, idola, sic dicta, quod sint omnino nihil, iuxta illud Apostoli, idolum enim nihil est.]

Oleaſtrius in 19. Leuitici, vers. 4. cum varias re-

citasset nominis ELIL etymologias, quas hic recitauimus, adiungit: Si vero ELILIM sit ab ALAH, quod est execrari, maledicere, dicentur idola ELILIM, quoniam execrabilia, & maledicta sunt. Si vero ab EL, quod est fortitudo, dicentur à fortitudine deitatis, quam illis homines falsò tribuunt.] Plerumque hic durus, & alienus est in etymis. Agellius in Psalm. 95. v. 5. ELILIM, quos Aquila dixit, fictos, Symmachus, Nullos. Alij ab ululando dictos volunt: unde LXX. Iſaia 10. dixerunt: Ululate Sculpilia in Ierusalem &c. ut etiam idem dolores alibi appellantur GHATZABIM. Alij ab eo quod muti sint, quasi ELEMIM. 1. Corinth. 12. simulachra muta.]

Hic varie sed in eundem sensum reddunt. Primo, Sanctes, Væ pastori vanitatis, id est vano, & inutili. Secundo, Leo Iudas, Væ pastori idoli. Terrio, Vatablus, O pastor, vel O pastorum nihili. Quarto, Marinus, O pastor idoli, id est nihili, inutilis. Quinto, Schindlerus, Væ pastori nihil id est, inopi. 6. Forsterus & Montanus, O pastor idolum. aptè. Chaldaeus: Væ gubernatori in sano & stulto. Rectè Vates ELIL appellauit Antichristum, id est, Nihil, Nihilum, extremam nihilitatem, Non Deum, deaſtrum, umbram Dei, idolum, qui se Deum mentietur, cum sit futurus vilissimus homuncio, fax, & propudium humanitatis. Qui non erit verus pastor, sed idolum & phasma pastoris, pastor nihil, pecoris certissima perniciēs.

Gladus super brachium eius, bisariam exponunt. Primo, passiue, hoc est, concidantur, aut concidentur gladio brachia eius. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Leo Iudas, vatablus, Clarius, Ribera, Sà Mariana, Montanus. Secundo, actiue, gladium, gestat, aut vibrat brachio suo, ad maſtandum: pro pedo pastoralis ad regendas & adducendas oues, erit illi gladius ad trucidandum eas. Ita Palatius, & Caſtrus. Chaldaeus: Similis est carnifici cuius gladius in manu eius: & oculus eius designat pingues ad maſtandum.

Et super oculum dextrum eius, hoc est, astutiam, attentionem, versutiam, calliditatem gemino quoque sensu, actiue, & passiue, ut superius hemistichium, gestat gladium in oculo ad perdendum: vel gladio oculus eius dexter offodiatur. Stunica Brachium Antichristi, exponit copias & exercitus eius, nempe Gog, & Magog, qui concidentur in montibus Israël, iuxta Ezechielis vaticinium.





D E ANTICHRISTO, LIBER DECIMVS.

D E H E N O C H E T H E L I A , T E M P O R E
A N T I C H R I S T I V E N T U R I S .

CAPVT I.

*Henoch illum septimum ab Adam Patriarcham, nondum adhuc morte defunctum :
Sed viuum hactenus conseruari.*



PLERIQUE Hebræorum, enarrantes illud genef. 5. v. 24. & ambulauit Henoch cum Deo, & non ipse, quia accepit, tulit, eum Deus, existimant ipsum Henoch verè fuisse mortuum, imo in ipso ætatis flore præreptum, nempe ætatis suæ trecentesimo sexagesimo quinto anno : cum vita hominum illorum originarij mundi multo diuturnior foret. Sublatum vero tam cito de vita putant, quia leuis ingenio & lubricus erat : ne scilicet malitia mutaret intellectum eius, aut abduceret mentem. Quo circa verba illa Mosis, & non ipse, ita interpretantur, & non fuit, esse desit : nam pronomen *Hu ipse*, poni passim pro verbo substantiuo, est vel fuit, nimis est peruulgatum : quia accepit eum Deus, hoc est, tulit de vita, vt 3. Regum 19. v. 4. accipe, tolle, animam meam, & Ierem. 15. v. 15. Sic Latinis, Virgilius 6. Aeneidos-Sustulit atra dies, & funere merisit acerbo.

Rabbi Scelomoch in Genef. 5. v. 24. Iustus erat Henoch, & mente leuis, vt facile redire potuerit ad vitam improbam : ideo properauit Deus ipsum tollere, & morti dare ante tempus : quæ etiam causa & ratio est, cur scriptura mutet sermonem in morte ipsius, scribendo, Et non ipse, videlicet in hoc sæculo, siue mundo ad implendum annos suos. Deus enim abstulit eum ante tempus suum, vt ibi : Ecce ego aufero desiderium oculorum tuorum.]

Rabbi Hiscuni in Scholiis ad eundem locum Genefis : Quia Henoch fuit brevis cui ad alios comparatus, videtur perinde esse ac si non fuisset. Dicit igitur, Et non fuit, quia rapuit eum Deus. Onkelos interpretatur : Et fuit ipse quia non mori fecerat eum Deus. O vobis, Ecce ipse adhuc perstat & superest, quoniam ecce Deus laudandus non affecit eum morte. Sed venturus est cum Elia tempore redemptionis. Caterum omne EN, non & Eni quod in Thalmud, sensum habet ab hoc Enenu, non ipse, diuersum. Thargum autem Ierosolymitanum habet : Et ecce non erat, quia substractus fuit per sermonem à Domino. Secundum hoc Thargum dicendum est, verbum LAKACH accipi debere in si-

gnificatione mortis, vt accipitur in illo, Tolle nunc animam meam. Et alibi : Deus redimet animam de manu Sceol, quia tollet me.]

Aben Ezra in eundem Genefis locum : Abstulit eum Deus per mortem. Sic enim certè verbum LAKACH accipitur in illo, Aufer nunc animam meam. Et Ezechiel. 24. v. 16. Ecce ego aufero à te desiderium oculorum tuorum, nam post ait, se ipsum explicans : Et mortua est uxor eius. In hoc raptu Henoch nulla mentio mortis : ratio exposita est in verbis illis Asaphi, Post gloriam assumpsit me, siue abstulit me. Et sic in Psalmo filiorum Core : Deus redimet animam meam è manu Sceol, quia tollet me. Selah. Intelligens intelligit quid velim.]

Rab. Leui Ben. Gerson etiam in Genef. 5. ad vers. 24. Henoch ambulauit in viis Domini, postquam genuit Marbuselam annos trecentos. Innuat ipsum prius ambulasse non in viis Domini, sed in viis sæculi sui : post abstulit ipsum Deus. Vult dicere, Posuit animam eius in Horto Edem iuxta illud, post gloriam tolles me. Et ecce ob hanc causam non meminit Moses in eius historia mortis : cuius tamen mentionem fecit in aliis, qui commemorantur cum eo.] Non longe ab hac interpretatione Hebræorum videret abfuisse Guillelmus Hamerus in eundem locum Genef, cum ait : vt clarum sit, Deum illi mortem muneris loco dedisse.] Marcus Marinus in Arca Noe : Deum accipere aliquem [morte] Genef. 5. v. 24.] Ioannes Drusius ætate nostra peculiarem tractatum edidit de Henoch, in quo, & in Notis ad Genef. 5. v. 24. haret, dubitat, friget, calet in morte Henoch : modo ait, modo negat, tandem nihil certè statuit, potius inclinatur, vt credat immutatum fuisse : ac tales mori quidem, sed non more communi hominum, ac proinde non mori dici. Homo pusillæ eruditionis, & minimi iudicij.

Ceterum Henoch nondum esse mortuum, sed viuum in aliquem locum translatus à Deo, adhuc in vita mortali conseruari, ex verbo Dei expresso, ex Patrum, Ecclesiæque, atque omnium Orthodoxorum traditione perenni iam demonstrabimus.

Primus Scripturæ locus est is ipse Genef. 5. v. 24. Et facti sunt omnes dies Henoch trecenti sexaginta quinque anni. Ambulauitque cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus. Nam quod Hebraice legitur : & non ipse, vel, & non fuit, idest ac si dixisset, & non ipse comparuit, desit esse & versari inter homines, nempe subductus in secretum locum. Si enim reuera mortuus fuit, & id Moses dicere voluit : cur clarè non dixit, Et mortuus est, vt de singulis eodem capite commemoratis Patribus, ante post Henoch disertè affirmat

affirmat? cur formam locutionis in vera morte mutauit? certe non alia ratione, nisi quia Henoch non fuit mortuus proinde ita locutus est, & non ipse, subaudi amplius apparuit: ut vulgatus interpret vetustissimus, planè expressit, ex communi iam suorum temporum sensu. Atque id circo etiam vsus est Moses verbo *LAKACH* accepit, assumpsit, ut viui translationem, non mortem indicaret. Nam quod Hebræorum plerique pertendunt, id verbum dici de morte, falsò & imperitè ita censent, nullibi enim in scriptura reperitur verbum *LAKACH* absolute positum pro mori, nisi adiuncto nominæ anima, *accipe animam meam*. Vti etiam in Hebraicis nostris Notis ad Genes. 5. v. 24. ostendimus. Et illud Ezechielis 24. 16. *Ecce ego tollo à te desiderium oculorum tuorum*. Non ex notione verbi, sed ex re subiecta, intelligitur de morte. Nam nisi expressè vers. 18. subiunxisset, *Et mortua est uxor mea*. Verbum id non significabat, nec ex eo intellexissemus mortem vxoris, sed oblationem, quocumque illud modo fieret, etiam sine morte. Quo circa *Lxx*. Interpretes, paternarum traditionum, & genuini sacræ scripturæ sensus apprimè gnari locum de Henoch ita exposuerunt: *Placuit Henoch Deo, & non est inuentus, quia transtulit eum Deus*.

Sed contra obnituntur Iudæi, ideo Mosem singularem oratione, ab aliisque diuersa descripsisse mortem Henoch, ut innueret ipsum, non sicut cæteros ætate & annis graues ac maturos: sed in flore iuuentæ, ante ordinarium tempus, quia leuis ac lubricus ingenio erat, à vitâ abreptum. At cum expressè dicat, natum annos 365. non comparuisse, si de morte intellexisset, satis superque exprimebat, ipsum in flore ætatis decessisse, si dixisset annos natus 365. mortuus est: quid necesse erat id per ambages loqui? Iam non pudet færentes verpos tam impudenter mentiri, asserentes Henoch fuisse ingenio leuem? & vnde id sciunt, cum Scriptura eum nobis sanctissimum, adprobet, *Ambulauit*, inquit, *cum Deo*, quæ phrasim eum, sanctum, bonum, integram, Deo placentem demonstrat: ut cum Deus Genes. 17. v. 1. Abrahæ dicit: *Ambula coram me, & esto perfectus*. Imo quidem, ut statim dicemus, causa cur ad se Deus Henoch recepit, fuit, quia probus & sanctus erat.

Nec absurde Steuchus exponit, *Ambulauit cum Deo*, idest perrexit ad locum, vbi constituit ei Deus. Hispanicè de homine qui abiit, atque disparuit, dicimus, *Fuisse con Dios*. Sed omnino præferenda est *Lxx*. interpretatio, *Ambulauit cum Deo*, hoc est, *Placuit Deo*, quam Spiritus sanctus Sapientiæ, Ecclesiastici, & Pauli ore comprobauit, ut mox dicemus, Atqui iure hîc compellendi essent obtusi Iudæi, ut in translatione Henoch potius grauissimæ *Lxx*. Interpretum auctoritati, quam Rabbiorum quorundam cæcis deliriis acquiescerent: cum & ipsæ Imperatoriæ leges Iudæos adigant inter Græcas Scripturæ editiones, eam quæ est *Lxx*. Interpretum amplecti. Sic enim Iustinianus Nouella 146. Iudæis præcipit. *Veruntamen ii qui per Græcam legunt, Lxx. vtantur traditione, quæ omnibus certior est, & præ aliis melior iudicata.*

Secundus locus est Sapientiæ 4. v. 10. *Placens Deo factus est dilectus, & viuens inter peccatores, translatus est: raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius*. Hoc est. Quia factus est Deo placens: seu, Quia Deo placuit, dilectus est, vel clarus Deo est habitus. Sic enim nostra Latina esse interpungenda & intelligenda, ex Græcis ipsis perspicue liquet. Porro loqui sapientem de ipso Henoch, S. Ambrosius annotauit Apologia 2. de David, cap. 4. & Oratione de obitu

Satyri fratris, & in Psalm. 40. & 45. & consentiunt omnes, & verba ipsa nimis apertè demonstrant de alio non esse sermonem. Ioannes Lorinus in hunc Sapientiæ locum, cum vniuersè eum exposuisset de quouis iusto, qui ante tempus morte rapitur, hæc cinxit: *Magis credo, generalem esse, non ad vnum hominem adstrictam hîc orationem, propter communem enarratorum sententiam, à qua non reperi qui discreparet præter Iansenium: tantum abest, ut oppositum nimis aperte demonstraretur, in eoque omnes consentiant, quod Thomas Maluenda scripsit.*

Interpretationem huius loci de Henoch disertissimè habent, S. Ambrosius, Iansenius, Dionysius Carthusianus, Sanctes, Pagninus, Franciscus Iunius, in Sapient. 4. Tostatus, Oleastrius, Pererius, Delrius, Cornelius à lapide, Drusus in Genes. 5. v. 25. Forerius in Isaia 57. v. 1. Leonardus Cogæus in Notis ad S. Augustini lib. 15. de Ciuitate Dei, cap. 10. Matthæus Galenus, Andreas Crocquetius, Guillelmus Estius in Hebræor. 11. v. 5. nec eam respuit Iustinianus in eundem Pauli locum Christophorus Castus in Sapientiam verisimilem eandem explanationem putat: quamquam aliam vniuersam magis prober. Et quod haud leue argumentum esse debet, in Bibliis editionis vulgatæ quàm emendatissimè iussu Xysti v. & Clementis viii. editæ, ad marginem huius loci sapientiæ, affigitur locus *Hebræor. 11. v. 5.* ut utrobique de Henoch esse sermonem indicetur: sunt enim eiusmodi locorum consonantiæ maximo cum iudicio positæ: nec tantum ob simplicem verborum similitudinem, sed rerum & sensuum concordiam, atque consensum. Prorsus est extratem quod Lorinus nonnullos ex Patribus adducit, locum vniuersè de quouis iusto ac Sancto ante tempus morte sublato interpretantes: nam tunc non illud agebant Patres, ut explicarent, num de Henoch, aut vniuersè de aliis locus esset intelligendus: sed generali suæ doctrinæ, substrahi quosdam à Deo, ne peccent, exemplo illo Sapientiæ, siue is locus de Henoch, seu de quouis alio intelligeretur, argumentum inducebant: sanè verba illa, *viuens inter peccatores translatus est*. ægrè, incommodè, alienè de translatione per mortem accipiantur.

Tertius locus est Ecclesiastici 44. v. 16. *Hench placuit Deo, & translatus est in Paradisum, ut det generibus panitentiam*. Quem cap. 7. inferius accuratius elucidabimus: nunc illud ex eo constanter habemus, Henoch nondum fuisse mortuum, sed translatum, hoc est, viuentem transportatum in certum locum à conuictu & commercio aliorum hominum segregatum. Perspicuum enim est, quod si Henoch mortuus fuisset, non sic de eo Ecclesiasticus loquutus fuisset. Vbi illud obseruatu dignum, Ecclesiasticum, ut etiam sapientem recitasse locum Genes. de Henoch iuxta interpretationem *Lxx*. atque eodem prorsus modo, quo *Lxx*. legisse. Nec mirum, si vera sint, quæ nonnulli opinati sunt, vtrumque auctorem & sapientiæ, & Ecclesiastici, fuisse ambos è numero *Lxx*. Interpretum: de qua re, vide Genebrardum lib. 2. Chronographiæ, Pagina 194. & eos qui singillatim de Scriptoribus sacris egere, ut Xystum Senensem, Canum, Beuterum, Bellarminum, Rogerium &c. & explanatores eorum librorum, in Prolegomenis, seu Præfationibus eorumdem.

Atqui luculenter aspicimus, quod Noster in Genesi iuxta Hebraicam veritatem dixit: *Et ambulauit Henoch cum Deo*, sapientem & Ecclesiasticum, sequutos *Lxx*. Interpretes, aut forsan ante ipsos, explicatius reddidisse: *Placuit Henoch Deo*. Atque Hebraicam phrasim, *Ambulare coram Deo*, apertius declarasse

declarasse, pro probè, sanctèque viuere, vitam ex præscripto legis Dei agere, Deoque placere. Sic Psalm. 114. v. 9. *Ambulabo coram Domino* Lxx., & Noster dixerunt, *Placebo Domino*, occurrunt huius idiotismi non pauca exempla, vt Genes. 6. v. 9. cap. 17. v. 1. cap. 24. v. 4. Micheæ 6. v. 8. Malachiæ 2. v. 6. quem tamen pressius elucidauimus in nostris Notis. Hebraicis Genes. 5. v. 24.

Quartus locus est Pauli Hebræor. 11. v. 5. *Fide Henoch translatus est, ne videret mortem: & non inueniebatur, quia transtulit eum Dominus: ante translationem enim testimonium habuit, placuisse Deo.* Sequutus est quoque Paulus translationem Lxx. in loco Genes. 5. v. 24. de Henoch: & apertissimè dicit, Henoch non fuisse mortuum, phrasi notissima Hebraica, *videre mortem pro mori.* Psalmo 88. v. 49. Lucæ 2. v. 26. Ioannes 8. v. 51. Insulsiuissimè, ac pessimè tentat Drusius Paulum interpretari de morte peccatorum: vt sit illud Sapientis, *Ne malitia mutaret intellectum eius:* contra Patrum omnium sensum, contra expressam Pauli mentem: quasi vero non omnes sancti qui eo capite memorantur à Paulo, non effugerint mortem peccatorum, vt hoc singulariter de Henoch prædicet Apostolus? Potuitne, obsecro, quidquam absurdius & ineptius excogitari, futilissimo hoc Drusij Commento? Iam oro te, quisquis sis prudens lector, quocum malis sentire, cum Sapiente, Ecclesiastico, Lxx. Interpretibus, Apostolo Paulo, viris præter diuinam auctoritatem qua locuti sunt, sua etiam ob antiquitatem & doctrinam venerandi: an recutitis, crassis, obtusis Iudæorum Rabbiniis, omnis veræ litteraturæ & eruditionis imperitissimis?

Et verò qui apud Hebræos, saniores, eruditiores, & maioris auctoritatis habentur, ex verbis illis Mo- sis Genes. 5. v. 28. perpetuo intellexerè. Philo Iudæorum disertissimus libro de Vita Sapientis, seu de Abrahamo: *De Henoch sic legimus, Quod placuit Henoch Deo, & non est inuentus, quoniam transtulit eum Deus.* Lxx. editionem quoque sequutus est Philo. Iosephus lib. 1. Originum, cap. 4. *Henochnus exactis trecentis sexaginta quinque annis discessit ad Deum: vnde finis eius non inuenitur esse conscriptus.*

Onkelus Chaldæus paraphrastes in Genes. 5. v. 24. *Ambulauit Henoch in timore Domini: & non ipse, quia non mori fecit eum Dominus.* Alia Chaldaica Paraphrasis, quæ Targum Ierosolymitanum dicitur, in eundem Genes. locum: *Seruiuit Henoch in veritate coram Domino: & non ipse, quia sustractus est per verbum à conspectu Domini.* Auctor Fasciculi Myrrhæ, in eundem locum Genes. 5. v. 24. *Non commemorauit Moses mortem Henoch, vt aliorum: quoniam adhuc ipse viuit.* Kimchius in 4. Regum 2. v. 11. *Vulgus nostrum, etiam Sapientes nostri tenent, Eliam ingressum paradysum cum corpore, ibique viuere in statu, in quo erant primi parentes nostri, ante lapsum. Similiter Henoch intrauit Paradysum. Vnde in Deràs, quatuor ingressi sunt Paradysum, Adam, Heua, Henoch, & Elias.* Porro sententias Christianorum Patrum, quod Henoch non sit mortuus, sed adhuc viuat, cap. 3. recensēbimus.

Nullo pacto probandum quod Procopius Gazæus in Genes. 5. cap. commentus est, Henoch primū fuisse improbum, deinde ad sanam mentem redactum, seuera commissorum acta vindicta in tantum placuisse Deo, vt meruerit viuus à Deo transferri. Aque reiciendum quod Oleastrius somniavit, ex verbis Mo- sis vt cumque innui, Henoch ante genitum Mathusalem, non ambulasse cum Deo, sed forsitan prauè vixisse. Sunt hæc mera somnia Iudæorum.

Moses enim Genes. 5. v. 22. & 24. disertè bis affirmat, Henoch cum Deo ambulasse, quasi vt rem eximiam & singularem in ipso commendans, quod perpetuo, & ab incunte ætate iustitiam & sanctitatem coluerit, ad vsque illum diem quo assumptus est: vt etiam Caicetanus obseruauit. Et vers. 22. aperte Hebræa habent, ambulasse Henoch cum ELOHIM trecentos annos. Et S. Ephræm Syrus Tomo 3. in Paranesi 48. inquit: *Henochnus trecentis annis placuit Deo: & nos in breui hoc vita tempore negligentes sumus?*

CAPVT II.

Eliam Thesbitem Prophetam, nondum fuisse mortuum, sed adhuc in carne mortali viuere.

Hebæorum nonnulli, vt auctor est Kimchius, existimarunt Eliam in suo illo raptu, quando in curru igneo & equis igneis assumptus est in cælum: vbi ad spheram ignis peruenisset, vestes eius & totum corpus illius absorpta fuisse in sphaera illa ignea: & spiritum purum ascendisse ad Deum. Vide Noras vatabli Sanctandreas 4. Regum, 2. v. 11. Alij, neciri aiunt quidnam de illo sit factum.

At equidem Eliam viuum fuisse assumptum, & adhuc viuum, nondum degustata morte, à Deo alibi conseruari, & verbum Dei expressum, & traditio Christianæ Ecclesiæ, omniumque Patrum, ac posteriorum, insuper & Synagogæ veteris ac recentis consensus docent.

Primum de illo expressè 4. Regum 2. v. 11. dicitur: *Cumque pergerent Elias & Elisæus, & incedentes sermocinarentur, ecce currus igneus & equi ignei diuiserunt virumque: & ascendit Elias per turbinem in cælum.* Et antea vers. 1. *Cum lenare vellet Dominus Eliam per turbinem in cælum.* Quibus verbis omnes Christiani Auctores, & cuncti fermè Hebræi semper intellexerunt, Eliam non fuisse mortuum, sed viuum raptum, & viuum adhuc seruari. Nam quod quidam Hebræorum dixerunt in sphaera ignis absorptum, ridiculum est, quid enim erat necesse, vt dissolueretur & moreretur, in spheram ignis ascendere? cum potuisset facilius in terra mori, & inde spiritus eius in limbum Patrum seu Sinum Abrahæ, vbi tunc animæ piorum recipiebantur, deorsum in centrum terræ descendere: non enim tunc sancti in cælum euolabant.

Secundo, Patres Ecclesiæ summo consensu tradunt Eliam adhuc viuere, quem consensum sequenti capite describemus.

Tertio, diuina oracula, & Sancti Patres, qui affirmant. Eliam in fine mundi venturum, prædicaturum aduersus Antichristum, conuersurum ad fidem Christi Iudæos, atque ab ipso Antichristo interficiendum, vt in decursu operis istius videbimus: perspicuè nimis etiam autumant, Eliam nondum esse mortuum, sed viuum hætenus ad illa vsque tempora conseruari. Neque enim cuiquam cordato in mentem venire potest, Eliam suo iam tempore mortuum, excitandum in fine mundi contra Antichristum. In Scholiis quidem Vatabli ad 4. Malachiæ hæc habentur: *Alij dicunt, mortuum quidem esse Eliam, sed excitatum iri sub finem mundi.* Quod disertè scripsit Kimchius in Commentariis Malachiæ 4. Intolerabile delirium refutatione indignum. Hætenus qui id diceret, inueni neminem e Christianis.

Iosephus lib. 9. Antiquitatum cap. 1. *Ioram rege Israël regnante, Elias ex hominibus exemptus est, nec*

in hodiernum usque diem mortalium quisquam scire potuit quisnam fuerit eius exitus. Discipulum reliquit Eliseum, sicut iam antea diximus. De hoc Elia, & Henoch, qui fuit ante uniuersale diluuium, in sacris libris legimus quidem exemptos esse à consuetudine mortalium: mortuos tamen esse nemini unquam fuit cognitum.] Ad hæc omnes Hebræi ferè Eliam adhuc viuere constantes affirmant, iterumque venturum inter homines ex loco ubi asseruatur.

DE ELIA EXCURSVS.

Sed de Elia selecta pauca dicamus. S. Epiphanius libello de vita & interitu Prophetarum, hæc scribit: *Elias propheta ex Thesbis erat, è continente Arabum, de tribu Aaron leuita: morabatur autem in Galaad, quoniam Thesbis erant ades sacerdotibus consecrate. Quem cum eniteretur parens eius, eiusmodi Sobac patri visio apparuit. Viri nuncum quemdam præ se ferentes habitum, pusionem salutabant, matrisque vberibus in ignem alluebant, quin & flammam ignis cibi loco ministrabant. Profectus est itaque genitor in Ierusalem visaque ad Sacerdotes retulit. Respondet autem illi Chrematismus, hoc est, oraculum, siue Responsor: Caue manifestum facias. Erit quippe lianen filij huius domicilium, sermoque eius demonstratio ac sententia brevis: & iudicabit Israel, cum in igne, tum romphæa, Hic est ille Elias, qui ter ignem è cælo deduxit, quique imbrem sua lingua gestauit, mortuos item suscitauit: & in calum denique nimbo, seu turbine ignis assumptus est.] Hæc vnde desumpserit S. Epiphanius, clam nos est, nisi ex vulgata aliqua Hebræorum traditione: eadem tamen ex ipso descripsert Dorothæus in Synopsi, S. Isidorus de vita & morte Sanctorum, cap. 56. & Simeon Metaphrastes Oratione de Elia 20. Iulij, apud Surium Tomo. 4.*

Sed cur Elias dictus est Thesbites? Ea de re extant Verba 3. Regum, 17. v. 1. *Elias Thesbites de habitatoribus Galaad.* Elias Grammaticus Hebræus in libro Thisbi ad finem hæc scribit: *Scrutatus sum commentaria omnium Interpretum quos ipse videret: nec ullum ex illis inuenio, qui exponat quare vocatus sit Eliahu Thesbites de habitatoribus Ghilead, sicut dicitur Barzilai Ghileadites, item Irmes hau Anathotites, Michab Moraschites, & similia multa: nec vnus extat, qui nominatus fuerit ab incolis ciuitatis cuiusdam. Ad hæc & Ionatham reddidit: qui de Thofab, Eliahu habitator, de habitatoribus Ghilead. Et Rabbi David Kimchi exponit, quod primum habitauerit in ciuitate, cui nomen fuerit Thofab: deinceps vero habitauit in ciuitate Ghilead, unde vocatus fuerit Thisbi. Verum non explicat cur dicatur de habitatoribus Ghilead, vt supra. Ego autem dabo tibi rationem convenientem. Notum est, quod post facinus illud quod perpetratum fuit cum concubina in Ghibea, iussi fuerunt filij Israel interficere habitatores Ghilead: sicut dicitur Præceperuntque eis dicentes: Ite & percutite habitatores Iabes Ghilead, &c. Iam fieri non potuit, vt nullus prorsus ex illis euaderet, aut quod non existerint, qui tum non fuerunt eo in loco: atque ita non occisi. E quibus sane & Elias vnus fuit. Postea verò ubi capit inhabitari vrbs illa, reuersi sunt, & habitauerunt ibi demum primi istius vrbs incolæ, qui euaserant, atque inde vocati fuerunt Thofabe Ghilead, id est, habitatores Ghilead. Quod si rogauerit quispiam, unde habemus quod etiam Elias existerit eo tempore? Responso talis est: vtrique dixerunt Rabbini nostri, pia memoria, quod Pinchas fuerit Elias: iam constat Pinchas existisse quando designatum fuit facinus illud cum concubina in Ghibea, sicut dicitur: & Pinchas filius Eleazar, filij Aaron stabat coram eo in diebus illis. Quod si verum est, sequitur Eliahu tum eo tempore su-*

peruixisse. Esto bona voluntas coram Deo, vt similiter nobiscum sit hoc tempore, & confirmet in nobis verum illud: Ecce ego mitto vobis Eliahu.] Hactenus Elias Leuites. Iuxta quem Elias dictus est Thesbites, quia fuit de his qui seruati ex Galaditica clade rursum eandem urbem habitauerunt, Thisbi, id est habitator, inquilinus, de inquilinis illis residuis Galaad. Atqui potuit tunc Elias viuere, cum sint plusquam 400. anni à raptu concubinae, ad initia Eliæ? Hebræi aiunt Eliam fuisse Phineem, qui longissimè vixit, & viuens raptus est. De qua re dicemus mox. Illud verò similis, Eliam dictum Thesbitem, id est habitatorem, de Thofabe, habitatoribus Galaad, non quod ipse fuerit, de primis illis inquilinis, qui post cladem Beniaminicum, rursus Galaad urbem incolere cepunt: sed ex eo genere, ex eorum posteris, ac stirpe. Marinus in arca Noë: *Thofabe Ghilead, id est, inquilini Galaad: erant quidem proprie illius vrbs inquilini, quando fere omnes interfecti sunt ob facinus concubinae, sicut legimus Iudicum 21. vers. 8. & dein appellabantur Thofabim, & nomine gentili Thisbi.]* Qui ergo ab illis primis Thofabim, qui post cladem ob concubinam, rursus Galaad incolere ceperunt, quique dicebantur Thofabe Galaad, hoc est, inquilini, seu Reuersi Galaad, originem trahebant, atque ex illis propagati erant, dicebantur singuli Thisbi, hoc est, inquilinus vel reuersus, seu Habitator; quo nomine dictus est Elias Thisbi de Thofabe Galaad, nempe Elias Thesbites, Habitator, de Habitatoribus Galaad: vt nunc in Valentino regno post Maurifugium, nouos incolas appellamus, Poblador, & Pobladores.

Kimchius, vt vidimus, & alij Hebræi, existimant Eliam dictum Thesbitem, ab vrbe dicta Thofab: sed vbi nam ea fuerit, aut in qua tribu non explicant. S. Epiphanius, Dorothæus, ac Metaphrastes ab oppido Arabiæ Thesbis, in quo natus fuerit: sed neque situm oppidi edicunt. Eusebius & S. Hieronymus in locis Hebraicis: *Thesba, unde ortus est Elias propheta Thesbites.]* Nec aliud amplius. Adrichomius, & alij Typographi Sacri in Tribu Gad collocant, in Paræa regione. Nicolaus Serarius in Tobiam, & Valentinus Schindlerus in Pentaglotto, existimant eam esse quæ Tobia 1. v. 2. in Græcis & Hebraicis exemplaribus, Thisbi vel Thisbis dicitur: vbi sic scribitur de Tobia: *qui captiuus fuit abductus è Thisbi, quæ est ad dexteram Kades Nephtalim in Galilea supra Aser sita.]* Huius Kades in Nephtalim mentio extat Iosue 20. v. 7.

Immanuel Tremellius, & Franciscus Iunius in Notis ad 3. Regum 17. v. 1. obseruant temporibus Saulis, partem orientalem regionis Galaad fuisse Agarenis, qui illam incolebant, ab Israëlitis ademptam: vocatamque ab iis Thofab, vel Thesab, ex eo quod veteres incolæ ad centum millia inde captiui abducti sunt: vel quod ex Israëlitis trans Iordanem coloniæ eò transmissæ sunt, vt eam regionem inhabitarent: quæ historia latè descripta extat 1. Paralipomen. 5. v. 9. & seqq. vsque ad 22. nam IASAP Hebræis est *Inhabitare*; SABAHA, *Abducere* in captiuitatem. Et quoniam fortasse Elias ortus, vel oriundus erat ex illa regione Thesab, quæ pars erat. Orientalis terræ Galaad, & de stirpe eorum colonorum, qui eam pulsis Agarenis inhabitauerunt, propterea appellatum fuisse Thesbitem, de habitatoribus, seu nouis inquilinis Galaad. Neque alienam, neque absurdam hanc interpretationem existimo. Vide quæ scripsimus in Paradiso, cap. 87.

Hebræi vti ex Elia Leuita superius vidimus, dixerunt, Eliam fuisse Phineem filium Eleazar, Nepotem Aaron

Aaron sacerdotis magni, qui ob Zelum Dei meruit usque ad hæc tempora vitam propagare, & viuis in cælum transferri. Origenes Tomo 7. in Ioannem, pag. 187. colum. 1. ad finem: *In Apocryphis Hebræi tradunt, Phinees illum, qui est Eleazari filius, qui absque dubio produxit vitam usque ad multos Iudices sicut legimus in libro Iudicum, ipsum esse Eliam.*] S. Hieronymus, seu si quis alius est auctor grauis & eruditus, in Traditionibus Hebraicis, in 1. Regum, 2. v. 27. *Hunc virum Dei Iudæi Phinees dicunt, quem & Eliam autumant.*] Petrus Damiani lib. 1. Epistola 6. ad Nicolaum Pontificem constanter arripuit hanc opinionem: cum sic ait; *Ipse siquidem Phinees est, ni fallor, Elias propheta, qui videlicet igneis equis & curru, Elisæo suspiciente, est translatus in cælum. Unde me quisquis mentiri autumat, diuina legis interpretem Hieronymum, qui hoc in Hebraicarum Questionum libro testatur, potius reprehendat.*] Sed certe largissimè fallitur, neque S. Hieronymus id dixit, sed sententiam Hebræorum simpliciter retulit, quæ mera fabula est, nullo certo auctore aut ratione prodita, Franciscus Georgius Tomo 6. Problematum, Sectione 9. Problematè 361. & forsitan Phinees vixit pariter cum Elia, ex quo ei par in Zelo fuit.] Falsum & comen- titium.

De Elia quiddam singulare refertur 2. Paralipom. 2. v. 11. *Allata sunt autem ei, nempe Ioram filio Iosaphath regi Iudæ litteræ ab Elia propheta, in quibus scriptum erat: Hæc dicit Dominus Deus &c.* nempe in quibus explicabat fata Iorami, nimirum, plagam populi, & vxorum, ac filiorum ipsius, morbum viscerum eiusdem &c. At cum certum sit è 4. Regum, 3. anno 18. Iosaphath Regis Iudæ, patris Ioram, Eliam fuisse iam assumptum, quando Elisæus incipiebat clarescere: & cum constet Iosaphath 25. annos regnasse, 3. Regum, 22. v. 42. & litteræ ab Elia ad Ioram, filium Iosaphath iam regnantem allatæ fuerint: liquidò inde colligitur, post septem minimum annos à translatione sua, misisse Eliam præfatas litteras ad Ioramum. Recentiores explanatores ne cogerentur fateri Eliam post assumptionem suam eas litteras scripsisse & misisse, quod mirum & inauditum videbatur: varias rationes excogitarunt, vt hunc nodum soluerent. Caietanus hunc Eliam, qui ad Ioram misit litteras alium fuisse putat ab Elia Thesbite, propheta illo in Scriptura celebri, qui iam ante raptus in cælum fuerat sub rege Iosaphath. Vatablus annotat, Eliam illum, à quo allatæ sunt litteræ ad Ioram, fuisse Elisæum vocatum Eliam, quod spiritu magistrum Eliam referret, & quod ei spiritus Eliæ insedisset. Tremellius Iunius Torniellus, Sa, & Mariana existimant, illas litteras scriptas quidem ab Elia antequam tolleretur curru igneo; sed datas septennio postquam illas Elias scriptas reliquisset, vt suum post discessum opportuno redderentur tempore.

Sed sunt hæc omnia Subtilia ingeniorum inuenta; illud verius & simplicius, reuera Eliam ex loco, vbi repositus à Deo erat, eam Epistolam ad Regem Iudæ conscripsisse, ac misisse, post suam assumptionem: quod sancto viro in loco etiam vbi degebat, curæ quoque fuerint res regis, & regni Iudæici. Atqui consentiunt Hebræi. Eliam post translationem suam eas litteras ad Ioramum scripsisse. Sanè Iosephus 9. Originum, cap. 2. extremo id satis indicare videtur, dum post descriptum superius Eliæ raptum, de Ioram inquit: *Cui sic insipienti & prorsus obliuio institui pariri, assertur ab Elia propheta epistola vindictam Dei minitans, &c.* ac post denarratas epistolæ minas, subdit: *Atque hoc fuit argumentum epistolæ, quæ illi Elia nomine est reddita.*] Auctor Seder Olam, cap. 17.

Tom. II. de Antichristo,

Allata sunt autem ei Ioram, litteræ ab Elia propheta, in quibus res ipsi euentura continebantur, nimirum de celo: nam iam septem anni erant, ex quo Elias reconditus disparuerat.] Aben-Ezra in 4. Malachiæ: *Ecce inuenimus post mortem Iosaphath, in diebus filij eius scriptum: Allata sunt autem ei, idest Ioram, litteræ ab Elia propheta. Id quod indicat, quod tunc scripsit eas, ac misit ad eum. Si enim scriptæ fuissent ante ascensionem eius, scriberetur: Et inuenta sunt, aut allata sunt ad eum litteræ, quas reliquerat Elias. Nec est dubium quin in diebus Sapientum nostrorum Sanctorum apparuerit. Deus autem per misericordiam suam acceleret prophetiam eius, & cito adducat finem aduentus eius.*]

Sed & ex nostris plerique agnoscunt, Eliam post translationem suam, ex loco, in quo manet eam epistolam ad Ioram scripsisse, vt Lyranus in 2. Paralipomen. 21. Genebrardus lib. 1. Chronographiæ, pag. 127. Acosta lib. 3. de Nouissimis Temporibus, cap. 7. Figuerius in Malachiæ 4. Serarius in 4. Regum, 2. Petrus Maturus in Notis ad S. Antonini 1. Partem Historiarum, Titulo 3. cap. 3. §. 1. ad hæc Hebræi tradunt, Eliam septimum ac postremum esse totius ætatis mundi continuatorem, sic enim habent in Seder Olam, cap. 1. *Quinto septem sunt homines, qui merentur totam ipsius mundi durationem. Adam primus videlicet, Mathusalem, qui vidit Adam, Sem, qui vidit Mathusalem, Iacob qui vidit Sem, Amram pater Moysi qui vidit Iacob, Abias Silonites propheta, qui vidit Amram, Elias Thebites, qui adhuc est superstes, & vixit & vidit Abiam.*] Fides penes auctores: non enim meam hîc obstringo, in Amram & Abia. Vide Xystum Senensem lib. 2. Bibliothecæ, in Elia, & Genebrardum lib. 1. Chronographiæ, pag. 159. De studiis Eliæ in eo loco, in quo nunc moratur, addunt Hebræi in eodem Seder, cap. 17. *Nunc interim singularum ætatum res & acta conscribit Elias.*] Quod expendi velim.

Insuper recepta traditione iidem Hebræi putant, Eliam cunctis Iudæorum circumcisionibus præsentem adfuisse: tradunt enim Deum hac gratia Eliam ornasse, vt nulla fiat apud ipsos circumcisio, cui præsens non adsit Elias, seu visibilis, seu inuisibilis. Quapropter statuere Hebræorum magistri, vt quoties alicuius infantis circumcisio sit facienda, semper duæ ornatissimæ sedes præparentur, vna, in qua sedeat, qui tenet infantem: altera, in qua nemo sedeat, sed vacua maneat: quod in ea sedere Eliam pro certo habeant. Meminere huius traditionis Thalmudici in Tractatu Berachoth, siue de Benedictionibus, Kimchius in 4. Malachiæ Galarinus lib. 10. de Arcanis Catholice veritatis, cap. 6. Genebrardus lib. 1. Chronographiæ, pag. 159. Vnde insignis quidam Rabbini Iudas exponens, cur dicatur à Mose panis ille, qui coram Domino proponebatur, *panis facierum* Exod. 25. vers. 30. hæc ait, apud Galatinum ibidem: *Quia transmutabitur ex substantia panis, cum sacrificabitur, in substantiam corporis Messie, qui descendet de calis, eritque inuisibilis, & impalpabilis. Cuius rei fidem facit sedes Eliæ.*] Perquam acutè: nam sicut Elias præsens in sella sedens diuersis locis, vbi contingeret fieri infantium circumcisiones, simul & semel aderat: ita Christus simul præsens adest in Eucharistia omnibus locis, vbi ea peragitur, non quidem localiter sed sacramentaliter.

Assumpto Elia, ædificatam in eius honorem Synagogam, seu Sacellum in Carmelo monte vulgato ipsius habitaculo dicatum fuisse, in quo postea oraculum vignerit, constat: de hoc putant loquutum Suetonium in Vespasiano, cap. 5. Apud Iudæam Carmeli Dei oraculum consulentem Vespasianum, ita

confirmare sortu, &c.] Et Tacitum Historia 2. Est Iudam inter Syriamque Carmelus : ita vocant montem, Deumque : nec simulachrum Deo, aut templum, (sic tradidere maiores) aram tantum, ac reuerentiam.] Benjamin Tudelensis in Itinerario : Inque ipso Monte Carmelo Elia propheta antrum visitur, iuxta quod Christiani Sacellum construxerunt, Sancti Elia dictum.] S. Hieronymus in Epitaphio Paulæ : In Sarepta littore Elia est ingressa curculam, in qua adorato Domino Salvatore, &c.]

Ex Elia igneo curtu equisque, gentiles fabulam Phaëthontis confixisse S. Chrysostomus Homilia 2. de Ascensione Elia, & S. Beda Quæst. 28. in lib. Regum, annotant.

CAPVT III.

Consensus Christianorum Patrum Henoch & Eliam nondum esse mortuos : sed adhuc viuere mortalem vitam.

SANCTUS Clemens Romanus Pontifex, Quartus post Petrum, seu si quis alius est libri auctor, lib. 5. Apostolicarum Constitutionum, cap. 6. Quod si voluisset Deus esse omnes homines immortales, facere quidem potuisset. Demonstravit hoc in Henoch, & Elia, quos noluit mortem experiri.] Et lib. 8. cap. 41. Qui Henoch & Eliam mortem experiri non permisisti.]

Auctor apud S. Iustinum Martyrem, Quæstione 32. ad Orthodoxos : Cum mortales natura sint Henoch & Elias, in immortalitate tamen adhuc perdurant, eo quod dictum est, Terra es, & in terram reuertere superiores.] Et Quæstione 85. Quam ob causam resuscitati illi, Cum Christo, denuo mortem non appetiere, sed in immortalitate manent, sicut Henoch & Elias, cum quibus in Paradiso sunt, restitutionem sempiternam primo quoque tempore expectantes.]

S. Irenæus lib. 4. cap. 30. Sed & Henoch sine circumcisione placens Deo, cum esset homo, Dei legatione ad Angelos fungebatur & translatus est, & conseruatur usque nunc testis iusti iudicii Dei : quoniam Angeli quidem transgressi deciderunt in iudicium : homo autem placens translatus est in salutem.] Et lib. 5. cap. 5. Quoniam quidem Henoch placens Deo, in quo placuit, corpore translatus est, translationem iustorum præmonstrans. Et Elias sicut erat in plasmatis substantia assumptus est, assumptionem Patrum prophetans : & nihil impedit eos corpus in translatione & assumptione eorum. Per illas enim manus, per quas in initio plasmati sunt, per ipsas, & assumptionem & translationem acceperunt. Assueti enim erant in Adam manus Dei, cooptare & tenere, & balnare suum plasma, & ferre, & ponere ubi ipsæ vellet.] Et paulo inferius : Si autem quis impossibile existimet tantis temporibus permanere homines, & Eliam in Carne assumptum, consumptam autem carnem eius in igneo curru, intendat quoniam Ionas quidem in profundum proiectus est &c.] Exemplis pergit probare non esse Deo impossibile per tot sæcula Henochum & Eliam in vita conseruare.

Tertullianus aduersus Iudæos, cap. 2. Nam & Henoch iustissimum non circumcisum, nec sabbatizantem de hoc mundo transtulit Deus, qui nedum moriem gustauit, ut æternitatis candidatus, iam nobis ostenderet, nos quoque sine legis onere Moysi, Deo posse placere.] Et lib. de Anima, cap. 50. Translatus est Henoch, & Elias : nec mors eorum reperta est, dilata scilicet. Caterum morituri reseruantur, ut Antichristum sanguine suo extinguant.] Et cap. 35. Elias autem non ex decessione vitæ, sed ex translatione venturus est : nec

corpori restituendus, de quo non est exemptus, sed mundo reddendus, de quo est translatus, non ex postliminio vitæ, sed ex supplemento prophetia : idem ipse & sui nominis, & sui hominis.] Et lib. de Resurrectione carnis, cap. 58. Quod hodie Henoch & Elias nondum resurrectione disuncti, quia nec morte functi, quæ tamen de orbe translati, & hoc ipso iam æternitatis candidati, ab omni vitio, & ab omni damno, & ab omni iniuria & contumelia immunitatem carnis ediscunt cuius fidei testimonium signant, nisi qua credi oportet, hæc futura integritatis esse documenta.]

S. Cyprianus, seu si quis est alius grauis sanæ ac Vetusissimus auctor, de Montibus Sina & Sion aduersus Iudæos : Item Henoch qui ante diluuium Deo iustus complacuit, & ideo de isto mundo in carnis suæ nativitate viuus translatus est, in loco ubi Deus Scit : ex quo loco, in consummatione mundi innouari habet in hoc mundo, unde etiam translatus est ad confundendum & reuincendum Antichristum. A quo interfecti martyria sua complebunt, viucentes in æternum, in sæcula sæculorum.]

Eusebius Cæsariensis lib. 1. Demonstrationis Euangelicæ, cap. 6. Henoch & Deo dicitur placuisse, & translatus esse, ut nunquam mors illius appareat.]

S. Athanasius Oratione in Assumptionem Domini : Non enim in calum cum virtute proficiscitur Elias, nec firmamentum transiens, in illis locis, quæ ibi sunt, manet : sed audi quid dicat is qui euehit : Euehit Dominus Eliam in calum vsque. Itaque ex iis quæ Henoch, & Elia contigerunt, bona spe exhilarauit homines, quod eis, cum homines sint, aeris transitum equestrem faciliorem reddidit.] Et Dialogo 5. de Trinitate, qui tamen à quibusdam S. Gregorio Nazianzeno, ab aliis S. Maximo Monacho & Martyri tribuitur : Si in omni homine dissidet mens à carne, unus autem hominum est Elias ille sursum abreptus, sicut adhuc creditum est, dissidebit etiam in eo mens à carne. Quod si in eo mens à carne non dissidet, nempe non in omni homine mens à carne dissidet. Multo magis igitur qui est ipse Elia Dominus, non experitur dissidium inter mentem & carnem.]

S. Theodoretus discipulus S. Pachomij Abbatis, in huius vita, cap. 42. Qui verò natus est, nec tamen mortuus est, existit Henoch, qui Deo placuit, atque translatus est.]

S. Basilus Magnus Homilia 11. in Hexaëmeron : A generatione hominis septimus mortem non vidit Henoch, mysterium Ecclesiæ.]

S. Gregorius Nazianzenus Oratione 3. Ac prius quidem Dei miracula testabantur, Henoch dum transferretur : Elias dum in sublime assumeretur.] Et Oratione 20. Henoch translatus est, exigua pietatis premium, (fides enim adhuc in umbris erat) hac translatione consequutus, vitæque sequentis periculum effugit.]

S. Epiphanius initio librorum aduersus Hæreses, Columna 3. Henoch qui complacuit Deo, & non reperiatur, transtulit enim ipsum Deus : & non vidit mortem.] Et Hæresi 64. colum. 495. Translatus est etiam Henoch, ut non videret mortem : & non reperiatur. Non autem translatus est, & reliquit corpus, aut corporis partem. Si enim reliquit corpus, vidit ergo mortem. Ipse vero cum corpore translatus non vidit mortem. In corpore enim viuente est spiritualiter abiat & non animaliter propter translationem : & quidem in corpore existens spiritualiter, Sed & Elia similiter, quod assumptus est in curru igneo, & est adhuc in carne : carne autem spirituali, & non opus habere, ut per cornus pascatur, velut cum in hoc mundo fuit : & ut de torrente Choras bibat, & pellem ouillam induat : sed

ut nutriatur alio quodam spiritali alimento, cuius suppetitor est, qui occulta cognoscit, & inuisibilia creauit, Deus, ambrosium quendam, & incorruptibilem cibum habens.] Eadem habet in Anchorato, pap. 1011.

S. Ambrosius libro de Paradiso, cap. 3. *Henoch autem, qui translatus est, & mortem non vidit.*] Et in Lucae 11. *Quamuis de Enoch & Eliam lib. 7. initio. nullam mortem corporis acceperimus.*] Et 17. Lucae: *Mors cessauit in Henoch, & non est inuenta in eo: ille enim raptus est, ut euaderet eam.*] Et lib. 1. de Abel & Cain, cap. 2. *Elias translatus curru est, non sepultus nec mortuus legitur.*

S. Hieronymus Epistola 61. aduersus errores Ioannis Ierosolymitani: *Henoch translatus est in carne: Elias carnis raptus est in celum: necdum mortui, & Paradisi iam coloni, habent quoque membra, cum quibus rapti sunt, atque translati.*

S. Ioannes Chrysostomus Homilia 21. in Genesim de Henoch: *Enimvero Scriptura dixit, quod transtulit illum, & quod uiuentem transtulit, nec mortem expertus sit.*] Et Homil. 1. in Genes. *Magnus Elias curru igneo in celum raptus, etiam usque in hunc diem mortem non est expertus.*] Eadem habet Homil. 18. in Epistol. ad Romanos.

S. Augustinus lib. 9. de Genesi ad litteram cap. 6. *Elias ex ista vita non morte, sed translatione migravit. Henoch Deo placens, non mortuus, sed uiuus translatus est. Nam si Henoch & Elias in Adam mortui, mortisque propaginem in carne gestantes, quod debitum ut soluant, creduntur etiam redituri ad hanc vitam. & quod tamdiu dilatum est, morituri: nunc tamen in alia vita sunt, ubi nec morbo, nec senectute deficiunt.*] Et lib. 2. de peccato Originali contra Caelestium, & Pelagium, cap. 23. *Eliam & Henoch tamen non dubitamus in quibus nati sunt corporibus uiuere.*] Eadem habet lib. 1. de Peccatorum meritis & remissione, cap. 3.

S. Nilus Oratione 3. in Pascha apud Photium in Bibliotheca: *Primus Adam accepit sententiam de immortalitate. Et Henoch habes & Eliam, qui immortalitatis mysterium adumbrant. Creator enim hos adhuc tenet in corpore, naturam exultantem consolans, qui etiam post exilium, iterum immortalitati sit illam restitutus. Lapsi parentis quae irrepsit mortalitas, non peccantis filij in solutionem indiget supplicio, quem expectare natura per Henoch & Eliam antea consuevit. Te uolente non moritur mortalis, ut Henoch & Elias me docent, & per illos resurrectionem speramus, quia nondum mortui sunt.*

Sedulius lib. 1. Operis Paschalis:

*Primus ab usque chao meritis uiuacibus Enoch
Multa per innumeros iam Sacula contigit annos,
Natura perdente modum, quem iure creandi,
Terra tulit genitum, sed mors miratur adeptum.*

De Elia vero: — & humani metam non contigit aui.

S. Gregorius Magnus lib. 9. in Iob, cap. 3. de Henoch, & Elia: *Duo illi predicatorum eximij, dilata morte, subtrahi sunt, ut ad predicationis usum in fine reuocentur.*

S. Ephraem Antiochenus Episcopus apud Photium in Bibliotheca: *Testantur Henoch, & Elias adhuc in corpore agentes.*] Et post pauca: *Superesse Henoch & Eliam traditione habemus. Atqui ceteros omnes posteriores Orthodoxos in eandem sententiam conuenisse non est dubium: nec aliter facere sine impietate poterant propter clarissimam ea de re Scripturae Sacrae auctoritatem.*

Nec illud de Elia praetermittendum, virginem illum fuisse, & conseruari.

S. Ignatius Epistola 9. quae est ad Philadelphienfes: *Virgines solum Christum in precibus uestris ante oculos habere, & Patrem illum, illuminata a spiritu. Fruar uestra sanctimonia, ut Elia, ut Iesu filij Nave, ut Melchize-*

dek, ut Elisai, ut Ieremie, ut Baptista Ioannis, ut dilecti illius Discipuli, ut Timothei, ut Titi, ut Euodij, & Clementis, qui in puritate exegerunt hanc vitam.] In numero Virginum primum recenset Eliam, quamuis in recentioribus Ignatij editionibus Elias exciderit: sed restituendus ex antiquis & sinceris codicibus.

S. Ambrosius lib. 1. de Virginitate: *Sed etiam Elias nullis corporeis coitus fuisse permixtus cupiditatibus inuenitur.*

S. Ephraem Syrus Sermone de Transfiguratione Domini: *Aspexit uirgo Veteris Testamenti, Virginem noui, Elias nimirum Ioannem.*

S. Hieronymus lib. 1. in Iovinianum: *Quam stultè Eliam, & Eliseum in catalogo posuerit maritorum, me tacente manifestum est. Si enim Ioannes Baptista uenit in spiritu, & uirtute Eliae, & Ioannes uirgo est, utique non solum in spiritu eius uenit, sed etiam in corporis castitate.*

S. Ioannes Chrysostomus Sermone contra Iudaeos, Gentiles & haereticos, de Euangelio, Nuptia facta sunt. Tomo. 3: *Nonne Elias curru igneo in celum sublatu est? An nocuit huic uirginitas? An impedimento fuerunt illi uxor & liberi?*] Et lib. de Virginitate, cap. 79. *Qua enim, quæso, re differebant ab Angelis, Elias, Eliseus, Ioannes uerij uirginitatis amatores? Virginitatem enim fuisse, quæ tales eos reddiderit, ex eo perspicuum est, &c.*

S. Epiphanius in Anchorato, Colum. 1011. *Elias erat in Virginitate ut prerogatiua uirginitatis, immortalitatem predicaret mundo, & cum corpore incorruptibilitatem.*

S. Althelmus de laude Virginum.

Elias uates —

Virgo sacer fuerat, fama per sacula notus.

Impurissimum fabulam de Eliae assumptione, quam Gnostici confinxerunt, refutat S. Epiphanius Hæresi 26. colum. 79.

CAPVT IV.

Num extet adhuc Paradisus Voluptatis.

Hanc controuersiam latè excussimus in Paradiso nostro, cap. 82. & seqq. sed oportune hinc pro loco, ubi Elias & Henoch uiui usque ad tempora Antichristi conseruantur, pauca dicenda. Recentiores aliqui, (nam de hac re apud ueteres nulla quæstio) cum primis probabile existimarunt, Paradisum post Adæ casum paulatim aboleri cæpisse, ac tandem diluuiο obrutum & dissipatum fuisse, ac funditus periisse. Auctores id opinantes, quos ego quidem uidere potui, sunt ij, Steuchus in Noris ad 2. Genesim, Iacobus Naclantus in Medulla Sacrae Scripturae, in Explicatione Operis Sex dierum, in 3. Portione, ex cap. 2. Genes. Oleastrius in 2. & 3. Genes. Iansenius cap. 143. Commentariorum in concordiam Euangelicam, Genebrardus lib. 1. Chronographia, pag. 7. Galefius in Noris ad Historiam Sacram Seueri Sulpitij, Maldonatus in Matthæi 27. vers. 44. Pererius lib. 3. in Genes. Quæstione 5. & lib. 7. Quæstione 7. Suarez Tomo 2. in 3. Partem S. Thomæ, Disputatione 55. Sectione 1. Viégas in 11. Apocalyp. Sectione 5. Hammerus, Cornelius à lapide, Mariana in Genes. 2. Ioannes Fangerus in Trilingui Etymologico, sed hunc puto esse Protestantem, Estius in 2. Sententiarum, Distinctione 17. §. 18. Ex Protestantibus uerò à Romana Ecclesia alienis, plerique in explanatione Geneseos docent, Paradisum diluuiο interisse, uti Pellicanus, Monsternus, Fagius, Mercerus, Immanuel, Iunius, & alij. Fatentur

quidem recētiore, se hic antiquitatis consensu obrui, sed suam opinionem magnis suffultam rationibus, fidem & auctoritatem, pluribus in eam concedentibus, adepturam successu temporis. Sed falsi augures deprehensi fuerunt: nam nouitatem opinionis plerique exhorrentes, repudiarunt: malueruntque veteri, recepta, ac certā assertioni, Paradisum adhuc superesse inhærescere. Ergo post motam ab Eugubino sententiam de euerfo ac dissipato Paradiso, se ei complures eruditi viri opposuerunt, tantum abest, quin rationibus eius peruieti fuerint: ex his, quos ego viderim, sunt, Ambrosius Cartharinus in 2. Genes. Xystus Senensis lib. 5. Bibliothecæ Sanctæ, Annotatione 36. Dominicus Bañes, & Franciscus Zumel in 1. Partem S. Thomæ, quæst. 102. articul. 2. Gregorius de Valentia Tomo 1. disputat. 7. quæst. 6. puncto 2. Robertus Bellarminus lib. de Gratia Primi Homini, cap. 12. Feu-ardentius in Notis ad S. Irenæi, lib. 4. cap. 3. Marianus Victorius in Notis ad Epistolam 61. S. Hieronymi, Scholio 51. Felicianus Capitonius in Explicationibus Catholicis, Parte 2. explicatione 5. Henricus Henrriquez lib. de Fine Homini, cap. 19. & 23. Iosephus Acoſta lib. 3. de Nouissimis Temporibus, cap. 6. Franciscus Ribera in Apocalypſ. numero 13. Thomas Bozius de signis Ecclesiæ lib. ultimo, cap. 6. Petrus Tyræus de Gloriosa Filij Dei Apparition. Taborina, cap. 3. numero 22. 23. Florimundus Remundus lib. de Antichristo, cap. 46. Ludouicus y stella, & Martinus Delrius in 2. & 5. Genes. Leonardus Lessius Demonstratione 15. de Antichristo. Benedictus Iustinianus in cap. 11. Hebræorum. Martinus Becanus Opusculo de officiis Angelorum, cap. 7. Vtrinque quæstionem disputauit Augustinus Tornielius in Annalibus Mundi: sed iudicium lectori permisit.

Ergo nunc adhuc extare Paradisum iilum terrestrē, à Deo initio rerum conditum, in quo primi parentes primū positi, deinde pulsi fuerunt, longo auctorum, & rationum agmine in Paradiso, cap. 82. demonstrauimus: vt nihil opus nunc sit eadem retexere, quæ indē affatim desumi poterunt.

CAPVT V.

In quem locum Elias & Henoch viui translati fuerint, & ubi nunc sint.

Variē de loco in quem Henoch & Elias assumpti fuerunt, & in quo nunc manent, plerique disse-ruere. Auctor nomine S. Cypriani in Tractatu de Montibus Sina & Sion, inquit: *Henoch translatus est in loco ubi Deus scit.* S. Chrysostomus Homilia 22. in Epistol. ad Hebræos: *Multi autem querunt, quomodo translatus sit Henoch, & cur translatus: & cur non sint mortui, neque ipse, neque Elias: & si adhuc uiuunt, quomodo uiuant, & in quo habitu. Sed supernacaneum est hac querere. Nam quod ille quidem, nempe Henoch sit translatus: hic verò nempe Elias sit assumptus, dixerunt Scriptura. Vbi autem sunt, & quomodo sunt, non itidem adiecerunt. Non amplius enim dicunt, quam quæ sunt necessaria. Translatus enim fuit, non mortuus sed ne videret mortem.* Et Homilia in Genesim: *Iam si quis curiosus rogare velit, & dicere, Et quo ipsum translulit? & num usque ad præsens vixerit? discat non conuenire humanis mentibus curiosus ea quæ à Deo sunt, explorare, sed credere iis quæ dicuntur. Enimvero scriptura dixit, quod translulit illum, & quod uiuentem translulit, nec mortem expertus sit. Quo autem illud translu-*

lerit, & quomodo nunc agat, hoc non adiicit.

S. Augustinus lib. 2. aduersus Pelagium & Celestium, cap. 23. *Quæstiones sunt in quibus Salua fide, qua Christiani sumus, aut ignoratur quod verum sit, & sententia definitina suspenditur, aut aliter quàm est, humana & infirma suspitione conicitur: veluti cum queritur, ubi sunt nunc Elias & Henoch, an ibi in Paradiso terrestri, an alibi: quos tamen non dubitamus, in quibus nati sunt corporibus viuere.* Theodoretus Quæst. 45. in Genesim: *Quem in locum Deus translulit Henoch? Non inquirenda sunt, quæ silentio sunt tradita, sed veneranda quæ scripta sunt.*

Theophylactus in 11. Hebræorum: *Proinde, quod uiuens translatus sit Henoch, & quod uiuat, scimus: ubi autem, & quomodo, incertum, Scriptura hoc non patefaciente.* Oecumenius Hebræorum 11. *Viuens enim translatus est Henoch & adhuc uiuit: porro ubi & quomodo, incertum est.* Rupertus lib. 3. de Trinitate, cap. 33. *Numquam Scriptura dat intelligi, quod Henoch & Eliam Deus translulit in ipsum Paradisum, ubi comederent deligno vita, & Viuerent in æternum: sed ita sublati sunt, vt in secretam quandam regionem terræ ducerentur, ubi in magna carnis & spiritus quiete viuerent: quousque ad finem mundi redeant, & mortis debitum soluant.*

Alij vero asseruisse, vel indicasse videntur, Henoch & Eliam in ipsum cælum, beatorum sedem, sine morte receptos, ibique nunc degere. S. Ambrosius libro de Paradiso, cap. 3. *Henoch raptus est ad cælum.* S. Ephrem Syrus Sermone de Transfiguratione Domini: *Imperauit Christus calo, & Eliam deduxit: innuit terra, & Moſen suscitauit.* S. Hieronymus in Amos: *Ascendit Dominus cum Henoch in cælum, ascendit & cum Elia.* Sedulius lib. 1. Operis Paschalis, de Elia canit.

*Aurea flammigeris euectus in astra quadrigis,
Qua lenis æthereos non exprimit orbita sulcos,
Sidereum penetrauit iter, curruque corusco,
Dexteriora petens, spatio maiore triumphum
Duxit, & humani metam non contigit eui.*

S. Chrysostomus Homilia de Ascensione Eliæ: *Eliam, post tantorum bellorum magnas, illustrésque victorias, igneo curru atque equis flammantibus impositum, triumphali gloriâ præfulgente, ad sua regna voluit peruenire: vt ad regna cælestia curru atque equis transuolaret euectus.* Clarius Marius Victor lib. 2. Carminum in Genesim, de Henoch ista decantat:

*Cuius de serie, pollens virtutibus Henoch
Descendens, meritis etiam non impar auitis,
Redditus in sedes patrias, orbemque beatum,
Viuit adhuc, & habet vita iam regna futura.*

S. Alcius Auitus, lib. 4. de Diluuiio, cap. 6. de Henoch.

— quem prisca fides, & conscia virtus

In cælum sine morte tulit, sic celsa petenti.

De Elia verò:

*Quamquam quò Noë proauus conscenderat Henoch,
Elias cursu post tempora longa secutus,
Scribitur ignitis scandens penetrasse quadrigis.*

S. Althelmus de Laude Virginum de Elia:

*Arbiter æternus quem iussit scandere bigis
Aurea calorū penetrantem culmina vatem.*

Dorotheus in Synopsi, in vita Eliæ: *Elias qui terra fuerat sortitus domicilium, cælum quoque subito penetrauit: qui mortalis factus erat, cum immortalibus conuersatur: qui humi incedebat instar spiritus cum Angelis in celis agit.* Procopius Gageus, in Genes. 5. scribit, *Henoch & Eliam in æterna tabernacula receptos, Michaël Psellus in Chaldaicis Præceptis, apud Eugubinū in 2. Genes. tradit illos non in Paradisum, sed in locum tamen corporeum, verum æthereum aut cælestem translatos.*

translatos. S. Gregorius Magnus Homil. 29. in Euan-
gelia : *In calum aerium Elias sublatus est, ut in secre-*
tam quandam terræ regionem duceretur.]

Recentiores Paradisi eueriores constanter affir-
mant Henoch & Eliam non esse nunc in Paradiso,
quinullus est. Stheuchus in 2. Genes. hæc habet:
Quod autem Henoch & Elias in Paradisum translati
feruntur, id eadem facilitate refellitur, qua asseritur.
Quo quæso ex idoneo loco Scripturarum id colligitur?
Elias fateor assumptus est, sed num in Paradisum? quis
tam audax est qui hoc ausit asserere: cum id nusquam
memorie proditum inueniatur? Eodem modo Henoch,
assumptus est, sed quem in locum, Scriptura non refert.
Quod si ij cum corpore assumpti sunt, arbitror eos ibi
positos, ubi & Iesus cum corpore versatur. Neque ve-
ro propter corpus, in hunc Paradisum erant transferen-
di, cum glorificata corpora aliam recipiant naturam:
quod & in Iesu Christi corpora accidisse didicimus.]
Sed in breui oratione, quot absurdissima deliria
Primò, Audaciam esse, asserere, eos assumptos in Pa-
radisum. Cum expresse dicat Ecclesiasticus. Secundò,
nusquam id memoriæ proditum inueniri. Sequenti
Capite videbitur mirum de hac re veterum ac re-
centiorum consensum. Tertiò, eos esse in cælo, ubi
est Dominus Iesus falsissimum, & reiectum ab om-
nibus. Quertò, eos habere corpora glorificata, æque
falsum, & à cunctis explosum, ut cap. 7. videbimus.

Naclantus in Medulla sacræ Scripturæ, in opere
Tertiæ diei: *Quod dicitur de Henoch, & deque Eliam*
Paradiso viuere, fateor sic à pluribus affirmari: sed potius
ut famosa, quam ut comperta sit assertio.]

Peterius lib. 7. in Genes. Quæst. 7. de Henoch: *Sa-*
tis videtur probabilis illa sententia. Henoch, & Eliam non
esse in illo Paradiso terrestri: sed in aliquo secreto loco
amensissimo.]

Etius Hebræorum 11. *Si quæstio sit de*
Paradiso e quo pulsati fuerunt primi parentes: non malè
dubitari, num vel Henoch, vel Elias illuc fuerint transla-
ti ibidemque nunc maneant. Id enim nec ratione, nec cer-
ta auctoritate doceri potest. Si autem de Paradiso loqua-
mur in genere, quemadmodum aliquoties Scriptura lo-
quitur, rationem non esse dubitandi, quin translati sint
Henoch & Elias in Paradisum, id est, in hortum seu
locum aliquem amenum, quietum, atque tranquillum.]

Serarius in 4. Regum 2. Dico, vel incertum esse lo-
cum, ubi nunc sunt Henoch & Elias: vel in superio-
rimundo esse collocandam.]

Fangerus in Etymologico: *Fallitur etiam Iudæi*
qui in terreno Paradiso etiamnum versari putant The-
sbitem Eliam, & Henoch, cum in cælestem reuera trans-
lati sint, de quo Saluator loquutus est pendens in Cruce,
& Paulus 2. Corinth. 12.]

Vides lector perspicuam
hominis stoliditatem.

In Vatabli annotationibus Sanctandreas Genes.
5. v. 24. dicitur: *Henoch translatus fuit in calum, dona-*
uitque eum Deus immortalitate.]

Et in 4. Regum. 2. v.
11. *Et ascendit Elias per turbinem in calum alij expo-*
nunt, in aërem & locum aliquem tranquillitatis plenum,
id est, in Sinum Abrahæ, qui in aëre potius collocandus
videtur, quam in terra. Non autem raptus fuit in Para-
disum, quia eo nondum apertus fuerat aditus a Christo,
1. Corinth. 15. 20. In locum cælestem aliquem raptus
fuit destinatum olim spiritibus pijs, firma fide expectan-
tibus Messiam, qui Paradisi aditum aperturus erat.
Corpus etiam ipsum Elie captum fuit, sed immutatum,
& incorruptibile redditum.]

Bartholomæus Vveitha-
merus, in Phrasibus Scripturæ. Verbo Sinus. Eliam in
Sinum Abrahæ receptum ait. Sed Sinum Abrahæ fi-
guratè intelligit, requiem Sanctorum qui in fide
Abrahæ decessere. Sed tu caue, lector Orthodoxe, ut
credas, Henoch & Eliam corpora immutata & in-

corruptibilia habere, cum sint interficiendi ab Anti-
christo: aut Sinum Abrahæ in aëre esse contra rece-
ptam Scholasticorum doctrinam, qui eum circum
terræ centrum constituunt.

Ergo vniuersè, qui Paradisum extirpant, conue-
niunt Henoch & Eliam in eo non esse: sed vel in Sinu
Abrahæ: Vel in aliqua aëris regione, aut in secreto
ac semoto aliquo terræ loco tranquillitatis pleno.
Nos cunctis intenta cura perpenfis reiectis & explo-
sis recentiorum curiosis ac nouis adinventionibus,
certius, tutius, ac magis decorum remur, nihil in his
innouare: sed à Vetusioribus tradita recipere, atque
in his ipsis acquiescere. Nempe, Henoch & Eliam in
comet Paradiso voluptatis, in quo Adam fuit, nunc
vivos conseruari, ac degere. Iam ea de re veterum ac
posterorum magnum consensum promamus.

CAPVT VI.

Henoch & Heliam Viuere nunc in
Paradiso Voluptatis.

SANCTUS Irenæus lib. 5. aduersus Hæreses, cap. 5.
Vbi ergo primus positus est homo, (scilicet in Paradi-
so, quemadmodum Scriptura dicit: *Et plantauit Deus*
Paradisum in Eden contra Orientem, & posuit ibi ho-
minem quem plasmavit: & inde proiectus in hunc mun-
dum non obediens: qua propter dicunt Presbyteri qui
sunt Apostolorum discipuli, eos, qui translati sunt, [scilicet
Henoch & Eliam] illuc translatos esse. Iustis enim ho-
minibus & spiritum habentibus preparatus est Paradi-
sus: & ibi manere eos qui translati sunt, vsque ad con-
summationem, coaspicientes incorruptelam.]

Tam clara
tanti Patris & Martyris auctoritas satis superque esse
poterat, ad obstruenda eorum ora qui vel Paradisum
subruunt, vel ex eo Henoch & Eliam eliminant: cum
eam affirmet esse traditionem seniorum qui fuere
Apostolorum discipuli. Vanas argutias quibus aliqui
recentiorum conati sunt tam perspicuam S. Irenæi
sententiam eludere, in Paradiso cap. 83. solidè dispuli-
mus: nec liber repetere.

Auctor apud S. Iustinum Martyrem, Quæstione
85. ad Orthodoxos: *Henoch & Elias in Paradiso*
sunt restitutionem sempiternam primo quoque tempore
expectantes.]

S. Athanasius Epistola: *Quod Nicæna Synodus sit*
recipienda: Adam statim ubi natus esset, in Paradiso
collocatus nihil quidquam differentia habuit ab Henoch,
qui post tempora nauitatis sue, cum Deo placuisset, in
Paradisum translatus est.]

S. Ephraim Syrus, de quo Moses Bar. Cepha libro
de Paradiso cap. 1. hæc scribit: *Necessum est, corpora-*
tum esse Paradisum, quod Henoch & Elias in eo ma-
neant, ut affirmat Dominus Ephraim in eo Opere quo li-
brum Geneseos, hoc est de rerum Ortu interpretatur: &
in his etiam Sermonibus quos de Paradiso conscripsit.
Illi enim viri cum corporati sint, ut qui vitæ huius vin-
culis adhuc sunt colligati, consentaneum est, ut corporali-
bus quoque locis manerent.]

S. Hieronymus Epistola 61. *Henoch translatus est in*
carne, Elias carnis raptus est in calum: necdum mor-
tui, & Paradisi iam coloni: habent quoque membra in
quibus rapti sunt, atque translati.]

S. Augustinus lib. 1. de Peccatorum meritis & re-
missione, cap. 3. disquirens, num Henoch & Elias mo-
do cibo vtantur, inquit: *Ausit & his sustentaculis*
opus est, ita fortasse in Paradiso pascuntur, sicut Adam
priusquam propter peccatum exinde exire meruisset.
Habebat enim quantum existimo, & de lignorum fructi-
bis refectiorem contra defectum, & de ligno vitæ sta-
bilitatem contra vetustatem.]

Victorinus in Apocalypsim: *Henoch & Elias sunt in Paradiso.*

S. Alcimus Auitus lib. 1. de Mundi initio, cap. 9. differre canit, pro Adamo & Heva Paradiso pulsus, eum locum nunc incolere Henoch & Eliam:

*Lucus inaccessa cunctis mortalibus arce
Permanet aeterno conclusus limite postquam hic
Decidit expulsus primæi criminis auctor:
Proque reus dignè felici ab sede reuulsis,
Celestes hæc Sancta capit nunc terra ministros.*

Non alios sanè nisi Henoch & Eliam: nam de Angelis intelligere non videtur: cum iam antea inibi habitarent.

S. Isidorus de Vita & Morte Sanctorum, cap. 3. *Henoch subtrahens meruit in eum locum transferri, unde fuerat protoplastus exclusus. Manet autem hæcenus in corpore: in consummatione mundi restituet cum Elia mortalem vitæ conditionem.*

S. Althelmus in Laude Virginum, de Elia canit:
*Sospes qui nunquam sensit discrimina mortis
Sed manet in templis Paradisi hæcenus heros.
Elia colit ut superis in sedibus Henoch,
Quem rapuit quondam diuina potentia cali.*

Petrus Damianus lib. 1. Epistola 6. ad Nicolaum II. Pontificem, de Elia ait: *Quem Dominus viuere usque in finem mundi in paradisi amantate constituit.*

Marianus Scotus in Chronico: *Henoch septimus ab Adam, annorum 365. reductus est viuus in Paradisum, in fine sæculi mortem sub Antichristo, cum Elia passurus est.* Eadem totidem verbis descripsit Florentius Monachus Vigorniensis, qui vixit circiter annum Domini, 1119. in Chronico.

Matthæus Vvest monasteriensis in Floribus Temporum, Aetate 2. cap. 6. *Iste Henoch placens Deo translatus est in Paradisum: viuit cum Elia.*

Georgius Cedrenus in Compendio Historiarum, pag. 8. *Henochus in Paradisum est translatus, annos natus 365. erat enim Deo acceptus.*

Gotfridus Viterbiensis in Chronico, Parte 2. multa differit, & canit de Henoch & Elia viuentibus adhuc in Paradiso voluptatis, & inter alia: *Paradisus ultra Oceanum sua in Oriente narratur: in ea Henoch, & Elias seruantur.*

Lucas Tudensis in Chronico, Aetate prima. *Henoch translatus est à Deo in Paradisum voluptatis, ut in fine temporum cum Elia conuertat corda patrum in filios, qui pugnabunt cum Antichristo.*

Albertus Stadenis in Chronico: *Henoch translatus est in Paradisum.*

Petrus Comestor in Historia Scholastica Genesis, cap. 30. *Translulit Henoch Deus in Paradisum voluptatis ad tempus, ut in fine temporum cum Elia conuertat corda patrum in filios.*

S. Thomas Theologorum princeps 3. Parte, quæstio. 49. articulo 5. ad 2. *Henoch raptus est ad Paradisum terrestrem, ubi cum Elia simul creditur viuere usque ad aduentum Antichristi.* Eadem habet 2. Sentent. Distinct. 29. Quæst. 1. Art. 5. ad 4. & 1. Parte, Quæst. 102. Art. 2. ad 3.

Nicolaus Lyranus in 5. Genes. Doctores autem Catholici dicunt, quod Henoch propter excellentiam suæ virtutis assumptus fuit à Deo, & positus in Paradiso terrestri: ubi & Elias postea raptus est, 4. Regum 2. & inde exituri sunt ad prædicandum contra perfidiam Antichristi. & in Commentariis ad 4. Regum 2. Locus autem ad quem deportatus fuit Elias, secundum Doctores Catholicos & Hebræos, est Paradisus terrestris, ubi Henoch ante fuerat translatus: & inde circa finem mundi ambo processuri sunt ad prædicandum contra perfidiam Antichristi.

Alphonfus Tostatus in Genes. 5. Doctores Catholici omnes, & tota fidelium Ecclesia credit, quod Henoch translatus fuerit in Paradisum, sicut Elias: & manent isti duo in terrestri Paradiso, ut post pugnent & prædicent contra Antichristum. Eadem scribit in 2. Genes. quæst. 7. & in 13. Genes. quæst. 123.

S. Antoninus 4. Parte Historiarum, titulo 1. cap. 1. §. 4. *Henoch translatus est in Paradisum terrestrem.* & Titulo 3. cap. 3. §. 1. *Elias ascendens assumptus est in cælum, id est, in Paradisum terrestrem: ubi viuus permanet cum Henoch usque ad tempora Antichristi, contra quem descendit ad prædicandum.* & 4. Parte Theologiæ, Titulo 13. cap. 4. §. 3. *De Paradiso terrestri mittentur in mundum contra Antichristum Henoch & Elias, quo fuerunt translati.* Idem quoque aperte affirmat Vincentius Bellouacensis lib. 7. Speculi Historiarum, cap. 62. Nec opus est plures producere testes: quandoquidem omnes Theologi, ad Steuchum usque hoc ipsum Summo consensu docuere. Post Eugubium non pauci eius opinioni obuiam iere.

Ambrosius Catharinus in 2. Genes. recitatis Eugubini verbis, quæ cap. 5. descripsimus, hæc ait: *Ego verò miratus sum primum ac Vehementer huius viri sermonem tantæ fiducia plenum. Ait enim tam celebrem & constantem, (dicam audacter) clarissimorum virorum sententiam,* nempe de Henoch & Elia viuentibus adhuc in terrestri Paradiso. Eadem facilitate refelli, qua asserunt. Pergit pluribus sententiam Eugubini confutare.

Xystus Senensis lib. 5. Bibliothecæ, Annotatione 36. assertionem, Eugubini, quod Henoch & Elias non sint in Paradiso à rectæ fidei regula exorbitare, Patribus contradicere, & diuinæ Scripturæ esse aduersam affirmat. Pererius rixam mouet tam seueræ Xysti censuræ. Bannes cum eam retulisset, non improbauit. Xystus ita censendi maximas causas mihi habuisse videtur, quod clarum Ecclesiastici locum in Editione Vulgata nondum recentiorum argutiæ distraxissent.

Franciscus Feu-ardentius in Notis ad S. Irenæi lib. 4. cap. 30. num. 6. *In eum Paradisum quo positus fuerat Adam, cum eodem quo vixerat corpore, Henoch seruari, ex traditione Presbyterorum, qui Apostolos audierunt, se accepisse scribit S. Irenæus lib. 5. cap. 5. Huius sententia tot suffragantur, ut ab ea discedere mihi religio sit: præcipue cum aperte dicat in Ecclesiastico, cap. 44. Syracides Latinus, (Græca enim variant) Henoch placuit Deo, & translatus est in Paradisum.*

Marianus Victorius in Scholiis ad Epistolam 61. S. Hieronymi, numero 51. *Quod autem asserat hic D. Hieronymus in Paradisum translatos Henoch & Eliam esse in terrestrem videlicet, communis omnium sententia est: cui Ecclesiastici auctoritas assentitur, dum de Henoch scribit his verbis: Henoch placuit Deo, & translatus est in Paradisum.*

Felicianus Capitonius Parte 1. Catholicarum Explicationum, Explicatione 5. *Refellendi etiam sunt, qui asserere nituntur, post Adæ peccatum Paradisum terrestrem paulatim defecisse, & demum aquarum inundatione diluuij omnino subuersum atque sublatum: quippe quod Ecclesiæ traditio est; Henoch & Eliam adhuc viuos ibi habitare, & usque ad tempora. Antichristi reseruari: quum ad confirmandam Euangelicam veritatem pro salute electorum mittentur.*

Iansenius, quamuis ipse non putet Henoch & Eliam nunc manere, in Paradiso, elucidans tamen locum Ecclesiastici 44. v. 16. *Henoch translatus est in Paradisum, hæc fateri coactus fuit: Itaque interpretæ de suo addidit, in Paradisum, sequentis ut est verisimile, receptam*

ceptam semper in Ecclesia opinionem, qua Henoch sine morte creditur translatus in Paradisum, sicut & Elias. Unde tempore Antichristi venturi putantur.] Cur igitur ipse secutus non est receptam in Ecclesia opinionem, quæ semper de Paradiso terrestri, fuit?

Iosephus Acofta lib. 3. de Nouissimis Temporibus, cap. 6. *Irenæi verbis docemus, Apostolorum fuisse traditionem, Henoch & Eliam adhuc viuere in corpore: deinde in Paradiso terrestri, ubi Adam fuit, eos esse: tandem seruari eos usque ad consummationem mundi.*

Franciscus Zumel. in 1. Partem Quæst. 102. Art. 1. conclusionem 3. *Henoch & Elias communi consensu creduntur esse acola Paradisi terrenalis: & de Henoch videtur adeo certum, ut non sit fas dubitari.* Et post alia: *Cum igitur constet hos viuere, & communiter receptum sit, quod degunt in Paradiso, & colligitur ex Ecclesiast. 44.]*

Martinus Delrius in Genes. 5. v. 24. de eisdem istis rebus agens: *Neque mihi gratum aut volupe est, receptas multis sæculis sacra Scriptura interpretationes conuelleré recentibus commentis.*

Benedictus Iustinianus in Hebræor. 11. v. 5. *Non sum verò nescius viros Catholicos non paucos, existimasse, terrestrem Paradisum Noatice eluione fuisse delatum, nec usque extare: malo tamen Orthodoxorum traditioni credere, Henochum & Eliam in Paradisum fuisse translato.]*

At ne tot auctoribus citandis, fastidium lectori creemus. Henoch & Eliam in Paradiso terrestri nunc viuere ad aduentum usque Antichristi, affirmant perspicuè, Soto in 4. Sentent. Distinct. 46. Quæst. 1. Art. 1. Bellarminus lib. 1. de Gratia primi Hominis cap. 12. & 14. Ribera in 11. Apocalypf. Numero 13. Henriques de Fine Hominis, cap. 19. & 23. Valentia Tomo 1. Disput. 7. Quæst. 6. Puncto 2. ad 3. Bozius lib. 24. de signis Ecclesiæ, cap. 6. Ioannes Pineda lib. 1. Monarchiæ Ecclesiasticæ, cap. 13. §. 1. Tyræus de Apparitione Christi Tabori, cap. 3. Numero 23. Paulus Palatius in 44. Ecclesiastici, Ystella in 2. & 5. Genes. Barradius Tomo 3. in Euangelia, lib. 9. cap. 7. Becanus Opusculo de officiis Angelorum, cap. 8. Simon Maiolus canicularium Colloquio 17. Lestius de Antichristo, Disput. 15. & plures alij. Ex Hebræis David de Pomis, in Germine David, in voce Edem, hæc scribit: *Sapientes locum ubi deliziantur iusti, nec non & acceptationem mercedis ipsorum, Gan Edem, id est, deliziarum hortum nominarunt. Et sunt qui interrogant, dicentes: Postquam notum est, locum illum in terra esse, qui Eden appellatur, de quo & signa prodidit Scriptura, quod sit in Eden versus orientem: qui fiat quod non extiterit vilius homo, qui eo in loco fuerit, videritque hunc locum, & hortum istum? Responso. Non est dubium, quin profecti eo fuerint aliqui homines, ut Chanoth & Elia. Verum quotquot eo venerunt, non sunt reuersi, propter multas delicias qua inueniuntur ibi. Quis enim tam stultus, qui inde denuò discederet? Quin potius eo in loco remanent. Aut fortassis accessum prohibet flamma gladij versatilis, ut in genesi habetur, qui adhuc hodie ibi perseverat: unde nemo est nolente Deo, qui possit ingredi.]* Hactenus Pomatius. Sed & Hebræos existimasse, Eliam nunc viuum conseruari in Horto Eden, seu Paradiso voluptatis, Lyranus in 4. Regum 2. & alij annotarunt.

Verum hic opportunè monemus, Patres illos qui tradiderunt Eliam subuectum in cælum, vel ad regna cælestia igneo curru penetrasse quorum verba cap. 5. posuimus: noluisse sanè dicere, Eliam propriè in cælo & beatorum sede locatum, iam beatitudine perfrui: sed ita hyperbolicè loquutos, nec aliud intellexisse,

quam id quod 4. Regum, 2. v. 11. *Et ascendit Elias per turbinem in cælum.* Nimirum curru igneo per aëra auectum in locum ubi nunc viuens seruatur, nempe Paradisum: ut etiam Lyranus, & alij exponunt. Et quod S. Gregorius dixit, ductum in *secretam quandam terra regionem*: cur hanc non intelligemus consentaneè aliis Patribus, Paradisum? Auctores verò qui asserbant, ignorari vbinam locorum Henoch & Elias modo existant, nec id esse curiosius disquirendum: vel sunt Græci, quibus forsitan incomperita erat lectio illa Ecclesiastici 44. v. 16. de Henoch in Paradisum translato; vel sunt Latini, quibus nondum sacra & diuina erat particula illa, *in Paradisum*. Rupertus videtur oblitus loci Ecclesiastici, aut certè perperam interpretatus. S. Augustinus, qui non putauit hanc esse quæstionem fidei, forsitan locum Ecclesiastici non legit, vti nunc habetur in editione vulgata. Esto non sit fidei quæstio, etiam post receptam editionem vulgatam: at cum innumeri & vetores & recentiores tanto consensu tradant, Henoch & Eliam viuere in Paradiso terrestri, quare huius sententiæ auctoritas apud quosque cordatos non magnum momentum habebit?

CAPVT VII.

Expenditur locus Ecclesiastici 44. vers. 16. *Henoch placuit Deo, & translatus est in Paradisum, ut det gentibus penitentiam.*

Cum primis hic locus egregius apparet ad stabilendam antiquam & receptam opinionem, Henoch viuum in Paradisum terrestrem translatum, ibique cum Elia demorari, ad tempora usque postrema mundi quando rursus in orbem hunc redibunt prædicari gentibus penitentiam. Ita Strabus, Lyranus, Palatius, eius loci explanatores. Et omnes ferme quotquot hos diuinos viros in Paradiso terrestri adhuc viuere affirmarunt, hoc potissimum loco nituntur. Sed qui contra Paradisum tollunt, variè id testimonium eludunt.

Primum, Pererius, Iansenius, Viegas, Suares, Estius, & alij annotant, in Græcis non esse vocem illam, in Paradisum: sed tantum legi: *Henoch placuit Deo, & translatus est exemplum patientia generationibus, vel aratibus.* Qua ratione habent Græca editionis complutensis, & Romanæ Carrasianæ, item Sanctis, Camerarij, Roberti Stephani, Vatabli, Iunij, Drusij. Iansenius geminum sensum adhibet. Primum translatum Henoch in aliquam secretam & amœnam regionem, ut esset exemplum hominibus, quantam curam Deus geret suorum charorum, quos à cætu & consortio improborum ad se rapiat: sicque penitentiam agant, ac Deo adhæreant. Alterum, raptum Henoch, qui dum inter homines viueret, ob vitæ probitatem, mirificum penitendi & vitæ rectè instituendi cunctis erat exemplum.

At in dubium neutriquam apud Catholicos reuocari debet, quin particula illa, *in Paradisum* sit genuina, quam in Editione vulgata & legit & probat Ecclesia, certissimo exemplarium consensu. Feu-ardentius indicauit, nonnullos Græcos codices eam habere. Et ut in nullis Græcis legatur, cum constanter ipsam omnes Latini præferant, nefas esset eam vel repudiare, vel in dubium reuocare. Ego persuasum habeo, vulgatum vel in Græcis legisse, vel de suo explicationis gratia adiecisse, è veteri & recepta

recepta in Ecclesia traditione. Enochum in Paradisum translatus, & cum Elia ibi vitam agere, ut etiam Iansenius annotauit.

Secundo, Pererius, Suares, Viegas, Estius, Cornelius à Lapide, & alij obseruant, Paradisi vocem generalem esse & diffuso significato interdum in scriptura vniuersè significare hortum, vel locum quemuis amatum, delicatum, tranquillitatis & voluptatis plenum, uti in Paradiso nostro cap. 4. pluribus demonstrauimus. Vnde etsi Henoch dicatur translatus in Paradisum, non propterea cogimur intelligere positum in illo Paradiso voluptatis, in quo fuit Adam: sed in loco alio terræ secreto, qui propter delicias & amantitatem rectè dictus sit Paradisus.

Verum duo perspicue hanc interpretationem explodunt. Primum, quod vox Paradisi quando in scriptura vniuersè hortum quemuis & pomarium significat, semper ponitur cum quibusdam adiunctis, ut Canticor. 4. 13. *Emissiones tue Paradisus malorum punctorum.* At cum per se & absolute ponitur, non indicat nisi illum Paradisum per antonomasiam, quem Deus humanæ felicitatis locum in Orientali terra initio rerum plantauit, aut illum alium, cuius hic terrestris figuram & typum gessit, nempe cælestem illum & diuinum, qui est spirituum beatorum domicilium. At cum Ecclesiasticus dicat Henoch translatus in Paradisum absolute: nec possumus intelligere cælestem aut beatum: necessum est accipere terrestrem illum, in quo Adam fuit. Alterum, quod si, uti prædiximus, vulgatus interpres de suo addidit, explicationis causa, *In Paradisum*, propter communem Christianorum traditionem, Henoch & Eliam viuere in Paradiso: equidem Christianorum certa persuasio ea est, in illo met Paradiso, ex quo pulsus fuit Adam, ibidem Henoch vitam agere.

Tertio, Tentant adhuc, Paradisum in Scriptura alicubi significare locum quietis sanctorum post mortem, in quo recipiebantur spiritus piorum hominum ante Christi resurrectionem: nempe Sinum Abrahæ, seu limbum Patrum: de quo capiunt illud Lucæ 23. v. 43. *Hodie mecum eris in Paradiso*, id enim de Sinu Abrahæ nonnulli Patrum videntur interpretari, apud Maldonatum & Lucam Brugensem in Lucæ 23. v. 43. Quo circa posset quis non penitus absurdè dicere, Henoch deductum in Paradisum, id est, in Sinum Abrahæ: sic enim intellexere de Eliæ raptu Varabli Scholia, & Vuesthamerus, uti vidimus, cap. 5. Sed est nouum, inauditum, absurdum Henoch aut Eliam abductos in limbum Patrum, seu Sinum Abrahæ. Primo, Quia locus ille Limbi erat vtcumque penalis, obscurus carcer, & quasi piorum ergastulum, quo detinebantur Sancti, & arcebantur cæli ingressu: at Henoch, ut etiam aduersarij fatentur, translatus est in locum amantissimum, omnifariis delitiis ornatum, qualis tenera non est Limbus. Secundo, Durè nimis & inclementer Deus haberet Sanctissimos, & sibi amicissimos viros, si tam obscuro & diuturno carcere conclusos teneret. Tertio, de Elia dicitur 4. Regum 2. v. 11. *ascendit per turbinem in celum*, at per celum, aut aërem non est iter in limbum. Absurdum enim videtur, ut quis deportandus in Patrum Limbum, locum subterraneum; tam longa & inepta periodo per celum & aërem circumducatur. Quarto, si vocula, *in Paradisum*, adiecta est ex recepta in Ecclesia consensione, Henoch & Eliam degere in Paradiso: nemo Orthodoxorum Patrum vnquam existimauit, aut dixit, eos in Limbo manere.

Quarto, Pererius, Viegas, Cornelius à Lapide, & alij, concedunt quidem ex verbis Ecclesiastici haberi,

Henoch translatus fuisse in Paradisum illum terrestrem & Adamicum: at non propterea inde sequi, vel Paradisum illum nunc existere: vel Henoch & Eliam in eo commorari. Nam cum Henoch 600. annos, ut ex Mose colligi potest, ante diluuium translatus fuerit in Paradisum: potuit quidem toto illo tempore 600. annorum in Paradiso versari: verum Paradiso per diluuium euerso, non iam ibi mansit, sed in alium locum translatus est. Sed istud subtiliter & argute ad detorquendam vim testimonij Siracidis excogitatum, ita refellimus. Primo, Quod neque verisimile, neque consentaneum videatur, Deum transtulisse Henoch, subinde per varia tempora mutantem loca: neque enim vlla ratio est, ut prius in Paradisum, deinde in alium locum adsportaretur: cum à principio in eo loco non est positus, in quo fixè mansurus fuit? Secundo, si tempore quo Siracides scribebat, Henoch non erat in Paradiso, quid opus erat, dicere eum translatus in Paradisum ad dandam gentibus penitentiam: si ad prædicandam gentibus penitentiam, non inde, sed ex alio loco ubi nunc est, venturus erit? Verba enim *Is v* id palam indicant, positum in Paradiso, ut inde suo tempore redeat in sæculum ad prædicandam gentibus penitentiam: ut veteres explanatores semper intellexerunt. Quo circa duæ illæ interpretationes à Iansenio ad locum Ecclesiastici adhibitæ, quas initio huius capitis retulimus, ut alienas à mente Patrum, & Veterum Expositorum, ex sensu Nouantium dumtaxat excogitatas ad exterminandum Henochum è Paradiso, prorsus repudiandas ducimus. Tertio, Quod sæpius inculcamus, & est ab ipso Iansenio obseruatum: si vulgatus tantæ auctoritatis eam particulam, *in Paradisum* addidit, ex communi sensu Christianorum: certe sensus is est, Henoch in Paradisum translatus, ubi cum Elia manere ad tempora vsque Antichristi: Vide de hoc loco Ecclesiastici Martinum Delrium in Genes. 5. ad vers. 24. Sed quo certius nostra firmentur, & absurditas eius opinionis, Paradisum euersum, & iam ibi Henoch neque Eliam esse, magis elucescat, libet referre absonos & ineptos modos eorum qui in diluio Henochum seruant. Pererius & Viegas aiunt, sublatus in aëris oras, aquis diluuij superiores, & suspensum in aëre toto illo eluuiionis integro anno pependisse. At piget istud credere, & haud scio an vllus cordatus credere velit, & sanè res indigna refutatione videtur: nec conueniens eiusmodi Henochi seruatio. Alij aiunt inter medios diluuij vortices, inter immanes aquarum moles seruatum, ut Ionam in profundo mari, & ventre ceti. Nonnulli addiderunt, forsan in Arca Noë angulo aliquo humanis oculis inuisibilem delituisse: nam quod scriptura memorat, Odo tantum animas euasisse diluuium in Arca: id quidem de hominibus qui tum vitam communem vivebant in mundo intelligendum: non de translatis ab hominum consortio & vitæ mortalis ærumnis, qualis erat Henoch. Sed sunt hæc meræ diuinationes, & somnia. Quarto tutius fuerit, sacris litteris, & Patrum sensui consentaneè asserere, Henoch in Paradiso Eden conseruatum, quo aquæ diluuij non penetrarunt: ibique existere cum Elia ad tempora vsque Antichristi.

CAPVT VIII.

*Qualem nunc Vitam degant Henoch & Elias
in Paradiso terrestri, & quis sit habitus
& qualitas corporum & animarum
eorundem.*

PROCOPius Gazæus in Genes. 5. innuere videtur, Henoch in sua illa translatione, mirabili quodam mortis genere fuisse defunctum: atque ad cælestem vitam transisse: eiusque assumptionem, fuisse quandam in immortalem statum immutationem, & transmigrationem: ipsumque simul cum Elia in æterna tabernacula admissum.

Dorotheus in Synopsi: *Elias qui terra sortitus fuerat domicilium, calum quoque subito penetrauit, qui mortalis factus erat, cum immortalibus conuersatur, qui humi incedebat. instar spiritus cum Angelis in calis agit.*] Michaëli Psellus in Chaldaicis Præceptis existimare videtur, Henoch & Eliam translatos ab hac vita in statum diuinorem, & corpora eorum extenuata, & immutata in æthera fuisse subleuata. Verba Pselli sunt: *Incorporeum locum quidem, sed æthereum vel cælestem quem consequuti sunt Elias Thesbites, & ante hunc Henoch, ab hac vita in longe diuinorem translati, materia sedimento, suo nempe ipsorum corpore in præruptis locis nomine destituti. Est autem præruptus locus regio terrestris.*] Ab iis non abluit Scheuchus in 2. Genes. & Scholia Vatabli in 4. Regum 2. dicebant, corpus Eliæ in raptu immutatum & incorruptibile redditum, vti cap. 5. notabamus. Sed sunt hæc omnia futilia, & vana: cum, vt suo loco ostendimus, Henoch & Elias sint redituri ad communem hanc vitam, & reuera morituri, quod corporibus iam immutatis & incorruptibilibus haud potest conuenire.

Sed Certiora iam & verisimiliora de statu Henoch & Eliæ in Paradiso ex Patribus, & Theologis depromamus. Tertullianus de resurrectione carnis, cap. 58. *Qua tamen de orbe translati & hoc ipso iam æternitatis candidati, ab omni vitio, & ab omni damno, & ab omni iniuria & contumelia immunitatem carnis ediscunt.* S. Epiphanius Hæresi 64. de Helia: *Et non opus habet, vt per cornus nutriatur, velut cum in hoc mundo fuit: & vt de torrente corat bibat, & pellem ouillam induat: sed vt nutriatur alio quodam spiritali alimento, cuius suppeditor est Deus, Ambrosium quendam, & incorruptibilem cibum habens.*] S. Hieronymus Epistola 61. *Necdum mortui, & paradisi iam coloni, habent quoque membra cum quibus rapti sunt atque translati. Quod nos imitamur ieiunio, illi possident Dei consortio. Vescuntur cælesti pane, & saturantur omni verbo Dei, eundem habentes Dominum, quem & cibum. Tanto tempore in eadem permanent ætate qua rapti sunt: & tamen nec cibis, nec vxoribus indigent.*] Videntur S. Epiphanius & S. Hieronymus existimare Henoch & Eliam nullo nunc corporeo cibo vti: sed cibo spiritali nutriti. Idem S. Hieronymus in Amos 9. v. 2. *Henoch & Elias rapti cum corporibus in calum, Dei reguntur arbitrio.*]

S. Augustinus lib. 1. de Peccatorum meritis & remissione, cap. 3. *Neque enim Henoch & Elias per tam longam ætatem senectute maruerunt: nec tamen credo eos iam in illam spiritali qualitate corporis commutatos, qualis in resurrectione promittitur, que in Domino prima præcessit: nisi quia isti fortasse neque his cibis egent, qui sui consumptione reficiunt: sed ex quo translati sunt, ita viuunt, vt similem habeant satietatem*

illis quadraginta diebus, quibus Elias ex calice aquæ & ex collyrida panis sine cibo vixit. Aut si & his sustentaculis opus est, ita fortasse in Paradiso pascuntur, sicut Adam priusquam propter peccatum exinde exire meruisset. Habebat enim quantum existimo, & de lignorum fructibus refectiorem contra deflectionem, & de ligno vite stabilitatem contra vetustatem. &c.] Et lib. 9. de Genesi ad litteram, cap. 6. Nec morbo, nec senectute deficiunt.]

Quod attinet ad eorum ætatem non senescentem, consentaneè Sanctis Hieronymo & Augustino Dorotheus in Synopsi: *Elias cum deuiuat homo, tamen senectutis expertus est.]*

Quod vero S. Augustinus assernit Henoch & Eliam vesci forsan ex ligno vitæ, docuit quoque id S. Thomas 2. Sentent. Distinct. 29. Quæst. 1. Art. 5. ad 4. Sed quod Dei consortio vtantur, vt S. Hieronymus dixit, eos frui Angelorum alloquij, Metaphrastes Sermone de Elia Propheta, testatur his verbis: *Elias ne in hodiernum quidem diem mortis fecit periculum, sed assumptus manet expertus senij, qui vt arbitror, vnâ versatur cum Angelis, quorum incorruptionem, & materia vacuitatem per puram vitam est imitatus: de quo maxime à Dauide quoque dictum est Psalm. 91. v. 16. longitudine dierum eum esse impletum, & Dei salutare ei esse ostensum.]* Dorotheus in Synopsi: *Cum Angelis conuersatur.*

Cæterum pauca sunt digna notatu. Primo, certum est Henoch & Eliam nondum plenam & absolutam immortalitatem adeptos: cum tempore Antichristi esse morituros, inferius plenissimè sit demonstrandum. Consule S. Thomam commentariis in 11. Hebræorum.

Secundo, Non dubitamus affirmare, eos non habere corpora prorsus impassibilia & gloriosa, cum iis dotibus, quibus beatorum corpora afficiuntur: eiusmodi enim gloriosæ dotes non obtingunt nisi illis, qui diuina fruuntur visione: at Eliam & Henoch nondum clare videre Deum aut esse beatos, statim ostendimus. Et quid opus erat morituris impassibilia & gloriosa corpora ad tempus dare, cum necesse esset nouo miraculo, vt mori possint?

Tertio, Ex hæcenus dictis illud etiam accipimus, Henoch & Eliam in terrestri Paradiso vitam agere, quod ad corpus attinet iucundissimam, & tranquillissimam: non senescere, non languescere, non vitio, aut morbo, vel imbecillitate vlla affici: iniuriis & inclementiis cæli, elementorumque minime lædi, aut molestari: vicissitudines, & intemperies caloris, frigorisque nequaquam experiri.

Quarto, Quod ad victum & vestitum, aliasque corruptibilis corporis necessitates spectat, haud facile putamus posse quidquam certò statui ac dicerni. Forsan vestes in quibus translati fuere, numquam sunt eis consumptæ, aut vsu detritæ, vel laceratæ, vti nec filiis Israël in deserto. Forsan nudi degunt, sine vlla molestia, nec erubescunt, vt primi homines in Paradiso. Eos enim duos simul agere vitam, ac mutuo vti conuictu vnâque conuersari ac colloqui, quis poterit cum ratione dubitare? Foran etiam nullo vtuntur cibo corporeo: sed eo humore & æquabili satietate continentur, atque gustus suauitate fruuntur, & interiora eorum ea odorifera substantia implentur, qua (aut certè consimili) corpora beatorum post resurrectionem, vt tradunt Theologi præfertim Soto 4. Sententiar. Distinction. 49. Quæst. 4. Art. 5. Suares Tomo 2. in 3. Partem, Disputat (de erat) 47. Sect. 6.

Fortasse in ea satietate & dispositione, qua translati sunt conseruantur, vt nihil vnquam de cibo cogitent.

cogitent. Fortè cibo aliquo pascuntur, nimirum dulcissimis & delicatissimis arborum Paradisi fructibus, multo suauioribus & salubrioribus quouis ne-
ctare, & ambrosia: potantque nitidos & prægelidos fontes: atque ad tuendam tot sæculorum vitam, de fructu ligni vitæ mandunt interdum. Nec ambigimus eos, quod ad corporeas attinet indigentias vitam quàm simillimam illi, quam homines, si diuino præcepto obtemperassent, in Paradiso egissent, transigere. Ut cumque sit, præclaram illam Christi Xynoridem, diuina operante veritate, in eodem semper ætatis vigore, corporis robore, viriumque firmitate, vegetos, integros, florentesque conseruari, Theologorum omnium consensus est.

Quod veto ad bona animi spectat, facile possumus intelligere, sanctos eos viros vitam innocentissimam traducere, in precibus, orationibus, meditationibus, ac sacrarum Scripturarum lectione, ac cum primis in Dei laudibus perpetuò versantes pro Ecclesiarum statu ardentem Deum interpellare: frui frequenter colloquiis & præsentia Angelorum, diuinis imbui reuelationibus: sermones de Deo, atque de rebus grauissimis Ecclesiæ & religionis inter se miscere: de venturo Antichristo multa disserere, conferre: atque præsertim iam tot per annorum curricula sese strenuè sacrarum litterarum, ac diuinæ gratiæ præsidii ad magnum illud Antichristi certamen præmunire.

NVM VIDEANT DIVINAM

essentiam? §. 1.

An aliquis hic in terris viuens, aliquando viderit Deum clarè, vt beati vident, scimus à Theologis disputari. De Mose & Paulo S. Augustinus & S. Thomas probabile esse voluerunt: Alij contra existimarunt: quorum sententia receptior & vltior. De Henoch & Elia aiunt, Ambrosium Catharinum, & Alfonso Salmeronem opinatos, eos in loco, vbi nunc sunt, clarè videre Deum & esse beatos. Refutarunt eam sententiam ex professo Pererius lib. 7. in Genes. Quæst. 7. de Henoch Suarez Tomo 2. in 3. Partem, Disputatione 55. Sectione 1. Viegas in 11. Apocalypf. Sectione 4. Cornelius à Lapide in 5. Genes. v. 24. Stet semper inuictum & ineluctabile Theologorum axioma, A regulis generalibus Sacræ Scripturæ neminem excipiendum, nisi quem ipsamet Scriptura, aut Ecclesia ipsa, quæ est columna & firmamentum veritatis, excipit: regulæ Scripturæ sunt, Exodi 33. v. 10. *Non enim videbit me homo & viuet.* Ioann. 1. v. 18. *Deum nemo vidit vnquam* 1. Timoth. vltimo, v. 16. *Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Ab his regulis vniuersalibus, neque ipsa scriptura alicubi, neque Dei Ecclesia, nec Sanctorum Patrum auctoritas Henoc & Eliam excipit, qua ergo nos mutatione affirmare poterimus eos nunc clarè videre Deum, & esse beatos?

AN NVNC MEREANTVR? §. 2.

Si merentur, cum per tot annorum centurias iam ritum suum continenter perduxerint, & semper auxerint, atque perducturi & continuaturi, quin etiam eodem tenore aucturi sint ad aduentum vsque Antichristi; consequitur inde quod ipsos Apostolos, imò etiam & ipsam Dei Genitricem meritis sint æquaturi, atque etiam superaturi: atque subinde gratia & gloria supergressuri, quæ meritis correspondent. Quod equidem durum ac difficile creditu videtur, nec facile ab scolæ Theologis admittetur, vt in hac vita mor-

tali aliqui meritis & gratia Apostolos & ipsam Dei-parentem æquare aut superare dicantur. In curam hæc difficultas nonnullos coniecit. Disseruere copiosè de illa Pererius, Suarez, Henriquez, Viegas, Cornelius à Lapide locis præcedenti §. citatis. Pererius, Suarez, Cornelius probabilius putant eos à tempore raptus, vel translationis suæ non meruisse amplius: ipsis enim translatio fuit, quod aliis hominibus mors, terminus merendi: merita tamen sua longè cumulaturos, cum immundum reducti magnas res gerent pro Ecclesia Dei aduersus Antichristum. Itaque videntur nunc quasi inter viam & terminum positi, vt illi qui sunt in Purgatorio, qui etiam non merentur.

Henriquez, Viegas, existimant eos mereri, cum sint veri Viatores: vtunturque satis appositis rationibus. Primo, quia parùm consentaneum sacris litteris videtur, eos qui nondum obierunt extra merendi statum constituere. Secundo Indignum diuina bonitate & liberalitate censerì, homines tam sibi charos, tamque sanctitate insignes, immenso tempore exclusos merito & beatitudine detinere, præsertim post reueratum cælum per Christum. Alias addunt, quas vide.

Nos libenter iis discutiendis abstinemus, quod sint occultissima, & in abstracto posita: nec aliqua lux vel ex Scriptura, vel ex patribus præit: tantum humanis & incertis coniecturis nitendum. Sed ne desimus audis ingeniis, nonnulla pro capto nostro notabimus.

Primum non esse à ratione alienum, eos mereri, ac merita sua quotidie augere. Nec dubitamus cum, expleto Apostolatu suo, interficientur ab Antichristo, meritis & gratia superaturos omnes veteris Testamenti Sanctos, atque etiam Noui: præter Apostolos & sanctum Ioannem Baptistam, atque ipsam sacram Deiparam.

Secundo, Non prorsus aberrauerit si quis existimet, meritis & sanctitate æquaturos ipsos Apostolos ac pares illis futuros. Cur enim id formidemus asserere? semper tamen sub Ecclesiæ iudicio. Si quidem nihil minus isti illo turbulentissimo tempore præstabant à magnis Apostolis: quoniam tunc enim maior erit Ecclesiæ necessitas ac discrimen, quam vnquam retro fuit. Et reuera tunc ipsi erunt magni Christi Apostoli, Apostolicoque munere reuera fungentur, vt propterea ingentibus diuinæ gratiæ subsidiis dignè mereantur ornari. Et vt lib. 9. cap. 17. docuimus, Martyres sub Antichristo futuros omnium, quotquot ante fuerunt, fortissimos & præstantissimos, quia nimirum maiores vires, & atrociora tormenta peruincunt: sic Elias & Henoch clarissimi omnium Martyrum erunt, Prophetæ maximi, Ecclesiarum doctores & antesignani, Patroni fidelium, Fulcra religionis, columina fidei, præstantissimi diuini verbi & Evangelij præcones, Primarij doctrinæ celestis Antistites, Præcipua Christianorum Robora ac propugnacula, denique Apostoli magni, ac primis illis Apostolis neutiquam inferiores: vt subinde fateri sit necesse, eos summa & opulentissima meritorum ac diuinæ gratiæ vbertate fore perfundendos. Nam cum tunc maxima & suprema vis Antichristi, toto inferno soluto & effuso, sit in Ecclesiam debacchatura, qua maior numquam fuerit; ratio ipsa postulat, vt Christus maioribus, suis, suorumque viribus ac præsidii Ecclesiæ suæ adsit.

Tertio non propterea cuiquam veniat in mentem, Henoch & Eliam merita gratiam, & Sanctitatem Deigenitricis vlla ex parte æquatos. Nam utcumque sua merita augeant, & cumulent: cum iam Deus præuiderit, summum gratiæ incrementum, ad quod diuinum

diuinum istud Par sint peruenturi : maiorem profectò & cumulatiorem gratiam & sanctitatem Sanctæ Virginis tribuit, quod id dignitas matris Dei cum primis postulare.

Quarto, Nec erit absurdum arbitrari, Henoch & Eliam, frequentia & numero meritorum, fortè superaturos Apostolos, & ipsam quoque Deiparam, idest plures meritorum actus exercuisse quàm Apostolos, & Virginem : nimirum diuturnissima illa sua vita, quotidie merentes at intensiue, quod aiunt, maiora proculdubio fuere merita Virginis. Nempe longe interdum præstant merita pauciora & feruentissima, plurimis non ita perfectis. Erumpebat scilicet Deipara in vnum aliquem charitatis Dei actum adeò meritorium, vt ne mille quidem aliorum in vnum conflati illum exæquant. Et eiusmodi longè præstantissimos ferè continenter B. Virgo exercuit. Ergo Henoch & Elias poterunt fortassis æquare, aut etiam superare cæli Reginam multitudine & numero meritorum : sed non perfectione : extensione, sed non intensione : tempore, & diuturnitate, non pondere, valore, æstimatione. Propter summam enim ac absolutissimam Dei cognitionem, charitatem, gratiam qua virgo pollebat, vnus tantum eius diuinæ charitatis actus, aut affectus quem ipsa promebat, tantæ perfectionis, tantique meriti apud Deum erat, vt cum illo quamplurimi Henoch & Eliæ nullo pacto comparari possint.

Quinto inde consequitur, multo maiorem & locupletiore gratiam & charitatem per sua longè clarissima merita sibi comparasse Mariam, quam possint Henoch & Elias in longæuissima vita multa frequentia meritorum adipisci. Nam non quòd plura : sed quòd perfectiora fuerint merita, gratiam & charitatem impensius augent. Quod si gratiæ Deiparæ per merita partæ adiungamus illam, quam ex opere operato per sacramenta suscepit, præsertim ex assidua, & vt volunt, quotidiana Eucharistiæ perceptione, per viginti quatuor ferè annos à morte Christi : item illam quæ extra sacramenta, & merita, ex diuina liberalitate accepi in conceptione Christi, in Natiuitate, in aliisque magnis Redemptionis mysteriis, vti quidam volunt Theologi : tam ingens & immensa fuit eius gratiæ & charitatis accessio, vt neutiquam formidandum sit, gratiam Henoch & Eliæ ad illam potuisse pertingere. At hæc ed libentius omittimus, quod propè temeritatem ducamus, tam occulta rimari.

CAPVT IX.

Eliam Thesbitem Venturum tempore Antichristi, ex Patrum traditione demonstratur.

Silustinus Martyr Dialogo cum Tryphone Iudæo : *An non Eliam Verbum per Malachiam, aduenturum esse dicit, ante magnam & terribilem istam Domini diem ? Atque ille [Tryphon] respondit : Maxime. Si ergo ratio cogat fateri, duos futuros Christi aduentus, Prophetarum responsis prædictum esse : alterum cum passioni subditus & inhonorus & informis apparebit : alterum cum gloriosus & index omnium aderit : an non terribilis & magni illius diei, hoc est, secundi aduentus eius Eliam præcursorem fore, verbum Dei prænuississe intelligemus ? Maxime, respondit ille. Dominus sanè noster, inquam, hoc ipsum in doctrinis quoque suis futurum tradidit, cum dixit etiam Eliam*

uenturum. Atque nos id fore scimus, cum celitus in gloria adueniet Dominus Iesus Christus : cuius etiam prioris apparitionis præco præcessit, qui in Elia fuerat spiritus, in Ioanne generis vestri Propheta.]

Tertullianus de Anima cap. 35. *Elias autem non ex decessione vita, sed ex translatione venturus est : nec corpori restituendus, de quo non est exemptus, sed mundo reddendus, de quo est translatus.]* Et lib. 3. contra Marcionem, catmine, cap. 5.

Nobilis Elias, qui nondum debuit mortis.

Gustavit, quoniam rursus venturus in orbem est.

Lactantius Firmianus lib. 7. cap. 17. de Elia proculdubio : *Imminente iam temporum conclusione Propheta magnus mittetur a Deo, qui conuertat homines ad Dei cognitionem, & accipias potestatem mirabilia faciendi, &c.]*

S. Hilarius canone 17. in Matthæum : *Quibus respondit, Eliam esse venturum, & restituere vniuersa, idest, reliquum quod deprehenderit ex Israël ad cognitionem Dei reuocaturum.]*

S. Ambrosius in Lucæ 1. de Ioanne & Elia : *Hic prioris ille sequentis Domini præcurso aduentus.]*

S. Hieronymus in Matthæi 17. *Elias quidem venturus est, & restituet omnia. [ipse qui venturus est in secundo aduentu Saluatoris iuxta corporis fidem.]* Et in Matthæi 11. vers. 14. *In secundo saluatoris aduentu, iuxta Malachiam processurus est Elias, & venturum iudicem nuntiaturus.]*

S. Chrysostomus Homil. 18. in Matthæum : *Propheta vtriusque aduentus Christi mentionem faciunt, & secundi, cui præcursorem Eliam assensu futurum.]*

S. Augustinus lib. 20. de Ciuitate Dei, cap. 29. *Ipsæ quippe Elias ante aduentum iudicis Saluatoris non immerito speratur esse venturus, qui etiam nunc viuere non immerito creditur.]*

S. Cyrillus Alexandrinus in Malachiæ 4. *Elias Thesbites quoque nobis prius olim affulsurus est, qui omnibus mortalibus affuturum iudicem pronunciet.]*

Theodoretus in 12. Danielis initio, *Antichristo illa audente, apparebit magnus Elias Iudæis Domini prædicans aduentum.]* Eadem habet in 4. Malachiæ.

Hoc ipsum affirmat disertè S. Gregorius Magnus lib. 11. in Iob, cap. 9. & lib. 35. cap. 10. Et Homilia 7. in Euangelia *Elias secundum Domini aduentum præueniet.]*

S. Isidorus de vita & morte Sanctorum, cap. 35. *Elias venturus est iuxta Malachiam prophetam in fine mundi, præcursum Christum, nuntiaturus ultimum eius aduentum, cum magnis virtutibus, prodigiisque signorum : ita vt etiam bellum gerat Antichristus aduersus eum.]*

S. Iulianus Archiepiscopus Toletanus lib. 1. aduersus Iudæos : *Ante enim aduentum iudicij mittet Dominus Eliam, vt credat posteritas Iudæorum in Domino Iesu Christo.]*

Primasius in 11. Apocalypsis. *Sicut Ioannes in primo, ita Elias in secundo præcedit aduentu.]*

Victorinus in Apocalypsim : *Elias anticipat predicatione sua regnum Antichristi.]*

S. Beda in 1. Lucæ : *Elias præco venturus est iudicis.]*

Titus Bostrensis in 1. Lucæ : *Elias secundum Christi aduentum præbit.]*

Metaphrastes Oratione de S. Elia : *Porro autem etiam in fine seculorum, quando Dei adueniet perfectum salutare, ipse Deum venientem predicabit ante alios, & aliis ostendet scilicet, & multis diuinis signis diem, qui est occultus, confirmabit, & patefaciet.]*

Dorotheus in Synopsi, de Elia : *Qui contra Antichristum dux belli seruetur, qui sese illi opponet & seductionem*

ductionem illius ac superbiam redarguet : qui cunctos mortales ex illius seductione ad Deum in consummatione sæculi conuertet : qui id a Deo accepit , ut secundi & illustres Domini aduentus præcurfor futurus sit.]

Theophylactus in 11. Matthæi : *Elias autem posterioris Domini aduentus Præcurfor est futurus.*] Et in Matthæi 17. dicendo, *Quod Elias quidem veniet, ostendit quod nondum veniet : in secundo autem aduentu veniens, restitutus sit ad fidem Christi omnes Hebræos, quos persuasibiles inueniet.*]

Euthymius in Matthæi 11. *Et certe venturus est Elias, ut præcurrat Christi aduentum : sed secundum : Ioannes enim primum præcurrit.*] Et in 17. Matthæi : *Posterioris verò Domini aduentus fiet præcurfor Elias.*] Sed hunc Patrum consensum de Elia venturo in fine sæculi tempore Antichristi, magis adhuc illustrabimus cap. 14.

In Pseudo Sibyllinis lib. 2. *Tunc quoque celesti curru deuectus inibit.*

*Terras de calo Thesbites, signaque trina
Ostendet poti mundo vite perennis.*

CAPVT X.

Malachias propheta prædixit Eliam venturum in fine sæculi præcurforem secundi aduentus Domini ad iudicium.

Est insigne vaticinium de Elia venturo in fine sæculi Malachiæ 4. v. 5. *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis. Et conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum : ne forte veniam & percutiam terram anathemate.* Quidam hunc locum non de ipso Elia Thesbite in persona sua, sed de hominibus præditis spiritu & virtute Eliæ, quales sunt sancti Prophetæ verbi Dei præcones ac legitimi ministri, missi à Deo, qui præcurfuri sunt aduentum Domini ad iudicium, interpretati sunt, vti Lyranus, ac Vatablus, Quin & S. Hieronymus ita hunc locum exponit : *Mittet Dominus in Elia, (qui interpretatur Deus meus, & est de oppido Thesbi, quod conuersionem & penitentiam sonat) omnem prophetarum chorum.*

Alij existimarunt, Dominum hinc non locutum de secundo suo aduentu ad iudicium : sed de primo Christi aduentu in carne passibili : & Eliam hinc non esse intelligendum illum Thesbitem veteris Ecclesiæ prophetam : sed mysticum Eliam Ioannem scilicet Baptistam qui venit in virtute & spiritu Eliæ præcurfor primi aduentus Christi, Lucæ 1. v. 17. Ita hoc vaticinium acceperunt, Paulus Burgensis, Vatablus, Clarius, Tremellius, Iunius, Montanus in Malachiam, Iansenius in 48. Ecclesiastici, vers. 10. & 11. Alcazar in 11. Apocalypf. Notatione 6. Nec ab ea explanatione abhorrent Haymo, Remigius, Rupertus.

At duo sunt nobis cum primis demonstranda, Primum sermonem hinc esse de secundo Christi aduentu in fine sæculi. Alterum, intelligi verum Eliam Thesbitem in sua persona. Et verò de secundo aduentu hinc agi, verba ipsa satis aperte significant, *Antequam veniat dies Domini magnus & horribilis.* Pro horribilis, Chaldaeus dixit, *terribilis.* Lxx. *Illustres.* Hebraicè, *NOBAH*, propriè, timendus, terribilis, tremendus, horribilis, quod neutiquam quadrat in primum Christi aduentum, qui fuit in humilitate, mansuetudine, abiectione, passione, ple-

nus consolationis & dulcedinis : & posterior erit reuera horribilis, tremendus, plenus terrorum cum veniet Dominus ad iudicium : quibus quoque nominibus eum insigniunt Ioel 2. v. 11. Sophonias 1. v. 15. Insuper præmiserat in Malachia Dominus : *Ecce dies veniet succensa quasi caminus : & erunt omnes superbi, & omnes facientes impietatem, stipula, & inflammabit eos dies veniens.* Hæc verba, nisi de suprema die aptè nequeunt intelligi. Denique addit Dominus : *Ne forte veniam, & percutiam terram anathemate.* Lxx. pro anathemate, reddunt, *penitus.* Chaldaeus, *exterminatione.* Hebræa, *deuotione, excommunicatione, desolatione, internectione excisione,* quod equidem non nisi in secundum aduentum conuenit, inuicta illa ratione S. Chrysostomi Homilia 58. in Matthæum, nimirum quia in primo aduentu non venit Deus terram excommunicare aut deuouere, vel excindere, seu desolare : sed seruare : non venit iudicare, sed iudicari.

Iam loquutum Dominum de vero ipso Elia Propheta Thesbite in propria persona, multa solidè euincunt. Primo, Quia Ecclesiastici 48. v. 10. hic locus Malachiæ de Elia Thesbite expressis verbis exponitur, ut capite sequenti ostendimus. Secundo, Quia ad tollendam omnem ambiguitatem hic Lxx. reddiderunt, *Ecce ego mittam vobis Eliam Thesbitem, ante quam veniat dies Domini magna & illustris &c.* Non poterant clarius significare prophetiam, Malachiæ de Elia illo magno veteris testamenti Propheta, qui Thesbites est dictus, intelligendam esse. *Eliam Thesbitem in Malachia,* legunt, secuti nimirum Lxx. Interpretes, plerique veterum Patrum, Tertullianus de Anima, cap. 1. Origenes Tomo 7. in Ioannem, pag. 186. colum. 1. & pag. 189. colum. 1. S. Chrysostomus Homil. 58. in Matthæum, S. Augustinus lib. 20. de Ciuitate Dei cap. 29. S. Prosper in dimidio Temporis, cap. 13. Aretas Cæsariensis Episcopus in 11. Apocalypf. S. Cyrillus, & Theodoretus in 12. Danielis, & in 4. Malachiæ, S. Iulianus lib. 1. aduersus Iudæos, Euthymius in Matthæi 11. & 17. Ambrosiaster in 11. Apocalypf. At qui locum Malachiæ intelligendum de secundo Christi aduentu, & Elia Thesbite, præter istos omnes, quos modò citauimus, Patres, docent quoque S. Gregorius Nyssenus de Aduentu Domini in carne contra Iudæos, S. Hieronymus in Matthæi 11. & 17. Titus Bostrensis in 1. Lucæ, S. Gregorius lib. 11. in Iob, cap. 9. S. Isidorus de vita & morte Sanctorum, cap. 35. Beda in 17. Matthæi, Haymo, Remigius, Albertus, Hugo Dionysius in Matthæi 4. Samuel Marrochianus libro de Aduentu Messiae cap. 19. Petrus Galatinus de Arcanis Catholicæ veritatis, lib. 12. cap. 1. Ex recentioribus explanatoribus, Palatius, Ribera, Sa, Castrus, Figue-rius, Mariana, in 4. Malachiæ Peterius lib. 15. in Daniele, Toletus in 1. Lucæ, v. 17. Maldonatus in 11. Matth. v. 14. & in cap. 17. v. 11. & in Lucæ 1. v. 17. Bellarminus lib. 3. de Romano Pontifice, cap. 6. Acosta lib. 3. de Nouissimis Temporibus, cap. 7. Viegas in 11. Apocalypf. Sectione 6. Lessius de Antichristo demonstratione 10. & vno verbo, omnes recentiores orthodoxi paucis illis initio huius capitis exceptis. Equidem tantus consensus Christianorum Patrum, venturum Eliam temporibus Antichristi, propè finem sæculi, quem capite præcedente recitauimus, & cap. 14. magis adhuc firmabimus, non aliundè proculdubio acceptus potissimum videtur, quam ex isto Malachiæ vaticinio. De cuius gemina explicatione, & quod ex illo planè intelligatur, venturum Eliam secundi aduentus Domini præcurforem, si quis plura desiderat, adeat recentiores Euangeliorum expositores, Bredembachium Iansenium, Maldonatum,

Lucam Brugenſem in Matthæi 11. & 17. Riberam & Caſtrum in 4. Malachiæ, Suarez Tomo 2. in. 3. Partem, Diſput. 55. Sectione 2. Acoſtam lib. 3. de Noniſſimis Temporibus, cap. 7. Viegam in 11. Apocalypſ. Sectione 6. atque cumprimis Leſſium loco nuper citato, pag. 152, & ſeqq. At ſingula verba huius vaticini, latius explicabimus lib. 11. cap. 15. cum de conuerſione Iudæorum ad Chriſtum per Eliam prophetam temporibus Antichriſti perficienda diſſeremus.

Sed diſquirunt aliqui, num Malachiæ locus, vtrumque ſenſu minus præcipuo, de Ioanne Baptiſta intelligi poſſit. Theophylaſtus videtur annuere in Matthæi 11. cum ait: *[ipſe Ioannes eſt Elias, quem dixit Prophetæ Malachias venturum.]* Bellarminus quoque & Ianſenius exiſtimant, rectè à Malachia Ioannem eſſe prænuntiatum. Venerat nobis olim in mentem, forſan vaticinium Malachiæ duos ferre ſenſus hiſtoricos ac litterales, & vnus eiſdemque Verbis à Malachia Eliam & Ioannem fuiſſe deſcriptos: & cum ea caneret vates, oculos mentis in primum & ſecundum Chriſti aduentum, ſimul, & in vtrumque præcurſorem intentos habuiſſe. Neque abſurdè, neque alienè primum Chriſti aduentum, dici poſſe diem magnum & horribilem, quod appoſite ſatis à quibuſdam eſt explicatum, præſertim à Vatablo in Pfalm. 49. v. 3. Inſuper appellari diem ignis, atque flammæ, non quidem ad excruciantes & torquendos improbos: ſed ad excoquendos & conſandos peccatores, abſterſis & abſumptis ſcoriis peccatorum: ſic enim de primo Chriſti aduentu loquitur Spiritus Sanctus Pfalm. 49. v. 3. & Malachiæ 3. v. 2. & 3.

Et ſi hæc verè, ſolidèque ſubſiſtunt, facilè aliqua Scripturæ loca conciliari poterunt. Nam de Ioanne Baptiſta ait Angelis Gabriel Malachiæ verbis, Lucæ 1. v. 17. *Et ipſe præcedet ante illum in ſpiritu & Virtute Eliæ, vt conuerſat corda Patrum in filios.* Vbi videtur Gabriel verba Malachiæ de Ioanne interpreta- tus. Et Chriſtus de Ioanne ait, Matthæi 11. v. 14. *Et ſi vultis recipere, ipſe eſt Elias qui venturus eſt:* nimirum è promiſſione Malachiæ. Et cum Apoſtoli Chriſtum interrogarent Matthæi 17. v. 10. *Quid ergo Scribæ dicunt, Quod Eliam oportet primum venire?* At ille reſpondens, ait illis: *Elias quidem venturus eſt, & reſtituet omnia.* Dico autem vobis quia Elias iam venit, & non cognouerunt eum, ſed fecerunt in eo quæcumque voluerunt. Sic & Filius hominis paſſurus eſt ab eis. Tunc intellexerunt diſcipuli quia de Ioanne Baptiſta dixiſſet eis. Quibus verbis viſus eſt innuiſſe Dominus vaticinium Malachiæ de venturo Elia, in Ioanne quoque fuiſſe completum. Cæterum re accuratius inſtroſpecta, propter ea quæ ſuperius in explanationem oraculi Malachiæ ex Patribus obſeruauimus in eam libentius imus ſententiam, Malachiam nullo pacto de Ioanne, ſed de Elia Theſbite, & ſecundo Domini aduentu prophetæſſe. Nec verba Gabrielis quicquam obſiſtunt: Gabriel enim non tunc illud agebat, vt Malachiæ verba de Baptiſta interpretaretur: ſed accomodauit dumtaxat verba Malachiæ de Elia, ipſi Ioanni, quod ei apprimè conuenirent, quàmuis non de eo ſingulariter dicta: nam Elias magnus typus Ioannis propter vitæ effectuumque ſimilitudinem: vnde alluſio ſeu accomodatio fuit, non expoſitio, vt annotarunt S. Ambroſius, Titus Boſtrenſis, S. Beda, Theophylaſtus, & Euthymius in 1. Lucæ, S. Auguſtinus Tractatu 4. in Ioannem: vide Ludouicum Viuem in 29. cap. lib. 20. de Ciuitate Dei, Ianſenium, Maldonatum, Lucam Brugenſem in 1. Lucæ, ad verſ. 17. Verba verò Chriſti Matth. 17. v. 10. ſequenti capite diligentius expendemus.

CAPVT XI.

Duo alia oracula de Venturo Elia in fine mundi, alterum Eccleſiaſtici, alterum Chriſti.

Ecceſiaſtici 48. v. 10. de Elia: *Qui ſcriptus eſt in iudiciis temporum lenire iracundiam Domini: conciliare cor patris ad filium, & reſtituere tribus Iacob.* Loqui Sirachidem de Elia ipſo Theſbite in ſua perſona, res eſt conſenſu omnium compertiffima: nam initio capitis orſus eſt: *Et ſurrexit Elias propheta, quaſi ignis &c.* pergit deſcribere præclara Eliæ facta libris Regum prodita: & iis continenter adiungit: *Qui receptus eſt in turbine ignis, in curru equorum igneorum: Qui ſcriptus eſt in iudiciis temporum, lenire iracundiam Domini &c.* Emotæ mentis fuerit qui hæc non videat de vero Elia Theſbite dici. Quocirca ferendum non eſt quod Alcaſar in 11. Apocalyp. Notatione 6, hunc Eccleſiaſtici locum de Ioanne Baptiſta interpretatur. Sanè dubitandum non eſt Sirachidem oraculum iſtud de Elia totidem fere verbis ex illo Malachiæ, de quo ſuperiore Capite egimus, accepiſſe: vnde illud, *qui ſcriptus eſt*, ſimpliciſſimè accipiendum, de quo Scriptum eſt, ſcilicet in extrema Malachiæ prophetia.

Franciſcus Iunius in Notis ad 48. Eccleſiaſtici hæc ſcribit: *Hic locus inſcientiam auctoris redargui cæcutionis in promiſſionibus de regno Chriſti: exiſtimauit enim ipſum Eliam iterum venturum eſſe, prout in ſpeciem ipſi videbatur dicere Maleaci ſub finem Prophetiæ vnde hæc omnia deſumpta ſunt. Nos verò ex Nouo Teſtamento didicimus Iohannem Baptiſtam alterum fuiſſe Eliam, qui in ſpiritu & virtute Eliæ venerit ad præſtanda hæc omnia.]* Nimis aperta viſa eſt hæc Iunij impudentia Druſio, qui in eum hæc dictauit: *Eliæ tribuit Sirachides, quod Ioannes præſtitit ſpiritu Eliæ præditus. qui propterea Elias vocatur apud Prophetam Malachiam, vnde hæc deſumpta ſunt. Quæ ſic excuſanda potius erant, quam culpanda aut reprehendenda.]* nempe inſcientiæ & cæcutionis nomine, vt fecit Iunius. Diuinam & canonicam eſſe Scripturam Eccleſiaſtici, Concilia Generalia, & ipſa Eccleſia ait, Iunius & Druſius negant, vtris potius credendum cenſentes omnes pij & eruditi? Sed quam impudenter, vnus arguit inſcientiæ, alter excuſat? Illud ſanè ex ſenſu Patrum & Theologorum conſtet, & Iunio & Druſio hîc proſus è manibus elapſam veram clauem reſerandi Scripturas: neque enim Malachias & Sirachides de primo, ſed de ſecundo Chriſti aduentu vaticinantur.

Ianſenius in hunc Eccleſiaſtici locum commentans, olim exiſtimauerat, Malachiam non de verò Elia Theſbite in fine mundi venturo: ſed de Ioanne Præcurſore primi Aduentus Chriſti, qui Elias fuit ſpiritu & virtute: Sirachidem verò Malachiam de Elia Theſbite interpretatum, ſecundum veterem, & receptam ſuo tempore Iudæorum opinionem, qua creditum ex Verbis Malachiæ erat, Eliam ipſum Theſbitem in propria ſua perſona venturum ante primum Meſſiæ aduentum: cum tamen id non dixerit Malachias de Eliæ Thebitis perſona; ſed de Ioanne Baptiſta, qui venit in ſpiritu & virtute Eliæ.

Faliſſimam hanc & abſurdiſſimam ſententiã complures viri orthodoxi ac eruditi merito conſutarunt, ſcorſum Bellarminus lib. 3. de Romano Pontifice, cap.

cap. 23. Pererius lib. 15. in Daniele, Acosta lib. 3. de Nouissimis Temporibus, cap. 7. & alij. Sed iam nihil opus est virum pium ac doctissimum eo nomine amplius exagitare, cum iam ipse ingenuè errorem suum agnouerit, & emendauerit commentariis Euangeliorum, cap. 2. 47. 67. Et profecto lapsus erat intolerabilis existimare, Ecclesiasticum diuinum auctorem iuxta vulgi opinionem, quæ falsa reuera erat, nempe venturum Eliam Thesbitem ante primum Messiae aduentum, fuisse loquutum: præsertim cum ipsemet Iansenius disertè professus fuerit, Patres suam traditionem, venturum Eliam Thesbitem temporibus Antichristi propè finem rerum; ex loco Malachiae accepisse. Sed verba Sirachidis pressius discutiemus lib. 11. cap. 15.

Alterum Oraculum est Christi Matthæi 17. v. 10. nam cum discipuli ab ipso quærent: *Quid ergo Scriba dicunt, Quod Eliam oportet primum venire?* nempe Præcursores aduentus Messiae. At ille respondens, ait eis: *Elias quidem venturus est, & restituet omnia: dico autem vobis, quia Elias iam venit, &c.* Hunc locum sic quidem intellexere, vt dicat Christus: Rectè quidem dicunt Scribæ Eliam venturum in primo Messiae aduentu: sed non intelligunt quis Elias sit iste: ipsi putant Thesbitem: sed non is est, sed Elias Ioannes, qui iam reuera venit. Sensus profecto alienus à mente Domini. Qua enim ratione in Ioannem illud competere potest, *Et restituet omnia?* Hoc enim propriè Eliæ Thesbiti conuenire lib. 11. cap. 15, ostendemus. Genuina ergo & sincera Verborum Domini explanatio est: Dicunt Scribæ, Eliam venturum ante Messiam: veniet quidem Elias Thesbites in fine sæculi, tempore Antichristi: & restituet omnia, paulo ante meum secundum aduentum ad Iudicium. Ita verba Christi intellexere Origenes, S. Hilarius, S. Hieronymus, S. Chrysostomus, S. Beda, Theophylactus, Euthymius in Matthæi 17. S. Augustinus Tractatu 4. in Ioannem, Primasius in 11. Apocalypsi. S. Gregorius Homil. 7. in Euangelia & lib. 9. in Job, cap. 3. & omnes ferè alij, vt nihil necesse sit, in re exploratissima plura testimonia congerere. Sed consulendi cum primis recentiores Euangeliorum explanatores, Caietanus, Clarius, Bredembachius, Titelmanus, Iansenius, Maldonatus, Franciscus Lucas in Matthæi 17.

Quod verò Christus addidit; *Dico autem vobis, quod Elias iam venit.* Vt illud etiam quod Matthæi 11. v. 14. ait: *Et si vultis recipere, ipse est Elias qui venturus est.* Haud dubie de Ioanne Baptista est intelligendum: sed non propterea verba Malachiae, aut Scribarum traditionem ex Malachia sumptâ, aut verba sua præcedentia, cum dixit, *Elias quidem venturus est primum, & restituet omnia:* Interpretari Christus voluit de Ioanne: sed duos suos aduentus, duosque eorundem aduentuum præcursores significauit. Quasi dicat: Elias Thesbites reuera venturus est in secundo meo aduentu: sed illud etiam adiicio, quod Elias mysticus, hoc est, Ioannes, nempe Elias in spiritu & virtute, iam venit in primo meo aduentu, mihi præcursor: nam quemadmodum Elias Thesbites venturus est præcursor secundi mei aduentus: Ita Elias in spiritu Ioannes adfuit anteambulo huius mei primi aduentus. Et quia Christus testè & arcanè duos innuebat suos aduentus, primum in carne, secundum in gloria Iudicis, tantopere sacris litteris celebratos, item suum cuiusque Præcursores: & mysticum ac reconditum erat, Ioannem esse Eliam, nimirum in spiritu: id circo adiecit, *Si vultis recipere*, idest, si vultis percipere, & animum aduertere his quæ dixi: vti S. Ioannes Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius,

& plerique alij interpretantur. Vide Ludouicum Vilem lib. 20. de Ciuitate Dei, cap. 29. & Toletum in 1. Ioann. Annotatione 58. Atque de his iam satis.

Hebræos quidem iam inde ab ipso raptus Eliæ tempore, certâ & per vulgata Cabbala, ac traditione, semper persuasum habuisse Eliam venturum ante Messiam, non aliunde proculdubio acceptâ, quam ex vaticinio Malachiae, sciunt omnes; & ex ipsis Euangelis est manifestum, Nam, vti nuper videbamus, discipuli Christum interrogant, Matthæi 17. v. 10. *Quid ergo Scriba dicunt, quod Eliam oporteat primum venire?* ac si dicant: Traditio est, & communis consensus Sapientum ac Interpretum Sacrae Scripturae, Eliam venturum ante Messiam. Hanc quoque fuisse Phariseorum sententiam, Marcus cap. 9. v. 11. testatur. At plurimi Hebræorum hallucinabantur, nescientes duos Christi aduentus discernere, ac perperam existimantes Eliam Thesbitem in primo Messiae aduentu ante venturum: quo errore tenebantur tunc Scribæ & Pharisei: & nunc cæcutiunt miseri Iudæi, quotidie præstolantes Eliam & suum Messiam.

Quamuis vtrumque verè dici potest, Eliam Thesbitem in primo Christi aduentu quoque venisse, cum præsens Transfigurationi Christi interfuit: sed non de hoc aduentu vaticinatus est Malachias, aut Ecclesiasticus: sed de illo cum tempore Antichristi in fine sæculorum veniet. Equidem Hebræi mirabilem de Elia narrationem produnt in Seder Olam, cap. 17. in hunc modum: *Anno Ochozia secundo filij Achab regis Israël reconditus est Elias, neque comparebit donec veniat Messias: tunc enim apparebit; & recondetur secundo, donec prodeat Gog & Magog. Nunc interim singularum atatum res, & acta conscribit.* Aiunt Eliam Thesbitem appariturum tempore Messiae, & recondendum secundo: id quod videtur impletum in transfiguratione Christi Taborina, quando Elias ductus fuit, ex Paradiso terrestri in montem Tabor, ibique visus manifestè tribus illis Christi discipulis: atque inde reconditus fuit in locum suum, vbi nunc delitescit. Post hæc tempore Gog & Magog, quo nomine solent Hebræi designare Antichristum, tandem proditurum. Quæ omnia sunt verissima, & sacris Scripturis, Ecclesiaeque doctrinae consentanea. Sed quod Hebræi constanter affirmant, Eliam ante Messiam venturum, putantes vnicum Messiae aduentum, satis liquet ipsos ignorare mysterium Præcursoris Ioannis: quamuis ipsis non penitus incompertus sit Ioannes, quem virum sanctum & sapientem autumant.

Ergo cum Hebræi tanto consensu receptum habeant, venturum Eliam tempore Messiae, quotiescumque aliquis nodus, aut inextricabilis quæstio, seu difficultas ipsis in Scriptura occurrit, statim vsurpant axioma quoddam Vice prouerbij, *THISBI THARES KASIOH.* Idest, Elias Thesbites diruet, soluet, explanabit, dura, perplexa, intricata: quia sperant Eliam tempore Messiae, omnia dubia, & difficilia Scripturarum explanaturum. Consule Abbreviationes Hebræorum, Ioannis Cellarij, Ioannis Quinquarborei, Ioannis Buxtorfij, & Valentini Schindleri. Quod in rectum & verum sensum trahi queat: nam tempore Antichristi Elias planissimum sensus legis Iudæis exponet, & omnes difficultates ac dubia quibus impediti tenentur. ne Iesum Christum Filium Dei recipiant, & agnoscant, amputabit: Iudæosque ad verum lumen, veramque Dei & Filij eius cognitionem & religionem adducet: vt sequenti libro copiosè dicemus.

CAPVT XII.

Num Moses mortuus fuerit, aut venturus sit cum Elia tempore Antichristi.

Mosen nondum mortem obiisse, sed venturum cum Elia tempore Antichristi, S. Hilarius Canone 20. in Matthæum, scripsit his verbis: *Assumptis Petro, & Iacobo, & Ioanne, apparuit cum gloria sue habitu, Moyse & Elia in monte comitantibus. Et hos quidem eosdem Prophetas duos praueniens aduentum eius esse intelligimus, quos Apocalypsis Ioannis ab Antichristo perimendos esse dicit: licet varia vel de Henoch, vel de Ieremia plurimorum extiterint opiniones, quod alterum eorum sicut Elia mori oporteat. Sed non possumus veritatis fidem, quam Dominus tribus superioribus testibus reuelauit, sensus nostri opinione corrumpere: neque alios venturos existimare, quam qui ad sponsonem fidei venisse conspecti sunt. Et quamquam ultra Euangelicam veritatem non necesse sit opinari: tamen si quis conditionem ei mortis & sepulchri Moyse diligenter aduerterit, & secretarum Scripturarum, secundum Apostoli auctoritatem, cognitionem adeptus sit: intelliget omnia ita esse tractata, ut Moyses potuerit iam viuere.]*

Equidem Mosen nondum fuisse mortuum, S. Hieronymus in Amos 9. v. 6. existimasse videtur, cum ait: *Ascendit Dominus in celum cum Henoch: ascendit cum Elia: ascendit cum Moysi: cuius sepultura locus, quia in celum ascenderat, in terra non potuit inueniri.]*

S. Ambrosius lib. 1. de Cain & Abel, cap. 2. de Moysi: *Et ideo non legimus de eo sicut de ceteris, quia deficiens mortuus est, sed per verbum Dei mortuus est, Deus enim neque defectionem aut diminutionem patitur, neque adiectionem capit: unde & addidit Scriptura: Quia nemo scit sepulchrum eius usque in hodiernum diem. Ut translationem magis quam interitum intelligas. Mors enim secessio quadam est anime & corporis. Mortuus est igitur per Verbum Dei, ut ait Scriptura, non secundum verbum: ut aduertat non nuntium mortis, sed gratia munus expressum: qui translatus magis, quam derelictus est: cuius nemo nouit sepulturam. Quis enim in terris reliquias eius potuit deprehendere, quem secum esse Dei Filius in Euangelio demonstrauit? Denique & Elias simul est visus, qui translatus curru est: non sepultus nec mortuus legitur. Moyses autem mortuus quidem legitur, sed per verbum Dei mortuus, per quod facta sunt omnia. Verbo autem Dei celi firmati sunt. Per verbum autem Dei non lapsus operis, sed firmamentum est, Non ergo tanquam relapsus in terram deprehenditur corporis solutione, sed tanquam verbi celestis operatione donatus & munere, ut quietem caro eius magis quam bustum acceperit.]*

S. Gregorius Nyssenus in Vita Moysi, ad finem: *Mortuus est Moyses seruus Domini per verbum Dei: nec ullus nouit sepulchrum eius. Vita huius seculi finem affert, verbo Dei Consummatum, finem dico vnum, cui non succedat sepultura, cui non addatur tumulus.]*

Sed & Iosephus lib. 4. Originum, cap. 8. extremo satis indicat Mosen nondum fuisse mortuum, hisce verbis: *Cumque post mutuos complexus Eleazaro ac Iesu vltimum vale diceret [Moses], interloquendum repentina nube circumdatus, in vallem quandam est ablatu. In Sacris autem voluminibus scripsit se mortuum, verum, ut propter excellentem eius virtutem à Deo raptum predicarent.]*

Nonnulli quoque Rabbiorum in eadem sunt opinione: Rabbi Moyses in Proëmio Mishnah, sic ait:

Septimo die mensis duodecimi sub meridiem, montem Horeb scandens Moyses, ad superos receptus est: nam eum non tetigit dira mortis corruptio: sed in sublimis gloria montem, gaudiumque sempiternum commigrauit.]

Vetustiores nostri, & Hebræi qui Mosen non fuisse mortuum tradidisse videntur, haud dubie ut ita sentirent, permoti videntur verbis illis Deuteronom. 34. v. 5. quæ Hebraice ita leguntur: *Et mortuus est ibi Moyses seruus Domini in terra Moab, super os Domini, quod Lxx. reddiderunt, per Verbum Domini. Vulgatus, iubente Domino. Mori enim per Verbum Domini, intellexerunt, non mortem realem ac veram, sed quandam immutationem & translationem ad meliorem vitam: ut intellexisse Procopius videtur. Samuel Marrochianus lib. de Aduentu Messie, cap. 13. scribit, Mosen reuera fuisse mortuum: sed statim resurrexisse, propterea neminem scire eius sepulchrum. Cæterum quidam recentiores secuti S. Hilarium, existimauerunt, Mosen nondum mortuum, sed seruati viuum, ut cum Elia veniat ad prædicandum contra Antichristum: ut Isidorus Clarius in cap. 4. Zachariæ, Ambrosius Catharinus in 3. Genes. Ioannes Arboreus lib. 11. Theosophiæ, cap. 11. Cornelius Ianfenius, in illud Matthæi 17. v. 3. & apparuerunt illis Moyses & Elias. Ioannes Gagnæus in 11. Apocalypsis singulariter annotat, Mosen quidem mortuum fuisse, sed in fine mundi excitandum in vitam, ut cum Elia veniat contra Antichristum. Ioannes Maldonatus in 17. Matthæi ad vers. 11. non formidauit hæc scribere: Ioannes in Apocalypsi cap. 11. 3. 6. tam aperte scribit Moysen & Elia esse venturos, ut nemo non solum sine temeritate, sed nec sine impudentia negare possit. Et dabo, inquit, duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta amicti faccis. Quos, qui futuri sint, statim describit: Hi habent potestatem claudendi cælum, ne pluat diebus prophetiæ ipsorum. Quis non videt Elia? & potestatem habent super aquas conuertendi eas in sanguinem, & percutere terram omni plaga quotiescumque voluerint. Quis non videt Moysen quasi digito demonstrari? Accedit, quod et versu 3. docuimus, hæc ratio potissima fuit, cur Moyses & Elias potius quam alij ex Prophetis, Domini transfigurationi interfuerunt, quia voluit Christus futurum suum aduentum tribus illis Apostolis ante oculos ponere: & quia in secundo aduentu suo Moyses & Elias sunt præmittendi, ut eius viam, quemadmodum in priori aduentu Ioannes fecit, præparent, adesse eas voluit.] Eadem habet ad Vers. 3. Matthæi 17. Ergo temerarij & impudentes erunt Patres omnes & Recentiores immenso numero, qui non Mosen, sed Henoch cum Elia venturum ingenti consensu docuerunt: quem consensum, equidem clarissimum, cap. 14. proferemus. Homo audax ac præceps, qui plerumque temeritate in manifestos prolabitur errores. Ut cum Matthæi 22. v. 15. Herodi Antipæ milites Ierosolymis abstrahit, quos ei Lucas 23. v. 11. tribuit, & cum Lucæ 18. v. 11. Theophilactum carpit tradentem Iudæos secundo & quinto hebdomadis die ieiunare solitos: cum nihil frequentius ac per vulgatus in libris Iudæorum occurrat. Cum Marci 6. ad vers. 13. ad extremum, ait, Vulgarem esse sententiam, sed incertam, Apostolos ante vltimam Domini cænam non fuisse Sacerdotes: cum sit expressum dogma fidei, Apostolos à Christo in suprema Cæna Sacerdotes institutos fuisse in concilio Tridentino Sessione 22. cap. 1. & Canone 2. Eraserunt iam Patres à recentioribus Maldonati editionibus tam pudendum errorem. Cum Matthæi 1. textum immutat, & emendat: *Iosias autem genuit Ioachim & fratres eius, in transmigratione Babylonis:**

Ioachim autem genuit, Iechoniam, &c. Omittimus in præsens alia: Protestantes de eo queruntur sæpissimè, quòd eorum scripta sit suffuratus. At hæc alibi.

Verum Mosen reuera fuisse mortuum, tam perspicuè sacræ litteræ, & plerique ferè omnes Ecclesiastici auctores docent, ut insignis sit temeritas, & manifestus error, id velle negare. Cornelius à Lapide in Deuteronom. 34. v. 5. existimat esse de fide, Mosen esse mortuum. Deuteronom. 34. v. 5. Mortuus est ibi Moyses seruus Domini in terra Moab, iubente Domino. Et sepeliuit eum in valle terre Moab, contra Phogor: & non cognouit homo sepulchrum eius usque in presentem diem. Moyses centum & viginti annorum erat, quando mortuus est. Extat etiam mortis Mosis expressa mentio, Deuteronomij 31. v. 14. 16. 27. 29. Iosue 1. v. 1. & 2.

Philo 3. lib. de Vita Mosis, ad finem: *Postremo migraturus ad superos, & exuta mortalitate, ad immortalitatem transferendus, vocante Patre, ut eum è duplici corporis, animæque natura transformaret in simplicem: iam tum prope totus versus in animum, & quidem illustratissimum, &c.* Et paulo post: *Miranda sunt hæc, sed magis etiam mirari conuenit finem sacrorum, quæ reliquit, voluminum, quæ sunt ceu caput Iuris totius. Iam enim assumendus, & in ipsis stans carceribus, vnde ad cœlestem metam erat euolaturus, tunc quoque afflatus diuinitus, viuens adhuc prophetauit de se ipso tanquam mortuo, ante obitum narrans se mortuum, sepulcrumque inspe-ctante nemine: videlicet manibus non mortalium, sed virtutum immortalium, ne maiorum quidem monumentis illatum: quippe cui monumentum conigit eximium, haud cuiquam notum homini. Huiusmodi fuit vita, obitusque Mosis, Regis, Legislatoris, Vatis, & Pontificis sicut sacræ litteris proditur.*

Quod Philo ait, manibus Virtutum immortalium sepultum Mosen, attestatur quoque S. Epiphanius Hæresi 9. colum 23. cum inquit: *Sepeliuerunt Angeli, velut traditio, quæ ad nos deuenit, habet, Corpus Mosis sancti, & non lauerunt, imò neque inquinati sunt Angeli à Sancto corpore.* Hebræi in Seder Olam cap. 10. annotant, quo die Mosis fuit extinctus, defuisse etiam Manna è cælo plueri, quo totos quadraginta annos Israëlita pasci sunt in deserto. In morte Mosis consentiunt omnes Orthodoxi Patres, neque ab his ablu-dunt S. Ambrosius & S. Hieronymus, quorum sententias superius descripsimus: non enim negant Mosen vere ac realiter mortuum fuisse: sed mortis eius genus fuisse eximium ac singulare, placidum, arcanum, mirabile, plenum miraculo ac Dei præsentia: nec forsan naturale, cum diutius viuere potuisset, sed Dei iussione & operatione, ut Scriptura affirmat.

De Sepulchro Mosis, quod hæcenus occultum hominibus mansisse Scriptura commemorat, illa videtur esse altercatio, quæ inter Michaëlem Archangelum & diabolum intercessit de corpore Mosis, uti refert S. Iudas in Epistola sua. Quam Oëcumenius ita elucida: *Michaël Archangelus Mosis sepultura præfuisse dicitur: cumque diabolus id non pateretur, sed crimen inferret, quod Aegyptium interfecisset: quasi ob id ad se pertineret Mosis, ac propterea honorata sepultura, eum affici non permetteret.* Eadem habet Pantaleon Diaconus in Encomio S. Michaëlis apud Metaphrastem. S. Chrysostomus Homil. 1. in Matthæum, Theodoretus, & Procopius in 34. Deuteronomij, & Alij existimant, in quibus est quoque Pantaleon, Michaëlem sepelisse corpus Mosis in abstrusissimo loco, quem nullus mortalium scire posset: diabolum verò connisum propalari, ut tanquam Deus ab hominibus coleretur, propter raras & eximias tanti viri virtutes. Nam non defuisse gentes quæ Mosen ut Deum adorarint S. Epi-

phanus testatur Hæresi 55. *Etenim qui in Arabia Petrea Robom & Edom appellata habitant, Mosen propter diuina signa Deum putant: adorantque ipsius imaginem.*

Non hîc omiserim quæ Clemens Alexandrinus Stromate 6. cap. 7. sed ex Apochryphis, proculdubio ita refert: *Merito ergo Mosen, qui assumebatur, duplicem vidit Iesus filius Naue, & vnum quidem cum Angelis: alterum autem supra montes, qui dignus erat, cui in conuallibus iusta fierent. Vidit autem Iesus hoc spectaculum inferius sublatus spiritu, vna cum Caleb: sed non vident ambo similiter.* Forsan innuit vidisse Mosis animam ab Angelis deferri: & corpus seorsim etiam ab Angelis in conualle sepeliri.

At quod Mosen non sit venturus cum Elia tempore Antichristi, ex his quæ de Henoch socio Eliæ venturo dicemus, cap. 14. facile demonstrabitur. Sed si de morte Mosis plura cupis, adito Toftatum, Caietanum, Cornelium à Lapide in 34. Deuteronomij, Alfonso Mendozam Quæst. 5. Quolibetica Scholastica §. 7.

CAP V T XIII.

Jeremiam Prophetam verè obisse, nec Venturum cum Elia tempore Antichristi.

NON defuerunt qui cum Elia venturum Jeremiam tempore Antichristi existimarint: quorum opinionem S. Hilarius Canone 20. in Matthæum recitauit. Iosephus Bengorion lib. 1. Antiquitatum Iudaicarum, cap. 17. Jeremiam cum Elia in fine mundi venturum scripsit: cuius verba ponemus lib. 11. cap. 12. Victorinus in Apocalypsim eandem opinionem mordicus arripuisse videtur, cum agens de duobus illis magnis Testibus, quos Ioannes Apocalyp. 11. venturos vaticinatur, hæc habet: *Multi eos putant Eliam esse, aut Eliseum, aut Mosen: sed virique mortui sunt: Ieremia autem mors non inuenitur: quia omnes veteres nostri tradiderunt illum esse Ieremiam. Nam & ipsum verbum, quod factum est ad illum, testificatur ei dicens: Priusquam figurarem te, in ventre, cognoui te, & priusquam de vulua procederes, sanctificaui te, & prophetam in gentibus posui te. In gentibus autem propheta non fuit: & ideo verbum Dei verax necesse habet, quod promisit, exhibere, ut in gentibus Propheta sit.* Ambrosius Ansbertus hanc Victorini sententiam in 11. Apocalyp. refutauit his verbis: *Victorinus hoc in loco duos testes, Eliam vult intelligi & Ieremiam. Et quidem quantum ad speciem de vno verum sensit: de alio autem minimè. Nam Eliam Dominus venturum predicat: de Ieremia autem numquam tale aliquid legimus. Dicit enim præfatus vir, & ut debitam ei venerationem exhibeamus, martyr Dei: non autem idèo venerandus quia tale sensit, sed idèo quia ad coronam martyrii peruenit, dicit, inquam, quia mors Ieremie in Scriptura sacra non reperiatur: & quia prophetam eum Dominus in gentibus posuerit, ille autem nondum ad gentes missus fuerit: & idcirco ipsum cum Elia venturum credi debere, ut Ecclesiam gentium contra Antichristi perfidiam roboraret. Cui seruata martyrii reuerentia, martyr est enim Christi: è contra nos dicimus, quia si mors Ieremie in Scriptura sancta non innenitur, omninò nec assumptio vel translatio declaratur: & non solum vni, verum etiam multis gentibus tunc ventura mala prophetasse: cum perditionem Israël, & futuram semel prædiceret, & venientem cerneret. Edom scilicet, Moab, Tyro, Sidoni, Philisthiim, Ascaloni, Gassa, Accaron, Azoto, Ammon, Arabia, Elam, Media, Aegypto, Idumæa, & Damasco. Ergo propter neutrum horum Ieremias*

Jeremias venturus cum Elia potest veraciter adstrui.] Opusculum Victorini in Apocalypsim, S. Victorino Martyri tribuit, de qua re diximus lib. 1. cap. 4.

At quod Victorinus asserit, Ieremiam nondum obiisse diem, quod eius mors non inueniatur: si intelligat, non inueniri in sacris litteris, ridiculum est, ut omnes Prophetas quorum Scriptura mortes non prodit, proinde non esse mortuos arbitremur. Sic non erunt mortui Isaias, Ezeiel, Daniel, Oseas, & Alij. Obseruauit autem Origenes Epistola ad Iulium Africanum de Historia Susannæ multorum Prophetarum mortes in Scriptura non explicari, quos tamen mortuos fuisse constat: & inter alios Ieremiam enumerat. Si verò Victorinus velit, apud nullum auctorem mortem Ieremiæ reperiri, falsum: cum plerique ante Victorinum, & post Victorinum illam diserte tradiderint: imò omnes. Tertullianus in Scorpiaco, cap. 8. agens de cæde Iustorum: *Ieremias lapidatur, Isaias scatur.* Vnde quod lib. 3. aduersus Marcionem Catmine, cap. 6. de Ieremia ait: *Nulla morte virum constat, neque cæde peremptum, Malè Iunius interpretatur incertam & incompertam fuisse Tertulliano Ieremiæ mortem, Rectius Pamelius, à Iudæis nam: ab Ægyptijs lapidatum & interfectum constat.*

S. Hieronymus lib. 2. in Iouinianum extremos: *Ieremias captiuitatem nuntians, lapidatur à populo.]* Vide eundem in Matthæi 23. v. 35. S. Chrysostomus Homil. 26. in 1. ad Hebræos: *Ieremiæ ossa an non sita sunt in terra aliena?* in Prato Spirituali Ioannis Moschi, cap. 77. hæc habentur: *Terr. phylum [vel Terrapylum] locus est Alexandrinis venerabilis. Dicunt enim Ieremia Propheta ossa, ex Ægypto sumpta ab Alexandro conditore urbis, illic fuisse reposita.]* Auctor Operis Imperfecti Homilia 46. in Matthæum: *Misi ad te Isaiam & Serrasti eum, misi ad te Ieremiam, & lapidasti eum: misi ad te Ezechielem, & tractum super lapides excerebrasti eum.]* Romanum Martyrologium 1. Maij: *In Ægypto sancti Ieremiæ propheta, qui à populo lapidibus obrutus, apud Taphnas occubuit: ibique sepultus est: ad cuius sepulchrum fideles, ut refert sanctus Epiphanius, supplicare consueverunt: indeque sumpto puluere, aspidum morsibus medentur.]*

Menologium Græcorum 1. Maij: *Commemoratio sancti Propheta Ieremiæ, qui fuit sanctificatus in utero matris sue, lapidatus à populo, mortuus apud Taphnas Ægypti]*

S. Epiphanius de Vita & interitu Prophetarum, cap. 8. *Ieremias propheta Anathothides apud Taphnas in Ægypto à plebe lapidibus obrutus occubuit. Iacet verò in eo loco sepultus, quo dudum Pharaon rex habitauerat: quomobrem Ægyptij postea magna eum religione colebant, ubi pluribus se officiis ab illo adiuuari cognouerunt. Aspidem enim, & vndarum bellua quas Nephod appellant Ægyptij, Græci verò Crocodilos eos inuicementes, postulationis Ieremiæ beneficio ex illis finibus sunt profligati: nec tam aspidum furor, quam ex flumine ratione peri bestiarum insidia. Quique vel hodie adhuc fideles comperiantur, eodem in loco supplicare consueverunt, & sumpto puluere Morsuunculis aspidum medentur. Fera quoque aquatilis hinc fugam dedere. Idem Propheta Sacerdotibus Ægypti notam exhibuit, dicens: oportere olim cuncta eorum simulachra concidere, simul vndique manufacta precipitari, ubi Ægyptum ascendet cum suo infante Virgo enixa, Deo equidem per quam amœna. Id quod tandem usu venit illis.]*

Dorotheus in Synopsi, cap. 14. *Hic Ieremias erat ex Anathoth, & in Taphnis Ægyptiorum lapibus à populo adobrutus est ac mortuus, sepultus autem iacet eo loco, quem inhabitauit Pharaon, Nam Ægyptij beneficiis*

ab eo affecti, id honoris isti impenderunt. Orauerat enim pro illis cum à bestiis aquaticis turbarentur, quas Ægyptij Menepboth, Græci verò Crocodilos vocant. Et hodie quoque qui fideles sunt Deo, in eo loco orant, ac puluerem inde tollunt, quo mortales à bestiis illis lassos curant. Multi etiam ex illis ipsas bestias in aduersas aquas fugant. Nos verò ex posteris Antigoni & Ptolemæi viris iam grandævis audiimus, quod Alexander rex Macedonum, cum ad eum Prophetæ locum venisset, mysteriaque illius cognouisset, reliquias illius in Alexandriam transtulerit, & cum gloria circumquaque ornatas collocarit. Atque ita genus aspidum, ab ea terra, & ab ipso quoque flumine similiter prohibitum sit, & serpentes hoc pacto reiecti, quos Argolæos vocant, hoc est, lacertas, ex Argo Peloponnesiaco allatos, vnde & Argolæi vocantur populi isti, id est, dextris ignauis: loquela verò sunt delicata, & prorsus sinistra. Ieremias iste signum dedit Sacerdotibus Ægyptiacis, quod oporteat simulachra eorum concuti, & decedere per Seruatorem puerum, ex Virgine nascenturum, & in præsepi iaciturum. Propterea etiam nunc Virginem in lecto, & infantem in præsepio collocant, & adorant. Et cum causam olim Ptolemæi rex percontaretur, responderunt, mysterium esse ipsi, maioribus traditum, quod illi a sancto Propheta acceperunt.]

S. Isidorus de Vita & morte Sanctorum, cap. 38. *Ieremias ad ultimū apud Thaphnas in Ægypto a populo lapidatus est: s. pultus in eo loco, ubi Pharaon habitauit. Verumtamen quia precibus suis serpentibus ab eo loco effugatis, Ægyptios a noxio aspidum morsu eripuit, insigni eum veneratione, amplissimoque honore ydem Ægyptij colunt, sepulchrūque eius insigni cultu hæcenus venerantur.]*

Perpicue falsum est quod Victorinus asseruit, omnes veteres Patres tradidisse Ieremiam cum Elia venturum temporibus Antichristi, ut sequenti Capite demonstrabimus.

CAPVT XIV.

Patrum & posteriorum consensus, Henoch & Eliam venturos tempore Antichristi.

NON Mosen, non Ieremiam, sed Henoch & Eliam venturos in nouissimo tempore ad prædicandum contra Antichristum, perpetuus temper fuit Christiani orbis communis sensus atque traditio, cui præiudicare minimè debet paucorum aliter sentientium opinio. Et interim omittamus Patres illos, quos cap. 3. produximus, asserentes Henoch & Eliam adhuc viuere: (neque enim ob aliam causam Patres affirmant, eos seruare superstitibus, nisi ut contra Antichristum in fine mundi dimicent) illos tantum modo proferemus, qui disertè produnt, Enoch & Eliam venturos tempore Antichristi.

Tertullianus de Anima, cap. 50. *Translati sunt Henoch, & Elias, nec mors eorum reperta est, dilata scilicet. Caterum morituri reseruantur, ut Antichristum sanguine suo extinguant.*

S. Hippolytus Martyr Oratione de Antichristo: *Prior Christi aduentus præcursores habuit Iohannem Baptistam: posterior verò quo venturus est in gloria Henoch & Eliam exhibebit, ad denunciandum per uersum mundum aduentum Antichristi, hoc est, mille ducentos sexaginta dies, amicti saccis: facientque signa & prodigia, ut vel hac ratione flectant & conuertant homines ad penitentiam. Quod si quis velit eis nocere, ignis egredietur ex ore ipsorum, & deuorabit hostes eorum. Hi potestatem habent claudendi cælum, ne pluat diebus aduentus Antichristi: & aquas conuertendi in sanguinem: ac percutiendi terram omni plaga quotiescumque voluerint. Cumque*

Pradicauerint hac omnia, occumbent gladio interfecti à Diabolo. Et implebunt testimonium suum, ut inquit etiam Daniel, [Ioannes potius] qui praudivit Bestiam ascendentem ex abyssu cum eis bellum gesturam, id est, Henoch & Elia, & superatos eos interfectorum, propterea quod noluerint gloriam dare diabolo.]

Auctor nomine S. Cypriani, de Montibus Sina & Sion: Henoch vivus translatus est in loco, ubi Deus scit: ex quo loco in consummatione mundi innovari habet in hoc mundo: unde etiam translatus est ad confundendum, & reuincendum Antichristum. A quo interfecti martyria sua complebunt.]

S. Ephraem Syrus Sermone, de Antichristo: Mitteret misericors Deus Eliam Thesbitem & Henoch, qui palam populo predicent, ne Antichristo credant: audacter clamantes, atque dicentes: Antichristus hic est, atque seductor, & filius perditionis, o homines, nullus illi prorsus credat impio: nullus vestrum aurem Tyranno prebeat; Deo repugnant: nullus vestrum terreatur: citissime enim destruetur, dissolueturque potestas illius.

S. Caesarius, S. Gregorij Nazianzeni frater apud Cedrenum pag. 204. Producam, inquit Ioannes Apocalypsis 11. duos meos testes Henochum & Eliam: iique saccos amicti vaticinabuntur dies mille ducentos sexaginta, &c.]

S. Ambrosius in Psalm. 45. Nam & bestia illa Antichristus ex abyssu ascendit, ut aduersus Eliam atque Henoch qui propter testimonium Domini Iesu terris sunt redditi, praeliaretur, ut legimus in Ioannis Apocalypsis.]

Auctor nomine eiusdem S. Ambrosij, in illud 1. Corinth. 4. Puto quod Deus nos Apostolos nouissimos ostendit, &c. haec ait: Necessitates, persecutiones, & pressuras passuri sunt Henoch & Elias, qui ultimo tempore futuri sunt Apostoli. Multi enim habent ante Christum ad preparandum populum Dei, & muniendas omnes Ecclesias, & resistendum Antichristo. Quos & persecutiones pati, & occidi, lectio Apocalypsis testatur: ad hoc enim venturi sunt, ut occidantur: usque adeo, ut corpora eorum in platea proyiciantur in conspectu totius populi infidelis. Item Ambrosiaster in 11. Apocalypsis: Henoch & Elias temporibus Antichristi venturi sunt.]

S. Hieronymus Epistola 148. ad Marcellam: Cum & Dominus noster mortuus sit, & Henoch atque Elias secundum Apocalypsim Ioannis morituri esse dicantur. Et paulo inferius: De Henoch autem & Elia quos venturos Apocalypsis refert, & esse morituros, non est istius temporis disputatio.]

S. Augustinus lib. 9. de Genesi ad litteram, cap. 6. Nam si Henoch & Elias in Adam mortui, mortisque propaginem in carne gestantes, quod debitum ut soluant, creduntur etiam redituri ad hanc vitam, & quod tam diu dilatum est, morituri.]

S. Prosper in Dimidio Temporis, cap. 13. De missione Elia & Henoch. Sic enim isti Propheta conuincunt Antichristum non esse Christum. Hoc euidentius Apocalypsis Ioannis ostendit: Dabo, ait Dominus, duobus martyribus meis, & prophetabunt, &c. contra Pharaonem duo testes Dei missi sunt, Moyses, & Aaron: & contra Neronem duo Petrus & Paulus Apostoli: & contra Antichristum duo Henoch & Elias propheta. Et cap. 15. & 16. plura subdit de morte Henoch & Elia per Antichristum, de resurrectione, & gloria eorum, ex Apocalypf. 11.]

Auctor nomine S. Eucherij Homilia Dominica 2. Aduentus: Praeliabitur autem Antichristus contra sanctos: quia venient Henoch & Elias tunc: quos quia ratione superare non poterit, gladiis interim faciet.]

S. Gregorius lib. 9. in Iob cap. 3. Duo illi predicatorum eximij dilata morte subtrahuntur, ut ad predicationis usum in fine reuocentur: de quibus per Ioannem dicitur:

Hi sunt duo olivae, & duo candelabra in conspectu Domini terra stantes. Quorum unum in Euangelio per semetipsam Veritas pollicetur, dicens: Elias venturus est, & restituet omnia.] Non est dubium quin socium Eliae intelligat Henoch: siquidem nullus alius praeter Eliam subtrahitur in Scriptura memoratur nisi Henoch. Et ipsemet S. Gregorius Homil. 12. in Ezechiel. explicatius ait: Sed quia Elia & Henoch predicante, multi ex his qui tunc in Iudaea in infidelitate remanserint, ad cognitionem veritatis redeunt &c.] Et lib. 15. in Iob. cap. 36. Sed tamen eius [Antichristi] viam non solum Elias & Henoch, qui in eius exprobrationem ad medium deducuntur: sed etiam omnes electi arguunt.]

Primasius in 11. Apocal. Tribus annis & sex mensibus persecutione Antichristi, occiso Elia, grassante, &c.]

S. Isidorus de Vita, & morte Sanctorum, cap. 3. Manet autem Henoch hactenus in corpore: in consummatione mundi restituet cum Elia mortalem vitam conditionem.]

S. Beda lib. de Ratione Temporum, cap. 68. Sed ne improvisa Antichristi persecutio veniens omnes passim, quos imparatos inuenerit, inuoluat Henoch, & Eliam maximos Prophetas & Doctores ante huius exortum venturos in mundum, qui Israeliticam plebem ad fidei conuertant gratiam, &c.] Sequitur explicare totum locum Apocalypf. 11. de duobus testibus Henoch & Elia, venturis tempore Antichristi, & ab eo occidendis. Et in Allegoricis Expositionibus in 1. Samuelis, 11. Neque aliquid vetat duas has vaccas: quae arcam Domini referentes Israelitis, holocaustum sunt Domino data super Henoch & Elia interpretari, qui tunc [tempore Antichristi] Iudeis fidei gratiam aperturi, nec mora ab Antichristo creduntur mortem esse suscepturi.]

Andreas Caesariensis Episcopus, cap. Vndecimo Apocalypsis, quod ipsi est trigessimus, hanc affigit inscriptionem: De Henoch & Elia. deinde subiicit: Per hos testes plerique Doctorum acceperunt Henochum & Eliam, qui sub seculi fine à Deo accepturi sunt trium annorum cum semisse spatium, ad vaticinandum & predicandum.] Quam explanationem & probat & exsequitur.

Aretas in 11. Apocalypsis: Equidem quod Elias propheta venturus sit ante secundum Domini aduentum, clarum est, cum nec Scriptura siluerit per Malachiam in hac verba vaticinans: Ecce ego mitto ad vos Eliam Thesbitem, antequam veniat dies Domini magnus & manifestus: qui conuertet cor patris ad filium, & cor hominis ad proximum suum. Porro de Henoch, quantum spectat ad aduentum, de scriptura testimonium non habemus, praeter id, quod per transpositionem mortem non gustauerit: fama vero est veluti ex traditione huc, illucque discurrentium praconum, concorditer ab Ecclesia recepta, & hunc cum Thesbite Elia venturum: venient enim ambo iis qui tunc erunt, protestaturi, ne fallacibus Antichristi signis seducantur: inque hoc suo testimonio tempus trium annorum ac dimidium acturos.]

S. Ioannes Damascenus lib. 4. de Fide Orthodoxa, cap. 27. At vero mittentur Henoch & Elias Thesbites, & Patrum corda in filios, hoc est, Synagoga ad Dominum nostrum Iesum Christum, & Apostolorum predicationem conuertent: ab Antichristoque trucidabuntur.]

Ansbertus in 11. Apocalypsis: Hieronymus verò atque Gregorius Pontifex Romanus cum praefato Elia Henoch venturum testantur, quibus certe magis credendum cognoscimus: quia Scriptura Geneseos Henoch translatus: & Paulus Apostolus non solum translatus, sed etiam viuere in carne designat.]

Alcuinus lib. 3. de Trinitate, cap. 19. Et ne tam immanis & crudelis Antichristi persecutio improvisa veniens, omnes minus paratos inuoluas. Eliam &

Eliam & Henoch maximos Prophetas venturos esse, Ecclesia habet fides: per quorum doctrinam populus Israeliticus conuertetur ad fidem.]

Rabbanus Opusculo de Antichristo: *Ante Antichristi exortum duo Propheta mittentur in mundum, Henoch, scilicet, & Elias, qui contra impium Antichristum fideles Dei diuinis armis praeuenient, & instruent eos, & confortabunt, & preparabunt electos ad bellum, docentes, & predicantes tribus annis, & dimidio.]*

Eadem omnino de Henoch & Elia venturis tempore Antichristi, tradidere, Haymo, Strabus Monachus, Rupertus, S. Anselmus, S. Thomas in 11. Apocalyp. & innumeri posteriores: & quot omnes Orthodoxi de Antichristo ex instituto Scripsere. Hanc esse famam & Traditionem praconum Christi concorditer in Ecclesia receptam, Aretas affirmavit: hanc esse Ecclesia fidem, Alcuinus adstruxit. Verum si quis plura de praclaro isto consensu ac traditione Catholicorum, (Nam Nouantes nihil nunc moramur) scire cupit, consulat Xystum Senensem lib. 2. Bibliothecae, in Henoch, & in Elia, Martinum Cantapetrensem lib. 3. Hypotyposeon cap. 1. Iansenium cap. 67. commentariorum in Harmoniam Euangeliorum, Pererium lib. 15. in Daniel. & lib. 7. in Genes. Belarminum lib. 3. de Romano Pontifice, cap. 6. Riberam in 11. Apocalyp. Henriquez de Fine Hominis, cap. 23. §. 8. & 9. Suarez Tomo 2. in 3. Partem, Disputatione 55. Sect. 2. Acoftam lib. 3. de Nouissimis temporibus, Viegam in 11. Apocalyp. Sectione 6. Florimundum libro de Antichristo, cap. 46. Lessium demonstratione 15. de Antichristo, Ieremiam Ferrerium libro de Antichristo, cap. 35.

CAPVT XV.

An Simul cum Henoch & Elia sit etiam Ioannes Euangelista venturus in fine mundi aduersus Antichristum.

Existimaquere nonnulli, S. Ioannem Euangelistam nondum obisse, sed viuum adhuc seruari ad tempora vsque Antichristi, & tunc venturum tertium socium cum Henoch & Elia ad praedicandum contra Antichristum. S. Hippolytus Martyr Oratione de Antichristo: *Prior Christi aduentus Praecursor habuit Ioannem Baptistam: posterior vero quo venturus est in gloria, Henoch, & Eliam, & Ioannem Theologum exhibebit.]*

S. Ambrosius in Psalm. 45. *Nam & Bestia illa Antichristus ex abyssu ascendit, ut aduersus Eliam atque Henoch, atque Ioannem, qui propter testimonium Domini Iesu, terris sunt redditi, praeliaretur, ut legimus in Ioannis Apocalypsi.]*

Andreas Caesariensis Episcopus in 11. Apocalyp. ad illud: *Oportet te iterum prophetare gentibus &c.* haec scribit: *Ant Sanctum certe Apostolum insinuat mortem necdum degustasse: sed sub saeculi consummationem venturum, ut imposturarum Antichristi impetum sistat, atque coerceat.]*

Aretas in eundem locum: *Haud vero ignorandum, quod ex hoc dicto nempe, Oportet te iterum prophetare: vulgi opinio sit, quasi beatus hic Ioannes ad finem vsque mundi vulturus sit: venturusque una cum Henoch & Elia tempore Antichristi, ut simul cum eis homines qui tunc erunt, corrigat: & ab ipso denique Antichristo insecrimendus sit.]*

Theophylactus in 21. Ioannis: *Dixit autem Do-*

minus Si voluero manere, hoc est, viuere cum vsque ad consummationem saeculi: ut & tunc de me testetur. Unde & dicunt quidam viuere eum, & ab Antichristo occidendum cum Elia praedicantem Christum. Quamuis autem & monumentum eius ostendatur, quid hoc? Nam viuens quidem ingressus est in illud, & deinde translatus, sicut Henoch & Elias.] Eadem ferme totidem verbis leguntur apud Euthimum in 21. Ioannis. Et in 20. Matthaei inquit: *De Ioanne vero questio est apud multos. Aiunt enim quod quia infallibile est Christi vaticinium, & ille nondum martyrii mortem sustinuit: nondum mortuus est, sed adhuc viuus, & cum Henoch & Elia circa saeculi consummationem occidendus est.]*

Simeon Metaphrastes in vita S. Ioannis Euangelistae, longa oratione conatur narrare Ioannem non fuisse mortuum, tandem concludit: *Et ille quidem Henoch & Elia Thesbii coniungitur.]* S. Ephrem, vel Ephraemius, vel Ephraimus Antiochenus Episcopus, de quo multa Euagrius lib. 2. Historiae Ecclesiasticae, cap. 6. & 24. Nicephorus lib. 17. cap. 3. & 14. & Pratum Spirituale cap. 36. & 37. in libro de sacris Antiochiae legibus, apud Photium in Bibliotheca, Numero 229. haec habet: *Testatur id Henoch & Elias & Ioannes tonitruum filius adhuc in corpore agentes. Vide eorum fidem, ut & tribus generibus adducantur: ante legem latam fuit Henoch, post legem Elias, tempore grauius decus discipulorum. Virginem autem Ioannem sic superesse, ut Henoch, & Eliam traditione habemus. Non enim quis immortalem dixerit, sed manere cum Henoch & Elia vsque ad secundum Domini aduentum.]*

Atqui eandem sententiam, Ioannem adhuc viuere, & venturum cum Henoch & Elia tertium testem contra Antichristum, docuerunt Freculphus Lexouienfis Episcopus in Chronico, Tomo 2. lib. 2. cap. 9. Abbas Ioachim in 10. Apocalypsis, Theophilus [forte Hippolytus] & Ioannes Dominici Cardinalis apud S. Antoninum 4. Parte Theologiae, Titulo 13. cap. 4. §. 3. M. Antonius Sabellinus lib. 1. de Dictis & Factis Memorabilibus, cap. 8. Georgius Trapezuntius peculiari libello indictum Domini, Ioann. 21. *Sic eum volo manere donec veniam.* Ambrosius Catharinus Commentariis in 2. Genes. Hieronymus Velmus de Opere sex dierum, lectione 20. Alfonsus Salmeron Tomo 11. Tractatu 32. Ioannes Pineda lib. 10. Monarchiae Ecclesiasticae, cap. 38. §. 4. Confirmant autem suam opinionem his argumentis.

Primo, Christus Matthaei 16. v. 28. de suis Apostolis inquit: *Sunt quidem de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo.* Vel ut Marcus ait, *Donec videant regnum Dei veniens in virtute, quod de potenti illo & glorioso aduentu Domini ad iudicium videtur intelligi: de nullo autem Discipulorum Domini proditum extat, quod non gustauerit mortem vsque ad diem Iudicii, nisi de Ioanne.*

Secundo, Quia Angelus Domini Apocalyp. 10. v. 11. Ioanni dixit: *Oportet te iterum prophetare gentibus, & populis, & linguis, & regibus multis:* at Ioannes postquam reuersus est ab exilio insulae Pathmos, in qua Apocalypsim vidit, nunquam legitur prophetasse multis gentibus ac regibus: implendum ergo erit aliquando quod Ioanni Angelus praedixit: quod non nisi temporibus Antichristi impleri posse videtur.

Tertio Christus Iacobo & Ioanni fratribus Matthaei 20. v. 23. praenunciauit, bibituros Calicem passionis, quem ipse bibit: & quidem constat Iacobum gladio truncatum occubuisse: de Ioanne nullum vnquam scripsit martyrio absumptum: videtur igitur quod sub Antichristo sit martyrio perimendus,

Quarto, Christus apertè de Ioanne dixit, Ioann. 11. v. 22. *Sic eum volo manere donec veniam.* Hoc est, volo eum viuere, quousque ad Iudicium veniam: id enim hæc verba indicant.

Quinto, Consentaneum. Videtur, vt sicut tres extiterunt in mundo leges, Naturæ, in qua vixit Henoch: Moſis, sub qua fuit Elias: Euangelica, cuius præcipuus Apostolus & Euangelista fuit Ioannes: ita quoque ex singulis legibus singuli veniant magni Testes contra Antichristum.

Sexto, In præclara illa functione prædicandi contra Antichristum videntur Henoch & Elias non omnes partes implere posse, quos facile vt deliros & fatuos Antichristus refutabit, qui eius diuinitatem audeat prædicare, quem numquam viderunt aut nouerunt, & quem tot annorum centuriis præcesserunt.

Necessarium ergo videtur, vt tertius accedat grauissimus & oculatus testis diuinorum Christi operum inspector, & accuratissimus scriptor, qui testimonium perhibeat veritati: & quem eo nomine Antichristus tergiversari non possit. His argumentis vtentur, qui Ioannem adhuc viuere, & cum Henoch & Elia venturum aduersus Antichristum suspicantur.

Quod verò ad mortem Ioannis attinet, variè de ea nonnulli opinati sunt. S. Ambrosius lib. 7. in Lucam sub initium, sentire videtur, Ioannem non fuisse mortuum, cum ait: *Quamuis de Henoch & Elia nullam mortem corporis acceperimus: & de Euangelista Ioanne Dominus dixerit, si Sic eum volo manere donec veniam.* Et de obitu Satyri fratris: vt mors corporis nec in Christo esset accepta: ac licet natura Dominus, carnis tamen quam susceperat legem non recusaret. An qui de seruo dicit, *Si eum volo sic manere, donec veniam, quid ad te? non potuit ipse sic manere, si veller?*

Simeon Metaphrastes in sua perstans illa opinione Ioannem non esse mortuum, hæc de illo perſcribit: *Ciuitatem egressus est, discipulis præcipiens, vt ligonem ac ſarculum ſecum conferrent: ac protinus in montem quendam ascendens, vbi nunc huius templum extructum est eximia cum Pulchritudinis, tum magnitudinis, ſtanſque in ipſo, Hic, inquit, filij mihi fodite. Deinde vbi ſetorum conſignasset, ac dixisset, Et tu mecum eſto Domine Ieſu Chriſte: adſtantibusque ſubiunxiſſet, Pax vobis, fratres: in foueam demisit pallium, & ipſe quoque in eam deſcendit: ac corpore mediam obtinuit Aſiam: Vbi olim qui è Græcanico catu erant, philoſophabantur. Porro diſcipuli comas eucllebant, genasque percutiebant, ac orationem miſerabiliter deplorabant, paſtorem gubernatorem, ſeruatorem, denique eum qui omnibus omnia erat, inſclamabant. Deinde etiam ciuitatem accedentes, iis qui in ciuitate erant, manifeſtant id quod factum erat. Interim autem die illa creſcente concurrunt ad monumentum, diſcere cupientes, num præceptor adhuc ſuperueneret, & ouile acceſſerunt. Porro paſtor nuſquam comparebat, ſola iacebant crepida: is autem qui has abiecerat, diſparuerat. Diſcurrunt huc & illuc, quemadmodum ij qui cum Eliſeo erant, ſcrutantur, inueſtigant: verum incaſſum efficitur ipſis labor. Deinde vix tandem illius vocis recordati, Si eum volo manere donec veniam, quid ad te? ad mentem alacriorem redeunt. Et ille quidem Henoch & Elia Theſbiti coniungitur: hi autem à lamentis diſcendentes, Deum vniuerſorum laudabant qui ſuum dilectum adeo magnificauerat. Præterea in hoc ſacro loco ad quem hic cum pallio declinauit, minutus quidem puluis manat, ac exoritur, quibus accedenti medelam ab omni malo ſuppeditans. Cum igitur in nocturnis laudibus feſti ipſius, ab his qui in eo miniſtrant, tradatur catibus ad hoc congregatis, non facile exhauritur: ſed quo amplius bauritur, tanto magis manat, veluti perpetuus quidam theſaurus, qui ſimul & participantes reddit ditiores, ac ſe ipſo*

abundantior ſemper efficitur.] Hactenus Metaphrastes, S. Auguſtinus de his ita ſcribit tractatu 124. in Ioannem: *Si cui placet adhuc reſiſtat, & dicat, & aſſerat Apoſtolum Ioannem viuere atque in illo ſepulchro eius, quod eſt apud Ephesum, dormire eum potius, quam mortuum iacere contendat. Aſſumat in argumentum, quod illic terra ſenſim ſcatere, & quaſi ebullire perhibetur: atque hoc eius anhelitu fieri, ſive conſtanter, ſive pertinaciter aſſeueret. Non enim poſſunt deeſſe, qui etiam Moſen aſſerant viuere: quia ſcriptum eſt, eius ſepulchrum non inueniri: & apparuit cum Domino in monte, vbi & Elias fuit, quem legimus non eſſe mortuum, ſed raptum.*]

Et paulo inferius: *Tradunt etiam quod in quibuſdam ſcripturis, quamuis apocryphis reperitur, quando ſibi fieri iuſſit ſepulchrum, incolumè fuiſſe præſentem, eoque effoſſo, & diligentiffimè preparato, ibi ſe tanquam in lectulo collocare: ſtatimque eum eſſe deſunctum: vt autem iſti putant, qui hæc verba Domini ſic intelligunt, non deſunctum, ſed deſuncto ſimilem cubuiſſe. Et cum mortuus putaretur, ſepultum fuiſſe dormientem: & donec Chriſtus veniat, ſic manere, ſuamque vitam ſcaturigine pulueris indicare. Qui puluis creditur, vt ab imo ad ſuperficiem tumuli aſcendat, ſtatu quieſcentis impelli. Huic opinioni ſupernacaneum exiſtimo reſiſtari. Viderint enim qui hunc locum ſciunt, utrum hoc ibi faciat, vel patiat terra, quod dicitur: quia reuera non à leuibz hominibus id audiuiſſimus.*] Et tandem ſubdit: *Si autem, quod magis creditur, ideo ſanctus Ioannes ait, non dixiſſe Dominum, Non moritur: ne illis verbis qua dixit, hoc voluiſſe intelligi putaretur: corpusque eius in ſepulchro eius exanime ſicut aliorum mortuorum iacet: reſtat, vt ſi verè ibi ſit, quod ſparſit fama de terra, qua ſubinde ablata ſuccreſcit: aut ideo fiat, vt eo modo commendetur preſioſa mors eius, quoniam non eam commendat martyrium. (non enim eum pro fide Chriſti perſecutor occidit) aut propter aliquid aliud quod nos latet.*] Hactenus S. Auguſtinus. Ex quibus nonnulla deſcripſit S. Beda in 21. Ioannis.

S. Gregorius Turonenſis lib. 1. Hiſtoriæ Franco- rum, cap. 26. *Beatus Ioannes Apoſtolus & Euangelista, ſenex & plenus dierum perfectaque in Deum vita, viuens ſe depoſuit in ſepulchro. Hic fertur non guſtare mortem, donec iterato Dominus iudicaturus adueniat, ipſo in Euangelis ita dicente, Sic eum volo manere donec veniam.*] Et lib. 1. de Gloria Martyrum cap. 30. *Ioannes Apoſtolus & Euangelista Dei, poſt peractum tam agonis legitimi, quam prædicationis ſaluberrima curſum, viuens deſcendens in tumulo, operiri ſe humo præcepit. Cuius nunc ſepulchrum manna in modum farina hodieque eructat: ex qua beata reliquia per vniuerſum delata mundum, ſaluem morbidis præſtant.*]

Petrus Damianus Sermone 66. qui eſt 2. de S. Ioanne eum quidem mortuum autumat, ſed eius mortem fuiſſe mirabilem: ſic verò ait: *Nam vt hiſtoriæ continent, quadratam in Eccleſia fieri foueam iuſſit, moxque in eam deſcendens, extenſis manibus, poſt proluxa ſuſa orationis verba migravit. Mox autem tanta ſuper eum lux calitis eſt emiſſa, vt nullus eam ferret aſpectus. Poſtmodum verò inuenta eſt fouea nihil aliud in ſe continens, niſi manna, quod videlicet ſicut dicitur vſque hodie ſcaturire non deſinit.*] Et poſt alia: *Iam verò illud quis digne mireretur, quod in ſepulchro eius manna reperitur, & in terra ſpecupantis cali non ſemel, ſed quotidie naſcitur. Veniant igitur omnes nationes gentium, & obſtupescant miraculum omnibus inauditum. Veniant, inquam, & admirantes aſpiciant, quia in ſepulchro, quod domus eſt vermium, panis oritur Angelorum.*]

Quod ad puluerem inſtar manne è ſepulchro Ioannis perenniter ſcaturientem, morbiſque medentem: ſimilia in ſepulchris Sanctorum miracula legimus. E Sepul.

E Sepulchro S. Raymundi de Penniafort, tenuem puluisculum inexhausta semper materia, morbis salutare promanare, Clemens VIII. in Bulla Canonisationis eius certissimis testimoniis, & auctoribus affirmat. Sepulchrum beatæ Virginis Agnetis de Monte Politiano Dominicanæ Ordinis cælesti quodam rore continenter perfundi, Acta eius Virginis, & Notæ Baronij ad Romanum Martyrologium, 20. Aprilis tradunt. E Sepulchro S. Andrea Apostoli manna in modum farinæ, & liquorem medicum ad languores curandos quotannis iugiter profluere, S. Gregorius Turonicus lib. 1. de Gloria Martyrum, cap. 31. testatur, & Romanum Martyrologium 9. Maij. Ex ossibus S. Nicolai Myrcensis Episcopi mirificum vnguentum refudare, constitutio Emmanuelis Imperatoris de Feriis, & Actu eius S. Episcopi, fidem faciunt. Ex tumulo S. Glyceriæ Virginis & Martyris vnguentum effluere solitum, Theophylactus Simocatta lib. 1. Mauritanæ Historiæ, cap. 11. Nicephorus Callistus lib. 18. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 32. produnt. Ex sepulchro quoque S. Euphemie Virginis & Martyris vnguentum sanguine delibutum manare consueuisse, idem Simocatta lib. 8. cap. 14. & Nicephorus lib. 18. cap. 31. pluribus describunt. Et sanè nec insolens, nec infrequens, Deum eiusmodi miraculis sepulchra, & ossa sanctorum suorum illustrare. Sed ad Ioannem redeamus, de quo Dorotheus in Synopsi: *Vixit Ioannes annos Cxx. quibus finitis, seipsum Ephesi vivus adhuc volente Domino, sepeliuit.*

Alij verò existimarunt, Ioannem quidem verè mortuum fuisse: sed statim resurrexisse, atque simul cum corpore & anima in vitam immortalem & gloriam euolasse. Auctor Sermonis de Assumptione Mariæ, quem nec Sophronium fuisse constat, in hunc modum refert: *Quamvis nonnulli adstruere velint, Mariam Dei matrem iam resuscitatam, & beatam cum Christo immortalitate in cælestibus vestiri. Quod & de beato Ioanne Evangelistâ eius ministro plurimi asserunt: quia in sepulchro eius, ut fertur, non nisi manna invenitur, quod & scaturire cernitur.*

Nicephorus Callistus lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 42. eandem de Ioannis resurrectione opinionem sequutus, ut res tota contigerit, ita narrat. *Necessarium esse dixi sacram quoque translationem Divi istius Apostoli persequi. Cum enim dudum transitionem suam ad Deum, diemque & horam eius prævideret, Presbiteris ministrisque Ecclesiæ, & præterea quicumque flagrantibus fide fratribus assumptis, extra Ephesiorum Urbem progreditur, & cum eis in vicinum quendam tumulum, quo frequenter ire precationi operam daturus solebat, descendit. Ibique Vehementius orans, Ecclesias Deo commendabat: mox sarculis quibusdam & ligonibus celeriter sepulchrum sibi fodi præcipit. Deinde eos qui tum aderant, arcanis de Deo verbis, & præceptis optimis, de fide, & spe, & potissimum dilectione, (quippe Dilectus ipse) erudit. Et corda eorum confirmans, Servatori verbo commendat. Postremoque illis in Domino saluare & valere iussis, ubi se Crucis signo communiisset, in monumentum descendit: operculumque ei imponere, & id firmitus committere, denique reuerti eos postea, sepulchrum aperire, diligenterque perspicere mandat. Hoc modo, cum ille ut vestibus sepulchralibus amictus erat, in fossam descendisset, seque ad obitum composuisset: statim eo qui iustis debetur, sopitur somno: cum quidem ad multam senectutem post passionem servatoris Christi sexagesimo octavo anno pervenisset. Oportet nos ipsi ac potius Christo, & sapienti credere Chrysostomo ad restificandam mortem illius, illud adducendi: Et non dixit ei Iesus, illum moriturum non esse: sed si illum volo manere donec veniam, (Ierosolymam videlicet euer-*

surus, dixit enim ad id usque tempus, atque etiam aliquanto ad Traiani scilicet ætatem longius) quid ad te?

Et Ioannes quidem ita diem suum obiit. Dei autem ineffabilis atque in inuestigabilis gloria, eâ quam ipse solus novit, hora illucescens, corpus eius terrenum & corruptibile in immortale & incorruptibile, ô miraculum ingens! transmutavit, & in divinum Paradisum, iidem ut omnibus laudibus celebrandam Dei Genetricem, quæ per gratiam mater eius fuit, recepit. Decebat quippe, & ipsum qui matris loco incorruptam, semperque Virginem habuisset, & dilectus imprimis mirificè Christo fuisset, fraterque adeo immortalitatis promptuarij exstitisset, paulatim quodammodo immortalitatis participem fieri. Porro die sequenti quibus id commissum fuerat, ita ut præceptum acceperant, ad monumentum venerunt. Operculoque eius anullo, nihil ibi aliud quam sepulchralia linthea reppererunt. Atque hæc quidem de Ioanne.] Huc usque Nicephorus.

Petrus Damianus eandem de resurrectione Ioannis opinionem, tamen non ut certam, ut piam & probabilem recepisse videtur, eodem Sermon. 2. de S. Ioanne cum ait: *Vnde etsi non audeamus pleniter definire: primum tamen est arbitrari, ut sicut de beata Dei Genitrice creditur: ita etiam beatus Ioannes iam resurrexisse probabiliter asseratur: quatenus sicut in virginea fuerunt integritate participes ita nihilominus in anticipata resurrectione merito videantur æquales: nec sit in resurrectione diversitas, quibus tanta fuerat unanimitas conversationis in vita. Si enim beatissimi virgines isti videlicet Ioannes & Maria nullatenus surrexissent: cur in eorum tumulis sepulta cadavera non iacerent: cum scilicet beatorum Petri & Pauli, caterorumque Apostolorum ac Martyrum corpora suis quaque noscantur mansuetis tumulata?*

Thomas Cantipratanus lib. 2. de Apibus cap. 53. Parte 1. Corpora generaliter in pulverem resolvuntur. Ab hac conditione excipitur corpus Christi, quod non vidit corruptionem, quia die tertia resurrexit. Inde etiam secundum veridicum Augustinum, corpus excipitur Matris Christi: & ut firmiter credimus, Evangelistæ Ioannis: qui sicut fuerunt socij passionis, ita iustæ sunt & consolationis, cum Christo iam immortalitate vestiti.] Ab hac sententia resurrectionis Ioannis non abhorruit S. Thomas huius Cantapratani discipulus sub Alberto Magno, in 21. Ioannis, & in 4. Sententiarum Distinctione 43. & in Additionibus ad 3. Partem, Quæst. 77. Art. 1. ad 2. Sed non puto, si summam Theologiæ potuisset absolovere, hanc sententiam approbaturum fore: quod summi iudicij vir, quisquiliis istis apochryphorum minimè delectaretur.

CAPUT XVI.

Sanctum Ioannem Evangelistam reuera fuisse mortuum: nec tempore Antichristi Venturum.

Mortem Ioannis asserunt Patres, & consensus Ecclesiæ. Polycrates Ephesiorum Episcopus Epistola ad Victorem Romanum Pontificem, apud Eusebium lib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 25. enumerans Apostolos seu Apostolicos qui Ephesi obierunt, ait: *Hic accedit Ioannes, qui supra pectus Domini recubuit, qui cum esset Sacerdos Peralon gestavit: qui denique Martyr & Doctor fuit, & Ephesi etiam obdormiuit. Hæc de illorum morte.] Eadem retulit S. Hierony*

S. Hieronymus de Scriptoribus Ecclesiasticis, in Polycrate.

Tertullianus de Anima cap. 50. *Obiit & Ioannes, quem in aduentu Domini remansurum, frustra fuerat spes.*

Origenes Tomo tertio commentariorum in Genesim, apud Eusebium lib. 3. Historiæ cap. 1. *Ioannes Asiam obiit, ubi reliquum etiam vite sue cursum conficiens, Ephesi morte occubuit.*

Cedrenus in Compendio Historiarum, pag. 203. *Sed & Diuus Hippolytus Romæ Episcopus, Praconum diuini verbi & Apostolorum obitus enarrans, ita ait: Ioannes Iacobi frater, cum in Asia verbum Dei propagaret, imperante Romæ Domitiano in Patmum insulam est deportatus. Inde à Nerua reuocatus Ephesum, conscripto Euangelio, & Patefactione quam conspexerat, vita excessit, annos natus centum sex. Reliquia eius requisita, inuenta non sunt.*

Est hic proculdubio Hippolytus Portuenfis Episcopus, quem Cedrenus intelligit.

S. Hieronymus de Scriptoribus Ecclesiasticis in Ioanne: *Confessus Senio, sexagesimo octauo post passionem Domini anno mortuus, iuxta eandem urbem sepultus est.* Eadem habet lib. 1. In Iouinianum. Et in 20. Matthæi: *Ioannes autem propria morte vitam finierit.*

S. Chrysostomus Homilia in Duodecim Apostolos: *Ioannes autem diuina tractans mysteria, etiam post mortem, tanquam viuus Ephesum curat.* At nihil opus est in re minimè dubia testes plures & non necessarios aduocare. Mortem Ioannis Romanum Martyrologium, S. Bedæ, Adonis, Vsuardi, 27. Decembris consignant. Et Græcorum Menologium 26. Septembris hæc habet: *Migratio Sancti gloriosi & celebris Apostoli, & Euangelistæ Ioannis cognomento Theologi.* ut iam de morte Ioannis dubitare temeritas sit.

Sed & eorum opinio prorsus repudianda est, qui putarunt, Ioannem cum Henoch & Elia venturum in fine mundi contra Antichristum: cum sensus communis sit ferè omnium duos tantum esse venturos Henoch & Eliam.

Cedrenus in Compendio Historiarum, pag. 204. hæc annotat: *At magni Gregorij frater Casarius Constantinopoli de his interrogatus, ita respondit: Quod si quis contentiosè sacras illas voces, si velim hunc manere usque ad aduentum meum, quid hoc ad te? arripens, intempestiuè ex iis colligere velit Ioannem in hac vita ad posteriorem Christi aduentum annunciandum Henoch & Elia exemplo permansisse: is sciat Ioannem in Patefactione solos istos duos sub persona Christi dicere testes sibi futuros: Producam, inquit, duos meos testes Henochum & Eliam: iique saccos amicti varicinabuntur dies mille ducenti sexaginta.*

Addunt quidam illud argumentum pro morte Ioannis, quod Ecclesia celebrat festum eius, quod non consuevit nisi de sanctis iam vita functis, & beatis. At certum est Eliam nondum esse mortuum, & nihilominus Ecclesia diem Festum ei dedicauit 20. Iulij in Romano Martyrologio & Menologio Græcorum: Imò Græci eius festum diem tam factum habent, ut in eo operibus seruilibus abstineant, ut apparet ex Constitutione Emmanuelis Imperatoris, quam refert Theodorus Balsamon in Scholiis ad Nomocanonem Photij Titulo 7. Vide Baronium in Notis ad Romanum Martyrologium 20. Iulij: Sed si plura de morte Ioannis aues, consule Suarez Tomo 2. in 3. Partem disputatione 55. Sectione 3. Viegam in 10. Apocalypsi. sectione 8. Ioannem Hayum Seruium in Apparatu Euangelico, cap. 73.

Iam argumenta eorum qui Ioannem adhuc viuere,

& cum Elia & Henoch venturum asserbant, præcedente capite posita dissoluamus. Primum postulat, ut exponamus, quod Christus per *Regnum Dei veniens* intellexerit: Quidam resurrectionem Christi interpretati sunt, ut Caietanus, Gagnæius, Sa, Mariana. Alij propagationem Euangelij per orbem, quum primum caput post mortem Domini Euangelium per mundum spargi. Atqui certum est, & ipsam Christi resurrectionem, & Euangelij primam propagationem vidisse Apostolos. Nonnulli intelligunt, Ierosolymorum excidium, in quo plurimum effulsit gloria Christi. Sed eo tempore omnes iam Apostoli decesserant: quamuis forsan potuerint viuere aliqui ex discipulis Christi.

Sed vulgatio & receptior interpretatio est, ut Christus locutus fuerit de sua Transfiguratione, quæ quasi quædam prægustatio, & clarum specimen fuerit regni sui cælestis & sempiternæ gloriæ. Ita Origenes, Hilarius, S. Hieronymus, S. Chrysostomus, in Matthæi 16. S. Ephræm Syrus sermone de Transfiguratione, S. Ambrosius in Lucæ 9. S. Augustinus in 2. cap. ad Galatas, S. Leo Papa Sermone de Transfiguratione: Remigius, Strabus, Theophylactus Euthimius, & innumeri recentiores in 16. Matthæi. Atqui iuxta hanc explanationem nullas vires habet argumentum. Qui verò regnum Christi eo loco intelligunt, gloriosum Domini aduentum ad iudicium, facile refelluntur ab omnibus.

Ad secundum. Verba illa Angeli, *Oportet te iterum prophetare &c.* duas habent aptissimas interpretationes. Prima est, ut indicet Angelus, Ioannem ab exilio reuersum, diuino & prophetico spiritu scripturum Euangelium, quod cunctis gentibus, & regibus mundi annuntiaretur. Nam Ioannem suum Euangelium Ephesi post reditum ab exilio conscripsisse, melioribus auctoribus credimus. Ita hunc locum Apocalypsis exponunt Andreas, Atetas, Primasius, S. Beda, Ansbertus, Ambrosiaster, Haymo, Rupertus, S. Anselmus, S. Thomas: & ex Recentioribus Sa, Viegas in 10. Apocalypsi. item Peterius lib. 15. in Danielelem. Atque hic prophetare pro scribere aliquid diuino spiritu sumitur: alioqui non est verisimile Ioannem ab exilio reuertentem, iam senio confectum potuisse variis gentibus & Regibus Euangelium Christi verbo annuntiare, cum manibus discipulorum in Ecclesiam deferretur, nec posset in plura vocem verba contexere, ut scripsit S. Hieronymus in 6. cap. Epistolæ ad Galatas.

Alter interpretatio est, quasi dicat Angelus: Multa hæcenus spiritu prophetico de venturis temporibus prænucciasti in hac tua Apocalypsi: multa nihilominus tibi restant de variis nationibus & regnis prophetanda, quæ te quoque oportet scribere. Ita Victorinus, Lyranus, Ribera, Melus, Sa, in eum locum, Peterius in 15. Danielis. Nec explodenda est explanatio Marianæ, *oportet te iterum prophetare*, id est, redire ab exilio, gubernare Ecclesias, consultis respondere, administrare verbum Dei, ut verbum Prophetare variè in scriptura sumatur, docebunt te abundè Phrasæ Vuestameri, & Sa, & Iansenius cap. 47. Commentariorum in concordiam Euangelicam. Vides ut de prædicatione Ioannis sub Antichristo, nullam Ioannes fecerit mentionem. Vnde futile est quod quidam ex eo Apocalypsis loco ansam arripuerunt, existimandi Ioannem venturum cum Henoch & Elia contra Antichristum.

Ad Tertium, Scimus quidem S. Chrysostomum Homilia 66. in Matthæum, & Homilia 27. in Epistolam ad Hebræos, visum existimasse Ioannem martyrio vitam finisse: de qua re vide Euthimium in 20. Matthæi.

Matthæi. Verum alij omnes vno consensu, & Catholica Ecclesia pro explorato tradunt, Ioannem non occubuisse martyrio. Nihilominus verissime in Ioanne completum, quod Christus prædixit, *Calicem quem meum bibetis*: quia multa pro Christi fide perpeffus est, nempe cum alijs Apostolis flagellatus. Actorum 5. v. 4. in feruentis olei dolium Romæ à Domitiano iniectus, vti Tertullianus de Præscriptionibus, cap. 36. S. Hieronymus lib. 1. in Iovinianum, & in 20. Matthæi, & de scriptoribus Ecclesiasticis: item, Martyrologia, Romanum, Bedæ, Adonis, Vsuardi, Nokeri, testantur. Denique propter testimonium IESU-CHRISTI eiectus in exilium in insulam Pathmos, vti ipsemet Ioannes testatur, initio Apocalypf. Itaque non voluntas martyrio, sed martyrium defuit voluntati. Quin & Martyrem iure & merito Ioannem dici posse Ecclesiasticarum antiquitatum non ignari, rectè nouerunt: id enim elogium tribui olim solitum constat iis etiam, qui in publica nominis Dei confessione tormenta & cruciatus subiissent, quamuis eorum vi non fuissent extincti: cuiusce appellationis exempla passim occurrunt apud Patres, & in Actis Martyrum. Vnde S. Polycarpus in Fragmentis à Victore Episcopo Capuano citatis, quæ Franciscus Feu-ardentius edidit, enarrans præfata Christi verba, ita ait: *Per huiusmodi potum significat passionem, Et Iacobum quidem nouissimum martyrio consummandum; fratrem vero eius Ioannem transiturum absque martyrio: quamuis & afflictiones plurimas, & exilia tolerauit: sed preparatam martyrio mentem Christus martyrem indicauit. Legitur & in dolio feruentis olei pro nomine Christi beatus Ioannes fuisse demersus.* Sed nunquam crediderim hoc Fragmentum esse Polycarpi: S. enim Polycarpus discipulus Ioannis, nunquam de eo ita scripisset. Legitur & in dolio &c. S. Hieronymus in Matthæi 20. *Si legamus Ecclesiasticas Historias, in quibus fertur, quod & ipse Ioannes propter martyrium sit missus in feruentis olei dolium, & inde ad suscipiendum coronam Christi athleta processerit: statimque relegatus in Pathmos insulam sit: videbimus martyrium animo non defuisse, & bibisse Ioannem calicem confessionis.* Aliæ feruntur huius loci explanationes: sed neque ex hac, neque ex illis accipi potest Ioannem ab Antichristo martyrio perimendum.

Ad Quartum. Verba illa Christi, *Sic enim volo manere donec veniam*. Variè distracta sunt à multis. Georgius Trapezuntius libellum peculiarem de hisce verbis condidit, in quo differebat, Ioannem nondum mortuum, sed cum Henoch & Elia venturum in fine mundi. Contradictorio alio libello respondit Georgio Bessarion Cardinalis Nicænus, Satis iam inter eruditos constat Græca & Syriaca, & complura vetusta Latina exemplaria, & vniuersos Patres Græcos, Si conditionalem, non Sic absolutam particulam legisse. At quoniam Sic innumeris Latinis codicibus insedit, & vulgatiores in Ecclesiasticis precibus lectio, ob id opinor, relicta est in Bibliis Clementianis emendatissimis. Illa tamen semper habita est genuina verborum Christi intelligentia, Si vel Sic, aut Si sic à Petre Ioannem volo manere, quod non sicut tu manu carnificis cadat, quid tua refert? Ita S. Augustinus Sermonem 149. de Tempore, Rupertus, & posteriores ferme omnes exponunt. Sed vide recentiores interpretes, Erasmus, Caietanum, Iansenium, Toletum, Maldonatum, Franciscum Lucam.

Quintum & Sextum argumentum, sunt quidem illa subtiles & curiosæ coniecturæ, quæ si soliditas aliunde adesset, possent vtrumque ad rem facere: sed per se solæ nihil firmitudinis retinent, & facile concidunt. Vno siquidem verbo videntur posse refutari,

Nimirum, non expediebat venire aliquem ex Nouo Testamento, quod hunc tanquam domesticum testem, & in causa propria minus idoneum promptius Antichristus repulisset, tanquam non ratione, sed studio partium se inferentem. Nihil tale Henoch & Elia obiici poterit. Nam quod Christum non viderint, de Elia falsum, qui cum vidit in Transfiguratione gloriosum, & paternam vocem audiuit diuinitatem eius comprobantem: & si neuter eorum vidisset, tanto grauius eorum testimonium videretur, quanto tot miraculis & scripturæ eius diuinitatem firmarent, quem numquam vidissent. Sed hæc missa faciamus, quasi Antichristo defuturæ sint artes & cauilli ad explodendos quoscumque Deus miserit.

Sed roget quispiam: Cur Deus Henoch & Eliam potius quam quosuis alios venire decreuerit. Latent profectò huiusce Dei decreti causæ nec rationes diuini & arcani consilij temerè perscrutari fas est. Si modestè licet aliquid excogitare haud absurdè dixerimus, dilectam potius egregiam hanc Xynoridem, vt de vtroque statu Naturæ & legis testis vnus veniret: nam de Euangelica, nihil opus erat ex iis qui ante eam fuerunt, aliquem venire: Cum ex ipsa præsentibus innumeri tunc inuenientur Sancti Episcopi, & Doctores, qui eam aduersus Antichristum propugnabunt.

Quæret aliquis vterius, cur tam longo tempore Henoch & Elias viui conseruentur: & non potius suo tempore mortui, cum opus fuerit opportunè in vitam restituantur. Ratio est perspicua, nam cum delecti sint vnus ex lege Naturæ, alter ex Moysæ; ex natura rei oportet eos totum tempus legis Euangelicæ, quousque prætereant, seu adit finis rerum expectare. Ad hæc si iusto suæ ætatis mortui fuissent, excitandi in vitam supremo tempore: interim eorum animæ vbi essent? Non in cælo beatæ: nam id statui beatitudinis repugnat, vt animæ inde detrudantur in mortalia corpora. Non in Limbo Patrum, aut sinu Abrahamæ, cum is locus esset carcer, & is morte Christi euacuatus fuerit, eductis inde in cælum piorum animabus. Minus in Limbo puerorum, cum is locus non sit nisi Dei inimicorum decedentium in peccato originali. Non denique in Paradiso voluptatis: cum hic locus non animatum, sed corporum sit. His adde, quod non vult Deus sanctissimos viros & sibi charissimos his morte affici.

CAPVT XVII.

Quenam acturi sunt Henoch & Elias tempore Antichristi ex oraculo Apocalypsis.

ANtequam ad ea explicanda quæ de rebus gerendis ab Henoch & Elia contra Antichristum, Spiritus Sanctus refert, explodendæ sunt quorundam absontæ opiniones de tempore, quo venturi sunt magni duo illi Prophetæ. Victorinus in Apocalypsim, ait, Eliam anticipaturum tempora Antichristi. Primasius in 11. Apocalyp. ad vers. 7. *Et cum finierint martyrium suum, Bestia qua ascendit de Abyssu, faciet cum eis bellum, & vincet eos, & occidet eos. Hic liquiddò claret ante nouissimam persecutionem hæc fieri, cum dicat, dum finierint martyrium suum. vtiq; illud quod perhibent, vsque ad reuelationem Bestiæ, quæ est Antichristus.* Eadem Ansbertus, Beda & Haymo.

S. Beda de Ratione temporum, cap. 68. & Rabbanus Opusculo de Antichristo, affirmant ante Antichristi exortum venturos Henoch & Eliam. Vide eorum verba supra, cap. 14. hoc ipsum quoque docent,

cent Compendium Theologiae lib. 7. cap. 12. Dominicus Sotus 4. Sententiarum, Distinctione 46. Quæst. 1. Arti. 1. Sed & Patres illi quos supra lib. 9. cap. 11. adduximus vt S. Hippolytus Martyr, Primasius, S. Beda, vltimam Danielis hebdomadam ad finem mundi referentes, tres annos & sex menses priores dant prædicationi Henoch, Eliæ: alios vero tres & dimidios posteriores eiusdem Hebdomadæ persecutioni Antichristi tribuunt.

Verum & ea quæ Ioannes scribit de duobus his magnis Apostolis, & communis ferme consensus satis demonstrant, prædicante & rerum potente, Antichristo, mirabilem illam bigam Henoch & Eliam apparituros in publicum, & contra Antichristum prædicaturos: neque enim ob aliam rationem mittentur, nisi vt Antichristo se opponant, diuinitatem Christi, & Christianam religionem propugnent, Ecclesiam verbo & miraculis iuuent, Iudæos conuertant, fideles tueantur & seruent.

Sed & S. Vincentius Ferrerius Epistola ad Benedictum XI. eorum opinionem multis confutat, qui Henoch & Eliam ante tempora Antichristi venturos existimant. Sed vide de his latius Bellarminum lib. 3. de Romano Pontifice, cap. 6. Riberam, & Viegam in 11. Apocalypf. Suarez Tomo 2. in 3. Partem, Disputat. 55. Acoftam lib. 3. de Nouissimis temporibus, cap. 9. Florimundum de Antichristo, cap. 46. Lessium demonstratione 15. de Antichristo, & quot de rebus Antichristi ex professo scripserunt.

Iam verba Apocalypfis 11. de rebus gerendis ab Henoch & Eliâ, sub Antichristo, exequamur.

Et Ciuitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus. Persecutionem Antichristi, tempusque, quo duratura est, describit, nempe tres annos cum dimidio, qui sunt quadraginta duo menses, quem locum lib. 13. cap. 8. explicabimus.

Et dabo duobus testibus meis, & prophetabunt. Duos istos testes esse Henoch & Eliam, mirus est consensus Patrum & posteriorum. Seorsim docent id S. Hippolytus Martyr Oratione de Antichristo, S. Cælius, S. Gregorius Nazianzenus frater, apud Cedrenum, pag. 204. S. Ambrosius in Psalm. 45. & Auctor qui nomen eius fert in 1. Corinth. 4. S. Hieronymus Epistola 148. ad Marcellam, S. Prosper in dimidio Temporis cap. 13. S. Gregorius Magnus lib. 9. In Iob, cap. 3. Andreas Aretas, in 11. Apocalypf. S. Beda, de ratione Temporum, cap. 68. Rabbanus Opusculo de Antichristo, Ansbertus, Haymo, Strabus, Ambrosiaster, Ricardus, S. Thomas, Hugo, Dionisius, omnes in hunc locum, Euthimius in Matthæi 20. ex recentioribus, Pannonius, Bulengerus, Ribera, Melus, Sa, Viegas, Mariana in 11. Apocalypfis: & omnes alij miro consensu, qui de rebus Antichristi perscribere, qui sunt innumeri, quibus citandis tempus planè nos deficeret. Huic lumini conatur Alcasat tenebras offundere. Sed faxit Deus ne hominis vana commenta cuiquam placeant, qui ex desperatis, singularibus, reiectis, quorundam explanationibus, suas solet interpolare. Ineptus sim si refutauero, firmus & inuictus, ineluctabili consensu, quem vel nesciuit, vel dissimulauit Alcasar. Præter eos qui scripserunt de Antichristo, vide Pamelium in Notis ad Tertulliani librum de Anima, cap. 50. Numero 565. Mendozam Quæstione 5. Quolibetica Scholastica, §. 7. Vossium in Notis ad Sermonem S. Ephrem de Antichristo.

Et dabo, subaudi, spiritum meum, vel virtutem, aut sapientiam. Vel dabo publicum munus & auctoritatem, seu ministerium verbi designat, vt illud Isaia 49. v. 6. Ecce dedi te in lucem gentium. Alij, & dabo,

& prophetabunt, idest, dabo vt prophetent, faciam eos prophetare, amplissimam prophetandi functionem eis iniungam.

Duobus testibus meis. Græcè, *martyribus*, præclarum & inclytum elogium, qui certissimum testimonium diuinitati æterni Filij Dei reddent, quod etiam fuso sanguine & vita consignabunt.

Et prophetabunt. Verbum prophetandi in sacris libris est Amplissimi significatus, nec tantum significat ventura prædicere; sed etiam munus prophetæ est, explicare sacras Scripturas, declarare Dei voluntatem, concionari, prædicare, docere, instruere populum; missionem suam variis signis & miraculis confirmare. Hic prophetare includit totum & integrum munus optimi & Euangelici prædicatoris, ac ministri verbi.

Amiethi saccis. De vsu & significato huius vocis, Saccus, in sacris litteris differuimus accuratè in Notis Hebraicis Genes. 37. v. 34. Notter vulgaris vocem Hebræam *SAK* in libris veteris instrumenti reddere solet *cilicium*. Hic *saccos* intelligunt vestimenta duriora, crassiora, & asperiora, Hispanicè, *Sayal*, alij texturam esse volunt ex setis aut villis hircorum, seu caprarum: vsum duplicem esse notant, vel ad coercendam, & domandam carnem, quæ cilicia dicimus: vel in luctu & Mæsticia, atque anxietate, exutis, seu laceratis vestibus, splendidioribus, sumebantur: quibus loco interulæ corpus operiebant, & circum lumbos adstringebant. Vide Forsterum, & Mercerum in Lexicis, Fererium in Isaia 20. v. 2. Pinedam in 16. Iob, v. 16.

Hi sunt due oliua, ob pinguedinem magnam, & vbertatem cælestis vñctionis, spiritus, & gratiæ, qua peruncti erunt, & in alios affluenter effundent, abundè fructificantes, iuxta illud Psalm. 51. v. 10. *Ego autem sicut oliua fructifera*. Est autem olea apud Pierium lib. 52. hieroglyphicum fertilitatis, vbertatis, spei, propter perennem frondium virorem: nam folium eius non defluit, Psalm. 118. v. 3. quæ significata Henoch & Eliâ mirè conueniunt.

Et duo candelabra. Lumen Euangelicæ doctrinæ, & splendorem sanctitatis, quasi quædam præcella & erecta vehicula prætendent, in sublime attollent, & ostentabunt.

In conspectu Domini terra stantes. Lucebunt ante Dominum. Obserua disparitatem generum, *candelabra stantes*. Forfan est habita potius ratio sensus, quam verborum, vt intelligeremus Henoch & Eliam: proinde dictum, *stantes*. Vel retinuit Interpres genus & constructionem Græcam *Lychni stantes*. Sic alias consuevit genera Fontis exprimere, tamen si id syntaxis Latina non patiat. Sic in Genesi 3. v. 15. *Ipsæ conteret caput tuum*, idest, Semen, quod Hebraicè est masculinum. Sapientia 1. 7. *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum*: & hoc, hoc nempe Spiritus, Græcè *pneuma*, neutrum, quod continet omnia, scientiam habet vocis. Apocalypf. 10. v. 9. *Accipe librum & deuora illum, & faciet amaricari ventrem tuum: sed in ore tuo erit dulce tanquam mel, liber dulce*, quod Græcum *biblaridion* sit neutrum. Eiusmodi non pauca exempla obseruauit Ribera in 1. Abacuc, Numero 30. & lib. 2. de Templi Fabrica, cap. 2. Sed illud, *in conspectu Domini*, aptè exprimit munus Præcursorum, prælucebunt venturo Domino ad iudicium, faciem Domino venienti præferent. Sic Ioannes Præcursor primi aduentus, dictus est, *lucerna ardens & lucens*, Ioannis 5. v. 35. Psalm. 131. v. 17. *illuminare iis qui in tenebris & in umbra mortis sedent*, Luca 1. v. 79. Forfan illud, *stantes*, non ad candelabra, sed ad id quod proximè antecesserat, *Hi sunt due oliua*, sit referendum, vt in loco

loco Zachariæ, quem sequenti capite elucidabimus.

Et si quis voluerit eis nocere, exiet ignis de ore eorum, & deuorabit inimicos eorum. Id est, oris imperio, seu dicto ignem de cælo excubunt, quo aduersarios momento in cineres & fauillas redigant. Satis his verbis Eliam designat & ad memorabile eiusdem facinus illud alludit, quo duos principes quinquagenarios cum integra cohorte, igne cælesti fulminauit, & exussit, 4. Regum, 1. Sic Iacobus & Ioannes Apostoli contra inhospitales Samaritanos Christum rogabant, Lucæ 9. v. 54. Domine vis dicimus ut ignis descendat de cælo, & consumat illos, sicut & Elias fecit. Hæc quatuor postrema verba, sicut & Elias fecit, non ponuntur in multis latinis exemplaribus, neque in nouissimis Clementis: at leguntur in cunctis Græcis, & pluribus manuscriptis Latinis, & in omnibus Syriacis, agnoscuntque Theophylactus & Euthimius, atque è recentioribus Interpretibus Erasmus, Caietanus, Sanctes, Vatablus, Montanus. Videtur quoque Ioannes hic respexisse ad illud Ecclesiastici 48. v. 1. & 2. Surrexit Elias quasi ignis, & quasi facula verbum eius ardebat. & rursum: Deiecit e cælo ignem terra. Quidam illud, exiet ignis de ore eorum non de reali & vero igne, sed de allegorico seu metaphorico, id est, de vi, & efficacia verbi diuini accipiunt, qua confundent argutias Antichristi, uti Ansbertus, Ambrosiaster, Richardus, S. Thomas, Bulengerus. Sed de corporeo igne loqui Ioannem, Andreas, Arctas, Cælius, Ribera, Sa, Viegas, & alij rectè intelligunt. Appositè annotatum ab Andrea & Arctæ Ioannem hæc dixisse, ut opponeret vera miracula Enoch & Eliæ falsis & præstigiis Antichristi: ille enim ignem de cælo eliciet Apocalyp. 13. v. 13. sed non verum, aut operâ dæmonum: at Sancti illi verum, & diuina virtute.

Hi habent potestatem claudendi calum, ne pluat diebus prophetia ipsorum. Hoc est toto tempore prædicationis eorum, & quandiu durauerit eorum Apostolatus seu missio, quod erit ferme triennium & dimidium anni. Facile quiuis intelligit, hisce verbis veluti digito indicari Eliam, ad cuius insigne factum respicitur, quo Achab regi audeat denuntiare 3. Regum, 17. v. 1. Vinit Dominus Deus Israël in cuius conspectu sto, si erit annis his ros, & pluuia nisi iuxta oris mei verba. Ecclesiastici 48. v. 3. Elias verbo Domini continuit calum. Iacobi 5. v. 16. Elias oratione orauit, ut non plueret super terram: & non pluit annos tres, & menses sex. Sic planè Elias sub Antichristo faciet, qualia olim fecit.

Et potestatem habent super aquas conuertendi eas in sanguinem. Hanc existimantur aliqui rationem inuictam, ob quam sibi persuaderent, socium Eliæ futurum Moysen, quem à Ioanne his verbis satis perspicuè significatum putant. Ille enim quondam in Ægypto aquas conuertit in sanguinem, Exodi 7. v. 15. neque de vlllo alio eiusmodi factum proditur in Scriptura. Verum cap. 19. ostendemus Henoch & Eliam alias plagas Ægyptiacas confimiles in Antichristianos immisuros: Vnde nihil mirum si illi in Antichristianis ea designaturi sint, quæ olim in Ægyptiis Moyses & Aaron patrauerunt.

Et percutere terram omni plaga quotiescumque voluerint. Et eas plagas cap. 19. accuratè describemus. Atque hæc breuiter Ioannes ab Henoch & Elia sub tyrannide Antichristi gerenda perstrinxit, quæ Andreas Cæsariensis Episcopus breui epilogo comprehendit: O immensam Dei benignitatem! qui vulnere inflicto efficacem statim medicinam, infusoque veneno salutare mox antidotum adhibet! Cum enim Antichristi-

Tom. II. de Antichristo.

stus in omnibus prodigijs signisque mendacibus, veneficorum omnium princeps, omniumque præstigatorum coryphæus futurus sit, ut pote vniuersa diaboli fraude & energia perfecte imbutus: Deus optimus Maximus Sanctos illos verorum signorum, atque miraculorum virtute armabit, quo veritatis ostensione mendacium, lucisque patefactione tenebras redarguant: & seductos partim quidam erudito, doctoreque digno sermone: partim verò omni plagarum & calamitatum genere, ut sunt terra siccitas, aeris intemperies, noxia elementorum transmutatio, & alia eiusmodi complura, ad veritatis lucem conuertant: ipsum autem impostorem Antichristum palam reuincant, publicèque confundant. Nihil interim in commodi, neque ab illo, neque ab vlllo alio, donec prophetiam & ministerium suum expleuerint, perperuri.] Eadem propemodum Arctas.

CAPVT XVIII.

Explicatur locus Zachariæ 4. v. 14. Isti sunt duo filij olei, qui assistunt Dominatori vniuersæ terræ.

Ostensum est Prophetæ in diuina visione Candelabrum aureum totum, & in summitate eius Lampas, seu lenticula, seu phiala, seu crater aut discus rotundus vel scaturigo, fonticulus, siue Lecythus, omnia enim hæc vocem Hebræicam *G V L A H* complecti putant, ego propriè Gutturium exposuerim: cum septem lucernis, & cum septem infusorijs, seu infundibulis, quæ ex summitate candelabri oleum in lucernas infundebant. Et dux, inquit, oliuæ super illud: una à dextris lampadis, & una à sinistris eius. Et cum Zacharias ab Angelo qui secum loquebatur, significatum omnium, quæ viderat, exquireret: peculiariter tamen de duobus oleis rogat semel & iterum: Quid sunt duæ istæ oliuæ, seu duæ spicæ oliuatum. Vel rami, ut habent Lxx. vel coni oliuatum. Et respondet Angelus: Isti sunt duo filij olei, qui assistunt Dominatori vniuersæ terræ. Et S. Hieronymo, & cunctis explanatoribus vilis est semper hic locus summæ difficultatis. Hebræi existimant describi hîc à Propheta, sub nomine Candelabri aurei, vniuersè totum illum externum templi apparatus & ornatum sub Zorobabele, quando secundo instaurabatur Domus Domini: duas autem oleas adumbrare Iesum Sacerdotem, & Zorobabelem Principem populi Iudaici, nempe Regnum & Sacerdotium. Ita Rabbi Scelomoh, & Rabbi David Kimchi, Theodoretus, Lyranus, Vatablus, Clarius, Bonauentura, Bertramus, Marinus, Palatius, Figuerius, Castrus, Stunica, Osorius in 4. Zachariæ: Villalpandus Tomo 2. Explanationum in Ezechielem, pag. 354. Appellari autem duas oleas, aut duos filios olei, quod Principes & Sacerdotes Iudaici oleo sacro inungerentur.

Ribera hanc interpretationem, magna argumentorum congerie, ut mos est Patribus, euertere nititur: sed nescio an penitus causam confecerit. Nos accuratiori horum disquisitione ad Expositores amandata, quæ nostri instituti sunt, propriè attingemus. Nonnulli explanatorum Candelabrum aureum Christum intelligunt, ea permoti ratione, quod duæ oleæ, quæ prius dicuntur à Vate adstare à dextris & à sinistris Candelabri, post modum referuntur assistere Dominatori vniuersæ terræ. Alij, ut Tychonius Homil. 8. in Apocalyp. S. Cyrillus in 4. Zachariæ, Ribera, Sa, Candelabrum

Z

Eccle

Ecclesiam accipiunt. Sic enim Ecclesiæ dicuntur candelabra, Apocalypsis 1. v. 20. *Septem candelabra aurea, septem Ecclesie sunt.* Et breuiter Candelabrum, Ecclesia, aureum, propter Charitatem, puritatem ac pretium doctrinæ: *Lampas* in capite Christus caput Ecclesiæ: *lucerna septem*, Iusti omnes, aut Sancti Doctores, seu septē dona Spiritus Sancti: *septem infusoria*, Septem Sacramenta, per quæ vnguentum seu oleum gratiæ in homines defunditur. Iam de duobus oleis, seu duobus filiis olei, cum variæ ferantur intelligentiæ, illam nunc sumimus præsentī instituto facientem, quæ duos Filios Olei Henoch & Eliam venturos tempore Antichristi interpretatur. S. Hieronymus: *Nunc quid ab Ecclesiasticis viris in Commentariis scriptum sit, differamus: Candelabrum aureum de auro purissimo, Ecclesiam intelligunt: Lampadem & ipsi Christum intelligunt.* Et post multa alia subdit: *Duas olivas alij è nostris Henoch & Eliam interpretantur, quorum alter in præputio, alter in circumcissione placuit Deo, & cum corpore raptus in celum est.* Eandem interpretationem amplectuntur S. Gregorius Homilia 12. in Ezechiel. Andreas, Aretas, Victorinus, Ansbertus, Ribera, Sa, Viegas, & alij in Apocalypsi 1. quam sanè non dubitamus cateris anteferre: nam cum Ioannes Apocalypsi 11. vers. 4. de Henoch & Elia inquit: *Hi sunt due olivæ & duo candelabra in conspectu Domini terræ stantes*, vti superiori Capite explicauimus, satis demonstrat respexisse se ad hunc locum Zachariæ, ex quo & verba eadem desumpserit.

Henoch & Eliam filios olei appellat Propheta: vel qui visi fuere tanquam duo tami, seu furculi oliuarum pleni: vel Hebraica phrasi, quæ filium olei dicit, pinguem, fertilem, vberem, opimum. Sic Isaia 5. v. 1. Terra Iudæa appellatur *cornu filius olei*, idest, pinguis, fertilis, vti Chaldaus & Lxx. exposuere, q. d. Cornucopiæ: sic Par illud diuinum dicuntur Filij olei, idest, omnibus diuinæ gratiæ vnguentis assatim perfusi & delibuti, spiritus pinguedine fertiles, Hebræi in Baal Aruc, *Filios olei*, doctos vel doctores appellant, propter nitorem & splendorem doctrinæ: quod aptè Enoch & Eliæ congruit.

Qui assistunt Dominatori vniuersæ terræ, quod Ioannes dixit, *in conspectu Domini terræ stantes*. Primò, qui assistunt Domino, seu stant in conspectu Domini orantes pro gente pia, pro felici Ecclesiarum statu. Secundò Qui præsto adsunt ad iussa capeffenda, qui magna ministeria exequentur, qui Domino in grauissimis functionibus famulantur. Similem phrasim habes 1. Regum 16. v. 22. *Stet David in conspectu meo*. Prouerb. 22. v. 29. *Coram regibus stabit*, Danielis 1. 5. *et starent in conspectu regis*. Lucæ, 1. v. 19. *Ego sum Gabriel, qui adsto ante Deum*. Nam famulorum est ac ministrorum, adstare principibus & Dominis. Tertiò, Quos Deus summa cura, fauore, benevolentia prosequitur, quos coram semper habet tanquam gratissimos, & acceptissimos, quorum præsentia gaudet, quorum delectatur aspectu, qui plurimum apud illum valent ac possunt, primi & intimi amicorum Dei, in flagranti gratia apud Deum habiti. Nam solent familiarissimi Principium nunquam ab eorum latere develi.

Quod veto diuinus Vates pinxit hos duos summos viros à dextris & à sinistris Candelabri, seu lampadis, innuit, futuros eos in maximo illo discrimine, vtrumque brachium ac manum Ecclesiæ, & Christi, nempe præcipua robora, & ministeria quam maximè tunc periclitantis Christianæ religionis.

In plerisque Vulgatæ editionis codicibus, addita voce legitur: *Hi sunt duo filij olei splendoris, qui*

assistunt dominatori &c. Sic enim Regia Biblia à Plantino edita, & quindecim latina vetusta manu scripta exemplaria legebant, eodem teste Pagnino. Verum satis apparet vocem *splendoris* è margine, vbi aliquis tanquam glossēma vocis Hebraicæ adscripserat, in contextum fuisse prolapsam. Siquidem quod Noster cum Symmacho dixerat, *filij olei*, Aquila, filij splendoris exposuit. Lxx. *filij pinguedinis*. Theodotion, *filij claritatis*, vt S. Hieronymus retulit: quod scilicet dictio Hebraica *ITZ HAR*, *oleum*, à claritate, splendore, puritate, nitore, limpiditudine nomen habet. Vide Notas Francisci Luca.

CAPVT XIX.

Plaga quas Henoch, & Elias in Antichristi sectatores immittent.

ETiam illud accuratè prædixit Ioannes tempore illo, quo rerum potietur Antichristus, & Ecclesiam afflictabit, eius sectatores grauissimis plagis ac cladibus afficiendos ab Henoch & Elia, vt olim Ægyptios à Mose & Aaron: atque ita eas Ioannes describit, vt illis Ægyptiaticis quàm similitudine, sed grauiores plane sint futuræ. Sic enim vaticinatur cap. 16. v. 1. *Et audiui vocem magnam de templo dicentem septem Angelis: Ite, effundite septem phialas ira Dei in terram. Et abiit primus Angelus, & effudit phialam suam in terram: & factum est vulnus seuum & pessimum in homines, qui habebant Characterem Bestiæ, & in eos qui adorauerunt imaginem eius.* Loqui hic Ioannem de plagis, quibus impij Antichristiani plectendi sunt, prædicantibus Henoch & Elia in fine sæculi. S. Irenæus diserte annotauit lib. 4. cap. 50. *Si quis autem diligentius intendat iis quæ à Prophetis dicuntur de fine, & quæcumque Ioannes discipulus Domini vidit in Apocalypsi, inueniet easdem plagas vniuersaliter accipere gentes, quas tunc particularim accepit Ægyptus.*

Andreas Cæsariensis Episcopus: *Ceterum ad plagas hæc septem quod expectat, quisquis illas iis commodauerit, qui sub sæculi finem in viuis inueniuntur, is à scopo et arbitror, haud multum aberrauerit. Nam cum Deus sit benignus & clemens, quod supplicia illa quæ in futuro sæculo sine fine inferentur, nonnihil diminuantur, in præsentī vitæ penam promeritos per Henochum & Eliam prophetas: per elementorum rursum intemperiem, & clades atque calamitates, quæ per bella contingunt: per ea olim denique omnia incommoda & mala, quæ Antichristus infert, puniri & flagellari permittet.* Atqui de plagis impiorū sub Antichristo vaticinati Ioannē, Victorinus, Primasius, Aretas, Ansbertus, Gagnæus, Pannonius, Bulengerus, Ribera, Viegas, & alij consentiunt. Et in tam obscuris Apocalypsis tenebris, satis dilucida sunt verba Ioannis: *Character enim Bestiæ, & imago Bestiæ manifestè denotant Antichristum, eiusque sectatores.*

Et vero plagas istas realiter & verè accipiendas esse, non allegoricè aut figuratè, facile quisque prudens assentietur, cum nihil necesse sit ad tropos confugere, cum verba propriè intelligi possint: vti S. Irenæus, Andreas, & alij annotarunt. Vide seorsim Riberam & Viegam. Et proculdubio Ioannes has plagas in mente habuit, cum cap. 11. v. 6. prædixerat, & percutere terram *omni plaga quotiescumque voluerint*. vti cap. 17. annotabamus.

Prima igitur plaga erit, *Vulnus seuum & pessimum in homines*. Græca vlcus malum ac noxium. Non ambigunt

bigunt eruditi plagam istam esse illam Ægyptiacam, Exodi 9. v. 9. *Erunt enim in hominibus & iumentis ulcera, & vecisæ turgentes.* Hebraicè: *Et erit super homines, & super animal SECHIN efflorescens, germinans, erumpens in ABAGHABVGHOTH.* Dux sunt voces difficiles SECHIN, & ABAGHABVGHOTH, de SECHIN, Consentiunt Nostri cum Hebræis esse, *ulcus, in inflammationem, apostema, è calore pro-nuens.* Vatablus Scabiem, Schindlerus, *pustulam ar-dentem pestem* exposuit.

Alteram ABAGHABVGHOTH, Variè red-dunt, Lxx. *vesicæ effervescentes.* Kimchius, San-ctes, *Bullas, seu vesicæ.* Idem Sanctes, *Inflationes,* Reuchlinus, *ampullas, vel inflationes, pustulas, vesti-cas.* Forsterus, *Bullas, papulas, ebullitiones, excrescenti-as, effervescentias.* Philo, Vatablus, Tremellius, Iu-nius, Pomarius, *pustulas.* Leo Iudas, *ulcera Vatablus, furunculos, quos Hispanice vocamus Floriscos.* Olea-ster, *ampullas.* Marinus, *Bullas, pustulas, vesicæ.* Aue-narius, *ebullitiones, suppuratione svebementes, quæ ge-nerant pus & saniem indesinentem.* Ideoque geminari vocem ad maiorem morbi violentiam indicandam. Schindlerus, *Bullas, vesicæ, pustulas, ulcera, aposte-mata, morbum Gallicum.* Buxtorfius, *Bullas, pustulas.* deducunt à verbo BAGHAH, quod elicere, educere, eruere, ebullire significat: Isaia 64. v. 2. *aquis tribuitur cum igni ebulliunt & effervescent.* consentiente voce, facile crediderim, esse morbum, quem Hispanicè vo-camus *Bubas*, quem alij morbum Gallicum, vel mor-bum Indicum appellant, qui erat olim grauissimus, de quo Vide Franciscum Gomaram in Generali In-dia Occidentalis Historia, cap. 29. & recentiores in-numeros. In eo morbo pustulæ seu bullæ, aut papu-læ in facie, & toto corpore erumpunt, germinant, efflorescunt, quasi morbi, & carnis ebullitiones, & effervescentiæ, quas Hispanicè ironicè vocant, *Flo-rezellas*, idest, *flores.* Vnde locum Exodi ita expref-ferim: *Et erit super hominem, & super iumentum in SECHIN, morbum Indicum efflorescentem Bubas, seu pustulas.* Proculdubio SECHIN morbus videtur fuisse qualis ille Indicus, qui pustulas in cutem extruderet.

Vulgaris Interpres *ulcus pessimum* appellat Deute-ronomij 28. v. 35. *percutiat te Dominus ulcere pessimo [Heb. SECHIN] in genibus, & in suris, sanarique non possis à planta pedis usque ad verticem tuum.* Erat morbus insanabilis, totum corpus peruadens. De scribit illum Philo lib. 1. de Vita Mosi: *Homines bruissque dira per totam cutem inussit ulcera, carnibus simul intumescentibus, & fædis pustulis scatentibus, ac se succensa clam efferverent.* Quo cruciatu sicut par erat, in exulceratione ac inflammatione oppressi, non minus animo laborabant, quam corpore, misere vexati doloribus. Videbatur enim unum ulcus à vertice usque ad imos pedes, his quæ membratim sparsa erant, continua serpentine in unum coeuntibus.] Iosephus 2. Antiquita-tum, cap. 5. *Exulceratis intus in cute corporibus, miserabi-lem in modum non mediocri numerus absumebatur.]*

Et Satan percussit S. Iob eodem ulcere pessimo [He-braicè SECHIN] à planta pedis usque ad verticem eius, cap. 2. v. 7. Quo loco Chrysostomus, & Apollinaris in Græca Catena Olympiodori, Philippus, S. Beda Steu-ehus, Vatablus, Stunica, Cyprianus Cisterciensis, mor-bum Iob elephantiasim putant. Idè Vatablus, Cypria-nus, Schindlerus, morbum Gallicum, seu Indicum. Affatim de his Pineda in eum locum. Hoc igitur ulcere pessimo fæuo, & atroci excruciantos Antichristianos Ioannes affirmat: fortasse propter eorum immensam lasciviã.

Secunda plaga erit: *Et secundus Angelus effudit phialam suam in mare, & factus est sanguis tanquam mortui.* Id est, cruor tam recens ac ruber, ut ille qui

effunditur ex homine cum iugulatur: vel niger & crassus, ut hominis mortui, iam conuersas in saniem & tabum: vel tanquam si in ipso mari iugulata fuis-sent multa hominum millia, ex quorum effuso cruore totum ipsum mare tingeretur.

Et omnis anima viuens mortua est in mari. Id est, om-nes pisces mortui sunt. Forfan intelligit nauigantes, qui tum reperti sunt in mari. Mare porò accipimus Palæsthinum, quod Iudæam alluit, fortasse etiam Ægy-ptium, Pheniciam, & Syricum propinqua iis locis, ubi erit sedes Imperij Antichristi, & maior numerus Anti-christianorum reperietur. An loquitur de maribus in-ternis Palæstinae Samochonite, Gadaræo, Genasari-co, Asphaltite?

Tertia plaga: *Et tertius Angelus effudit phialam suam in flumina, & fontes aquarum: & factus est sanguis.* Hæc plaga similis est illi Ægyptiacæ, de qua Dominus Exodi 7. v. 19. *Tolle virgam tuam, & extende manum tuam super aquas Ægypti, & super fluuios eorum, & riuos, ac paludes, & omnes lacus aquarum, ut vertantur in sanguinem: & sit cruor in omni terra Ægypti, tam in ligneis vasis, quam in saxeis.* Feceruntque Moyses & Aaron sicut præceperat Dominus. Et eleuans virgam per-cussit aquam fluminis coram Pharaone & seruis eius, quæ versa est in sanguinem. Et pisces qui erant in flumine, mortui sunt, computrueruntque fluuius, & non poterant Æ-gyptij bibere aquam fluminis. Et fuit sanguis in tota terra Ægypti. Eiusmodi omnia euentura Antichristianis in Iudæa Ioannes affirmat. Vnde Angelus aquarum præ-ses, exclamauit: *Iustus es Domine, quia sanguinem San-ctorum & Prophetarum effuderunt: & sanguinem dedisti eis bibere: digni enim sunt.* Andreas: *Ostenditur per hæc eadem quoque per multos tempore illo quo Antichristus habebitur, passim occursuros, qui propter singularem in fide constantiam, prophetia donum consequentur: qui ea etiam de causa à diaboli satellitio trucidabuntur.] Aretas: Sanctorum, qui ab Antichristi fautoribus propugnatori-busque afflicti fuerint: prophetarum vero, hoc est, et Enoch & Elia, quoniam illos quoque internecabunt.]*

Quarta plaga: *Et quartus Angelus effudit phialam suam in solem, & datum est illi æstu affligere homines, & igni: & æstuauerunt homines æstu magno, & blasphemauerunt nomen Dei habentes potestatem super has plagas, neque egerunt poenitentiam, ut darent illi gloriam.* Reuo-cant hæc nobis in memoriam, quæ de Atlantis montis incolis Herodotus lib. 4. Numero 184. refert: *Et solem transcendentem execrantur, eique præterea omnia conuitia ingerunt, quod torridus & ipsos & regionem perdat.]* Mela lib. 1. cap. 8. *Atlantes solem execrantur, & dum oritur, & dum occidit, ut ipsi, agrisque pestiferum.]* Plinius lib. 5. cap. 8. *Atlantes solem orientem, occidentemque dira imprecatione contemunt, ut exitialem ipsis agrisque.]* Soli-nus cap. 34. *Atlantes diris solis ortus excipiunt, diris occa-sus prosequuntur, vsti undique torrentis plagæ sidere, ode-runt Deum lucis.]* Nicolaus de Moribus gentium apud Stobæum Sermone 44. *Apharantes [forte Atlantes] Libyæ soli orienti conuitantur, ut qui multa mala con-spectui offerat. Quod putant respexisse Iob, 3. v. 8. Male-dicant ei, qui maledicunt diei, ut ex his cernas quàm in-tolerabilis sit solis ardentis vis, quæ homines in bla-sphemias adigat.*

Quinta plaga: *Et quintus Angelus effudit phialam suam super sedem Bestiæ. Et factum est regnum eius te-nebrosum: & commanducauerunt linguas suas præ dolores & blasphemauerunt Deum cali præ doloribus & vulneri-bus suis, & non egerunt poenitentiam ex operibus suis.* Putamus hinc sub vna plaga duas comprehendi crudeles sanè quæ simul infligentur. Prior instar illius Ægyp-tiæ de crassis & palpabilibus tenebris, Exodi 10. v. 21. *Nimirum super Ierusalem & totam Iudæam, quæ*

Sedes & thronus erit regni Antichristi, effundentur densissimæ tenebræ, super Antichristianos, tam horribiles & spissæ, ut palpari, attractarique possint: & nemo vel alterum videre, aut de loco in quo erit, moueri valeat, quamdiu tenebræ durabunt: cum tamen pij & orthodoxi in clara luce sint futuri, ut quondam Israëlita in Ægyptiacis tenebris. Satis apertè significat hic Ioannes se de Antichristo eiusque regno ac sectatoribus loqui, cum sedem Bestiæ nominat, quam Bestiam non aliam intelligit, quam illam cap. 13. nempe Antichristum. Andreas: *Phiala super Bestiæ sedem effusa, eiusmodi iram super Antichristi regnum venturam indicat.* Arctas: *Thronum siquidem regnum dicit: Bestiam vero, Antichristum.* Altera plaga erit, vulnera, & sæui dolores, quod Deus immitet, ut se in tenebris illis rabie in furorem Versi, more Andabatarum inuicem trucident: nam & vulnerum Cruciatu, & tenebræ densissimæ omnia in desperationem vertent. Quod verò ait, & *commanducauerunt linguas suas præ dolore.* Vel certe ita fiet, nam de Georgio Castrioto fortissimo Epirotarum Imperatore prodit Marinus Barletius, interdum præ angore animi cogitandum sibi labia dentibus præcidere solitum, ut sanguis etiam per barbam & pectus deflueret. Vel est summi doloris & indignationis Scita descriptio, aut hyperbole.

Si quis verò nolit in hac quinta duas includi plagas, & velit hanc plagam vulnerum & dolorem non esse aliam à prima: faciliè dicet, in quinta ista tenebrarum plaga, cum viderint Antichristiani, se tot iam præcedentibus plagis afflictos, tot vulneribus, aut ulceribus fessos, nec adhuc esse finem malorum: ad summam desperationem adactos per extremam rabiem doloris erupturos in Dei blasphemias, & linguas suas commanducatuos ac sputuros in cælum.

Sexta & Septima plaga referendæ sunt ad supremum illud & memorabile prælium Gog & Magog, de quo lib. 12. cap. 7. accuratè dicemus. Cæterum præfatas quinque plagas, & alias multas per Henoch & Eliam, Angelorum præcipuis adminiculis, iubente Deo esse in Antichristianos eo tempore intorquendas, qui non secus ac Moyses & Aaron olim Ægyptios, diuinis atque admirandis cladibus impios Antichristi sectatores afficient, nemo eruditus & prudens dubitauerit, qui omnia ista de plagis hic à Ioanne conscripta, cum iis quæ Ioannes idem, cap. 11. v. 5. de rebus ab Elia & Henoch tempore Antichristi gerendis prius dixerat, attentè contulerit: ait enim: *Et si quis voluerit eis nocere, ignis exiet de ore eorum, & deuorabit inimicos eorum. Hi habent potestatem claudendi cælum, ne pluat diebus prophetia ipsorum: & potestatem habent super aquas conuertendi eas in sanguinem: & percutere terram omni plaga, quotiescumque voluerint.* Quis enim non videt istas plagas cap. 16. descriptas, easdem omnino esse, quas in potestate Henoch & Eliæ esse cap. 13. docuerat. Quod apertius idem Ioannes significat, cum cap. 11. v. 10. enarrans ingens gaudium quod Antichristiani capient de cæde Henochi & Eliæ, ait: *Quoniam hi duo Prophete cruciauerunt eos.* Nihil clarius dici potuerit ad indicandum, omnes istas nuper prædicas plagas, ab Henoch & Elia Antichristianis inferendas. Atqui Andreas, Arctas, & alij peculiariter annotant, Henoch & Eliam futuros inflictores harum plagarum.

De his Antichristianorum plagis proculdubio loquutus fuit S. Hippolytus Oratione de Antichristo, cum inquit: *Tunc homines ubi sigillum* [nempe Chatterem Antichristi] *acceperint, nec escas, nec aquam inuenerint, adibunt eum cum voce acerba dicentes, Da nobis quod edamus, & bibamus. Nam omnes præ fame, cunctisque ne-*

cessitatibus deficiamus. Tunc cælum præbere nobis aquam, abige à nobis bestias, homines deuorantes. Tunc dolosus ille respondens, multa cum inhumanitate subsannabit illos, his verbis: cælum negat pluuiam, terra non iterum producit germina sua: vnde nam ego vobis alimenta suppeditabo? Tunc plangent misere, plorabunt vehementer, faciem manibus suis contudent, Capillos suos euellent, genas unguibus dilacerabunt, alius alij dicentes, O calamitatem! O acerbam negotiationem! O pactum fraudulentum! O casum ingentem! quomodo nos Impositor seduxit! &c.] Vide plura de hac re verba S. Hippolyti quæ descripsimus lib. 9 cap. 9.

S. Ephraem Syrus Sermone de Antichristo: *Cuncti verò qui callidissima crediderint Bestia impiumque illius scelesti characterem pro signaculo acceperint, simul ad ipsum accedent, cum angustia atque dolore dicentes: Da nobis quod edamus atque bibamus, quoniam ecce cuncti deficiamus fame tabefacti, cuncti simul perimus, & amara morte morimur: fera animantia, venenataque à nobis depelle bestias, ne nos perimant, deuorentque. Cùmque non sit impuro illi quod eis dare possit, ad eos pariter omnes, magna cum seueritate ac ira responsurus est: Unde à me dari vobis vultis quod edatis, atque bibatis, o homines, cum cælum terra pluuiam denegat, terraque ideo prorsus, germinare ac fructificare nequeat. Quibus auditis populi ingemiscunt, flebuntque inter tot angustias omni penitus solatio destituti: addeturque ipsorum afflictioni afflictio verbis non exprimenda, quod ita se promptos ad Bestia credendum exhibuerint. Contabescunt satellites Draconis, præ timore ac terra motu, sonituque maris, fame atque siti, moriūque serpentum.*

CAPVT XX.

*Clarissimum Henoch & Elia martyrium,
Resurrectio, & in celos assumptio,
ex Apocalypsis 11. vers. 7.*

Mirè S. Ioannes, nedum ut vates, sed ferè ut Historicus inclutum Henoch & Eliæ martyrium, & glorificationem in hunc modum describit.

Et cum finierint testimonium suum. id est, expleto tempore prædicationis suæ, quæ testimonium perhibebunt veritati, fraudes Antichristi detegent, Fideles confirmabunt, Iudæos conuertent, diuinitatem Christi Scripturis & miraculis egregiè comprobabunt: nam antea ne pilum à quoquam lædi poterunt.

Bestia quæ ascendit de Abyss. hoc est, Antichristus, quo eum nomine solet insignire Ioannes, ut latè toto hoc opere demonstramus. Et quidem hic Bestiam quæ ascendit de Abyss intelligi Antichristum, diserte docent, S. Ambrosius in Psalm. 45. cuius verba descripta habes supra, cap. 15. Andræas, Arctas, Victorinus, Primasius, Ansbertus, Ambrosiaster, Haymo, Anselmus Laudunensis: ex recentioribus, Pannonius, Bulengerus, Gagnæus, Ribera, Sa, Viegas: & plurimi alij, qui de Antichristo scripserunt, mortemque Henoch & Eliæ ab Antichristo patranda exposuerunt.

Faciet aduersus eos bellum. Videntur hæc verba ingentem continere emphasim: cum enim Antichristo à Deo permissum fuerit, ferro, igneque, & omni tormentorum genere, plurimæque carnificum & satellitum turba, quasi grande & atrox prælium factorus, eos aggredietur: ac totis ipsis suis, suorumque viribus in eos insurget. At Sancti Viri cum viderint suum proximè imminere martyrium, confirmatis fidelibus, morte sua prænuntiata, magnis diuinæ gratiæ fulti prædiis, tamquam mites agni ad victimam procedent.

Et vincet illos. Non quidem eorum animum, fidem, constantiam, virtutem. Absit! sed corpora: nam statim se explicat.

Et occidet eos. Et, pro, idest, passim in scripturis: vincet illos, hoc est, occidet eos. Victoria Antichristi in Sanctos illos, non alia erit, quam quod eos interficiet.

Et corpora eorum iacebunt in plateis. In plateis dictum putant, more Hebraico, pro, in una platearum. Iudicum 12. v. 7. *Sepultus est in vrbibus Galaad*, hoc est, in una vrbium Galaad. De quo more loquendi vide Martinum Cantapetrensem lib. 6. Hypotyposeon, cap. 1. Ribera annotat, *In plateis*, quod scorsim vnum corpus in vna, & aliud in alia platea ponetur. Sed aptius intelligemus, per summam crudelitatem, raptanda corpora per plateas & vicos ad ostentationem. Andreas: *Ipsumque corpora per plateas veteris, & iam eversa Ierosolyma, in qua Christus quoque Dominus noster passus est, vltro citroque iactata, insepulta relinquet.* Eadem Aretas. Fera inhumanitas, exanimata corpora inhuniata abiicere, etiam apud barbaras gentes: & sepultura solatio carere summa infelicitas: unde tanta sepeliendi, cura, & religiones sepulchrorum apud nationes: vti notant Caelius lib. 17. Lectionum Antiquarum, cap. 19. & Polydorus de Inuentoribus Rerum lib. 6. cap. 10. & alij passim. Sed longe ferior immanitas scire in corpora interfectorum. *Civitatis magna, que vocatur spiritualiter Sodomam, & Aegyptum, ubi & Dominus eorum crucifixus est.* Non poterat verbis magis apertis urbem Ierosolymam designare: quæ tunc à Iudæis, Antichristoque instaurata, erit amplissima, & sedes regni eius, vt lib. 6. cap. 37. & seqq. fusè ostendimus: quæque tunc propter Antichristum, eiusque vitia, ac suorum Sodomam & Aegyptum multo peiorerit. Et quidem hæc de vera & corporea Ierosolyma, loqui Ioannem, præterquam quod illud manifestissime euincit. *ubi & Dominus eorum crucifixus est:* affirmant quoque explanatores omnes, Victorinus, Primasius, Andreas, Aretas, Ansbertus, Ambrosiaster, Rupertus Richardus, Haymo, Anselmus Laudunensis, S. Anselmus, S. Thomas: ex recentioribus, Gagnæus, Pannonius, Bulengerus, Ribera, Melus, Sa, Viegas: & omnes ferè qui de Antichristo perscribere, deque sede regni eius, deque Henoch & Eliæ interfectione. Quo circa quod S. Hieronymus Epistola 17. contendit, hic non veram Ierosolymam, sed mundum malorum conceptaculum figurate intelligi, videtur potius rhetorico more lusisse, vt Marcellæ Ierosolymam magis commendaret, & quæcumque inuidiam ipsi Ierosolymam conciliare viderentur, amoliret: quo Marcellam eo inuitaret. Sed S. Hieronymo abundè responsum est à Bellarmino lib. 3. de Romano Pontifice, cap. 13. Ribera in 11. Apocalypf. Numero 21. & seqq.

Et verò nulla alia maior ratio esse potest, cur Antichristus præclaros duos istos Athletas in Ierosolymam sit interfector, nisi quod in illa vrbe primariam imperij sedem sit habiturus, vbi ipso præsentem & iubente atrocior in Ecclesiam exurgeret persecutio, & plures martyres trucidabuntur. Id enim signatè annotarunt, Andreas, Aretas, Ansbertus, quorum sententias lib. 6. cap. 37. descripsimus: & plerique recentiorum. Vide Bellarminum & Riberam locis nuper citatis, Lessium Demonstratione 12. de Antichristo.

Et videbunt de tribubus, & populis, & linguis, & gentibus corpora eorum per tres dies & dimidium: & corpora eorum non sinent poni in monumentis. Nulla vrbs in toto orbe tunc erit frequentior concursu hominum & nationum, vt Ierosolyma, non olim Babylon, non Alexandria, non Roma, pro-

pter sedem regni Antichristi, quo maior monarchia nullus ante ipsum fuit, nec regnis, nec opibus, nec copiis militaribus, nec potentia. Id quidem fiet diuina prouidentia, vt corpora Sanctorum in tam maximo mortalium spectaculo insepulta iaceant tres dies & dimidium, quod quanto mors notior, & patentior, tanto resurrectio & glorificatio sit clarior & illustrior.

Et inhabitantes in terra gaudebunt super illos: & munera mittent inuicem. & iucundabuntur. Quæ solent fieri in communi gaudio. Polybius de Carthagenensibus Victo & Capto Attilio Regulo, lib. 1. *Significanda lætitia nihil reliqui fecerunt: Cum gratias Deo agentes, cum mutua inter se benevolentia officia usurpantes.* Munera apud Romanos in Natalitijs, & Saturnalibus vltro citroque militari solita, è Plinio lib. 4. Epistola 9. ad versum, aliisque notum est.

Quoniam hi duo Propheta cruciauerunt eos qui habitabant super terram. Nimirum immisissis tot plagis, quas superiori capite explicauimus: dulcedine vindictæ, & liberatione à tot Cladibus quam maxime lætabuntur.

Et post dies tres & dimidium spiritus vitæ à Deo intravit in eos: & steterunt super pedes suos, & timor magnus cecidit super eos qui viderunt eos. Et audierunt vocem magnam de celo dicentem eis: Ascendite huc. Et ascenderunt in celum in nube: & viderunt illos inimici eorum. Ingens planè atque clarissimum miraculum! postquam tres dies & dimidium mortui iacuerint, in frequentissimo orbis theatro, innumeris mortalibus videntibus, & stupentibus, resurgent viui, integri & cum splendidissima gloria in nobis lucida in celum ascendent, rumpentibus se odio & invidia aduersariis. In quo patentissimo miraculo nulla poterit vel leuis esse suspicio falsi.

Antevertent igitur generalem iustorum corporum resurrectionem, & glorificationem: vt certum est de Dei Genitrice, eam iam ad immortalem & gloriosam vitam resurrexisse: & plurimum sententia de illis quoque docet, quicum Christo surrexerunt. Neque iis officiant Verba Pauli Hebræor. 11. v. 30. *vt non sine nobis consummarentur.* De quo loco vide Paulinos expositores, & in primis Bellarminum lib. 1. de Beatitudine Sanctorum, cap. 3. Nunc satis fuerit annotare, paucorum priuilegium, non derogare legi communi. Et vniuersè videtur velle Paulus, Patres Veteris Testamenti non prius degustasse animæ beatitudinem, quam Noui.

Atque hætenus puram & simplicem narrationem de morte, resurrectione, gloria Henoch & Eliæ, ex verbis Apocalypsis, sine tropis & ambagibus perduximus. Reliqua ex Explanatoribus petenda. Et quidem Henoch & Eliam interficiendos & trucidandos ab Antichristo, docent apertè Tertullianus de Anima, cap. 50. Hippolytus Oratione de Consummatione Mundi, Auctor apud S. Cyprianum de Montibus Sina, & Sion, S. Cæsarius S. Gregorij Nazianzeni frater, apud Cedrenum, pag. 204. S. Ambrosius in Psalm. 45. & eius nomine Auctor in 1. Corinth. 4. S. Hieronymus Epistola 148. ad Marcellam, S. Prosper in Dimidio Temporis, cap. 15. & 16. S. Gregorius li. 14. in Iob, c. 11. & lib. 9. in Iob cap. 3. S. Beda de Ratione Temporum, cap. 68. & in 11. Marci Rabbanus Opusculo de Antichristo, S. Ioannes Damascenus lib. 4. de Fide Orthodoxa, cap. 27. Andreas, Aretas, Primasius, Ansbertus, Haymo, Ambrosiaster, in hunc locum Apocalypsis 11. recentiores nominare omitto, qui sunt innumeri: Et quotquot de Antichristo cōscripserūt. Vide c. 14. & 17.

Sed interfectis Henoch & Eliæ, atque in vitā immortalem excitatis, euectisque in celū, quidnam mirabile

& funestum Antichristianis accidet, S. Ioannes eodem capite 11. v. 13. statim subdit in hunc modum: *Et in illa hora factus est terre motus magnus, & decima pars Ciuitatis cecidit: & occisa sunt in terra motu nomina hominum septem millia.* Terræ motum hunc verum & realem intelligi, Andreas & Aretas annotarunt, & plerique etiam recentiorum. Nec est insolens eiusmodi terræ motibus ingentes vrbes hauriri, & multa millia hominum perire: ergo tam fæda decimæ partis Ierusalem ruina, & septem millium hominum clade, vltus statim est Deus Henoch & Eliæ iuiustissimam necem.

Sed quid illud est, *occisa sunt nomina hominum septem millia*? quid est *occidi nomina*? Aretas exponit, occisi sunt septem millia hominum, quorum sigillatim posita & expressa sunt nomina. Ribera, *Nomina hominum*, phrasi Hebraica, idest, homines. Apocalypf. 3. v. 4. *Habes pauca nomina in Sardis.* idest, paucos homines. Ita quoque Mariana. Sâ, *nomina hominum.* Idest numerus hominum. Actorum 1. v. 15. *Erat autem turba hominum.* Græcè, *numinum*, simul fere centum viginti. Hebræis *viru nominis*, vel *homines nominis*, Genes. 6. v. 4. dicuntur, homines famosi, inclyti, nominati, nobiles, clari, insignes. Forſan innuit Ioannes ex præstantioribus & clarioribus Antichristianis septem millia terræ motu illo oppressa: cum viliū animarum maior fortasse fuerit numerus, Nihil mirum terræ motibus tantas edi clades, cum innumera eiusmodi prodita sint Annalibus, seorsim illa duodecim vrbiū in Asia sub Tiberio, de qua Plinius lib. 2. cap. 84. Tacitus Annal. 2. & alij: & illa Antiochena sub Traiano, de qua Dio lib. 68. Hos septem millia terræ motu haustos fortè ex Iudæis Antichristo credentibus futuros, Andreas Cæsariensis Episcopus obseruauit.

Addit Ioannes, de viso terræ motu, & clade tot millium: *Et reliqui in timorem missi sunt, & dederunt gloriam Deo cali.* Videtur hic Ioannes duo genera hominum, qui tunc Ierosolymis erunt, distinguere: alterum Antichristianorum, de quibus ait: *Et reliqui in timorem missi sunt.* Alterum piorum, de quibus dicit: *& dederunt gloriam Deo cali, & dederunt,* pro aut dederunt, vt Actorum 3. v. 6. *Argentum, &* pro aut, *aurum non est mihi.* Sic numeror. 30. v. 4. 5. 6. & 11. Haymo, & alij annotarunt, viso tam ingenti miraculo, plures ex Antichristi sectatoribus, redituros ad Fidem: quod est cum primis verisimile.

*Tempus prædicationis Henoch
& Eliæ.*

Apocalypf. 11. v. 3. ait Ioannes de Henoch & Elia: *Et dabo duobus testibus meis & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis.* Andreas, Aretas, Vi-

ctorinus, Ansbertus, Anselmus Laudunensis, & alij in hunc locum, Rabbanus Opusculo de Antichristo, intelligunt, hos bis mille ducentos sexaginta dies, esse tres annos & dimidium, nempe idem omnino tempus, quo rerum potiturus est Antichristus. Sed omnino annotat Strabus hos 1260. (2260.) dies non integrè conficere tres annos & sex menses, quibus duratura est persecutio Antichristi, nam deesse ferme viginti dies. Suarez Tomo 2. in 3. Partem, disputatione 55. sectione 2. ex S. Anselmo in Elucidario obseruat, Henoch & Eliam, totos viginti dies, post captam Antichristi persecutionem, auspicaturos suam prædicationem, vt prope suum interitum Antichristus illos interficiat: sicque viginti diebus contractior erit prædicatione Henoch & Eliæ, persecutione & tyrannide Antichristi. Sed magis consentaneum videtur, Henoch & Eliam suam prædicationem, simul atque Antichristus Ecclesiam persequi incipiat, exorsuros: sed macandos ab Antichristo viginti diebus ante suam ipsius necem: ac propterea his viginti diebus dici breuiorem prædicationem eorum, Antichristi tyrannide. Quæ ratione aptè omnia conueniunt. Quoeirca nescimus, cur Bellarminus lib. 3. de Romano Pontifice, cap. 8. Suarez Tomo 2. in Tertiam Partem, Disputatione 55. Sectione 2. maluerint dicere Henoch & Eliam triginta dies ante mortem Antichristi esse ab eodem trucidandos. Vide lib. 9. cap. 16.

Lactantius Firmianus omnia quæ Ioannes de duobus testibus Dei, contra Antichristum venturis, Apocalypf. 11. prædixit: de vno tantum, eoque anonymo est interpretatus lib. 7. cap. 17. in hunc modum scribens: *Imminente iam temporum conclusione, Propheta magnus mittetur à Deo, qui conuertat homines ad Dei agnitionem, & accipat potestatem mirabilia facienda ubicumque non audierint eum homines, claudet celum, & abstinabit imbres, & aquam conuertet in sanguinem: & cruciabit illos siti, ac fame: & quicumque conabitur eum ledere, procedet ignis de ore eius, atque amburet illum. His prodigijs atque virtutibus conuertet multos ad Dei cultum: peractisque operibus ipsius; alter Rex orietur ex Syria, malo spiritu genitus euerſor ac perditor generis humani, qui reliquias ipsius prioris mali cum ipso simul deleat. Hic pugnabit aduersus Prophetam Dei, & vincet, & interficiet eum & insepultum iacere patietur: sed post diem tertium reuiuſcet atque inspectantibus & mirantibus cunctis rapietur in celum.*

Illud rectè Lactantius quod Caput vndecimum Apocalypf. de duobus testibus, ad tempora Antichristi, cum alijs retulit; illud tamen perperam, quod, quæ Ioannes de duobus Prophetis præuidit, ipse de vno tantum referat. Non erat admodum peritus Lactantius Sacrarum Scripturarum: nec mirum si vaticinium Apocalypf. fecius intellexit.





D E ANTICHRISTO, LIBER VNDECIMVS.

DE CONVERSIONE IVDÆORVM AD FIDEM CHRISTI,
SVB FINEM SÆCVLI.

CAPVT I.

Referuntur diuina Promissiones, ex quibus male intellectis Iudæi sperant, redituros se in Iudæam, Ierusalem & Templum instauraturos, ac ibi feliciter cum suo venturo Messia regnaturos.



S V O, quem Iudæi adhuc venturum sperant, Messia, hoc est, ipsissimo Antichristo, tria inter alia potissimum expectant. Primum se ex omnibus mundi regionibus, vbi extorres & dispersi detinentur, colligendos & congregandos tandem per suum, Messiam, atque reducendos in Iudæam autum solum. Secundum, Ierusalem & templum, cum sacrificiis Mosaycis, & cætero legis ornatu, & sanè apparatu magnificentiori, quàm vnquam antea fuere, denuò instauranda. Tertium, regnaturos ibi felicissimè cum suo Messia atque in omni copia, & rerum omnium bonarum affluentia, quæ ad voluptates & delicias corporeas attinent, victuros: subactis, ac sub Imperium missis cunctis nationibus: fixo ac stabilito in Ierusalem regno sempiterno. Tanta hæc sibi ex his scripturis pollicentur,

Primum illud vt credant, ex sequentibus locis mouentur. Primus, Deuteronomij 30. v. 3. *Reducet Dominus Deus tuus captiuitatem tuam, ac miserebitur tui, & rursum congregabit te de cunctis populis, in quos te antea dispersit. Si ad cardines celi fueris dissipatus, inde te retrahet Dominus Deus tuus, & assumet, atque introducet in terram, quam possederunt patres tui, & obtinebis eam: & benedicens tibi, maioris numeri te esse faciet, quam fuerunt patres tui.*

Secundus locus, Psalm. 146. v. 2. *Edificans Ierusalem Dominus, dispersiones Israël congregabit.* hoc est dispersos Israëlitas.

Tertius locus, Isaia 11. v. 12. *Et leuabit signum in nationes, & congregabit profugos Israël, & dispersos Iuda colliget, à quatuor plagis terra.*

Quartus locus, Isaia 14. v. 1. *Miserebitur enim Dominus Iacob, & eliget adhuc de Israël, & requiescere eos faciet super humum suam.*

Quintus locus, Ieremiæ 23. v. 3. *Et ego congregabo reliquias gregis mei de omnibus terris, ad quas eiecero eos illuc: & conuertam eos ad rura sua: & crescent & multiplicabuntur.*

Sextus locus, Ieremiæ 31. *Ecce ego congregabo eos*

de vniuersis terris, ad quas eieci eos in furore meo, & in ira mea, & in indignatione grandi: & reducam eos ad locum istum, & habitare eos faciam confidenter.

Septimus locus, Ezechielis 37. v. 21. *Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego assumam filios Israël de medio nationum, ad quas abierunt, & congregabo eos vndique, & adducam eos ad humum suam.*

Octauus locus, Ezechielis 39. v. 25. *Vbi post descriptum ingens illud prælum Gog & Magog, subdit: Propterea hæc dicit Dominus Deus: Nunc reducam captiuitatem Iacob, & miserebor omnis domus Israël: & assumam zelum pro nomine sancto meo. Et portabunt confusionem suam, & omnem preuagationem, qua preuaticati sunt in me, cum habitauerint in terra sua confidenter neminem formidantes: & reducam eos de populis, & congregauero de terris inimicorum suorum, & sanctificatus fuero in eis in oculis gentium plurimarum. Et sciens quia ego Dominus Deus eorum, eo quod transtulerim eos in nationes, & congregauerim eos super terram suam, & non dereliquerim quemquam ex eis ibi. Et non abscondam ultra faciem meam ab eis, eo quod effuderim spiritum meum super omnem domum Israël, ait Dominus Deus.*

Nonus locus, Osee 3. v. 4. *Quia dies multos sedebunt filij Israël sine rege, & sine principe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine ephod, & sine iberaphim. Et post hæc reuertentur filij Israël, & querent Dominum Deum suum, & Dauid regem suum, & pauebunt ad Dominum, & ad bonum eius in nouissimo dierum. Plura sunt eiusmodi scripturæ loca, sed hæc hic adduxisse sat sit.*

Secundum quod futurum sperant Iudæi, ex iis locis sibi persuadent. Primus locus, Psalm. 50. v. 20. *Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion: vt edificentur muri Ierusalem. Tunc acceptabis sacrificium iustitia, oblationes, & holocausta, tunc imponent super altare tuum vitulos.*

Secundus locus, Psalm. 146. v. 2. *Edificans Ierusalem Dominus, dispersiones Israël congregabit.* Id est, cum dispersos Israëlitas congregabit, edificabit Dominus Ierusalem,

Tertius locus, Ieremiæ 31. v. 4. *Rursumque edificabo te, & edificaberis virgo Israël, & v. 38. Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & edificabitur ciuitas Domino à turre Hananeel vsque ad portam anguli &c. quem locum peculiariter explicabimus, cap. 7.*

Quartus locus Amos 9. v. 11. *In die illa suscitabo tabernaculum Dauid, quod cecidit: & reedificabo aper-turas murorum eius: & ea quæ corruerant, instaurabo: & reedificabo illud, sicut in diebus antiquis, vt possideant*

deant reliquias Idumæa, & omnes nationes, eo quod inuocatum sit nomen meum super eos, dicit Dominus. Et vers. 14. Et conuertam captiuitatem populi mei Israël: & edificabunt ciuitates desertus, & inhabitabunt, &c.

Tertium quod sibi promittunt, è sequenti vaticinio colligunt, Isaia 65. v. 18. Quia ecce ego creo Ierusalem exultationem, & populum eius gaudium. Et exultabo in Ierusalem, & gaudebo in populo meo: & non audietur in eo ultra vox fletus, & vox clamoris. Non erit ibi amplius infans diem, & senex qui non impleat dies suos: quoniam puer centum annorum morietur, & peccator centum annorum maledictus erit. Et edificabunt domos, & habitabunt: plantabunt vineas, & comedent fructus earum. Non edificabunt, & alius habitabit: non plantabunt, & alius comedet: secundum enim dies tigni erunt dies populi mei, & opera manuum eorum inueterabunt: electi mei non laborabunt frustra, neque generabunt in conturbatione: quia semen benedictorum Domini est, & nepotes eorum cum eis. Lupus & agnus pascuntur simul, leo & bos comedent paleas: & serpens pulvis panis eius. Non nocebunt, neque occident in omni monte sancto meo, dicit Dominus. Similia habet cap. 11. & Ieremias 31. à vers. 4. ad 15. Et multa sunt huius generis scripturæ loca, quæ opulentum Imperium, & summam felicitatem Iudæis sub Messia promittere videntur. Atque hæc satis: nam qui plura scire velit de his quæ Iudæi à suo Messia expectant, adeat Nicolaum Porchetum Parte. 1. victoriæ Verbi contra Iudæos cap. 4. & 5. Petrum Galatinum lib. 5. de Arcanis Catholicæ veritatis, à cap. 7. vsque ad 12. Hadrianum Finum lib. 7. Flagelli contra Iudæos integro, Hieronymum à Sancta Fide libris duobus aduersus Iudæos, Alfonsum Spineum in Fortalitio Fidei lib. 3. Samuelem Marrochianum libro de Aduentu Messia. Extant duo volumina Erattis Raymundi Martini Ordinis Prædicatorum, manu scripta, quorum alterum inscribitur, *Capistrum Iudæorum*, alterum, *Pugio Fidei*, vbi de hisce Iudæorum vanis spebus fusillimè disputat. Hunc Raymundum laudat Lyranus in cap. 9. Osee: de quo Antonius Senensis, Ambrosius Gozzeus, & Alfonsus Fernandez in Bibliothecis Ordinis Prædicatorum, Franciscus Diagus in Historia Prædicatorum Aragoniæ, lib. 2. cap. 28. & Antonius Possennus in sacro Apparatu plura. Sed & Iosephus Scaliger Epistola quadam ad Isaacum Casaubonum, cuius initium, *In limine ipso Epistole*, hæc habet: *Addebas de quibusdam in Petri Galatini disputationibus. Scito illos libros esse compendium duorum ingentium voluminum, quibus titulum, Pugionem fidei fecit auctor Raymundus Hebon Monachus Dominicani eximius Philosophus. Hi igitur libri adhuc exant in Collegio Fuxensi Tolozano: ex quibus omnia hausit Petrus Galatinus Franciscanus, qui nomen Auctoris tacuit, ut sibi opus vindicaret.*

CAPVT II.

Qua ratione intelligantur implenda præfata Promissiones.

Quoniam non solum Sancti Patres, sed & posteriores omnes Christiani scriptores plenis voluminibus Iudaicam, perfidiam confutarunt, ac exquisite de vero ac genuino intellectu diuinarum promissionum illi populo factarum disseruerunt, deliriaque ac vanas verborum spes euerterunt: nobis hæc breuissimè transigenda erunt.

Primum, quod Iudæi gannunt de terreno sui Messia regno, tantis copiis & felicitatibus opulento;

planè cæcutiunt: nam quæ scriptura de magnitudine & felicitate regni Christi prænunciat, non de carnali ac terreno, sed de spiritali & diuino Christi Imperio, nempe de Ecclesia fidelium, tot cælestibus donis affluente: vel de Sanctorum cum Christo in beatitudine cælesti regnantium felicissimo statu esse intelligenda, Patres, & interpretes omnes mirificè demonstrant.

Secundo, Scripturæ quæ prænunciant, Iudæos ex tot, tantisque exiliis, quibus per varias orbis regiones sparsi sunt, redituros in Iudæam, Ierusalem, Templum reedificaturos, sacra omnia Mosayca instauraturos: vel loquuntur de reditu ex captiuitate illa Babylonica, quando per Zorobabelem instauratum est Templum, & sacrificia postliminio restituta: vel mystico & arcano sensu accipienda sunt, de reuersione Iudæorum in meliorem Ierusalem, hoc est, Ecclesiam, & in templum, cultum, sacrificia præstantiora quàm vetera. Quæ omnia sunt à cætu Doctorum Christianorum accuratissimè comprobata.

Tertio, plerumque Prophetæ mentis oculos intendunt in ea quæ Iudæi supremo tempore sub Antichristo acturi sunt, quando Templum denuo conabuntur exedificare, & legalem cultum instituire, reducti in Ierusalem per Antichristum, quem pro Messia recipient, & colent, ut toto hoc opere docemus, siquidem magna sunt hæc ac planè digna quæ claris vaticiniis prænunciarentur: non equidem in laudem aut commendationem Iudæorum: sed in detestationem ac vituperium, perfidæ gentis, quæ pro Christo Antichristum est susceptura. Sed neque ille in solum patrium reditus sub Antichristo cederet Iudæis penitus in perniciem, nam tunc innumeri eorum conuertentur per Henoch & Eliam ad fidem Christi, uti hoc libro ostendemus: quæ causa potissima esse videtur, ut prophetæ de ipsorum reditu in Iudæam sub Antichristo, de instauratone tunc urbis, Templi, sacrificiorum, mentionem sibi faciendam duxerint, ob nimirum eorum eo tempore ad Christum præclaram & amplissimam accessionem.

CAPVT III.

Miserabilis status Iudaici populi, quem à clade Vespasianica, ad finem vsque seculi in exilio, & dispersione habet.

Supremo excidio gens impia & Deicida à Tito Romano Principe concisa, laribus, & solo auito profligata, regno, Templo, sacerdotio exuta, dispersa ac dissipata in omnes angulos orbis, per omnes nationes distracta, vaga, profuga, errabunda, extorris, propudium & ignominiam reiecti, & occisi Filij Dei circumferens, cunctis gentibus inuisa, execrabilis, proculcata, ut nihil hodie absurdius & contumeliosius habeatur, quam Iudaicum nomen, quod olim nobile, augustum, & inclytum erat à laude nimirum & celebrare dictum: ut Romanæ leges codice Theodosiano de Iudæis, *etrum Iudæorum nomen appellent: infelicitatem suam ac sempiternam calamitatem miserrimè trahit. Præclare Psalm. 58. v. 12. Ne occidas eos, ne quando obliuiscantur populi mei, in casu nominandi, id est, ne gentes obliuiscantur vindictæ, quam in eos viuos perenni supplicio exerces, disperse illos in virtute tua & depone eos protector meus Domine.* Loqui enim Prophetam de Iudæis, Dei vindicta per totum orbem dispersis, Tertullianus aduersus Iudæos, cap. 13. S. Hilarius, S. Augustinus, Theodoretus, Cassiodorus,

Cassiodorus, & alij recentiores intelligunt. Sed de infelicissimæ gentis erumnis nonnulla Patrum, auctorumque elogia referamus.

Tertullianus Apologetici cap. 21. *Exitus hodiernus ipsorum, dispersi, palabundi, & celi & soli sui ex-
corres, vagantur per orbem sine homine, sine Deo rege :
quibus nec aduenarum iure terram patriam saltem vesti-
gio salutare conceditur.* S. Cyprianus de Idolorum vani-
tate versus finem : *Dispersi & palabundi vagantur,
soli & celi sui profugi, per hospitia aliena iactantur.* S. Gregorius Nissenus de opificio hominis, cap. 25. *Vbi Israelitarum respublica ? an non esse illos per orbem
propè dixerim uniuersum sparsos videmus ? Prudentius
in Apotheosi, ita in Iudæos inuehitur :*

*Quid mereare, Titus docuit, docuere rapinis
Pompeiana acies, quibus extirpata per omnes
Terrarum, pelagique plagas tua membra feruntur.
Exiliis vagus huc illuc fluitantibus errat
Iudæus, postquam patria de sede reuulsus,
Supplicium pro cade luit, Christi que negati
Sanguine resperfus, commissa piacula soluit.*

Sanctus Chrysostomus Homilia de cruce : *Hoc tem-
pore Deus omnino vos repulit : iura vestra omnia concide-
runt : ex Iudæa patria vestra excessistis, & in diuersa
loca dispersi estis : atque in orbe terrarum ab oriente ad
extremum terra vos omnes & contemnunt & ridet.* S. Isidorus Pelusiota lib. 3. Epistola 128. *Ipsorum enim
vrbe à Romanis capta, temploque euerso ac deleta, ipsi
velut verberones quidam serui & fugitiui atque erronei
passim toto dispersi sunt.* Et lib. 2. Epist. 157. *Vt Iu-
dæi dispergerentur : & quemadmodum fugitiui quidam
& verberones dispersi sunt.* Et lib. 3. Epist. 294. *Au-
dacissimi Iudæi, nullam, vquam reuocationis expertem
captiuitatem perperissi sunt, præter hanc, quæ crucem se-
quuta est.* Et lib. 4. Epist. 166. *Iudæi, ut qui heredem
occiderint, eas perperissi sunt calamitates, quæ omnem tra-
gediam longe superant.* Et Epist. 74. *Ipsi per totum
orbem terrarum instar mancipiorum dispersi sunt : &
captiuitatem sustinent reuocationis prorsus expertem.* Cicero Oratione 36. quæ est de Prouinciis consulari-
bus : *Iudæis & Syris nationibus seruituti natis.* Ruti-
lius Claudius Numatianus Gentilis Poëta, qui sub
Honorio Imperatore vixit lib. 1. Itinerarij :

*Reddimus obscena conuitia debita genti
Quæ genitale caput propudiosa metit.
Atque utinam numquam Iudæa subacta fuisset,
Pompeij bellis, imperioque Titi
Latus excisa pestis contagia serpunt,
Victoresque suos natio victa premit.*

Tacitus Annali 2. M. Silano, L. Norbano Coss. *Actum & de sacris Egyptiis, Iudaicisque pellendis :
factumque Patrum consultum, ut quatuor millia libertini
generis, ea superstitione infecta, quæ idonea ætas, in
insulam Sardiniam veherentur, coercendis illic latroci-
niis : & si ob grauitatem celi interuissent, vile damnum :
ceteri cederent Italia, nisi certam ante diem profanos
ritus exuissent.* Suetonius in Tiberio, cap. 36. *Ex-
ternas ceremonias, Egyptias, Iudaicasque ritus com-
pescuit : coactis qui superstitione ea tenebantur, religiosas
vestes cum instrumento omni comburere. Iudæorum in-
uentutem per speciem Sacramenti in prouincias grauioris
celi distribuit : reliquos gentis eiusdem, vel similia se-
ctantes vrbe submonit, sub pena perpetue seruitutis,
nisi obtemperassent.* Iosephus lib. 18. Originum cap. 5. *causam eius senatusconsulti refert, ac subdit : Iussit
Tiberius uniuersos Iudæos ex vrbe pelli. Ex quibus con-
sules delectu habito, quatuor millia militum miserunt in
Sardiniam : plurimos etiam qui patria religione detrecta-
bant militiam, affecerunt panis grauissimis.* De tribu-
tis quæ Iudæi Romæ pendebant, Suetonius in Do-

mitiano, cap. 12. *Præter ceteros Iudaicus fiscus acer-
bissime actus est, ad quem deferebantur, qui velut pro-
fessi Iudaicam intra urbem viuerent vitam, vel dissi-
mulata origine, imposita generi tributa non pendissent.
Interfuisse me adolescentulum memini, cum a procuratore,
frequentissimoque concilio, inspiceretur nonagenarius se-
nex, an circumsectus esset.* Iuuenalis Satyra 3.

*Nunc sacri fontis nemus, & delubra locantur
Iudæis : quorum cophinus, fœnumque supellex.
Omnis enim populo mercedem pendere iussa est
Arbor, & eiectis mendicat silua camentis.*

Et Satyra 6.

*Cum dedit ille locum : cophino, fœnoque relicto,
Arcanam Iudæa tremens mendicat in aurem,
Interpres legum solymarum, & magna sacerdos
Arboris ac summi fida internuntia celi.
Implet, & illa manum, sed parcius ære minuto.
Qualicumque voles, Iudæi somnia vendunt.*

Notant Interpretes Iuuenalis & veteres & recentio-
res, Iudæos Romæ pretio conduxisse. Ageriæ lucum
& camentarum, vbi sacer fons : ibique reculas suas,
sub arboribus habuisse, nempe vilia stramenta, co-
phinum, & fœnum, in quibus sua pulmentaria, & ca-
lidam aquam die sabbati seruare consueuerunt, atque
ibidem pernoctare solitos, manèque in urbem se con-
ferre, atque stipem emendicare, in aurem diuinando,
consueuisse : quod præsertim faciebant Iudææ fæmi-
næ anus. Vera effigies eorum quos nunc Egyptios,
seu Gitanos, aut Singaros, seu Bohemos vocamus :
genus hominum extremæ vililitatis : tales tunc erant
Romæ Iudæi.

Sed quod ait Poëta, quorum cophinus, fœnumque su-
pellex. Baronius Annali 1. Anno Christi 94. numero 4.
existimat, significasse sordidam Iudæorum mendicita-
tem, quæ in vilissimo quodam tomento seu stramen-
to, quod fœnum dicitur, ad recumbendum, & in co-
phino, seu cista, aut vase vimineo ad mendicandum,
consisteret. Siue ut cophinus Iudæorum sit quo sul-
phuratas merces portabant ad vendendum. Verum po-
tius arbitramur, inopes Iudæos ad tolerandam vitam,
manibus contexuisse ex dissectis cannis cistas & ca-
nistra, & ex viminibus, aut virgultis cophinos, & vili
pretio venundasse : quod etiam apud nos facere so-
lent, qui sordidiori pauperie premuntur. Simili arte
ex fœno conficiebant quosdam veluti grabatos seu
stramenta aut culcitra ad cubandum, quæ videntur
esse Embrimia Cassiani Collatione 1. cap. 23. de qua
voce pluribus egerunt, Petrus Chiaconus, & Alardus
Gazæus in Notis ad Cassianum, Rosveydus Heri-
bertus in Onomastico vitarum Patrum, Iosephus Sca-
liger in Elencho aduersus Serarium, cap. 26. Isaacus
Casaubonus Exercitatione 1. ad Apparatum Anna-
lium Baronij, Diatriba 9.

Et vero consueuisse Iudæos eiusmodi viliores artes
ad comparandum victum exercere, non est dubium :
nam & Romæ olim sulphurata fila, vel paleas, aut sti-
pulas vendeabant, fractisque vitris permurabant. Ma-
rtialis lib. 12. Epigrammate 57.

*A matre doctus, nec cessat, rogare Iudæus,
Nec sulphurata lippus institor mercis.*

Et lib. 1. Epigrammate 42.

*Hoc quod Transiberinus ambulator
Qui pallentia sulphurata fractis
Permutat vitris,*

Harum mercium meminere etiam Iuuenalis Satyra 5.
Martialis lib. 10. Epigrammate 3. Statius Sylua 10.
Hoc nunc etiam Iudæi Romæ faciunt, & in Hispa-
nia quoque vilia mendicabula. Ad hæc Iudæos olim
& nunc scruta vendere solitos, constat, quæ cura est
ipsis quam familiaris, sunt autem scruta veteramenta
omnifaria

omnifaria quæ usu detrita, pretio quoque diminuta censentur: cuius vocis significatum Lucillius apud Gellium lib. 3. cap. 14. ita expressit:

Quid ni? & scruta quidem ut venear scrutarius laudat:

Præfractam strigilem, soleam improbus dimidiatam.
Horatius lib. 1. Epist. 7.

Vilia vendentem tunicato scruta popello.

S. Hieronymus in vita S. Hilarionis: *Audinit Methona à quodam Iudæo vilia populis scruta vendente, prophetam Christianorum apparuisse in Sicilia.* sed de ea voce egerunt plenius Cælius Rhodiginus lib. 19. Lætionum Antiquarum, cap. 17. & Antonius Nebrissenfis in 3. Quinquagena, cap. 36.

De Iudæis scruta vendentibus extat mentio 3. Regum 10. v. 15. *Et negotiatores, vniuersique scruta vendentes.* Et Nehemias 3. v. 30. *& scruta vendentium,* quibus locis cum antea deprauatè in multis codicibus Latinis legeretur, *scuta*, iam restituta genuina lectione in Bibliis Christianis & Clementianis habetur, *scruta* Equidem vocem Hebræam *ROCHELIM*, vulgatus scruta vendentes exposuit. Kimchius & Sanctes in Thesaurus, *Mercatores & negotiatores maiores*, id est, maiorum mercium reddunt. Idem Sanctes in sua Translatione, *Varablus, Mercerus, Pomarius, Tremellius & Iunius, Sa Schindlerus Buxtorfius, Aromatopolas, Aromatarios, seu Mercatores Aromatum.* Forsterus vniuersè *Delatores mercium, negotiatores, seu institores, qui deferunt merces de vno loco ad alium.* Lxx. & Noster solent interpretari *Mercatores, Negotiatores, & Canticor* 3. v. 6. *pigmentarium, unguentarium*, dixerunt.

Ad hæc Iudæis à tempore cladis ipsi per Hadrianum Imperatorem illatæ, interdictum ne Ierosolymam pedem inferrent, Eusebius lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 6. ita scribit: *Aristo Pellæus narrat vniuersa genti ex illo tempore prorsus interdictum, ne pedem in agrum Ierosolymitanum aliquando inferrent: & legis decreto, institutisque Adriani veritum (ille planè sic in mandatis dederat) ne vel ex edito loco paternum solum aliquando aspicerent.]*

S. Iustinus Martyr Apologia 2. ita Imperatores alloquitur: *Atqui desolatam esse Ierosolymam, sicut fore prædictum fuerat, nostis. Promulgatum vero etiam est de excidio eius, ac de eo quod futurum fuit, ut nemo ibi Iudæorum habitare permitteretur, per Isaiam vatem in hæc verba: Terra eorum deserta: in conspectu eorum inimici ipsorum vorant eam: & non erit ex eis habitans in ea. Cautere autem & seruare vos nequis ibi sit, & panem capitalem constitutam esse aduersus eò ingredientem probè scitis.]*

Tertullianus Apologetici cap. 21. de Iudæis: *Quibus nec aduenarum iure terram patriam saltem vestigio salutare conceditur.] Et aduersus Iudæos, cap. 13, Interdictum est ne in consinio ipsius regionis demoretur quisquam Iudæorum, ut hoc quoque esset adimpletum per prophetam regem cum claritate videbitis, id est, Christum facientem virtutes in gloria Dei Patris: & oculi vestri videbunt terram de longinquo: quod vobis pro meritis vestris, post expugnationem Ierosalem prohibitis ingredi in terram vestram, de longinquo eam oculis tantum videre permissum est.*

Eusebius in Chronico Anno 18. Adriani; numero Mmcl. Bellum Iudaicum quod in Palestina gerebatur, finem accipit, rebus Iudæorum penitus oppressis. Ex quo tempore etiam introeundi eis Ierosolymam licentia ablata primum Dei nutu sicut propheta vaticinati sunt, deinde Romanis interdictionibus.]

S. Hilarius in Psalm. 58. de Iudæis: *Quin etiam nunc ingressi ciuitatis eiusdem edicto Romani Regis in-*

hibentur.] Et post: amissa ciuitate temploque deserto: & secundum Romani regis edicta, circumuehentes tantum, non autem ineuntes ciuitatem.]

S. Hieronymus in 6. Isaia: *Denique post extremam vastitatem, etiam leges publicæ pependerunt, & prohibiti sunt Iudæi terram, de qua eiecti fuerant ingredi.] & in 2. Sophonia: usque ad presentem diem perfidi coloni, post interfectionem seruorum, & ad extremum Filij Dei, excepto planctu, prohibentur ingredi Ierosalem: & ut ruinam suæ eis flere liceat ciuitatis, pretio reddunt: ut qui quondam emerant sanguinem Christi, emant lacrymas suas, & ne fletus quidem eis gratuitus sit. Videas in die quo capta est à Romanis, & diruta Ierosalem, venire populum lugubrem confluere decrepitæ mulierculas, & senes pannis, annisque obritos, in corporibus, & in habitu suo iram Domini demonstrantes. Congregatur turba miserorum, & paribulo Domini coruscante, ac radiante Anastasi eius, de Oliueti quoque monte Crucis fulgente vexillo, plangere ruinas templi sui populum miserum: & tamen non esse miserabilem. Adhuc fletus in genis, & liuida brachia, & sparsi crines, & miles mercedem postulat, ut illis flere plus liceat. Et dubitabit aliquis cum hæc videat, de die tribulationis & angustia, de die calamitatis & miseria, de die tenebrarum & caliginis, de die nebula & turbis, de die tubæ & clangoris? Habent enim & in luctu tubas, & iuxta prophetiam vox solennitatis versa est in planctum. Plulant super cineres sanctuarij, & super altare destructum, & super ciuitates quondam munitas, & super excelsos quondam angulos templi, de quibus quondam Iacobum fratrem Domini præcipitauerunt. Hæc de captiuitate dicta sunt Iudæorum.] Hactenus S. Hieronymus.*

In itinere à Burdegala ad Ierosalem, scripto sub Constantino Magno, quod edidit Petrus Pithæus, hæc habentur de vrbe ipsa Ierosalem: *sunt ibi & statuæ duæ Hadriani: est & non longe de statu lapidis peruersus, ad quem veniunt Iudæi singulis annis, & vngenti eum, & lamentant se cum gemitu, & vestimenta sua scindunt: & sic recedunt.] conueniunt hæc mirè cum iis quæ Hieronymus refert.*

Insuper Iudæorum corporibus inesse quendam tetrum ac putidum fætores, unde *Færentium* cognomen illis inhæserit, satis est compertum, Ammianus Marcellinus lib. 22. cap. 7. de Marco Aurelio Imperatore: *Ille enim cum Palestinam transiret. Egyptum petens færentium Iudæorum & tumultuantium sepe tædio percitus, dolenter dicitur exclamasse: O Marcomanni, à Quadi, à Sarmatæ, tandem alios vobis inquietiores inueni.] Venantius Fortunatus lib. 5. Carminum;*

Christicolis Iudæus odor resiliat amarus.

Et infra de Iudæis baptisatis:

Abluatur Iudæus Odor baptismate diuo,

Et noua progenies reddita surgit aquis.

Vincens Ambrosios suani spiramine rores,

Vertice perfuso chrismatis efflat odor.

Ioannes Marthias Tiberinus, in Martyrio Simonis pueri Tridentini immaniter à Iudæis Tridenti cruciati, apud Surium Tomo 2. Martij 24. *Christianum infantem in contemptum Domini nostri Iesu Christi maculant atrociter, & exhausto sanguine vescentes in azymis suis, à fætores, quò grauius olent, Christiano se cruore præseruant: huncque suum appellant Iobel, id est, Iubileum.]*

Mirum sanè ne dum Iudæos, sed & Agarenos, aliasque gentes non baptizatas fœtere, fœtoremque illis Baptismate facto abstergeri. Ottho Frisingensis lib. 7. Chronici, cap. 32. de Episcopo Armeniorum: *Reculit etiam præfatus Episcopus, quod in consinio Armenia quedam gentes essent, quæ fœtus suos fœtentes generarent: eosque statim ad aquas Armeniorum lauandos transmitt-*

terent

erent. Quos cum illi baptismatis vnda tingentes, innatum eis foetorem propellerent: mox tamen remissi, ad Paganismi ritum & spurcitiam redibant. Quod utrum faciendum esset, item Romanam Ecclesiam consuluerunt.]

Theodorus Balsamo in Scholiis ad Canonem 84. Synodi VI. in Trullo: *Persuasum est enim Agarenis fore ut sui liberi à demone vexentur, & tanquam canes male oleant nisi baptismum Christianum assequantur.* Iudæos quoque perpetuas hemorrhoides, & sanguinem è podice fluentem pati, quo morbo se non leuari putant, nisi sanguine Christiano fuso, reperies apud Tomam Cantipratenum lib. 2. de Apibus cap. 29. Parte 23. & Alfonso Spineum in Fortalitio Fidei, libro 3. Consideratione 7. Crudelitate 5. Annotat id etiam Nicolaus Perottus in Cornucopiæ. Fortassis acceperunt id è deuteronom. 28. v. 27. vbi Iudæi perduelles Hemorrhoidibus damnatur. Vide ibi Notas nostras Hebraicas, vnde verpos dictos putat, quod digito verrant podicem, Sed vereor ne id eis affingatur, genti tamen cuiusvis ignominia merenti. Vide quæ de his annotavit Christophorus Brouerus in Notis ad lib. v. Venantij. Verpos tamen Poëtæ Iudæos appellant, Martialis lib. 7. Epigrammate ad Menophilum:

Dum ludit media populo spectante palastra,

Delapsa est misero fibula, verpus erat.

Iuuenalis Satyra 14:

Quæritum ad fontem solos deducere verpos.

Vbi vetus Scholiastes, *verpos Iudæos, qui sine pellicula sum.* Hadrianus Turnebus lib. 28. Aduersariorum, cap. 21. *Verpi, ob renudatam glandem verendorum.* Verpam Antiqui membrum genitale vocabant. Catullus epigrammate 29:

nam nihilo minore verpa

Es factus,

Martialis lib. 11.

Incipit in medios meiere verpa pedes.

Nec illud prætereundum de infelici Iudæorum sorte, ubicumque terratum degunt, eos nullo pacto nec ad Magistratus, nec ad militiam, nec ad publica munia admitti: ad hæc tributa pendere acerbissima, cunctis ludibrio esse, probra, & dedecora infinita pati: sæpe in Gallia, & Germania veneficij conuictos, penè internecone deletos: expelli passim à regnis, ut è Gallia, Hispania, &c. Bona eorum frequenter diripi, ac venire sub hasta, innumeras calamitates, cædes, clades, ærumnas sustinere quæ tot, tamque ingentia mala & nostri Annales referunt, & eorum monumenta deplangunt. Sic digne impij deicidæ, sanguinis occisi pænas in sanguine soluunt. V num addimus verbum, eos post Titi supremam cladem, nec Urbem, nec Regem, nec Principem, nec Templum, nec sacrificia, nec vllam veræ Republicæ faciem vnquam nancisci potuisse nec deinceps sane habebunt, vsque ad Antichristum. Inspice Itinerarium Beniamin Tudelemis, & videbis miseram eorum seruitutem toto sparsam orbe terrarum. Atque hæc satis dicta de statu Iudæorum duarum Tribuum Iuda, & Beniamin, atque Leuiticæ à supremo vrbis & Templi excidio ad hanc vsque diem, & finem rerum;

nam de statu aliarum Tribuum à tempore abductionis earum per Salmannassarem, dicemus

cap. 18.

CAPVT IV.

Explicatur verbum Christi Lucæ 21. v. 24.

Et captiui ducentur in omnes Gentes: & Ierusalem calcabitur à Gentibus, donec impleantur tempora nationum.

LOqui Dominus de excidio Ierosolymorum per Vespasianum & Titum Romanos Principes consensu Patrum, & omnium explanatorum, est manifestissimum: quando incenso Templo, excisa ciuitate, & in eam aratro inducto, infinitis Iudæis ferro trucidatis, vel fame, aut peste absumptis: reliqui qui superfuere, abducti captiui sunt, & dispersi in varias regiones: in qua captiuitate manent adhuc, manfurique sunt ad tempora vsque Antichristi: Ierusalem autem incesa, & habitata à Romanis post eius instaurationem ab Hadriano, continenter deinceps, calcata, oppressa, occupata fuit à variis nationibus, eritque in potestate nationum, ad finem vsque rerum humanarum: nec eam possidebunt, aut incolent Iudæi, quousque veniat Antichristus.

Sed verba illa Christi, *donec impleantur tempora nationum* obscura sunt. Primo, Caietanus, Iansenius exponunt, Ierusalem calcandam & obtinendam à gentibus, hoc est, infidelibus, seu Romanis, seu alijs, donec eadem gentes relicta infidelitate ad Christianam religionem accedant: nam tunc iam non à gentibus sed à Christianis inhabitabitur. Tempora nationum vel gentium appellauit ea, quibus Idololatria seu infidelitas rerum potiebatur in mundo, & gentes in veri Dei ignoratione manebant. Atque tunc videbitur impletum oraculum Christi tempore Constantini Magni, qui primus eliminata idololatria, Christianam religionem in Imperio Romano fundabit. Sed hic sensus non magnopere probatur.

Secundo, Vatablus, Iansenius, Sà, Franciscus Lucas, Mariana, donec impleantur tempora ordinata à Deo, ad sumendam vindictam de Iudæis per Gentes, quibus destinauit Iudæos iuste affligi & diuexari à gentibus: quod erit ad finem vsque sæculi, & Antichristum. Tempus in scriptura interdum est vindictæ & punitionis. Psalm. 74. v. 3. *Cum accepero tempus, ego iustitias indicabo.* Et Psalm. 118. v. 122. *Tempus faciendi Domine, dissipauerunt legem tuam.*

Tertio, Dodechinus in Appendice ad Mariani Scoti Chronicon, anno 1096. putat vaticinatum hinc Dominum recuperationem Terræ Sanctæ & vrbis Ierusalem per Gottifredum Bullionum; quasi dicat, obtinebunt Gentes, idest, Saraceni & infideles Ierusalem, donec illis deuictis & expulsis, memorabili illa sacra expeditione, Anno salutis 1099. Ierusalem restituitur Christianis. Quam interpretationem secutus est Didacus Stella

Quarto, Mariana donec impleantur tempora variarum gentium, quæ eam insedent, quasi dicat: & Romani multo tempore eam possidebunt, deinde Saracenis, postea Turcæ, suis quibusque gentibus destinata sunt certa tempora, quibus Ierusalem obtineant.

Quinto, *Donec impleantur tempora nationum*, idest, quamdiu nationes & gentes erunt: nempe ad finem vsque sæculi. Ita S. Chrysostomus Oratione 2. contra Iudæos, sub initium. Euthimius in Matthæi 24. Nicolaus Zegerus, Sà, & alij in Lucæ 21. cæterum quod aiunt, Ierusalem futuram in potestate gentium, & non Iudæorum, ad finem vsque sæculi: intelligendum

intelligendum proculdubio exclusiue, non inclusiue: nimirum, non prædixit Christus, Ierusalem nunquam obtinendam & recuperandam à Iudæis, neque etiam in fine sæculi: sed nunquam ab illis obtinendam, nisi in fine sæculi, tempore Antichristi, ut cap. 6. ostendimus.

Sexto, Notant quidam nihil aliud voluisse hunc Christum dicere, nisi illudmet, quod Paulus postmodum scripsit, Romanor. 15, v. 25. *Nolo vos ignorare, fratres, mysterium hoc: quia cecitas ex parte contigit in Israël, donec plenitudo gentium intraret: & sic omnis Israël saluus fiet.* Quod enim Dominus dixit, *Donec impleantur tempora gentium*, hoc Paulus exposuit, *Donec plenitudo gentium intraret.* Ac si dicat Christus, Ierusalem, ac terram Sanctam mansuram extra ditionem & potestatem Iudæorum: & futuram sub Imperio aliarum gentium, hoc est aliorum qui non erunt Iudæi, quousque expletum fuerit tempus prædicationis Euangelij in toto orbe, atque vocatæ fuerint omnes nationes ad fidem Christi: tunc enim Iudæi redibunt ad solum patrium, urbem Ierusalem, & templum instaurabunt, & tantisper cum Antichristo regnabunt: mox vero plerique eorum reuertentur ad Christum, & fidei lumen: & sic omnis Israël saluus erit. Sed locum Pauli accuratè elucidabimus cap. 14. Ad hunc modum S. Beda verba Christi est interpretatus, qui inter alia inquit: *Qui Israël cum promissa salute fuerit positus, patrium quoque rediturus ad solum, & metropolis quondam sua possessione, atque habitatione gauisurus esse forsitan non temere speratur: quia non in perpetuum, sed donec tempora nationum impleantur, ira premendus esse narratur.* Assentiuntur huic explanationi Strabus, Lyranus, Montanus, Stella.

Duæ posteriores expositiones videntur nobis cæteris præstare. Sed illud nota, dixisse Dominum, Ierusalem calcandam à gentibus, ad tempora usque Antichristi: cum tamen multis in medio temporibus, sit à Christianis possessa, videlicet à tempore Constantini, ad Heraclium Imperatorem: & à Gottifredo, & ab aliis insequentis Christianis regibus: nimirum vel quod Gentium nomine alias quascunque nationes à Iudæis intellexerit Christus, vel quod pro maiori tempore sit habitanda à Gentibus & nationibus infidelibus: præcipue enim respexit Dominus exclusionem & reiectionem Iudæorum à possessione Ierusalem. q. d. Non obtinebunt eam Iudæi usque circiter finem rerum humanarum.

CAPVT V.

Exponitur vaticinium Danielis 9. v. 27.
*Et usque ad consummationem & finem
perseuerabit desolatio.*

Hebæorum, & Christianorum interpretum communi explanatione cum Daniel excidium urbis & templi Ierosolymitani per Titum Romanum Principem descripsisset, hæc quæ nunc explicanda suscepimus verba, immediate subiunxit: Hebraica sunt: *VEGHAD CALAH VENECHERATZAH THITHAC GHAL SOMEM. Lxx.* Interpretes in Complutensi, Regia, & Romana Carrafa editione: *Et usque ad consummationem temporis consummatio dabitur super desolationem.* qua etiam ratione legunt S. Irenæus lib. 5. cap. 25. & Eusebius lib. 8. demonstrationis Euangelicæ, cap. 2. & Theodorus in 9. Danielis. Exemplar vaticanum Lxx. ad mar-

ginem habet: *Et usque ad consummationem, & festinationem, ponet in desolationem.* Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum, cap. 6. bis legit hunc locum, & diuersimodè, primò, *& usque ad consummationem temporis, consummatio dabitur super desolationem.* Secundo, *& usque ad consummationem, & instar destructionis libaminis.*

Tertullianus aduersus Iudæos cap. 8. *Et usque ad finem temporis consummatio dabitur super hac vastatione* S. Hieronymus in 24. Matthæi: *Et usque ad consummationem temporis, & consummatio dabitur super solitudinem.*

Recentiores variè quoque exprimunt Hebræa. Sanctes, *& usque ad consummationem, & decisionem effundet super admirantem.* Forsterus: *& usque ad consumptionem & excisionem [concisionem] effundet se super afflatum.* Clarius: *& usque ad consummationem, & destinatam exterminationem, stillabit super populum, qui obnoxius est desolationi.* Leo Iudas: *& defluet super vastitatem, usque ad finem & consummatum [mundum]* Vatablus: *donec consumptio certa descendat super aëritum, Vel stupentem populum propter desolationem urbis ac templi:* Marinus: *& usque ad consummationem & certam [Vel decretum] effundetur super desolato.* Montanus: *& usque ad consummationem, & decisam effundet se super obstupescientem.* Auenarius: *& usque ad consumptionem & concisionem liquesiet super stupende-desolatum.* Nos: *& usque ad consummationem [consumptionem] & concisionem [excisionem, decisionem] effundetur [effundet se] super afflatum, Vel stupendè desolatum, idest, effundet se ira Dei usque ad consumptionem & excisionem super populum Iudaicum, qui ob abominationem & horrorem reatus & pænæ omnibus est afflatui, vel fuit stupendè desolatus.* Aliter usque ad consummationem mundi, & præcisionem, seu præfinitionem temporum, nempe usque ad finem sæculorum fundetur ira Dei super populum Iudaicum stupendè desolatum, aut afflatum à Tito. Qui verbum *NATHAC* reddunt, *stillare*, non satis vim verbi exprimunt, est enim *fundere effundere.* Vaticinatur diserte Daniel, populum Iudaicum, desolatum, extorrem in extremo excidio, & exilio mansurum, effundente se continuo ira Dei super illum, usque ad extrema mundi tempora: exclusiue tamen: quando redibunt in solum patrium, ac sub Antichristo urbem & templum instaurabunt: uti capitibus sequentibus docebimus. Huc Paulus illuisse videtur 1. Thessalonicens. 2. v. 16. cum de Iudæis ait: *Peruenit, seu præuenit, utraque enim lectio commendatur in Notis Francisci Lucæ, ira Dei super illos usque in finem.*

Eodem quoque pertinere putamus locum illum Danielis, ubi loquens Angelus de Temporibus Antichristi & fine mundi, uti omnes intelligunt; adiungit cap. 12. v. 7. *Et cum completa fuerit dispersio manus populi sancti; complebuntur vniuersa hæc.* Scimus quidem S. Hieronymum, aliosque ipsum sequutos interpretes, intellexisse hanc eam dispersionem, qua Christi fideles turbine persecutionis Antichristi hic illic abripientur, in diuersa fugientes: at ut non audemus tanti Patris explanationi refragari: sic expendi cupimus, non aptius Prophetæ verba cepimus, de dispersione Iudæorum per varias mundi regiones: nam hanc solet Scriptura dispersionem seu Diasporam illius populi appellare. Ac si dicat Angelus: Cum finita fuerit dispersio Iudaici, & Israëlitiici populi hæc, qua per Titum in plurimas mundi partes euentilati sunt, ipsique redierint in Iudæam tunc complebuntur omnia quæ prædixi de tyrannide Antichristi. *NAPETZ, Dispersio, Collisio, Conquassatio, Contritio,*

Contritio, confractio, quadrat id nomen Iudæis, de quibus æternus Pater ad Filium, Psalm. 2.v.9. Reges eos in virga ferrea: & tamquam vas figuli confringes eos. Ex verbo propriè: Conteres eos in virga ferri, sicut vas plastis in frusta confractos disperges eos. nam est hic quoque verbum NAPHATZ. Manus, robur quidam & potentiam exponunt. Sed melius, multitudo, exercitus. Populum verò Sanctum dicens, rationem potius habuit status illius populi, in quo tunc erat, quum Daniel vaticinabatur, vel in quo erit conuersus ad Christum per Eliam tempore Antichristi: quam huius, in quo nunc cæcus & impius viuit. Fauent nostræ expositioni Lxx. qui habent cum perfecta fuerit dissipatio populi sanctificati, cognoscens sanctum. hoc est, Dominum vel Eliam, vt Theodoretus exponit, & perficientur omnia hæc.

CAPVT VI.

Vrbem Ierusalem & templum, denuò à Iudæis, Antichristoque reedificanda prope finem sæculi.

Postquam suprema clade Iudæi exuti vrbe & templo, eiekti sunt per orbem terrarum; variis postea temporibus conati sunt urbem suam recuperare, ac templum instaurare: sed numquam Deo prohibente potuerunt.

Primum sub Hadriano Imperatore, rebellarunt, ac bellum maximè memorabile duce Barchozba, aduersus Romanos in Bither vrbe Palæstinæ gessere: quo tempore urbem ab Hadriano reedificatam obtinere, & templum, quod tum in cineribus penitus iacebat, restituere tentarunt. Dio Cassius lib. 69. Cum autem in urbem Ierosolymam, quæ euersa fuerat, quamque Eliam Capitolinam appellauit, coloniam deduxisset Hadrianus: ac quo in loco templum Dei fuerat, alterum Ioui exadificari curauisset: magnum bellum ac diuturnum moueri cepit, Iudæis grauius ferentibus, quod externa nationes in urbem suam habitatum venissent, quodque in ea fieri externa sacra viderentur. Tamen cum Hadrianus in Egyptum, ac rursus in Syriam aduentasset, quiescendum sibi esse putabant. Interim vero arma, quæ ipsis erant à Romanis imperata, minus apta de industria fecerunt, vt si ea Romani reprobassent, ipsi eis vterentur. Post ubi Hadrianus longe abesse visus est, palam defecerunt: vtque aperto pralio non audebant cum Romanis periclitari, ita capta loca sua regionis opportuna, cuniculis muniebant, & manibus, vt ad ea, si urgeret necessitas, perfugerent: vtque ad se mutuo sub terram transeuntes laterent, vias subterraneas desuper perforauerunt, quo ventum, lumenque reciperent. Hos Romani primò nihili faciebant: sed postquam totam Iudaam commotam esse, Iudæosque omnes ubique gentium tumultuari, & conuentus facere intellexerunt, ac multa damna occultè, aperteque Romanis inferre, cum iisque complures alias gentes lucri cupiditate coniungi, ac ferè ob eam causam omnem orbem terrarum commoueri. Hadrianus optimos quosque duces aduersus eos mittit, quorum primus fuit Iulius Seuerus, qui ex Britannia, cui præerat, contra Iudæos missus est. Hic nulla ex parte ausus est aperte cum hostibus congregi, multitudine ipsorum atque desperatione cognita, sed eos separatim magno militum ac tribunorum numero adortus, commeatu prohibuit, atque interclusos serius quidem sed minore cum periculo, ita oppressit, fregitque, vt pauci admodum euaserint: & quinquaginta eorum arces munitissima, vicique celeberrimi atque nobilissimi nongenti octoginta quinque funditus euersi sunt. Casa sunt in

Tom. II. de Antichristo.

excursionibus, praliisque hominum quingenta millia: eorum autem qui fame, morbo, & igni interierunt, infinita fuit multitudo, ita vt omnis pene Iudæa deserta relicta fuerit. Id eis antequam bellum gereretur, fuerat denunciatum ex eo, quod monumentum Salomonis, quod illi summa reuerentia colunt, sua sponte diuisum corruerat: quodque lupi & hyæna multa in vrbes eorum, rugientes, atque ululantes introierant. Periere quoque ex Romanis complures eo bello: quomobrem Hadrianus cum scriberet ad senatum, non est vsus illo exordio, quo vii Imperatores consueuerunt: si vos, liberique vestri valeatis, bene est: ego quidem & exercitus valemus.] Hactenus Dio. Descripsit quoque id Bellum Eusebius lib. 4. Historiæ Ecclesiast. cap. 6. & in Chronico, Cedrenus, & Zonaras in Annalibus, atque alij posteriores.

Sed & S. Chrysostomus Oratione 2. in Iudæos: Post deuastationem quæ facta fuit sub Vespasiano ac Tito: sub Hadriano mota seditione, conati sunt pristinam rempublicam instaurare: haudquaquam intelligentes, quod arbitrio Dei bellum gereretur, iubentis in perpetuum eam ciuitatem deuastari. Impetu igitur facto in Casarem, rursus eum adegerunt, vt funditus deleret ciuitatem, deuictis, ac subactis illis, omnibusque reliquiis abolitis, ne in posterum possent impudenter agere, statuam suam in loco collocauit.

At hic opportunè monendum, bellum hoc Iudaicum sub Hadriano, non Ierosolymis, quas nuper sub Eliæ nomine Hadrianus instaurauerat, peractum: Sed in reliqua Iudæa, ac Bither vrbe, quæ præcipua sedes Belli fuit, confectum fuisse. De quo plura diximus lib. 1. cap. 14. Fuit planè bellum atrocissimum ac dirissimum: meritoque Lamentantur Iudæi eorum res grauius afflictas ab Hadriano, quàm à Nabuchodonosoro, aut Tito, aut vllis retro temporibus, vt ibidem notabamus. Vide Scaligeri Eusebiana. Sub Seuero rebellasse Iudæos, atque de his deuictis triumphum Seuero à Senatu decretum, Eusebius in Chronico, & Spartianus testantur. Sub quæ tempora grande prodigium Ierosolymis contigisse, Tertullianus lib. 3. contra Marcionem, cap. 24. ita describit: Denique proximè expunctum est Orientali expeditione. Constat enim, Ethnicis quoque testibus, in Iudæa per dies quadraginta, matutinis momentis ciuitatem de calo pependisse, omni maiorum habitu euanescente de profectu diei: & alias de proximo nullam.]

Sub Constantino Magno cum Ierusalem à Christianis incoletetur, ac multis esset à Constantino, eiusque matre Helena, Ecclesiis, aliisque ædificiis ornata, Iudæos aggressos iterum Templum instaurare, ac suam rempublicam constituere, infelici tamen & irrito successu, idem S. Chrysostomus Oratione contra Iudæos 2. in hunc modum narrat: Post Hadrianum, sub Constantino rursus eadem aggressi sunt. At ille amputatis illorum auriculis, ac rebellionis signo impresso corpori illorum, per omnia loca circumferebat illos, cæpi fugitiua mancipia ac verberones, corporibus mutilatis, conspicuos illos faciens omnibus: ac eos, qui per omnes regiones sparsi erant, erudiens, ne in posterum eadem cognarentur.] Sub Constantio Imperatore rebellasse Iudæos, Socrates lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 27. ita narrat: Bellum intestinum in Oriente excitatur. Nam Iudæi, qui Diocæsaream Palæsthina incolebant, arma contra Romanos sumere, in loca finitima incursionem facere caperunt. Verum Gallus, qui & Constantius vocabatur, quem Imperator Constantius Casarem constituerat, inque Orientem miserat, copis eo traductis, illos bello subegit: ciuitatem Diocæsaream solo aquari mandauerat.] Eadem habet Sozomenus l. 4.

A a cap.

cap. 6. Paulus Diaconus lib. 11. Miscellæ, cap. 23. Cedrenus in Annalibus, anno 15. Constantij, Nicephorus lib. 9. Histor. cap. 32.

Iuliano Apostata adhortante, ac sumptus operi necessarios largè præbente, magnificentissimo apparatu Iudæos rursus Templum ædificare cæpisse: sed turbinibus, terræ motibus, horrenda flammarum è fundamentis eruptione, aliisque diuinis prodigiis totum opus deturbatum, omnia conuulsa, & dissipata, Iudæos exterritos, fugatosque fuisse, atque impios conatus penitus compressos, quamplurimi auctores prodidere. Ammianus lib. 23. cap. 1. *Iulianus Imperij sui memoriam magnitudine operum gestiens propagare, ambitiosum quondam apud Ierosolymam Templum, quod post multa, & internecina certamina, obsidente Vespasiano, posteaque Tito, agrè est expugnatum, instaurare sumptibus cogitabat inmodicis: negotiumque maturandum Alypio dederat Antiocheni, qui olim Britannias curauerat pro præfælis. Cum itaque rei idem fortiter instaret Alypius, iuuaretque Præuincie rector, metuendi globi flammarum prope fundamenta crebris assultibus erumpentes, fecere locum, exustis aliquoties operantibus inaccessum. Hocque modo elemento destinarius repellente, cessauit incipitum.* Atqui rem totam plenius, & ex vero describere, S. Gregorius Nazianzenus Oratione 3. quæ est secunda Inuentuarum in Iulianum, Rufinus lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 37. 38. 39. S. Chrysostomus Oratione 2. in Iudæos, & Oratione in S. Babylam, Socrates lib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 17. Sozomenus lib. 5. cap. 21. Theodoretus lib. 3. cap. 17. Cedrenus, & Zonaras in Annalibus, Nicephorus lib. 10. Historiæ cap. 33. ex quibus facillè quouis sciet historiam plane dignissimam: nos ut notam & perurgatam omittimus pluribus denarrare.

De Iudæis in Palæstina tempore Heraclij Imperatoris, Landolphus Sagax lib. 18. Miscellæ Historiæ, cap. 5. *Anno Heraclij Imperij quinto ceperunt Persæ Iordanem bello, & Palæstinam, & sanctam ciuitatem, & multos in ea per Iudæorum manus interfecerunt: id est, ut quidam aiunt, millia nonaginta. Isti enim euentes Christianos, pro ut unusquisque habere poterat, occidebant eos.* Fuit is annus Christi 615. Eadem habent Zonaras ac Cedrenus in Annalibus.

Idem Sagax, eodem lib. 18. cap. 13. anno 19. Heraclij: *Ingressus itaque Imperator Ierosolymam, Deo grates egit: pulsique ab urbe Sancta Hebræis, iussit illos non habere potestatem propius almæ ciuitati, quam tribus millibus appropinquandi.* Eadem habet Cedrenus. Et lib. 19. cap. 1. idem sagax, *Anno Imperij Constantis secundo capit Hauniar, Saracenorum Princeps ædificare templum in Ierusalem, & non stabat, sed ruebat structura. Sciscitanti autem ei causam, dixerunt Iudæi, quia nisi crux, quæ est supra templum montes Oliuarum, tollatur, haud stabit structura. Et propter hanc causam sublata est crux illinc, & ita constitit illic ædificium: propter hanc etiam causam multas cruces deposuerunt, qui oderant Christum.* Eadem omnino Cedrenus. Sed non puto illud templum fuisse in gratiam Iudæorum, sed Mahometanorum extructum, Durasse usque ad sua tempora, auctor est Guilielmus Tyrius lib. 1. Belli sacri, cap. 2. ubi plura de illo & lib. 8. cap. 3. ut etiam multa apud Albertum Auenensem lib. 6. Expeditionis Ierosolymitanæ, cap. 24.

Certum igitur & exploratum maneat ex cunctis Annalibus, post Titi Iudæorum cladem, & Templi euersionem, numquam eos, aut urbem Ierusalem possidere aut templum instaurare potuisse, ad hanc usque diem, per mille, & quingentos quinquaginta annos: nec sanè instauraturos ad tempora usque Antichristi.

Cæterum tempore Antichristi immensis agminibus ex toto orbe congregandos, atque Ierosolymam redituros, urbem ac templum amplissimo apparatu reedificaturos, Antichristum pro suo Messia recepturos, qui in ea urbe sedem Imperij sui constituet, ad hæc Mosaicos ritus, & templi cuncta sacrificia restitutos: quæ omnia paruo tempore sint duratura: hoc opere variis locis ex ipsis diuinis Scripturis, è constanti, patrum & posteriorum Doctrina copiosè & validè firmauimus. Vide lib. 6. cap. 10. c. 30. Opinione 10. cap. 34. cap. 37. 38. 39. 40. & lib. 8. cap. 1. 2. 7. 8. 9. 10. 11.

Ioannes Baptista Villalpandus Tomo 2. in Ezechiel. Parte 2. lib. 5. Disputatione 4. cap. 67. & 68. conatur ostendere Templum Ierosolymitanum non esse ab Antichristo Iudæisque supremo illo mundi tempore instaurandum: & cum meum latè Antichristum perlegerit, perstat nihilominus in opinione Templum ab Antichristo reedificandum desertissime affirmant, S. Irenæus, S. Hippolytus Martyr, S. Ephraem Syrus, Cyrillus Ierosolymitanus, S. Hilarius, S. Ambrosius, S. Damascenus, Sedulius, Primasius, Haymo, Strabus, Rabbanus, quorum sententias verbatim descriptas habes lib. 8. cap. 7. hoc ipsum adstruere innumeri recentiores, & quotquot fermè de Antichristo ex instituto perscribere, ut ibidem annotauimus: ad hæc, ex seriè, texturaque huius nostri operis multarum Antichristi rerum connexio & colligatio hoc ipsum manifestissimè euincit: & credemus potius Villalpando nihil prorsus, si sapimus. Loca scripturæ, quæ opponit, sunt ipsa duo, quæ duobus præcedentibus Capitibus enucleauimus.

C A P V T VII.

Quanta mole, atque amplitudine Iudæi tempore Antichristi urbem Ierusalem sint instauraturi.

Nemo in rebus Antichristi probè versatus ambigere poterit, Iudæos quæcumque sibi ex Scripturis crasse & carnaliter intellectis, atque ex maiorum putidis & absurdis traditionibus de magnitudine, amplitudine, pulchritudine Ierusalem sub venturo suo Messia perperam confingunt: tempore Antichristi omnem daturus operam, ut ea ipsa omnia re ipsa in sua ciuitate exhibeantur: cum tunc iam se suum nactus Messiam, & tempus promissæ omnimodæ felicitatis reputabunt. Nec est dubium, quin ad exemplar, quo futuram Ierusalem sub Messia à Prophetis delineatum, atque ab ipsis crasso, & inepto sensu imaginatum fuerit, sint tempore Antichristi suam urbem ædificaturi. Nam equidem Antichristus in gratiam Iudæorum, ex quorum gente ipse erit, ob quos potissimum veniet, & quem pro Messia recipient, quique eius regni erunt primi ac præcipui consiliatores, ipsis primis initiis imperij, opem præferentem conferentibus dæmonibus, omnia quæcumque poterit, efficiet, ut in eo cernant Iudæi cuncta sui Messiae certissima signa, atque in eo ad amissum impleri, quæcūque ipsi carnaliter de suo Messia sibi pollicetur.

Hinc ea cogitatio animū subit nostrum, Sacros Prophetas cum multa varicinerent de futura instauracione urbis Ierusalē ac Tēpli, quæ re vera, ac propriè in urbē ac Templū post Babylonicum exilium restituta, minime conuenire videantur: cum ea potissimum ipsi prædixerint de mystica Ierusalem ac templo, id est, Ecclesia Christi: interimque mentis oculis Deo inspirante præuiderint, eadē ob stīpos Iudæos carnaliter intellecta, sub Antichristo quantum poterunt, repræsentaturos, ita verba sua miro artificio temperare, ut in reedificationem urbis ac Templi Ierusalem,

utrumque competant. Aut si id minus arriserit, non fuerit absque suspicari, prophetas reedificationem illam urbis & Templi, quam Iudæi sub Antichristo peragent, etiam præcuisse, rem sanè magnam, & dignam prophetis oraculis, ut reliqua quoque ab Antichristo gerenda. Nam supremi temporis & Antichristi præcipua Prophetæ prænantiauerunt. Sunt potissimum duo insignia loca, ad quorum præscriptum videntur Iudæi suam urbem & templum sub Antichristo, adiuuante cum primis ipso falso Messia exædificaturi. Primus locus est Ieremiæ 31. v. 38. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & ædificabitur ciuitas Domino à turri Hananeel usque ad portam anguli & exiit ultra norma mensura in conspectu eius super collem Gareb, & circuibit Gaatha, & omnem vallem cadauerum, & cineris, & vniuersam regionem mortis, usque ad Torrentem Cedron, & usque ad angulum Porta equorum orientalis, Sanctum Domini: non euellatur, & non destruetur ultra in perpetuum.* Alter locus Zachariæ 14. v. 10. *Et reuertetur omnis terra usque ad desertum de colle Remmon ad Austrum Ierusalem: & exaltabitur, & habitabit in loco suo à Porta Benjamin usque ad locum Porta prioris, & usque ad portam angulorum: & à turri Hananeel usque ad torcularia regis. Et habitabunt in ea, & anathema non erit amplius: sed sedebit Ierusalem secunda. Vtriusque vaticinii eundem omnino esse sensum & interpretationem, consentiunt omnes Explanatores. S. Hieronymus annotat, Chiliastras existimasse hoc ambitu & amplitudine extruendam Ierusalem in regno Christi mille annorum in terris, post vniuersalem resurrectionem. Sed Chiliastarum inanes spes, sequenti libro refutabimus.*

Lyranus existimauit vates hic prædixisse Ierosolymorum instaurationem per Hadrianum Imperatorem, de qua Dio lib. 68. Eusebius lib. 4. Historiæ, cap. 6. & in Chronico, & alij. Sed Hadriana illa nequiquam conueniunt, *Ædificabitur ciuitas Domino.* Hadrianus enim non Domino, sed diabolo urbem ædificauit. Dio: *Ac quo in loco templum Dei fuerat, alterum Ioui exædificari curauit.* S. Paulinus Nolanus Episcopus Epistola 11. *Hadrianus existimans se fidem Christianam loci iniuria perempturum, in loco passionis, simulacrum Iouis consecrauit.* S. Hieronymus Epist. 13. *Ab Hadriani temporibus usque ad Imperium Constantini, per annos circiter centum Octoginta in loco resurrectionis simulacrum Iouis: in Crucis rupe statua ex marmore Veneris à Gentibus posita colebatur, existimantibus persecutionis auctoribus, quod tollerent nobis fidem resurrectionis & Crucis, si loca sancta per idola polluerent.* Et in 2. Isaïæ: *Vbi quondam erat templum & religio Dei, ibi Hadriani statua, & Iouis idolum collocatum est.* At hoc non erat ædificare urbem Domino.

Deinde illud, *Et anathema non erit amplius, & sedebit Ierusalem secunda.* Minime in Hadrianicam instaurationem veniunt, cum postea sub Seuero rebellauerint Iudæi, atque de his debellatis Iudæicum triumphum Severus egerit, ut auctor est Spartianus. Et Tertullianus qui sub Seuero Scribebat, *Aduersus Iudæos*, cap. 13. eis exprobrat, *Quod terra eorum iuxta prophetica vaticinia, deserta & subuersa maneret, nec eis liceret in confinio regionis demorari.* Teodoretus, S. Thomas, Palatinus, Mariana, existimant ea vaticinia completa in reedificatione urbis & templi, post reditum ab exilio Babylonico sub Zorobabel. Sed plerique pro comperto habent, à Nehemiæ 2. nequaquam tanta amplitudine quantam Prophetæ promittunt, tunc urbem extruendam.

Iam ea potior sententia habetur, ea vaticinia mysticè & spiritualiter intelligi de amplitudine & magnitudine Ecclesiæ Christi. Ita S. Hieronymus, Rabbanus, Hugo, S. Thomas, Dionysius, Vatablus, Montanus, Stunica, Messana, Ribera, Maldonatus, Capella, Sa, Figuerius, Castrus, Sanchez, Mariana. Quam explanationem latius apud eos inspicies.

At Lyranus, Dionysius, Figuerius arbitrantur, præfata oracula adimplenda in fine mundi, post interfectum Antichristum, quo tempore pij Christiani Ierusalem laxissimo & magnificentissimo ambitu, ut his vaticiniis prædicitur, exædificabunt. Verum exploratum est, Iudæos pro certo habere, hæc oracula nondum esse completa, sed sub venturo suo Messia fore complenda: ac tunc Ierusalem reedificandam ab ipsis ea laxitate quæ à Prophetis prædicitur. Rabbi Scelomoh in 31. Ieremiæ: *Prophetia hæc implenda est in redemptione vltima, velint nolint Hæretici cum completa non sit in Domo secunda.* Eadem habet Kimchius. Vide Hadrianum Finum lib. 7. Flagelli contra Iudæos, cap. 3. Hæreticos nos vocant verpi ter infelices. Sed non est dubium, Iudæos sub Antichristo, ut eum verum Messiam adprobent, omni ope curaturos moliri urbem Ierusalem iuxta eam normam & funiculum, quem Ieremias & Zacharias delineasse videntur. Nos hic, qua valebimus diligentia, loca ipsa, per quæ deducendam lineam ædificij Prophetæ dixerant, elucidabimus. Equidem situm vereris & nouæ Ierusalem permulti describere: ex antiquioribus, quos videmus, S. Beda libello de Locis Sanctis, Anonymus auctor de Gestis Francorum expugnantium Ierusalem, cap. 24. editus habetur Tomo 1. Gestorum Dei per Francos, Vvillelmus Tyrius lib. 8. de Bello sacro, cap. 2. & seqq. Benjamin Tudelensis in Itinerario, pag. 41. & seqq. Iacobus Vitriacus in Historia Ierosolymitana, cap. 55. & 60. ac seqq. Marinus Sanutus Torfellus lib. 8. Secretorum Fidelium Crucis, Parte 14. cap. 8. 9. 10. Vvillelmus Bandenselius in Ierosolymitano Hodoëporico, seu Itinerario, quod publicauit Henricus Canisius Tomo V. Lectionum Antiquarum; Brocardus Monachus Ordinis Prædicatorum in descriptione Terræ Sanctæ: alter Burchardus de Monte Sion in descriptione alia Terræ Sanctæ, quam edidit Canisius Tom. VI. Anselmus Ordinis Minorum in descriptione Terræ Sanctæ, eodem Tomo VI. Canisij, Ex recentioribus, Adamus Reifnerus VII. integris libris Ierosolymam descripsit: Arias Montanus, Christianus Adrichomius, Ioannes Baptista Villalpandus peculiare Ierusalem descriptiones & Tabulas Topographicas condidere.

Remmon. S. Hieronymus ex Eusebio in locis Hebraicis: *Remmon in tribu Simeonis vel Iudæ: hodieque est vicus Remmon iuxta Eliam contra Aquilonem in quinto decimo eius milliario.* Huius fit mentio Iosue 15. v. 32. & Iudicum 20. v. 47. & cap. 21. v. 13. Masius Remmon Iudaicam, potius australem, & magis remotam ab Ierusalem putat, quam Eusebius ac Hieronymus velint. Australem Zacharias innuere videtur. At ego sic capio verba Zachariæ, ut à Colle seu Petra Remmon Aquilonari, ducendum sit ædificium ad Austrum Ierusalem: immanis accessio quindecim millium passuum. Id nomen aliis locis in Scriptura tribuitur: à malorum punitorum, seu granatorum copia, quæ in his locis erat, nam RIMON Hebræis est malagranatum. Hic plerique GEBAGH LE RIMON, nomen proprium esse putant, Gheba ad Remmon. Noster pro Colle accepit.

Turris Hananeel. Nehemiæ 3. v. 1. & 3. & cap. 12. v. 38. inter Portam piscium, & Turrim centum cubitorum, seu Emath, aut potius, ut est Hebræicè,

Meah, idest, centum, describitur. Adrichomius & Villalpandus locant eam in parte Orientali muri, in Aquilonem vergente. In Epitome Sacrorum Bellorum, apud Henricum Canisium Tomo 6. Lectio- num Antiquarum hæc habentur: *Sexta Porta Ierusa- lem erat vallis, & dicebatur Porta Gregis immolandi ad templum: cui adiungebatur, & quasi adhærebat Probatica piscina. Huic Porta adhæret Turris Ha- naneel, quæ etiam Nebulosa dicebatur: unde illud Ie- remie 31. Edificabitur Domino ciuitas à turri Ha- naneel vsque ad portam anguli, quæ est porta Benjamin. Hanc turrem Herodes magnus instaurauit, & appella- uit Antoniam, ad honorem cuiusdam Antony. Hæc ducit ad montem Oliueti, & Bethaniam, & Iordanem.* Eadem omnino habet Burchardus de Monte Sion, in descriptione Terræ Sanctæ, quam idem Canisius eodem Tomo 6. edidit. Conuenit cum hac descri- ptione Montanus, qui Hananeel non longe à templo, & prope portam. Vallis, Obuersam inter Orientem & Meridiem constituit: nec abludit situs Antonie, quem Iosephus describit. Nebulosæ (Nebulosæ) meminit Bro- cardus, sed eam in occidentali muri parte, equæ Aquil- onari coniungitur, ponit: eodem ferè loco ubi Io- sephus turrem Psephinam statuit, lib. 6. Belli, cap. 6. Christophorus Castrus Hananeel ad meridiem, Pau- lus Palatinus ad Occidentem vrbs collocant. At in his vetustis topographicis egregiè diuinatur: vt satius sit ignorantiam profiteri.

Portam Anguli, quam Zacharias *Portam Angulo- rum* appellat, plerique aiunt fuisse in angulo muri, qui erat inter Orientem & Aquilonem, sic dictam, quod ibi murus in angulum sinuaretur. Brocardus: *Vsque ad Portam Ephraim, ubi curuatur murus contra Orientem, vsque ad Portam Anguli, quæ in angulo ci- uitatis constituta erat, contra angulum Aquilonis & Orientis.* Et inferius: *Quarta Porta est contra Orien- tem in angulo ciuitatis contra Torrentem Cedron, dicta Porta Anguli, quia in angulo ciuitatis sita erat. Dicta quoque est Porta Benjamin, quia per eam fuit via ad ciuitates Tribus Benjamin.* Sed Zacharias *Portam Anguli, & Portam Benjamin* satis distinguit. Vvilelmus Tyrius lib. 8. Belli sacri, cap. 6. scribit, *Tur- rem angularem valli Iosaphath præminuisse.* In Epito- me Bellorum sacrorum: *Quarta Porta fuit Anguli, & erat Porta Ephraim Orientalis, in angulo muri, su- per Torrentem Cedron.* Eadem Burchardus. Villal- pandus contendit fuisse in Occidentali muro: Sed in his ambiguis præstat vetustioribus inhære- re. 4. Regum, 14. v. 13. *Et interrupt Ioas rex Israël, murum Ierusalem à Porta Ephraim, vsque ad Portam Anguli, quadringentis cubitis. Porta prior. hanc esse volunt, quæ Nehemie 3. v. 6. Porta vetus, & Nehemie 12. v. 38. Porta antiqua dicitur: describit eam Nehe- mias inter Portam Ephraim, & Portam piscium.* In Epitome Bellorum Sacrorum: *Secunda dicebatur Por- ta Vetus, & erat à Porta David contra Aquilonem in muro veteri, & manserat à tempore Iebusaorum. Dicta etiam fuit Porta Iudiciaria, quia Iudicia ibi exerceban- tur, & quæ indicata fuerant per sententiam definitiuam, executioni mandabantur. Non longe extra hanc portam Dominus crucifixus est.* Brocardus: *Secunda Porta David, respiciens etiam ad Occidentem, & partim ad Aquilonem: vocabaturque Iebus à Iebusæis, & iu- diciaria, quia extra eam fiebat Iudiciorum executio. Vnde & extra eam fuit Dominus Crucifixus. Huius Porta ve- stigia adhuc apparent in muro veteri ciuitatis: in nouo vtrò muro, qui includit sepulchrum Domini, respondet ei Porta eodem nomine appellata, ducens in Silo & Gabaon.* Eadem ferè alter Burchardus, Montanus & Adri- chomius eundem ei situm tribuunt, quem Brocardus

& Epitome, nempe in latere vrbs Occidentali, non- nihil in Aquilonem vergente. Villalpandus osten- dere nititur, fuisse ad Aquilonem: atque omnino di- uersam esse à Porta Iudiciali. Sed quamuis vasta & speciosa Commentariorum mole, non tamen rerum istarum admodum scientem se prodit: cum sæpe non nisi plaustra inanum verborum, non solidas rationes inuehat. Quidam Portam veterem dictam volunt, vel quod ex Chaldaico excidio manserit: vel quod antiquæ vrbs Salem, à Melchisedeco condita quon- dam extiterit.

Gareb, incertissimum, quid sit collis *Gareb*. Euse- bius & S. Hieronymus in locis Hebraicis tantum ha- bent: *Gareb collis iuxta Ierusalem, sicut scribit Ie- remias.*] LXX, & Chaldaus, *collem Gareb*, etiam vt vulgatus habent. Villalpandus ad Oc- cidentem vrbs fuisse describit, quem Hadrianus muro cinctum vrbi inclusit. Adrichomius ad Boream collocat: Castrus ad Orientem. Forfan dictus à Scabritie rupium, quasi scabiosus, scabrosus, pruri- ginosus. Nec aliud sciunt Rabbini, quam esse locum prope Ierusalem. *Goatha*. Lxx. quasi vocem appella- tiuam reddunt, *Per gyrum de electis lapidibus*. Chal- dæus, *Arcem rotundam* exposuit. Plerique recentio- rum, seorsim Adrichomius & Villalpandus Caluarie montem, qui Hebraicè dictus est Gulgoeth, & Chal- daicè Golgotha, esse arbitrantur, quem quoque Ha- drianus muro circumdatum vrbi adiecerit, vt sacri Topographi docent. *Goatha* à mugitu bouum videtur nomen habere, quod forsan ibi armenta pascerentur. Et quia hinc diuinant, & nos quoque possumus ha- riolari, ne fortè *Gareb* & *Goatha* sint colles illi, de qui- bus Iosephus lib. 6. Belli, cap. 6. inquit: *Foris autem ciuitatis duo colles profundis vallibus cingebantur: & vtrinque obstantibus rupibus, nulla ex parte adiri pote- rant.* Sed eas rupium difficultates Iudæi in construenda vrbe tempore Antichristi superabunt, vt Annibal, montem rupit aceto.

Vallis cadauerum. Chaldaus sic dictam putat, quod ibi cæsa, ac fusa fuerint cadauera exercitus Sen- nacherib ab Angelo percussa, 4. Regum, 19. v. 35. Ita quoque Rabbini Scelomoh, & Jonathan, ex nostris, Clarius, Capella, Maldonatus, Castrus, Mariana, Sà, At Lyranus, & alij præsertim Adrichomius, exi- stimant esse vallem subiectam monti Caluarie prope muros Ierusalem, in quam cadauera seu ossa damna- torum proieciabantur: quod etiam existimauit Vil- lalpandus.

Cinerem Lyranus, Adrichomius, & alij, intelli- gunt locum, in quo rei cremabantur, atque cineres combustorum effundebantur. Hispanicè, *El Que- mador*, idest, Bustuarium. *Regionem mortis*. Caluarie montem interpretantur, ubi malefactores morte plectebantur. Atque hæc omnia loca, vallem Ca- dauerum, cinerem, Regionem mortis nempe Calua- rie montem, & vallem ei subiectam, atque Bustua- rium prope muros Vrbs ad Occidentem esse pleri- que volunt. Nobis verò alia mens & ratio est: exi- stimamus enim, vallem Cadauerum, cinerem, Regio- nem mortis nihil ad Caluarium montem aut partem vrbs occiduam pertinere: sed potius fuisse loca in Orientali extra urbem parte, nempe posita in valle Filiorum Henom, quæ Torrente Cedron irrigabatur: quod vt in re fatis obscura, pro capiti nostro explicabimus: ac primum de valle Filij Henom differemus.

* *

CAPVT VIII.

*Exponitur situs Vallis Cadaucrum, cineris,
Regionis, Mortis, Torrentis Cedron,
Ieremia 31. v. 40.*

Vallis Filij Henom frequens est mentio in Scriptura. Hebraicè ordinariè vocatus **GHE BEN HINAM**, vallis filij *Hinam*: ter tantum contractè reperitur **GHE HINAM**, Vallis *Hinam*, vel *Hennom*, nempe Iosue 15. v. 8. cap. 18. 16. Nehemia 11. v. 30. Vulgatus variè solet reddere, vt *Gehennom*, *Vallem*, vel *Conuallem*, filij, vel *Filiorum Ennom*, aut *vallem Ennom*. Esse prope Ierusalem Iosue 15. v. 8. dicitur: *Ascenditque terminus per conuallem filij Ennom, ex latere Iebusei ad meridiem. Hac est Ierusalem.* Eusebius & S. Hieronymus in locis Hebraicis: *Geennon quod interpretatur vallis Henon: & ab hac quidam putant appellatam Gehennam. Cecidit autem in sortem tribus Benjamin, iuxta murum Ierusalem contra Orientem. Super qua in libris Hebraicarum Quæstionum plenius dictum est.* Ex quibus apparet S. Hieronymum Auctorem fuisse Hebraicarum Quæstionum in libros Regum, & Paralipomenon: nam etsi in Quartum Regum desideretur, in 2. tamen Paralipomen. 33. hæc habet: *In valle Benenon, qua alio loco Gehennon dicitur, id est, vallis filiorum Ennom. Est enim hac haud procul ab Ierusalem: de qua in Ieremia & in Regum libro plenè scribitur. Ab ea enim originem accipit nomen Gehenna.* Et in cap. 7. Ieremia: *Vallis filiorum Ennom illum locum significat, qui Siloë fontibus irrigatur, & est amœnus atque nemorosus, hodièque hortorum prabet delicias.* S. Beda de locis Sanctis, cap. 6. *Iuxta murum templi vel Ierusalem, Gehennom occurrit, qua est vallis Iosaphat, à Septentrionali plaga in Austrum porrecta, per quam torrens Cedron, si quando pluviarum aquas recipit, decurrit. Hac vallis, & parua campi planities irrigua & nemorosa, plenèque delitiis, locum in se quondam Baali sacrum habuit.* Brochardus: *infra Piscinas istas, & agrum HaKeldemach contra Orientem fluit torrens Cedron: colligunturque in ipsum omnes aquæ, quæ tempore pluviarum in altiora quæque loca circumiacentia ab aère descendunt. Augescit quoque ex aquis, quæ persuunt ex memoratis piscinis [nempe Superiiori, & Natatoria Siloë] & deferuntur in vallem Geenon, qua etiam locus Topheth vocatur: ubi est Fons Rogel, Lapis Zobelet, & ubi Adonias fecit conuiuium, cum regnare institisset: ibi quoque Isaias sepultus dicitur, serra prius iuxta fontem Siloë sectus. Sunt hac loca amœnissima, delitiis plena, viridariis, & hortis confita, irrigante ea Torrente Cedron.* Eadem tradit alter Burchardus de Monte Sion, Atqui consentiunt omnes, fuisse loca suburbana Ierusalem, arboribus, hortis, amœnitatibus, multisque delitiis confita, vti Thessalica Tempe, & Antiöchensem Daphnemque accuratè ex variis auctoribus descripsit Abrahamus Ortelius in Theatro orbis. Quæ sanè vallis Ennom tanta amœnitas occasio fuit: multorum scelerum, vt fieri assolet in celeberrimarum urbium viciniis. S. Hieronymus in 7. Ieremia: *Hic autem gentilitatis error omnes provincias occupauit, et ad capita fontium, lucosque amœnissimos, victimas immolarent: & omnis praua superstitionis religio seruaretur.* Celebrabantur enim ibi in deorum honorem horrendæ abominationes, & infanda sacrificia: quæ Dei obseruantissimus Rex Iosias postea sustulit, ac ne amplius fierent, locum totum iniectis cadaueribus, aliisque immunditiis deturpauit, & cunctam amœ-

nitatem aboluit: ne deinceps occasio esset impia sacrificia iis in locis instaurandi. 4. Regum, 23. v. 10. *Contaminauit quoque Iosias Topheth, quod est in conualle Filij Ennom: vt nemo consecraret filium suum aut filiam per ignem, Moloch.* Quanam verò ratione contaminauerit, vers. 14. exponitur: *Repleuitque loca eorum ossibus mortuorum.* Et Ieremia 7. v. 31. de Iudæis: *& edificauerunt excelsa Topheth, qua est in valle filij Ennom: vt incenderent filios suos, & filias suas igni.* Ideo ecce dies veniunt, dicit Dominus, & non dicitur amplius Topheth, & vallis filij Ennom: sed vallis interfectionis: *& Sepelient in Topheth, eo quod non sit locus.* Quæ loca sunt sanè insignia, & digna quæ cum cura elucidentur, Molech, seu Moloch, vel Melchom, utroque enim modo effertur, frequens in Scriptura mentio. Montanus in 11. Iudicum, & 1. Amos, existimat esse Mercurium, nam Stephano teste, Ammonitæ Mercurium Deum colebant: & Melchom peculiaris Deus Ammonitarum in Scriptura: congruit significatus, quod Moloch, à LAACH, est Nuntius, & Mercurius Deorum nuntius & interpres. Vide Luciani Dialogum Mercurij, & Maiæ. Sed omnes fere Saturnum esse malunt, cui gentiles infantes immolasse auctores produnt. Significat Regem, seu deum regium vel austrum regium, & habens regnum & Dominium, Biffariam autem, per ignem ei filios suos & filias suas Israëlitarum gentium imitatione consecrabant. Primò crudeliter illos igne cremando & immolando. Ritum feralis huius immanitatis, ex Rabbiniis Ben Gerson, & Kimchio in 4. Regum, 23. ex Aben-Ezra, & Scelomoh in 18. Leuitici, latè describere Lyranus, Tostatus, Munsterus Steuchus, Drusius, Cornelius à Lapide, Oleastrius in 18. Leuitici, Isidorus Clarius, Christophorus Castrius, Petrus Figuerius in 7. Ieremia, Ioannes Quinquarboreus in Scholiis ad Thargum Osee, cap. 9. Dauid de Pomis in Germine Dauid, in voce Topheth, Christianus Adrichomius in Ierusalem Numero 186. Ioannes Pineda lib. 7. Rerum Salomonis, cap. 11. §. 3. Sed & Ioannes Buxtorfius in Lexico Hebraico, in voce *Ghe*, hæc habet: *Placeat hic subiicere quæ reperi in libro Ialkut (commentarius & mysticus in vniuersa Biblia) in Ieremia cap. 7. folio 61. columna ubi ita scriptum: Et si fuerint omnes domus Idololatricæ in ipsa vrbe Ierusalem, Molech tamen fuit extra urbem, in loco separato. Quomodo Molech erat factus? Imago erat [arctæ, Rab. Scelomo Ieremia 7. v. 31.] habens faciem vituli, manus expansas instar hominis manus aperientis, vt ab alio aliquid accipiat, intrinsecus excavata septem ipsi extructa fuere Sacella, [conclauia, cancelli, seu receptacula] ante quæ imago ista fuerat collocata. Auem, siue pullum columbinum offerens, primum sacellum ingrediebatur: Ouem, aut agrum, secundum: Arietem, tertium: vitulum, quartum: Iuuenecum, quintum: Bouem, sextum: qui denique filium proprium offerret, septimum occupabat sacellum. Hic Molechum osculabatur, iuxta illud, Sacrificatores hominum vitulum Osculantur, Osee 13. v. 2. filius ante Molechum ponebatur: Molechus igne supposito, succendebatur, donec ignitus fieret instar lucis. Tunc sacrificuli acceptum infantem candentibus Molechi manibus indebant: ac ne parens eulatum ac clamorem pueri audiret, tympana pulsabant. Inde locus iste dictus fuit Topheth, nempe à *Tuphim* tympanis.] Hactenus Buxtorfius ex Ialkut. Alter ritus erat huiusmodi: Extruebantur duæ pyræ, seu rogi magni hinc inde: pater filium tradebat sacerdoti: & inter hos rogos accensos puerum nudis pedibus incedentem traducebāt. Et quidam moriebantur: quidam superstites euadebant: ac putabant, si pater vnum ex filiis traduceret,*

reliquos fore saluos, Superstites, & incolumes, & patrem felicem. Vide Lyrani in 4. Regum 16. & Schindlerum in Pentaglotto, in voce Molech. Simili modo Tartaros lustrari solitos idem Lyrani annotat: de quo Tartarorum ritu plura Munsterus lib. 5. Cosmographiæ, pag. 1062. Consimilem quoque ritum suo tempore se vidisse ait Theodoretus, in 4. Regum, Quæstione 16. & Michaël Glicas Parte 2. Annalium. Inde Cicero lib. 2. de Natura Deorum nomen superstitionis deriuatum existimauit, cum ait: *Nam qui totos dies precabantur, & immolabant, ut sui liberi sibi superstites essent, superstitionis sunt appellati: quod nomen postea latius patuit.* Vide Nonium Marcellum cap. 5. numero 36. Locus autem ille, ubi tam nefaria Sacra peragebantur, Topheth dictus fuit. Eusebius & S. Hieronymus in locis Hebraicis: *Topheth legimus in Ieremia: est autem in suburbanis Elia usque hodie locus qui sic vocatur, iuxta piscinam Fullonis, & agrum Acheldema.* De cuius vocis etymo non erit abs te parca notare. Lyrani in Ieremiæ 7. sequutus Hebræos hæc scribit: *Topheth secundum quod dicit hic Rabbi Salomon, sonat tympanum, seu tympanizationem, eo quod in ritu illius idoli Moloch fiebat tympanizatio. Erat enim illud idolum arcum, & interius concauum, & intra concauitatem illam fiebat ignis fortis: & quando idolum erat ignitum, ponebatur puer, qui offerrebat, in manibus eius, & tunc sacerdotes percutiebant fortiter tympana, ne parentes pueri audirent clamorem pueri, & compaterentur: & ut crederent, sine dolore corporis animam euolasse.* Eadem habet in 18. Leuit. & in 4. Regum, 23. Quam sane etymologiam probant Mercerus, Pomarius, Auenarius, Schindlerus, Buxtorfius in Lexicis: Isidorus, Clarius, Andreas Cappella, Petrus Figue-rius in 7. Isaïæ, & passim alij sequuntur, præsertim Masius in 15. Iosue, ad vers. 8.

At Forsterus in Radice IAPHAH: *Topheth, excelsum illud, & cultus in illo institutus, à portentofo & horrendo visu spectaculo, quod comburendis liberis exhibebatur, sic dictum est: 2. Regum 23. & Ieremiæ 7. Quamquam Lyrani & alij à Tympanis, hoc nomen habere existiment. Et legitur Semel pro Mopheth positum, Iob 17. Et posuit me in parabolam populis, & Topheth, portentum in oculis eram. Atque hic locus in causa est, cur ad hoc thema referam, nec Lyrani etymologie assentiar.* Forerius in Isaïæ 30. (55.) v. 33. *Topheth ex 2. Regum 23. & Ieremiæ 7. constat fuisse excelsum, in quo idolo Moloch filios Iudæi immolabant: quia verò horribile erat spectaculum, & cultus ille portentosus valde erat, denominationem hanc accepit: nam Mopheth prodigium est. Atque hanc etymologiam magis probo, quam Lyrani, & aliorum, qui à tympanis dictum volunt. Unde Iob 17. pro ipso Mopheth positum videmus: Posuit me parabolam populis, & portentum in oculis eram.* Insignis hic semper Forsteri plagiarius. Iuvat mirifice Noster vulgatus, qui in Iob habet: *& exemplum sum coram eis.*

Marinus: *Ego nonnullis rationibus adducor, ut arbi-trer Topheth potius deriuari à Radice Iaphah, sicut & Mopheth, atque eiusdem etiam significationis esse, id est, portentum, res mira, insolita: quod mira in eo loco operarentur à diabolo, quo cultores in ea dementia detineret.* Forerius & Marinus existimant etiam Topheth dictum à Iaphah, id est, pulchrescere, quod antè locus is pulcherrimus & amœnissimus esset, vti superius diximus: Sed postea factum Mopheth, portento-sum, abominabilem, horrendum, propter nefandas idololatrias, vel quod corruptus & fœdatus fuerit à Iosia: & speciem magnam exhiberet inferni & dam-natorum ignis, & sedis.

Mercerus: *At Doctores Hebræi, teste Elia, Topheth à PAPHAH deduxerunt. Quo nomine dicatur Gehenna, quod qui sua concupiscentia est seductus & illeceus, illuc cadat. Vel ex significatione Chaldaica, qua interdum & Hebraicè reperitur: quod sit locus latus & capacissimus omnium impiorum, sicut Isaïa 5. v. 14. dicitur dilatauit infernus animam suam. Mi-ros quosdam recentiorum à Iaphah desistere Topheth, à portentofo & horrendo spectaculo, quod in eo exhibebatur, comburendis liberis: quasi Mopheth. Ego etymologiam Lyrani & aliorum à tympanis, qua pulsa-bantur, ne pater eiulatum filij, dum flammis extin-gueretur, audiret, certiore puto.* Villalpandus non tantum à Tympanis qui in Viuicomburio infantis pulsabantur: sed à tympanis, cantu, & aliis musi-cis instrumentis, quæ in amœnis & delictiosis illis locis perstrepebant, Topheth dictam vult.

Quod vero attinet ad etymon GHE Filij HINOM, vel, GHE HINOM, vallis Hinom. Kimchius in 7. Ieremiæ, HINOM deducit à NAHAM, quod est rugire, nimirum à gemitu infantium, qui ibi immolabantur. Elias in Thisbi: *Fuit autem locus iste sic denominatus, à rugitu & clamore pueri, qui ibi exurebatur.* Eadem habet Dauid de Pomis in Germine. In Ialkuth ad Ieremiæ. 7. hæc habentur: *Vallis verò dicta Hinom, quia vox pueruli erat NOHEM, rugiens, aut quod astantes sacrificuli dicerent Iehench lach, vile erit tibi, dulce erit tibi, condimentum erit tibi.* Rabbi Bechai in 18. Leuitici scribit, parentes persuasos fuisse, reliquos liberos eo sacri-ficio à morte ereptum iri: sèque tota vita felices ac prosperos victuros. At S. Hieronymus in 7. Ieremiæ, & melior iam sententia docet, à viro quopiam, cui nomen Hinom, dictam vallem Filij Hinom, vel vallem Hinom.

Non est dubium tam immanes ritus Iudæos à Gentilibus didicisse: nam Saturno infantes immolari solitos, & profanorum & Sactorum auctorum libri passim docent. Diodorus Siculus lib. 20. Numero 740, de Carthaginiensibus: *Ducetos ex præcipua delectos nobilitate pueros sacrificio publico immolant. Erat autem apud illos aenea Saturni statua, qua manus supinas extendebat, ita ad terram inclinatæ, ut impositis illis puer deuolueretur: & in voraginem ignis plenam rueret.* Eadem ex Diodoro retulit Eusebius lib. 4. Præparationis Euangelicæ, cap. 7. *De eisdem Carthaginiensibus filios suos Saturno immolantibus Plutarchus Libello de Superstitione: Infans nihilominus mactabatur, & ante simulacrum Saturni omnia strepitu fistularum, tympanorumque opplebantur, ne eiulatus mactati exaudiri posset.* Minutius Felix in Octauio: *Nam Saturnus filios suos non exposuit, sed vocauit. Merito ei in nonnullis Africa partibus à parentibus infantes immolabantur, blanditiis, & osculo comprimente vagitum, ne flebilis hostia immolaretur.*

Ergo Vallem Hinom & locum Tophet qui in ea, quæ amœnissima ac nemorosa, hortis, ac viridariis, delitiisque pulcherrima loca erant: atque in his horrendæ illæ ac ferales idololatriæ peragebantur, rex Iosias religiosissimus euertere ac destruerè statuit: atque quo impiam & nefariam superstitionem penitus extirparet, coniectis cadaueribus, aliisque sordibus loca illa amœna corruptis ac deformauit: atque ex delicatissimis & speciosissimis, horribilia & abominanda reddidit, ne amplius occasionem præberent sacrilegiis sacris, vti ex 4. lib. Regum, & Ieremia superius vidimus.

Ex his facile intelligimus, eam quam Ieremias 31. v. 40. *Vallem cadauerum* appellauit, eandem omnino esse

esse quam prius cap. 7. vers. 32. *vallem interfectionis* dixit nimirum Topheth, & vallem Filij Ennom, eam in quam rex Iosias cadauera iussit abiici: & in quam vulgi cadauera deinceps sepeliebantur, ut ex verbis Ieremiæ constanter sumunt Hebræi quibus ait. *Et non dicetur amplius Topheth, & Vallis Filij Ennom: sed vallis interfectionis, & sepelient in Topheth, eo quod non sit locus, alibi scilicet aptior: nam equidem ibi fuisse sepulchra vulgi ex 4. Regum 23. v. 6. intelligitur, ubi sepulchra vulgi dicuntur fuisse in Conualle Cedron, quæ eadem est cum valle Hinom, aut certè propinquissima. Qui loca scripturæ inter se contulerit, haud difficulter assentietur, Vallem cadauerum dictam ipsam vallem Hinom, & Topheth, in quam Iosias cadauera proici imperavit, & in quam cadauera vulgi inferebantur, ad Orientalem partem vrbis: porius quàm vallem aliquam circa montem Caluariae ad occasum vrbis.*

Pro *Valle cadauerum*. Lxx in Editionibus Complutensi & Regia, & apud Theodoretum, habent *Vallem Phagarim*, relicta Hebræica voce sine interpretatione: at in Romana Carrafae editione præmittitur hæc particula, Theodoretus: *Phagarim autem loca sacrificandis carnibus destinata*] S. Hieronymus exponit, vallem ruinarum seu cadauerum. Sed *Phagarim corpora mortua, seu cadauera omnes interpretantur*,

Non omiserim annotasse Hebræos, locum supplicij dannatorum, seu ipsum infernum appellatum ipsis *Ghehinnam* vel *Ghebennum*, Kimchius in Psalm. 27. v. 13. hæc annotat: *Ghehinnom est locus vicinus vrbis Ierusalem contemptissimus, in quem proiciebant sordes ac cadauera: fuitque illic ignis continuus ad comburendum cadauera, ossa, ac reliquas sordes. Inde postmodum appellatum fuit iudicium impiorum, siue locus in quo penas æternas impij sustinebunt.*] Elias in Thisbi: *Rabbini nostri locum ubi impij post mortem puniuntur, Ghebennam vocant, ab eo scilicet quod Ghe Ben Hinom, id est, vallis filij Hinom prope Ierosolymam locus immundus fuit: in quo exurebant filios suos idolo Moloch. Porro admiror ego, qui fiat, quod nos legimus Ghebinnam, cum patach, vel cum Cametz, quum Bibliis tantum cum Holem Ghehinnom inueniatur.*] eadem habet David de Pomis in Germe. Atque tres isti Rabbini conueniunt, locum damnatorum dictum *Ghehinnam*, à rugitu, eiulatu, clamore, quem ibi damnati torti edunt, uti pueri qui in valle Hinom exurebantur, eiulabantur.

Alij ferè magis existimant ab spurcissimo, & horrendissimo illo loco vallis Ennom, quem Iosias contaminauit cadaueribus: vel à sæuissima illa carnificina infantum, qui in Ghe Henom, id est, valle Henom comburebantur, dictum *Ghebennam*, vna voce parum flexa, & ex duabus conflata, locum illum ignis ac pænarum, quibus impij puniuntur, nempe infernum damnatorum. Atqui certissimum est, Christum Matthæi 5. 22. & alibi, cum *Ghebennam* memorat, eò quoque respexisse, quæ vox iam tempore Seruatoris in vsu Iudæis plane fuerit, in significato supplicij impiorum: nam etiam ipsi Hebræi fatentur maiores suos locum illum, in quo improbi post hanc vitam torquentur, iam olim *Ghehinnam* appellasse. S. Hieronymus in Matthæi 10. *Nomen Ghebennæ in veteribus libris non inuenitur: sed primum à Salvatore ponitur. Queramus ergo quæ sit sermonis huius occasio. Idolum Baal fuisse iuxta Ierusalem ad radices montis Moria, in quibus Siloa fuit, non semel legimus. Hæc vallis & parua campi planities, irrigua erat & nemorosa, plenaque delitiis, lucusque in eadolo consecratus erat. In tantam autem dementiam populus*

Israël venerat, ut deserta Templi vicinia, ibi hostias immolaret: & rigorem religionis delitiis vincerent: filiosque suos demoniis incenderent, vel initiarent. Et appellabatur locus ille, *Ghebennom*, id est vallis filij Ennom, Hoc regum volumen, & Paralipomenon & Ieremias scribunt plenissimè. Et comminatur Deus se locum ipsum impleturum cadaueribus mortuorum, ut nequaquam vocetur *Topheth* & *Baal*; sed vocetur *Polyandrium*, id est, tumulus mortuorum. Futura ergo supplicia & pæna perpetua, quibus peccatores cruciandi sunt, huius vocis vocabulo denotantur.] Hactenus S. Hieronymus: & assentiuntur omnes nostri; nomen *Ghebennæ* in Evangelio transumptum ex *Gehinnom*, nempe, *Valle Henom*. Theophylactus & Euthymius Græcum ei etymon affingunt, *Ghebennam*, quasi *γεωγεννα*, id est, semper generantem ignem. Sed ridiculè.

Appellationem quoque *Tophet* deductam postea simili ratione qua *Gehinnom* ad significandum Infernum Isaia 30. v. 33. satis constat. Ergo quemadmodum Mercedem & præmia piorum post mortem, Hebræi vocant *Gan Eden*, ab amænissimo & delicatissimo Horto illo quem Deus initio mundi plantauit: ita quoque sempiternos impiorum post hanc vitam cruciatus *Ghebennam*, & *Topheth* nuncupant à valle *Henom* & à *Topheth*, locis Horrendis fædis, crudelibus, infamibus, abominandis, Sed ad institutam seriem redeamus.

Cinerem. Lxx. apud Theodoretum: & ad *Spodiam*, ubi ipse Theodoretus: *Spodiam appellat locum in quem proiciebantur cineres sacrificiorum*] Cinis Græcè σποδῆς, Kimchius, & nonnulli Hebræorum & ex nostris, Clarius, Maldonatus, Figuerius, eodem modo quo Theodoretus exponunt. Qua ratione videtur hic locus fuisse ad Orientalem partem vrbis, non longe à templo: nimirum vel in ipsa valle *Henom*, aut iuxta torrentem *Cedron*: nam intelligitur, vallis cineris, quæ est vel vallis *Hinom*, vel *Iosaphath* propinqua. Vox Hebræa *Desen*, cinerem, & pinguedinem significat: vnde Vatablus hic reddit: *ad vallem cadauerum, & pinguedinis*, exponitque Maldonatus, vallem oliuarum, quæ subiecta est monti Oliuarum, quæ dicitur vallis *Iosaphath*, *Hinom*, *Cedron*: determinans urbem à monte Oliuarum. Rabbi Ionathan intelligit, *Vallem aqueductus*, qui terram pinguem reddebat.

Foran possit intelligi vallis, aut locus, qui Hebræicè dictus fuit *Gethsemani* in Euangelis: de quo Eusebius & S. Hieronymus in locis Hebræicis: *Gethsemani locus ubi Saluator ante passionem orauit: est autem ad radices Montis Oliueti: nunc Ecclesia desuper adificata.*] Et Brocardus: *Non longè à sepulchro Virginis ostenditur alia Ecclesia, ubi fuit horius Geth-Semani, quem Dominus oraturus ante passionem intravit, iuxta montem Oliueti, cuiusdam rupi concava adhaerens, sub qua discipuli sedisse memorantur, quum ipse oraret ad Patrem.*

Cum Genuinum Hebraicum Matthæi Evangelium non extat, non etiam constat, quomodo hæc villa aut prædium Hebræicè vocaretur, & quæ esset eius nominis germana pronuntiatio & significatus. Diuersus ab hoc locus Isaia 28. v. 1. dicitur *Gethsemani*, id est, vallis oleorum, pinguedinum. Noster, *Vallis pinguis*. Qua ratione in Matthæo Legendum, & exponendum existimauit S. Hieronymus, cum annotat: *Gethsemani, interpretatur, vallis pinguis*. Et tunc Thau esset addititium, vel Euphoniae causa adiectum. Mercerus existimat Isaia nomen speciale loci circa Ierusalem. transfuisse ad Samariam, quæ in loco pingui in valle sita erat, ut ex Michæa initio apparet; & corrupte in Euangelis legi *Gethsemani*,

pro, *Ghe Semanim*. Hanc vocis enodationem amplectuntur plerique recentiorum, Erasmus, Iansenius, Mercerus, Maldonatus, Franciscus Lucas. Drusus suspicatur, Matthæum forte scripsisse *Ghedesene*, vel *Desenim*, idest, *vallis cinerum*, vel *pinguium*. Nam *Desen*, cinerem & pinguedinem, ut antea dicebamus, significat. Syriaca conveniunt, quæ habent *Ghedsiman*, eodem planè Hebraico significato. Putant in ea valle fuisse copiam olearum, aut præla, seu torcularia olei, vnde nomen acceperit: aut fortasse dictus est is locus *Gath Semanim*, id est, *Torcular*, seu *pralum oleorum*, nec est inuerisimile cum esset subiectus monti Oliuarum.

Angelus Canisius de vocibus Hebraicis Novi Testamenti cap. 11. hæc observat: *Geth-Semani* Matthæi 26. *γερσημανι*, non est vallis pinguium: *Geth* enim Hebraicum non est: nec *pralum olei*, ut quidam somniat: sed sunt duo vocabula Syriaca, *Gath Semani*, pecuaria Butyri. *Gath* enim respondet Hebraica voci *MIKNEH*, & *seman*, est *CHAMAN* butyrum: is enim locus à copia butyri. Eadem habet Valentinus Schindlerus in Pentaglotto. At certum est nunc in Euangelis non scribi Syriacè *Gathsemani*: sed *Ghedesimam*, vel *Ghedsiman*, ut antea dicebamus. Et est mera diuinatio Caninij.

Arias Montanus & Maldonatus in 26. Matthæi, notarunt, eum locum Hebraicè dictum, quasi *Gan-semi*, idest, *Hortam Octauum*: vel *Ghe-semi*, idest, *vallem Octavi*: prædia enim & hortos suburbanos numerorum nominibus olim designabant: de qua re diximus in Paradiso cap. 56. quod horti in suburbiis magnarum urbium, ordine positi, notis quoque Numerorum distingui soleant: & ille in quem Christus Patrem Oraturus intrauit, esset ordine Octavus in valle illa, subiecta monti Oliuarum. Hinc fortasse Hispani *Quintas* appellant. Sed ad *vallem cinerum* reuertamur.

Quam inde potius dictam existimamus, quod Iosias destructis & dirutis altaribus idololatricis, quæ in vrbe Ierusalem erant, cineres, & rudera eorum disperferit in eam vallem: vnde *vallis cinerum* appellata sit. Sic enim scribitur 4. Regum 23. 12. *Altaria destruxit rex Iosias: & currebat inde & disperfit cinerem eorum in Torrentem Cedron*. Heb. *puluerem eorum*, idest, rudera. Quo circa quemadmodum vallis Henom à proiectis in eam cadaueribus dicta est, *vallis cadauerum*, ut superius ostendimus: sic quoque consequenter à proiectis in eandem vel partem aliquam eius, rudibus, & cineribus demolitorum altarium idolomania, *vallem cinerum* nuncupatam existimamus. Hæc omnia de situ horum locorum, quam aptè cohæreant, cordatus quisque facile agnoscat. Quidam hinc *cinerem* pro sepulchro, cadauere, ossibus, mortuo, sumi volunt, ut etiam scriptoribus Latinis, quod corpora olim cremarentur. Virgilius 4. *Æneidos*: *id cinerem aut manes credis curare sepultos*? Et rursus: *Nec Patris Anchise cineres, manesque reuelli*. Vnde hinc intelligunt locum ubi cadauera sepeliebantur, Busta, sepulchra: ego putatim locum forte eum esse, de quo 4. Regum 23. v. 6. *Et efferrit fecit Iosias lucum de domo Domini, foras Ierusalem in conualle Cedron, & combussit eum ibi, & redegit in puluerem: & proiecit super sepulchra vulgi. Regionem mortis*. Hebraicam vocem *SEDEMOTH*, variè interpretantur. S. Hieronymus: *SEDEMOTH* quod nos vertimus in *regionem mortis*, unum nomen in duo verba diuidentes, *SAD E*, quod dicitur regio, & *MOTH*, quod interpretatur *mortis*: pro quo *Aquila* vertit *suburbana sine arua & rura*] Sed omnes *SEDEMAH* vnam dictionem faciunt, cuius plurale hinc ponitur *SEDEMOTH*. Rabbi Scelo-

moh, *Campestria*. Leo Iudas, & Varabius, *campos*. Sanctes *regiones*, Forsterus, Auenarius, Schindlerus, Montanus, *arua*. Buxtorfius, *agros*. Marinus, *Vastitates*. Mercerus, *Planities*. Chaldaeus, *agua-ductus*. Fortasse intellexit, vel Fontem Siloe, vel Torrentem Cedron. Quinquies tantum hæc vox in scriptura occurrit in plurali numero. Noster, 4. Regum, 23. v. 4. *Conuallem*. Deuteronomij 33. v. 32. Isaia 16. 8. *suburbana*. Habacuc 3. v. 16. *arua*. Hic *regionem mortis*. Nec alium locum putamus nisi illum, qui 4. Regum, 23. v. 4. dicitur *Sedemoth Chidron*, idest *Arua campestria*, agri *Cedron*. Noster *Conualis Cedron*, ubi erant Busta, seu sepulchra vulgi, vnde quod hic dicitur: *& omnia arua*, seu *Campestria*, usque ad *Torrentem Cedron*: in 4. Regum scribitur: *In aruis*, seu *campestribus Cedron*, ubi quoque non est dubium fuisse agrum figuli, qui postea emptus est ad sepulturam peregrinorum. Hebraicè varia est lectio, in textu est *SEREMOTH*, cum *Res*, quam lectionem sequuti Lxx. pro nomine proprio acceperunt, dixeruntque *Asseremoth*: in margine vero est *SEDEMOTH* cum *Daleth*: & ita Hebræi legendum monent.

Torrentem Cedron. Iam alioqui sacris, litteris nobilitatum, sed passione Filij Dei clariorem, plerique accuratè descripserunt. Eusebius & S. Hieronymus in locis Hebraicis: *Cedron* appellatur *torrens* siue *vallis*: *Cedron iuxta Ierusalem ad Orientalem plagam est: cuius & Ioannes Euangelista meminit*.] contentiunt omnes ex scripturæ locis esse nomen vallis & torrentis, seu riui per eam fluentis ad Orientalem plagam Ierusalem, haud procul à mœnibus, qui urbem ipsam à monte Oliuæi dirimit, inter montem & urbem interiectus. Siquidem Mons Oliuarum positus ad Orientem vrbis, subiectam habet vallem Iosaphath, quæ etiam Vallis seu Conualis Cedron in Scriptura dicitur, inter urbem & montem interiacentem, per quam Torrens Cedron labitur à Septentrione in meridiam decurrens. Iosephus lib. 6. Belli cap. 3. *is præceptum erat sexto* (Alij, quinque:) *ab Ierolymis stadio castra ponere, qua in parte mons quia appellatur Elecon, hoc est Oliuarum, contra ciuitatem ab Oriente situs est atque interiacente valle discernitur, cui nomen est Cedron*.] Eadem habet Hegesippus Iunior lib. 5. Excidij Ierolymitani, cap. 4.

Quidam *torrentem Cedron*, seu vallem Cedron nomen accepisse putant à Cedris, quæ inibi nascerentur: fouetque articulus Græcus Ioannis 18. vers. 1. *των κεδρων*, hoc est, *Cedrorum*, nam est articulus pluralis: quæ etiam ratione cum articulo plurali videntur legisse Lxx. Interpretes 4. Regum, 23. v. 6. teste Erasmo, in Ioannis 18. vnde Nonnus Panopolitanus in Paraphrasi Ioann. 18. v. 1. *Torrentem Cedrorum exposuit: Pertransiit prudenti pede in oram è regione sitam, ubi rabioso tumore voluitur vagus imber cedrorum pulchros stipites habentium, turgescere faciens vehementem fluxum torrentis fluij*.] Erasmus: *των κεδρων*, articulus additus indicat Cedron non esse nomen Hebraicum: sed Cedrorum. Opinor torrentem ita dictum, quod hinc inde cedros haberet: quemadmodum dictus est mons Oliuarum. Sed iam inter eruditos constat, Græcos codices in damno esse, & pro *των*, legendum *τοι* singularem articulum: nec Cedron Ioannis alium esse, quàm Cedron illum in Scriptura veteris Testamenti sæpius nominatum, nec vocem Kidron. Cedros Vspiam significare, sed atrorem, nigrorem: indeque factum nomen loco, ab opacitate arborum, vel ab atrore aquarum, seu profunditate vallis, vti Forsterus, Marinus, Mercerus, Auenarius, Schindlerus in lexicis, Iacobus Faber, Nicolaus Zegerus, Caietanus, Iansenius, Toletus Mariana, Sa, Franciscus Lucas,

Lucas, in 28. Ioannis, Franciscus Nansius in Notis ad Paraphrasim Nonni Ioan. 18.

Portam equorum. Huius fit mentio Nehemiæ 3. v. 28. Maldonatus putat fuisse ipsam Portam Ephraim, alio nomine dictam equorum: fuisseque in Aquilonari urbis latere. Adrichomius, & Villalpandus in Orientali muro collocant, qua exhibatur in vallem Iosaphath & Torrentem Cedron. Chaldaeus Paraphraistes, innuere videtur, sic dictam quod prope hyppodromum regium fuerit, atque ibi equi in stadio curriculo exercerentur: quod sequitur Isidorus Clarius. Lyranus, quod ea porta equi aquatum educerentur. Villalpandus, quod proximum illi Regium equile esset, qui de ea multa Tomo 3. Explanatorium in Ezechielem, Parte 1. lib. 3. cap. 21. in apparatu urbis ac Templi.

Torcularia Regis. Villalpandus extra urbem ad occidentem statuit. Adrichomius intra urbem ad Meridiem. Palatius, ad Aquilonem, adeo res est incerta.

CAPVT IX.

Ierusalem laxissimo ambitu edificandam à Iudæis tempore Antichristi.

EX hisce locorum sitibus hætenus à nobis ex Ieremia & Zacharia descriptis, arbitramur Iudæos duce Antichristo Ierusalem ampliori circuitu, quam vnquam antea fuit, extructuros: atque putamus totum ipsum montem Oliuarum, aut certe maiorem eius partem ædificiis creberrimis cum vrbe ab iis coniungendum. Neque id prorsus incredibile, siquidem mons Oliuarum non ita multum ab Ierusalem distat: nam de eo Acto. 1. v. 12. *Tunc reuersi sunt Ierosolymam à monte, qui vocatur Oliueti, qui est iuxta Ierusalem Sabbati habens iter.* Quantum verò esset iter quod Iudæis Sabbato liceret conficere, S. Hieronymus ex Hebræorum traditione, Epistola 151. ad Algasiam, Quæstione 10. ita explicat: *Rabbi Akiba, & Simeon, & Hillel magistri nostri tradiderunt nobis, ut bis mille pedes ambularemus in Sabbato.* Suidas eundem Acto- rum locum exponens, ait: *Sabbati viam habens. Hoc iter erat ducentorum cubitorum. Tantum enim spatium Arca præoccupabat ante castra: & tanto intervallo arcam mouebant illi, quibus licebat ire ad tabernaculum in Sabbato adorandum.* Theophylactus & Oecumenius in Commentariis Acto- rum, in hunc locum mitè corrupti sunt. Theophylacti verba sunt: *Etenim definita erat longitudo itineris, quod in die Sabbati Iudæis facere licebat.* Nam Iosephus quoque in vicesimo libro rerum antiquarum, tradit ab Ierosolymis abesse stadia septem: atque etiam Origenes in Quinto volumine, iter Sabbati inquit, locus deprauiatus legendum, duum millium trium cubitorum erat. Imo verò tabernaculum Sanctum & arca tantum intervallo præoccupabat ac precedebat ante castra, & ab tanto spatio collocabatur: quod spatium adorantibus tabernaculum Sanctum pedibus conficere in Sabbato licebat, quod est milliare unum.]

Oecumenius Feliciano interprete: *Sabbati iter milliare unum est: nam Sabbati iter, ut inquit Origenes in Quinto Stromate, duorum millium cubitorum erat spatium. Ac Sanctum tabernaculum, atque arca tantum in tentoriorum metatione spatium occupabat: tantaque loci distantia figere tabernacula consueuerant. Quod sane itineri spatium Sanctum tabernaculum adorare volenti, Sabbati die obire unicuique licebat.* Idem Oecumenius Hentenio interprete: *Vnum milliare, quod iter erat*

Sabbati, ut ait Origenes. Quinto Stromaton, siue Miscellaneorum, duorum millium cubitorum erat: idque potissimum, quod sanctum tabernaculum, & arca tanto intervallo castrorum ordinem precedebat, & à tanto intervallo tentoria figebant: quo spatio licebat iis, qui castrametati erant, Sanctum tabernaculum Sabbato accedere. Superiore capite ex Iosepho vidimus, montem Oliuarum sex vel quinque, ut alij in Iosepho legunt, stadia ab vrbe Ierusalem distare, Libro namque 20. Originum, cap. 6. ait: *Mons Oliueti è regione urbis ad quintum abest stadium.* atqui notant, prisca quinque stadia vnum milliare conficere, S. Beda libello de locis Sanctis, cap. 7. *Mons Oliuarum mille ab Ierusalem discretus passibus, altitudine monti Sion par est.* At de Sabbati itinere plura ex Hebræis collegit Valentinus Schindlerus in Pentaglotto, verbo SABATH.

Nec est creditu difficile Montem Oliuarum tunc vrbi ædificiis coniungendum, tametsi profunda interiacente valle: nam de ea hæc scribit Brocardus: *Vallis Iosaphath cingebat ciuitatem ex parte Orientis sub monte Oliueti descendens: & quamvis adhuc sit profunda, multum tamen est impleta. Romani enim, ut dicit Iosephus, ab illa parte ciuitatem oppugnantes, incisit Oliuis, & aliis arboribus, atque aggeribus inde factis, eam impleverunt. Sed & postea capta ciuitate Aelius Hadrianus iussit ruinas arborum, & templi proci in Torrentem Cedron.* Quod verò auctorem laudat Iosephum, is quidem lib. 6. Belli cap. 4. ita refert: *Alium verò exercitum iussit Titus totum, quod erat usque ad muros, spatium complanare. Cunctis igitur maceris ac sepibus dirutis, quibus hortos, ac prædia incolæ præmunierant, omnique apposita quamvis frugifera silua excisa repletum est, quidquid erat cuius & vallibus impeditum.* Sic igitur suspicamur Iudæos Antichristo ductore, repleta & complanata valle Iosaphath, seu Conualle Cedron, domibus atque ædificiis inclusuros intra urbem montem Oliueti. Facileque credimus ædificia ducturos ab Aquilonari urbis parte, per Orientem circulo facto ad Meridiem, ac præcipue comprehensuros montem Oliuarum, Torrentem Cedron, vallem Iosaphath, vallem filij Hinom, Montem offensionis, Agrum figuli, sepulchra vulgi & alia vicina loca: vaticinia Ieremiæ ac Zachariæ ed trahentes. Nam etiam Titus, ut Iosephus lib. 6. Belli, cap. 13. auctor est, Murum circum urbem in obsidione induxit: Captum enim à Castris Assyriorum ubi ipse tendebat, ad inferiorem Canopolim murum duxit. Hinc per Cedronem ad Elecon montem reuertens, à Meridie montem complectitur, usque ad saxum, quod Peristereoos vocatur, etique proximum collem, qui super vallem imminet Siloam: ac inde ad occidentem flexo edificio, ad Vallis fontis descendit.]

Videntur Sane Ieremias & Zacharias nihil de ædificatione Ierusalem ad Occidentem & meridiem prædixisse: forsan in causa fuerit, quod ab eis partibus vrbs ob locorum situm & difficultates protendi non possit. Brocardus: *Posita est hac vrbs ab Austro in latere montis Sion, & ab Occidente habet montem Geon: nec est hodie situs eius mutatus, ut aliqui fabulantur, cum ob locorum munitionem transferri non possit à pristino situ. Est quidem nonnihil ampliata in latum, sed non in longum, cum à parte arcis & montis Sion extendi non possit.* Atque hinc facile intelligimus Iudæos à Meridie & occasu non extensuros urbem tempore Antichristi.

Iam quædam de magnitudine & claritudine Ierusalem pauca attexamus. Plinius lib. 2. cap. 14. *Ierosolyma longè clarissima urbium Orientis, non Iudæa modo.* Tacitus Historia v. *Sed quia famosa urbis superpremi diem tradituri sumus.* Strabo libro 16. *Ierosolyma*

Iosolyma est enim locus saxosus, aquis ipse quidem abundans, cum regio circum sterilis, ac sicca sit, & intra sexaginta stadia etiam solum habeat lapidosum infernè.] Et postea: Erat probe munita vrbs opere lapideo, & interius aquis abundans, exterius omnino sicca: fossam habebat lapide exciso sexaginta pedum profunditate, latitudine ducentorum quinquaginta. E lapide autem excisoeducta erant templi mœnia.]

Hecataeus Abderita vetustissimus auctor, qui tempore Magni Alexandri vixit, de Ierosolyma hæc apud Iosephum lib. 1. in Apionem prodit: *Vna verò ciuitas munitissima, habens præcipuè circuitum quinquaginta stadiorum, in qua commorantur hominum circa Centum & quinquaginta millia nomine Ierosolymæ.]* Agatharchides Gnidius apud eundem Iosephum: *Qui vocantur Iudæi, habitant omnium munitissimam ciuitatem, quam vocare Ierosolymam provinciales solent.]* Sed Iosephus accuratissimè magnificentiam & amplitudinem vrbs descripsit 6. Belli cap. 6. At cum Hecataeus Ierosolymæ tribuat circuitus quinquaginta stadia, efficiunt hæc decem Italica milliaria, siue tres & amplius Leucas Hispanicas: quem ambitum Hebræi Ierusalem assignant in Baba batra.

Qui etiam in Echa Rabba, Victor Pasina interpretatur, de Fraternitate, seu Affinitate magna, hoc est Commentario in Threnos Ieremiæ pro constanti tradunt, Ierusalem post reditum à captiuitate Babylonica cepisse *xxiv.* plateas: quarum quælibet *xxiv.* ingressus haberet: singuli autem ingressus *xxiv.* vicos. Addunt, ædificatas etiam tunc quadringentas, & octoginta Synagogas seu domos factas, aut Oratoria, precum, prædicationis, lectionisque Verbi Dei. Ita ex Rabbi Manahem annotauit Genebrardus lib. 1. Cronographiæ, pag. 190. Fides omnium penes auctores: sed non est dubium, Hebræos iuxta sua figmenta, quæ sibi de sua vrbe pollicentur, eam ædificaturos.

Somniant quoque obstipio cerebro recutiti, tempore sui Messia adducturum Deum in Ierusalem tres altissimos montes Sinai, Thabor, & Carmelum: & ipsam Ierusalem super illos montes attollendam, atque celliorem illis & conspicuam magis futuram è vaticinio illo Isaia 2. v. 2. *Erit preparatus mons domus Domini in vertice montium: & eleuabitur super colles.* Vti in eum locum annotant Lyranus & alij, atque etiam Galatinus lib. 5. cap. 3. Finus lib. 7. cap. 5. At cum istud tempore Antichristi perficere nequiverint, vel ab eo futurum interim sperabunt: vel quod poterunt, montes circum Ierusalem ædificiis complebunt, vt videatur Ierusalem verticibus montium imposita. Sic, vt prædiximus, vrbi adiungent Montes Oliueti, Offensionis, colles Gareb, & Goatha. Fingunt etiam Appellæ, vt refert S. Hieronymus in 2. Zachariæ, v. 4. sub suo Messia implendum quod Zacharias ibi prædicit: *Absque muro habitabitur Ierusalem præ multitudine hominum, & iumentorum.*

Præclara multa Prophetæ cecinerunt de Ierusalem, quæ sine dubio Iudæi sperant sub suo Messia adimplenda Psalm. 47. v. 3. *Fundatur exultatione vniuersæ terre mons Sion, latera Aquilonis ciuitas regis magni.* Illud, *Fundatur*, Heb. duabus vocibus dicitur *LEDHEH* *NOPH*. Quod variè exponunt, S. Hieronymus, *specioso germine*. Reuchlinus, *Pulcher surculus aromaticus*. Caietanus, *Pulchra sponsa*. Textus Campensis, *Speciosa nymphea*. Paraphrasis Carapensis, *Leo Iudas, Elegans regio*. Felix Pratensis, *Formosa nymphea*, vel, *Pulchra sponsa*, Augustinus Nebienis, *Pulcherrimo frutice*. Sanctes, Munsterus, Clarius, Flaminus, *Pulcher locus*. Idem Sanctes in Thesauo, *Pulcher termino*, vel *regione*, vel *climate*. Forsterus,

Auenarius, *Pulcher surculo*, vel *Formosus surculo*. Martinus, Buxtorfius, *Pulcher regionis*, seu *tractus*. Montanus, Schindlerus, *Pulcher climate*, vel *Pulchrum clima*. Genebrardus, *Pulcher regione, climate, tractu*. Tremellius & Iunius, *Pulchritudo tractus*, vel *ornamentum tractus*, idest, totius Iudææ regionis. Gagnæus, *Locus & clima perelegans*. Montanus in carmine, *Tractu celebris nitenti*. Agellius, & Bellarminus, *Pulcherramo*, seu *ramis*. Vox Hebraica *NOPH*, cum Nymphea congruit. Nec possum omittere, Agellium non pro petitiua Hebraica de hac voce differere. Buchananus versu paraphrastico videtur exposuisse: *Vberis soli Aruis beatis accubans*. Chaldaus apud Nebiensem, *Pulcher vt sponsus*. Quod sequitur *exultatione vniuersæ terra*. Hebraicè, *gaudium, letitia, exultatio, omnis terra*. Mirifica præconia montis Sion, & vrbs Ierusalem, Ieremiæ Threnorum 2. v. 15. *Hæcine est vrbs perfecti decoris, gaudium vniuersæ terra?*

Equidem Iudæi multo adhuc illustriorem futuram sibi persuadent, quam eam apud nos Tobias descripsit cap. 13. *Ierusalem ciuitas Dei castigauit te Dominus in operibus manuum tuarum. Confitere Domino in bonis tuis, & benedic Deum seculorum, vt readificet in te tabernaculum suum, & reuocet ad te omnes captiuos, & gaudeas in omnia secula seculorum. Luce splendida fulgebis: & omnes fines terra adorabunt te. Nationes ex longinquo ad te venient: & munera deferentes adorabunt in te Dominum, & terram tuam in sanctificationem habebunt. Nomen enim magnum inuocabunt in te. Maledicti erunt qui contempserint te: & condemnati erunt omnes qui blasphemauerint te. Benedicti erunt, qui adificauerint te. Tu autem lataberis in filiis tuis, quoniam omnes benedicentur, & congregabuntur ad Dominum. Beati omnes qui diligunt te, & qui gaudent super pace tua. Anima mea benedic Dominum, quoniam liberauit Ierusalem ciuitatem suam à cunctis tribulationibus eius, Dominus Deus noster. Beatus ero si fuerint reliquia seminis mei ad videndam claritatem Ierusalem. Porta Ierusalem ex sapphyro & smaragdo adificabuntur: & ex lapide pretioso omnis circuitus murorum eius. Ex lapide candido & mundo omnes plateæ eius sternentur, & per vicos eius Alleluja cantabitur. Benedictus Dominus, qui exaltauit eam: & sit regnum eius in secula seculorum super eam. Amen.* Hactenus Tobias: qui reuera partim institutionem vrbs & templi sub Zorobabel, partim felicitatem Ecclesiæ vaticinatus est.

CAPVT X.

Quædam sacra & augusta, quæ Iudæi futura sperant in suo illo templo, quod denuo instaurandum putant.

Vniuersam illam structuram, amplitudinem, magnificentiam, opes, ornatum, augustam maiestatem Templi Salomonici, Zerobabelici, atque Herodiani, quidquid in his magnum, eximium, admirandum, sacrum ac diuinum fuit, & multo adhuc plura atque maiora in Templo quod Iudæi sub suo venturo Messia readificandum expectant, futura certissimè credunt: ac proculdubio tempore Antichristi omnibus viribus conabuntur, vt cuncta illa in suo illo templo inueniantur. Insuper præter ea, quæ aperte scriptura memorat, ornamenta vel decora templi quæcumque alia ipsi vel ex traditione maiorum, vel suorum scriptis, aut à se fabulis conficta, existimant, vel in Salomonis, aut Zorobabelis, aut Herodis templo extitisse, epulenta, vel augusta, vel diuina, seu

seu quouis modo miranda; etiam in templo quod sub suo Messia construeretur, futura penitus persuasum habent. Et facile creditu est, Antichristum quæcumque poterit, vel verè, vel fictè in gratiam Iudæorum, qui ipsum pro Messia recipient, effecturum.

De Templo Salomonis produnt Hebræi Thalmudici, in tractatu Ioma apud Galatinum lib. 4. cap. 9. antiquum quendam Rabbinum nomine Hassaiam ista perscripsisse: *Quum adificauit Salomon domum Sanctuarij, plantauit in ea omnia genera fructum ex auro: producebanturque fructus tempore suo. Cumque ventus flaret in eos, defluebant: sicut dictum est in Psalmo 72. Contremiscent et Libani fructus eius. Et de ipsis erat procuratio Sacerdotibus. Quando autem intrauerunt gentiles in templum, sicca facta sunt arbores, scilicet aurea, sicut dictum est Nahum primo Capite. Et flos, vel germen Libani elanguit, vel emaruit. Hæc ibi.] Quæ siue vera sint, siue metaphorica (neque enim nunc de veritate perquirimus) cum in ea in suo templo futura sperent Iudæi, non erit absurdum existimare ea quoque magna dæmonum & Antichristi arte exhibenda in eo templo quod tunc construent.*

Mensam illam auream naturæ & artis inenarrabile opus à Ptolomæo Philadelpho Templo Zorobabelico dono missam Iosephus lib. 12. Antiquitatum, cap. 2. in hunc modum describit: *Ac primum constituto mensæ modo in longitudinem cubitorum duorum & semis in latitudinem vnius altitudine sesquicubitali, totum opus ex auro facientes, lorica ei palmam latam circulerunt: cuius cima vesutiles sculpturam habebant resticulatam, indistincta imitatione per tria latera. Cum enim essent triangula, per singulos angulos eadem erantfigurationes, ut conuersa non alia, sed eadem specie oculis occurrerent. Lorica vero pars interior ad mensam vergens egregias sculpturas habebat: sed exterior eius facies longe pulchriores, videlicet, quod hæc tota essent conspicua: quæ & Cymæ illa facile & cito vertebantur, & quemuis e tribus angulis pari mensura oculis subiciebant. Resticulis autem illis sculptilibus incerta erant gemma pretiosa paribus intervallis distantes, fibulis aureis per foramina comprehensa. Exterior autem lorica facies gemmis pulchris quali specie distinguebatur, intercurrente densa sculptura virgarum, quæ per circuitum mensæ voluebantur. Huic subiecta erat corona per circuitum omne genus fructuum representans, dependentibus racemibus & spicis emergentibus, & malis puniceis intersertis: quæ omnia constabant è lapillis etiam colorem natium fructuum referentibus, & auro circum totam mensam repositis, sub hac corona rursus alia series quorundam priorum similis, cum virgatis pleraque sculpturis visibatur, ut ex utraque parte spectaretur eadem operum varietas & elegantia etiam, in lorica & Cymarum ordine: ac ne inuersis quidem mensæ lateribus vlla sentiretur diuersitas, sed idem artificium usque ad imos pedes perenderet: subdita enim lamina aurea quatuor digitos lata per transversam mensæ latitudinem, in eam pedes eius inferuerunt, quos fibulis ac clausuris adstrinxerunt mensæ iuxta lorica, ut iis insisterens quaquà verteretur, eandem speciem ostenderet.*

In mensa autem sculptus erat Meander magni pretij gemmis per medium tanquam stellis variegatus, carbunculo & smaragdo suauissimè radiantibus, aliisque generibus, quæ ubique grata sunt propter pretium. Propter Meandrum verò resticulati quidam nexus circumquaque discurrebant, rhombo circa medium similes, in quo Chrystallus & succinum per interstitia paria coniunctim cum magna gratia spectabantur. Pedum autem capitella virorum similitudinem referebant, folijs sub mensa se se reflectentibus, cum germen aliquin rectum videretur: basis autem facta erat è carbunculo palmam lata

crepidinis specie, qua verò pedes imitebantur, octo digitorum latitudine: erantque sculpti singuli pedes opere subtilissimo, hederis & palmitibus una cum racemis per eos discurrentibus, indistincta verorum similitudine: tanta enim erat artis sublimitas, ut perflante vento agitata, natura non artis opus videretur. Constabatque totum opus trimembri compositione: sed tanto artificio, ut commissura nec oculis, nec cogitatione deprehendi possent. Crassitudo autem mensæ erat semicubitalis. Tanta fuit in hoc dono Regis magnificentia, opulencia materia, artis pulchritudo ac varietas ad naturæ imitationem expressa.] Hactenus Iosephus.

Qui etiam de interiori Templo ab Herode Magno ædificato hæc scribit lib. 15. Originum cap. 14. *Lamina verò penè ipsi Templo par, & superliminare anlæis variegatis ornabatur floribus purpureis distinctis, & habentibus columnas intextas, sub quarum capitibus vitis expandebatur aurea, dependentibus botryonibus, mirandum opus tam manus, quam materia pretio.] Et lib. 6. Belli, cap. 6. Interior porta tota inaurata erat, ut dixi, & circum eam aureus paries: desuper autem habebat aureos pampinos, unde racemi statura hominis dependebant.] Alter Iosephus dictus Bengorion lib. 5. de Bello Iudaico, cap. 24. *Fecit insuper Herodes vitem de auro mundo, & posuit in summitate columnarum, cuius pondus erat mille talentorum aureorum. Erat autem vitis ipsa facta opere ingenioso, habens ramos perplexos, cuius folia & germina facta erant ex rutilanti auro, botri autem ex auro fuluo, & grana eius, acini atque folliculi facti erant ex lapidibus pretiosis, totumque opus erat fabrefactum opere vario, ut esset mirandum spectaculum, & gaudium cordis omnibus inuentibus ipsum. Multi quoque Scriptores Romani testantur se eam vidisse cum desolaretur templum.] Villalpandus Tomo 2. in Ezechielem, Parte 2. lib. 5. Disputatione 4. cap. 71. contendit, eam vitem non fuisse ex auro solido factam, sed ex filo aureo anlæis intexto, opere Phrygio, ut maior Iosephus indicare videtur: nam alter ille Gorionides mentitur. Sed tamen hic auctor futilis sit in plerisque, villalpandus tamen aperte decipitur, nam nunquam de filo aureo dixisset Iosephus, mirandum opus tam manus, quam materia pretio. Sed dixit, super columnas intextas opere Phrygio anlæorum, cucurrisse vitem illam ex solido & puro auro, non quidem anlæis nitentem aut ex iis pendentem, (non enim sustinere potuissent) sed trabibus aut fulcris, è regione, earum columnarum, quasi ex iis pendere videretur. Facile crediderim consimilem hanc vitem ei fuisse, quam Aristobulum Pompeio dono mississe refert Iosephus lib. 14. Origenum, cap. 5. de qua nos diximus lib. 7. cap. 22.**

At quod Gorionides ait, Romanos Scriptores eius vitis aureæ in templo repertæ menimisse, Tacitus Historia 5. *sed quia Sacerdos tesorum tibia, tympanisque concinebant, hedera vinciebantur, vitisque aurea in templo reperta: Liberum patrem coli, domitorem Orientis quidam arbitrati sunt.] Florus lib. 3. cap. 5. Ierosolymam defendere tentauere Iudæi: verum hanc quoque intravit Pompeius: & vidit illud grande impie gentis arcum patens, sub aureo vitem calo.] Sic hunc locum restituit Lipsius lib. 2. Electorum, cap. 5. Nota est Plutarchi calumnia lib. 4. Symposiacion, Quæstione 5. in Iudæos, eos Bachum coluisse: de qua alibi.*

De Templo Herodiano singulare illud narrat Iosephus lib. 15. Antiquitatum cap. 14. *Fertur toto tempore, quo templum struebatur, nunquam interdum pluisse, noctu tantum imbribus descendantibus, ne interromperetur edificatio: eaque fama quasi per manus tradita, ad nos peruenit à maioribus. Nec est veri absimile, si quis diuinam providentiam consideret.]*

Hic

Hic tamen obiter notabimus, (nam de his disquendi alibi opportunior erit locus) Ioannem Echium, Matthæum Beroaldum, Ioannem Baptistam Villalpandum, Nicolaum Serarium, nescio si qui sunt alij, in mentem sibi induxisse, Herodem Magnum nequaquam reedificasse Templum Ierosolymitanum, nullum in rerum natura extitisse Templum Herodianum, Iosephum quæ tam multa & magnifica scripsit de Templo ab Herode constructo, omnia mendacio confixisse. Quam sanè existimamus intolerabilem audaciam & temeritatem, delirium planè, cui omne ludibrium debetur: tam pudenda nouitas, ut etiam ipsi nouatores impudentissimam audaciam appellarent, uti Cafaubonus in exercitationibus Baronianis, 13. Diatriba 23.

Hebræi in Tractatu Thalmudico Ioma, hoc est, de diebus, in Capite, Septem dies, apud Galatinum lib. 5. cap. 8. hæc habent: *Tradiderunt Rabbanam, idest, Magistri, quod decem signa facta sunt in Domo Sanctuarij.* 1. Non enim abortiuit mulier propter nidorem carniū Sanctuarij. 11. Neque carnes Sanctuarij fæcebant vnquam. 111. Neque visa fuit musca in macello templi. 14. Neque contigit accidens Sacerdoti Magno in die Propitiationis. 15. Neque inuenta est corruptio in manipulo, aut in duobus panibus, aut in panibus facierum. 16. Stantes angusti erant, procidentes vero ut adorarent (adoraret) spatiosi erant, licet à domo Propitiatorij, per undecim vlnas remoti essent. 17. Numquam nocuit Serpens, neque Scorpions in Ierusalem. 18. Nec vnquam dixit homo proximo suo, angustus est mihi locus manendi in Ierusalem. 19. Numquam pluuia extinxerunt ignem lignorum preparationis. 20. Neque ventus vnquam vicit columnam fumi: quamvis enim omnes venti, qui sunt in mundo, in eam flarent, non tamen poterant eam deuolare, ne recta sursum ascenderet. Et non plus ibi. *Traditio etiam est, quod Rabbi Samaiah dixit, Quod fragmenta vasorum fictilium à locis suis absorbebantur. Cineres quoque altaris interioris & candelabri à loco suo absorbebantur. Omnia verò hæc cessauerunt per annos quadraginta ante destructionem Templi: sicut dictum est Psalmo 74. signa nostra non vidimus, non est ultra Propheta, neque nobiscum qui sciat usquequo. Hactenus traditio.* Hæc produunt Hebræi, vero an mendacio, ipsi viderint.

Tacitus Historia 2. de Templo Veneris Paphiæ in Cyprio: *Sanguine ara offundere veritum: precibus & igne puro altaria adolentur, nec ullis imbris quamquam in aperto, madescunt.* Plinius lib. 2. cap. 96. *Celebre fanum habet Veneris Paphos, in cuius quandam aream non impluit.*

Sed quod Hebræi aiunt, numquam contigisse Sacerdoti Maximo in die Expiationis accidens aliquod, clarè refelluntur à Iosepho, qui lib. 18. Originum, cap. 8. agens de Matthia summo Sacerdote, tempore Herodis Magni, ita refert: *Huius Matthie Pontificatu accidit etiam alium Pontificem ad vnā diem substitui, quæ Iudæi populariter ieiunium celebrant. Nam Matthias ea nocte, quæ præcedebat diem ieiunij, visus est ibi per somnium cum uxore congregari, & cum ob hoc ad rem diuinam faciendam non esset idoneus, Iosephus Ellemi filius adiutor vicarius propter cognationem ei datus est.* Loquitur Iosephus de die Expiationis, quem Iudæi ieiunio celebrabant, uti ex Leuitici 16. v. 29. & Calendario Hebræorum constat: quo solo die Pontifex in Oraculum ingrediebatur.

Insuper tradunt Hebræi sacrum illud vnguentum ex variis & pretiosissimis succis & aromatibus confectum, atque à Mose auctore Deo, consecratum, quo Reges & sacerdotes populi Dei inungebantur, Exodi 30. maximo miraculo sine diminutione durasse

vsque ad captiuitatem Babylonicam, & primum in Tabernaculo, & postea in Templo per annos nongentos asseruatum. Quali prodigio apud Francos, ampullam diuinitus allatam ad inungendos Gallorum reges, etiam hodie post mille & centum amplius annos Sanctum Chrisma suggerere aiunt. In Secundo autem templo Zorobabelico aut Herodiano non fuisse illud Mosaicum vnguentum, sed aliud ad prioris similitudinem concinnatum, æque Iudæi affirmant. Sed de primo illo ac miraculoso vnguento multa atque miranda scribunt Hebræi in Thalmud, Tractatu de Benedictionibus, in Midras Sir hasirim, id est, in explanatione Cantici Canticorum, cap. 8. Rabbi Leui Ben Gerson in 30. Exodi Galatinus lib. 4. cap. 17. Genebrardus in Psalm. 88. v. 21. Iudæos vero post excisum Templum vnguento sacro catere, neque habituros vnquam vsque ad finem mundi, S. Chrysostomus Oratione 3. in Iudæos ita illis exprobrat: *Cum igitur dicit scriptura, quod his rebus, nempe sacro oleo, aliisque legitime initiatus sit Aaron, his purificatus, his sanctificatus, per hæc placauerit Deum: nihil autem horum nunc fiat, neque victima, neque holocaustum, neque sanguinis aspersio, neque olei inunctio: nec adsit tabernaculum testimonij, neque ad præfinitum dierum numerum sedeatur intus: profecto palam est, quod Sacerdos, qui nunc apud istos est, impurus sit ac nefastus, illegitimus, ac profanus: denique quod non propitiet, sed prouocet.*

Ergo vno verbo. cuncta hæc tam admiranda ac diuina, quæ olim in Templo Ierosolymitano, vel verò vel falsò fuisse memorauimus, omnia Iudæi & Antichristus in suo illo supremo templo restituent: ut & ipse eis imponat, quo eum Messiam esse credant: & ipsi se dignum tandem Messiam consequantur.

CAPVT XI.

De Vrim & Thumim.

Illa cū primis Sacra & augusta Hebræi se in Templo Salomonico habuisse gloriantur, quæ in Zorobabelico & Herodiano abfuisse constanter affirmant: quæ ipsi quinario numero comprehendunt. Primum erat Arca Testamenti, & operculum eius se propitiatorium, & duo Cherubin Arca vtrinque è regione adherentes. Secundum, Diuina præsentia, quæ in gloria ac splendore nubis ac nebulae ad propitiatorium apparere solebat: vnde Deus responsa, oraculaque edebat. Tertium, Spiritus sanctus seu afflatus propheticus, qui Prophetas imbuiere consueuerat: nam à Malachia ad Ioannem nulli, quod sciatur, extitere prophetæ. Quartum, Vrim & Thumim, ingens miraculum, seu oraculum, quod erat in Petoralis seu Rationalis Iudici summi Sacerdotis. Quintum, ignis sacer ac cælestis, qui de cælo mirabiliter allapsus, holocausta depascere, atque consumere solebat: & perennis in altari seruabatur: cuius custodiam tam anxie Moses, iubente Deo, præceperat, Leuitici 6. quinque à Mose vsque ad euerisionem Templi per Chaldæos, perdurauit: quando illum absconderunt Sacerdotes, uti 2. Machabæor 1. v. 19. latè refertur. Hæc omnia tradunt vnanimi consensu Hebræi in Thalmud in Tractatu Sanhedrin, & in Tractatu Ioma, Rabbi Scelomoh, & Kimchi in 1. Aggei, Porchetus lib. 1. victoriæ verbi contra Iudæos, cap. 7. Galatinus lib. 4. cap. 9. Ioannes Isaac lib. 1. defensionis Hebraicæ contra Lindanum, Genebrardus lib. 2. Cronographiæ, pag. 190. Villalpandus Tomo 2. in Ezechiel. Parte 2. lib. 5. Disputatione 4. cap.

cap. 70. Ribera, Figuerius, Castrus, in Aggæi 1. & innumeri alij.

Nunc ego non differam, an verè an falsè credant Hebræi quinque illa sacra & augusta, in templo Zorobabelico & Herodiano defuisse: nam designtur mentiuntur apertè, cum constet in secunda Domo fuisse, 2. Machabæorum 2. v. 22. illud tamen non est dubium, cum ea tantopere optent Iudæi in suo templo sub Messia instaurando, Antichristum quantum poterit, & sua, & dæmonum efficientia ostensurum utrumque speciem vanam, falsam, & ementitam rerum tam diuinarum.

Verum postquam huc nostra delapsa est oratio, locus poscere videbatur, ut de *Vrim* & *Thumim*, rebus adeo in Scriptura abstrusis & cognitu difficillimis nonnulla reponeremus. Exodi 28. v. 30. Hebræa ad verbum: *Et dabit in Pectorali, Rationali, Indicij Vrim, & Thumim: & erunt super cor Aaron, inuenire cum faciebus Iehzeb.* Eas duas voces, si ex verbo interpretemur, *Vrim* Sonat: *Luces, Illuminationes, splendor, Fulgores, Illustrationes, Claritates.* *Thumim* verò *Integritates, Consummationes, Perfectiones Absolutiones.* *Lxx* dixerunt, *Manifestationem*, vel *Demonstrationem*, & *Veritatem*: Noster eos fermè sequutus, *Doctrinam & Veritatem.* Quid autem fuerint *Vrim*, & *Thumim*, ex quam materia, & in quem vsus comparata, tam multa & tam varia à Scripturibus Hebræis, Græcis, Latinis, antiquis & recentioribus Scripta sunt, ut quid iis addamus, nobis non succurrat.

Ne tamen lectorem prorsus ieiunum relinquamus, primum ei auctores hac de re differentes, quos videre licuit fideliter indicabimus: deinde nostram sententiam breuiter aperiemus. Egere de *Vrim* & *Thumim* ex Hebræis, Auctor Midras Sir Hasirim, in cap. 8. Rabbini Aben-Ezra, Scelomoh, Kimchi in 28. Exodi. Ex Græcis S. Chrysostomus Oratione 3. contra Iudæos, Theodoretus Quæstione 60. in Exodum, & Quæstione 16. in Iudices, & in 3. Osee, S. Isidorus Pelusiota lib. 3. Epistola 10. Theophylactus in 3. Osee, Anastasius Nicænus Quæstione 38. in Scripturam, Suidas, in verbo *Ephud*, Michaël Glicas Parte 1. Annalium. Ex Latinis S. Augustinus lib. 2. in Exodum, Quæstione 117. Lyranus, Tostatus, Steuchus, Munsterus, Fagius, Vatablus, Lippomanus, Himmanuel Tremellius, Franciscus Iunius, Clarius, Ystella, Drusus, Cornelius à Lapide, Leornardus Marius in 28. Exodi. Forsterus, Sanctes, Auenarius, Mercerus, Bonauentura, Bertramus, Marinus, Schindlerus, Pomarius, Buxtorfius in Lexicis Hebraicis: Petrus Galatinus lib. 4. Arcanorum Catholicæ veritatis, cap. 17. Genebrardus lib. primo Chronologiæ, pag. 82. Ribera lib. 3. de Templi Fabrica, cap. 12. Pererius lib. 10. in Daniele, Christianus Adricomius in descriptione Ierusalem, Numero 85. Baronius Annali 1. Anno Christi 17. Marinus Delrius lib. 4. Disquisitionum Magicarum cap. 1. Quæstione 2. Sectione 1. Ioannes Azorius Tomo 1. Institutionum Moralium, lib. 6. cap. 42. Nicolaus Serarius in Iosuanis Sacerdotibus, cap. 2. & lib. 1. in Iosue, cap. 9. Quæst. 22. & seqq. Arias Montanus in Libro Aaron Sacri Apparatus, Iosephus Stephanus in 1. Machabæor. 4. ad vers. 46. Ioannes Baptista Villalpandus, Tomo 2. in Ezechiel. Parte 2. lib. 5. disp. 4. cap. 70. Augustinus Tornielus in Sacris Annalibus, Anno 2544. Numero 85. Petrus Tyræus lib. 2. de Dei Apparitione Vocali, cap. 11. Bellarminus lib. 4. de Romano Pontifice, cap. 3. Forerius in Isaia 24. vers. 15. Masius in Iosue 7. vers. 14. Christophorus Castrus in Isagoge ad Prophetas Minores, lib. 3. cap. 3. Iulius

Tom. II. de Antichristo.

Cæsar, Bulengerus lib. 1. de Ratione Diuinationis cap. 2.

Frequentiores in eam sententiam abeunt, *Vrim* & *Thumim* fuisse duodecim illos pretiosissimos & fulgentissimos Lapides, insertos in Pectorali seu Rationali Pontificis, quorum structuram, & texturam, ordinemque latè descripsit Moses (Mosis), in quibus cum Sacerdos Dominum de magnis rebus consulturus ingrederetur Oraculum, quasi in quibusdam speculis, seu mutis sortibus, ex fulgorum varietate, distinctione, aliisque signis, voluntas Dei de rebus agendis perspicuè manifestabatur: indeque populo per Sacerdotem annuntiabatur. Iosephus lib. 3. Originum, cap. 9. *Ex lapillis enim, quos Pontifex in humeris gestabat, (Sardoniches erant, quorum naturam nulli non notam narrare Supernaculum puto)* [Philo tamen lib. de Monarchia, Smaragdos fuisse tradit] micabat alter quoties litatum esset, is qui dextrum humerum occupabat: tantumque fulgorem emittebat, ut procul etiam inuentibus conspiceretur: idque præter naturam suam & consuetudinem: quod certè admirationem meretur apud omnes, nisi qui ex contemptu religionis, sapientie opinionem aucupantur. Sed mirabilius est quod nunc dicturus sum: Per duodecim gemmas, quas in pectore Pontifex insutas Esseni gestat, in bello Victoriæ prænuntiare Deus solebat: nam prius quàm exercitus se moueret, tantus fulgor ex eis emicabat, ut toti populo facile innotesceret, adesse Deum, opemque & auxilium suum inuocantibus esse allaturum. Quapropter Græci quotquot à nostra religione non abhorrent, cum hoc miraculum pro compertissimo habeant, ita ut negari non possit Essena [Heb. Chosen] vocant Logion, hoc est, Oraculum. Desit tam Essen, quàm Sardonyx fulgorem emittere annis ducentis, ante quam hæc commentaremur, irato Deo propter legum suarum prauaricationem: de quo alias opportunius dicitur.] Si ducentis annis antequam Iosephus Antiquitates Hebraicas conderet, quas absoluit anno XIII Domitiani, Oraculum *Vrim* & *Thumim* defecit: certum est in templo Zorobabelico fuisse: nam id templum extruitur Numero Eusebiano MCDXC VII, destruitur in Herodiano, Numero MCLXXXVI, stetit ergo iuxta Eusebium, Dxc: quamuis alij aliter.

Forsterus in Lexico hæc habet ab instituto minime aliena: *Ego Vrim & Thumim inde existimo habere appellationes, quod Deus per Vrim, lucis, reuelare consilium & voluntatem suam, quid esset faciendum: & per Thumim effectiorem & consummationem voluntatis sua significare voluerit: quasi dicat: Consilium & Effectio: nam quod hoc verbum Thamam principaliter perficere notet, supra demonstrauimus.]*

Iam ex his facillè intelligitur, geminum apud Hebræos fuisse diuinum oraculum, Alterum vocale, quo ex Propitiatorio diuina reddebatur vox loquens, ac respondens. Alterum mutum & sine voce, *Vrim* & *Thumim*, in quo tamquam in speculo signis & rebus diuina conspiciebatur voluntas. Hinc dæmon, qui semper Dei veri simiam agit, duo quædam sibi apud gentes constituit genera oraculorum enim erant vocalia, ut Delphicum, & plura eiusmodi. Alia erant Muta, ut illud Dei Heliopolitani, de quo Macrobius l. 1. Saturnaliorum c. 24. *Cōsulit hūc Deū & absentes, missis diplomatibus cōsignatis, rescribitque Ordine ad ea, quæ cōsultatione addita cōtinentur.* Sic & Imperator Traianus initurus ex ea prouincia Parthiā cū exercitu, cōstātissima religionis hortatibus amicis, qui maxima huiusce numinis ceperat experimēta, ut de euentu cōsuleret rei capte: egit Romano cōsilio, prius explorādo fidē religionis, ne forte fraus subesset humana. Et primum misit signatos codicillos, ad quos sibi rescribi vellet: Deus iussit offerri

chartam, eamque assignari puram, & mitti: stupentibus Sacerdotibus, ad eiusmodi factum: ignorabant quippe conditionem codicillorum. Hos cum maxima admiratione Traianus excepit, quod ipse quoque puris tabellis cum Deo egisset. Tunc aliis codicillis conscriptis, signatisque consuluit an Romam perpetrato bello rediturus esset. Vitem centuriam Deus ex muneribus in ade dicatis, deferri iussit: diuisamque in partes sudario condi, ac proinde ferri. Exitus rei obitu Traiani apparuit, ossibus Romam relatis: nam fragmentis speciei reliquiarum, vitis argumento, casus futuri tempus ostensum est.]

De Ammonis oraculo in Lybia Strabo lib. 17. ex Callisthene hæc refert: Responsa non ut apud Delphos & Branchidas verbis dari, sed magna ex parte nutu & signis, quemadmodum apud Homerum:

*Dixit, carulaisque superciliis pater almus
Annuit.]*

Et Q. Curtius lib. 4. de Rebus Alexandri cap. 7. Id quod pro Deo colitur, non eandem effigiem habebat, quam vulgo diis artifices accommodarunt. Umbelico maxime similis est habitus, smaragdo & gemmis coagmentatus. (Alij emendant, Umbelico tenuis arietis similis est, habitus smaragdo & gemmis &c. Hunc cum responsum petitur, nauigio aurato gestant Sacerdotes, cum multis argenteis pateris ab utroque nauigij latere pendentibus. Sequuntur matronæ, virginesque patrio more inconditum quoddam carmen canentes, quo propitiari Iouem credunt, ut certum edat oraculum.] Accepit ista, Curtius à Diodoro Siculo, qui lib. 17. cap. 59. hæc refert: Simulacrum Dei è smaragdis, & quibusdam aliis est coagmentatum: & peculiari, nouoque vaticinandi genere, oracula edit. In aurea enim nani à Sacerdotibus octoginta circumfertur: qui humeris Deum gestantes, eò tendunt, quò fortè fortuna, Dei nutus illos agit. Sequitur ingens matronarum, virginumque turba, per totum iter pæanas canentium, Deumque hymno patrio celebrantium.]

Vsum quoque gestandi Vrim & Thumim in pectore, ad imitationem Sacerdotum Iudaicorum, imitati quoque videntur Aegyptij: nam de Prætoris, seu Præfide Iudicum apud eos, Diodorus Siculus lib. 1. Numero 48. hæc habet: Gestabat is in collo, ex aurea catena dependens, è lapillis pretiosissimis Simulacrum, cui VERITAS nomen. Hoc à Iudiciorum Principe assumptum, disceptandi lites auspiciū erat.] Aelianus de varia Historia lib. 14. cap. 34. Iudices autem apud Aegyptios iidem quondam fuerunt, qui & Sacerdotes. In his princeps erat sententia maximus natus, & in omnes statuendi ius habebat. Eum omnium hominum esse iustissimum & sincerissimum oportebat, qui circa collum imaginem ex sapphiro gemma confectam gestabat, quæ vocabatur VERITAS. Ego verò iudicem non tam in lapide sculptam aut expressam veritatem circumferre, quam in animo menteque insitam & infixam habere velim.] Hæc similia sunt illis, quæ Exodi 28. v. 30. de Vrim & Thumin dicuntur: Pones autem in Rationali Iudicij Vrim & Thumim, Doctrinam & veritatem, quæ erunt in pectore Aaron, quando ingreditur coram

*Domino: & gestabit Iudicium filiorum
Israël in pectore suo, in conspectu Do-*

mini, semper. Vide Notas nostras

Hebraicas ad Exodi

28. vers. 30.

* *

* *

CAPVT XII.

*Num Arca veteris Testamenti tempore
Antichristi sit Comparitura?*

Hanc dissertationem in tractatione rerum Antichristi proculdubio egregiam ac singularem existimamus. Cum vastaretur Ierusalem & Templum ab exercitu Chaldaico, Arcam à Ieremia Propheta in secreto ac semoto loco absconditam, 2. Machabæorum, 3. ita refertur: Inuenitur autem in Descriptionibus Ieremiæ Propheta, quòd iussit eos ignem accipere, qui transinigrabant: ut significatum est, & ut mandauit transinigratis. Et vers. 4. Erat autem in ipsa Scriptura, quomodo tabernaculum, & arcam iussit propheta diuino responso ad se facto comitari secum usquequo exiit in montem, in quo Moyses ascendit, & vidit Dei hereditatem. Et veniens ibi Ieremias inuenit locum speculæ: & tabernaculum & arcam, & altari incensi intulit illuc, & ostium obstruxit. Et accesserunt quidam simul, qui sequebantur, ut notarent sibi locum, & non potuerunt inuenire. Ut autem cognouit Ieremias, culpans illos, dixit: Quòd ignotus erit locus, donec congreget Deus congregationem populi, & propitiū fiat: & tunc Dominus ostendet hæc, & apparebit maiestas Domini, & nubes erit sicut & Moysi manifestabatur, & sicut cum Salomon petiit, ut locus sanctificaretur magno Deo, manifestabat hæc.

In Notis Emmanuelis Sa impressis Lugduni apud Horatium Cardon, anno 1601. ad 2. Machabæor. 1. v. 13. hæc habentur: Ergo Epistolam istam non puto habere auctoritatem Scriptura magis quam alias, quæ in his libris inseruntur, ut Romanorum, Spartanorum, aut Iudeorum. Solum enim Scriptura refert, ita tales scripsisse.] Et in cap. 2. v. 1. Et hæc ad Epistolam pertinent, nec maiorem habent auctoritatem.] Et ad vers. 32. Hactenus Epistola. In qua & illud notandum, Ipsos quod ad veritatem attinet historia, velle penes auctorem quem abbreviant, fidem esse: ut mirum non sit, si fortè aliqua deprehendantur dubia: auctor enim Sacer solum refert, quia Iason Cyrenæus scripserit.] Hæc sunt prorsus intoleranda, nec in scriptore Orthodoxo ferenda, ne dum enim duo priora integra Capita lib. secundi Machabæorum è Canone sacrarum scripturarum auellit: Sed etiam totum integrum secundum librum Machabæorum, quem se ex Iasone Cyrenæo abbreviare profitentur auctores Epistolæ. Partem Epistolæ legit Ecclesia in Missa Sabbati ante Dominicam 2. Quadragesimæ. Quotquot scriptores Catholici aduersus hæreticos de diuina duorum librorum Machabæorum auctoritate scripserunt, nunquam dubitarunt hanc partem, ac præsertim eam, quæ agit de occultatione Arcæ per Ieremiam, sacram esse Scripturam, Nec puto virum Catholicum Sa tale quid scripsisse: sed id assumptum ab aliquo sectario additum: nam Notas Sa Romæ impressas vidi, ubi nihil horum, quæ ex Lugdunensibus retulimus, extat.

Illud igitur pro comperto habendum, Arcam nec exustam, nec destructam, nec abductam à Chaldæis in euerfione Templi Nabuchodonosorica: sed absconditam à Ieremia in antro, illicque quasi sepultam & nulli notam mansisse. Cuius rei Alexander Polihistor meminisse, apud Eusebium lib. 9. Præparationis Evangelicæ, cap. 4. his verbis: Nabuchodonosorum Ierosolymam & Iudeorum regem Ioachim, vinum cepisse, & aurum, argentum, æs, cateraque omnia, quæ in templo fuerant, Arca excepta & tabulis, in Babylone in adpor-

asse

asse. Arcam enim, inquit, Ieremias detinuit.]

Sed quidnam de Arca factum fuerit, postquam eam Ieremias recondidit, & an in secundo Templo vel Zorobabelico, vel Herodiano extiterit: aut si unquam è latebris speluncæ emerferit, vel inde aliquando sit eruenda, diligentius nunc peruestigandum. Franciscus Ribera in 1. Aggæi, Numero 15. existimavit, Arcam ab Ieremia reconditam, rursus in reditu ab exilio Babylonico comparuisse, & in templo à Zorobabele exstructo iterum repositam, ac restitutam: diuque in illo conseruatam: siquidem verba illa: *Ignotus erit locus, donec congreget Deus congregationem populi, & tunc Dominus ostendet hæc.* De reuersione populi ab exilio Chaldaico sub Zorababele intelligenda videntur. A qua opinione non abludit Melchior canus lib. 2. de locis Theologicis, cap. 11. Postea verò vel ab Epiphane Antiocho, vel à Pompeio, aut Crasso, aut quouis alio casu inde fuisse ablatam. Sed hanc sententiam facile omnes refellunt, quòd nulla solida auctoritate, aut ratione nitatur: præsertim cum ea de re altum silentium apud Iosephum, talium accuratissimum scriptorem. Vide Serarium in 2. Machabæor. 2. Quæstion. 19.

Petrus Comestor in Scholastica Historia Iudith 3. inquit: *De Arca verò quomodo, aut quando receperunt eam, incertum est. Sed si verum est, quod Epiphanius dicit, eam usque ad Iudicij diem non esse egressuram de latibulo Petre: certum est, quòd Hebræi instar prioris edificauerunt alteram. Nam inter manubias, quas tulerunt Romani de Iudæa, leguntur translata Arca Domini, Candelabrum, & Mensa.* Hanc opinionem omnes exagitant, constans enim est omnium assertio, Arcam in Templo Herodiano non fuisse: neque inde eam sustulisse Romanos, aut in triumpho Titi abductam. Iosephus, qui illo vixit tempore, & optimè scire potuit, quippe qui Sacerdos frequens adesset in Templo illo Herodiano, de ipsomet templo ab Herode instaurato hæc scribit lib. 6. Belli, cap. 6. *Intima verò templi pars viginti cubitorum erat, discernebatur autem similiter velo ab exteriori: nihilque prorsus in ea erat positum. In accessu verò & inuiolata, & inuisibilis omnibus habebatur, Sanctique Sanctum vocabatur.* At si in Adyto Arca posita erat, quæ poterat Iosephus dicere, nihil prorsus in eo positum fuisse: aut Arcæ nullo modo meminisse, si ibi fuisset, quæ profectò erat primo loco memoranda.

Ad Hæc Arcam in triumpho Titi non fuisse ductam, ex eodem Iosepho oculato eius triumphii inspectore, facile possumus intelligere: qui eum, quem præfens vidit, clarissimum triumphii apparatus describens lib. 7. Belli, cap. 24. ita inquit: *Spolia verò alia quidem passim ferebantur, eminebant autem ea, quæ apud Ierosolymam in Templo reperta sunt, mensa aurea ponderis talenti magni, & Candelabrum similiter quidem auro factum. Post hæc autem portabatur lex Iudeorum, nouissima spoliiorum.* At quis tam hebes, qui putet Arcam omnium templi spoliiorum sacrosanctissimum ac pretiosissimum, silentio prætermisam à Iosepho, sic in triumpho delata fuisset? Ego quidem Romæ ipsum Arcum Titi, in quo Ierosolymitanus triumphus insculptus est, attentè cominùs unà cum aliis viris eruditis sæpius inspexi: Sed deformatis iam lapidibus, tametsi exactè ac perspicuè res non exprimebantur: at satis deprehendi potuit, quòd primum laureati gestant viri, non Arcam quidem esse: Sed mensam illam auream ponderis talenti magni, quam in triumpho Titi primo loco illatam Iosephus dixit. Villalpandus, qui mecum tunc Romæ erat anno 1604. eam lapideam triumphii Tabulam, eleganter æneis typis incisam, imprimi

curauit: ac pro certissimo habet, illud non Arcam, sed Mensam fuisse. Torniellus etiam qui eandem Tabulam æneis typis expressam publicauit, illud, quod primo loco in triumpho præferebatur, Mensam fuisse quoque affirmat. Sed de Torniello postea dicemus.

Hebræorum constans traditio est Arcam nec in Zorobabelico, neque in Herodiano Templo extitisse, futuram tamen in Templo à Messia instaurando. Arcam quidem in secundo templo non fuisse, affirmant Lyranus & Dionysius Carthusianus in 2. Machabæorum 2. Torstatus in 25. Exodi, Quæstione 2. & 14. & in Deuteronom. 10. Quæst. 2. & in 2. Paralipom. 5. Quæstione 25. Galatinus lib. 4. cap. 9. Porchetus Parte 1. Victoriæ contra Iudæos, cap. 7. Genebrardus lib. 2. Chronographiæ, pag. 190. Iosephus Scaliger in Eusebianis, pag. 99. colum. 1. in fine, Villalpandus Tomo 2. in Ezechiel. Parte 2. lib. 5. Disputat. 4. cap. 70. Serarius in 2. Machabæor. 2. Quæst. 19. Christophorus Castrus in 3. Ieremiæ, Numero 20. & omnes illos, quos statim referemus, asserentes Arcam absconditam à Ieremia, non comparitam, nisi in fine mundi. Qui ex Tertulliano de Corona Militis, cap. 9. Arcam in secundo Templo fuisse accipiunt, nihil solidi habent: nam nec Tertullianus id planè affirmat, nec instituto eius nimium conuenit.

Iam disquiramus, quid factum, aut fiendum de Arca à Ieremia in spelunca abdita. S. Epiphanius in vita Ieremiæ: *Hic est ille propheta, qui ante mutationem Templi arculam apprehendit, quaque fuere in ea singula, & curauit ea absorberi in saxum. Et loquutus est Sacerdotibus plebis, & quicumque aderant maioribus: Profectus Dominus à Sinâ in cælos, sed reuertetur in maiestate & virtute diuina. Et hoc indicium aduentus ipsius erit, Quando gentes vniuersa ligno supplicabunt. Addidit præterea, Arcam hanc nec quisquam reserabit unquam, neque Sacerdotum, neque prophetarum, excepta Moise electo Dei. Tabulas, quas continet ipsa, nullus explicabit, præter Aaron. Caterum in resurrectione primum Arca resurget, & prodibit è saxo, inque Sinâ monte locabitur, & omnes Sancti ad eam confluent, ut illic suscipiant Dominum, & vitent Inimicum, qui perdere illos affectabit. Tunc Saxum sigillauit digito, scribens nomen Domini, & factus est typus instar sculpturæ ferri, & nubes petram cooperuit, & eum locum nemo nouit. Quin ne nomen quidem usque in hunc diem, & usque in consummationem sæculi datur legere. Lapis deinceps ille habetur in solitudine, ubi primitus fabricata est Arca, in medio montium, in quibus iacent Moyses & Aaron sepulti. In noctibus porro nubecula nixet modo ignis eodem loci: pro typo, qui erat ab initio, quoniam nunquam cessabit maiestas Dei à lege eius.* Hactenus S. Epiphanius.

Dorotheus in Synopli, in Ieremia: *Hic Propheta antequam caperetur, templum, Arcam legalem, & qua in illa erant, abrupuit, & in petram quandam abdi fecit, dixitque adstantibus: Profectus est Dominus Sinâ in cælum. Et iterum: Veniet Legislator ex Sion cum potentia, & signum aduentus ipsius erit vobis, quando vniuersa gentes lignum adorabunt. Dixit etiam, Arcam illam nemo eripiet præter Aarouem & tabulas in illa reconditas nemo introspeciet, siue sacerdotum siue prophetarum præter Moysen electum Dei. Et in die resurrectionis Arca primum resurget, & ex petra prodibit, poneturque in monte Sinâ, & congregabuntur ad eam omnes Sancti, expectantes Dominum, & fugientes inimicum, occideant eum venientem ad hanc petram. Obfignauit autem eam digito per nomen Dei, & facta figura instar sculpturæ ferri, & nubes lucida obtexit nomen Dei: nec quisquam locum hunc cognouit, neque obfignationem legere potest in hodiernum usque diem, & ad consummationem usque. Est autem Petra illa in solitudine, ubi & primum fabricata*

est Arca, inter duos montes, in quibus sepulti iacent Moyses & Aaron. Et noctu rubes velut ignis locum hunc obtegit, iuxta quod olim factum est: nunquam enim deesse potest gloria Dei à nomine Dei. Propterea gratiam Ieremia dedit Deus, ut fidem mysterio suo ipse faceret, fieretque consors Moysi & Aaronis, qui & una coniuncti sunt ad hanc usque diem: nam & Ieremias è Sacerdotali semine prognatus est.] Huc usque Dorotheus. De quo emendandus error, qui apud multos inualuit, auctore huius Synopsi esse Dorotheum Tyri Episcopum & martyrem, qui sub Constantino vixit, & sub Iuliano passus est: nam nec ille Dorotheus Martyr Tyrensis Episcopus fuit, sed Presbyter, vti notum est ex Eusebio Cæsariensi: nec auctor huius Synopsi: sed Dorotheus quidam Abbas Romanus, vti etiam Græci profitentur in Menologio 14. Aprilis. Hunc Dorotheum Abbatem Romanum auctorem Synopsi parum cognouisse videntur Xystus Senensis, Simlerus, Bellarminus in indicibus Scriptorum, Galefinus, qui in eum Notas conscripsit, & plerique alij, qui eum passim nomine Dorothei Episcopi Tyri & Martyris laudant. Eum tamen plenè nouit Baronius in Notis Martyrologij Romani v. Iunij: & ex Baronio Posseninus in Sacro Apparatu: & mirum quòd post detectum errorem, perseuerent multi citare eum nomine Dorothei Episcopi Tyri & Martyris. Insunt in eo opere nonnulla digna emendatione. Sed ad nostra.

S. Thomas in 2. Machabæorum 2. dicit Epiphanius: *Hic est Ieremias, qui templum subuertendum prænoscens, Arcam Testamenti, cum iis, quæ in eadem erant, tulit & precibus eam absorberi fecit in Petram: Petram verò digito designans nomen Dei impressit, & factum est sigillum in similitudinem scripture, quæ ferro cauatur: & ipsum Domini nomen nubis operimento ita celatum est, ut ex tunc nec locum quis cognoscere queat, nec nomen legere usque in hunc diem, & usque in finem, & pristina figura instar ignis & nubes sape illic sit nocturno tempore, eo quod gloria Domini ab eius lege non desinat. Est autem petra illa in eremi terra inter duos montes, inter quos iacent sepulti Moyses, & Aaron. Dixitque Ieremias presentibus: Dominus de Sion ascendit ad calos, inde cum virtute reuersurus: & erit signum presentie eius, quando omnes gentes adorauerint lignum. Dixitque quod Arcam hanc nemo poterit producere præter Moysen electum Dei Prophetam. Et tabulas, quæ in ea sunt, nullus aperiet Sacerdotum, nullusque Prophetarum, nisi electus Dei Aaron. Et in prima resurrectione resurget hæc Arca, & exibat de petra, & ponetur in monte Sina: & omnes Sancti congregabuntur ad ipsam, regressum Domini expectantes, & ut vitent Aduersarium, qui eos fugientes est queriturus interimere.] Hæc S. Thomas. Eadem omnino ex S. Epiphanio & Dorotheo retulit quoque Vincentius Bellouacensis in Speculo Historiali lib. 2. cap. 116.*

In vetusto Commentatio, quod inscribitur, Gesta Francorum expugnantium Ierusalem, cap. 24. hæc habentur: *Ieremias Arcam in Arabia, versus montem Sinai occultasse fertur: ubi in hodiernum diem adhuc mons fumigans, & caligine obductus, locum volentes adire & obscuritate & caloris astu repellit: nec ad montem usque licet accedere. Et in prophetia eiusdem Ieremia scriptum inuenitur, quod inuenienda non sit, donec gentes multæ congregentur. Arca ergo in templo non est, sicut à quibusdam creditur.] Auctor est anonymus, & ante Vvilielmum Tyrium scripsisse videtur.*

• Difficilia planè sunt quæ S. Epiphanius, Dorotheus, S. Thomas & alij de absconitione, & reuelatione Arcæ tradiderunt: sed non puto eos falsa, aut incompetta sibi tradidisse: nec dubium, è maiorum

fide ac narratione ea accepisse. Et qui res Antichristi probè perspectas habuerit, facile cernet eos scriptores maximè vero consentanea scripsisse. Quorum sententiam ac historiam ita explicamus: Arcam à Ieremia delatam in montem Nebo, cuius vertex vocabatur Phasga, inde enim Moyses ostendente Deo, vidit terram promissam, Deuteronom. 34. v. 1. atque ibi ingenti miraculo discissa rupe speluncæ, haustam & inclusam arcam; rursus coeunte petra; ibidem semper mansuram ad finem usque mundi. Cum verò sæculi finis, & vniuersalis hominum resurrectio in proximo erit, nempe ipso Antichristo rerum potente, Arcam eruendam è saxo speluncæ, & quasi resurrecturam primum, ac in lucem emerfuram, nimirum operam & efficientiam Angelorum, qui eam è visceribus rupis educunt: ac constituendam in monte Sina, qui est in Arabia, omnibus conspicuam: atque in eodem monte circum ipsam cõfluxuras statim multas copias Christi fidelium, ac præsertim Iudæorum ad fidem Christi prædicatione Henoch & Elia conuerforum, qui in illis Arabiæ desertis metu Antichristi persecutionis antea delitescerent, tunc audita Arcæ reuelatione, è latebris ad eam perfugient, tanquam ad grande miraculum ac Diuinum præsidium. Iam enim lib. 9. copiosè perscripsimus plurimos fideles metu persecutionis Antichristi in Arabiæ solitudinibus se absconsuros. Antichristum verò audita Arcæ apparitione, & piorum ad eam concursu, missurum aliquem magnum Ducem è suis cū valido exercitu, ut fulsis, cæsisque Christianis, Arcam, vel reducat, vel in cineres redigat: Aut certè ipsum eò iturum, Cæterum Christianos diuina ope Ducem illum missum vel ipsum Antichristum repulfuros ac profligaturos.

Iam quæ Patres illi de obsignatione saxi, de nube, & igni, indiciis latentis in illa spelunca Arcæ tradunt, nihil est cur incredibilia videri debeant: cū Deus eiusmodi diuinis miraculis non rarè uti soleat ad fidem & sanctimoniam rerum suarum comprobendam. Nam forsitan non tantum, quod in vertice montis Sinai Deus legem Israëlitis dederit: sed etiam quod eum locum resurrecturæ Arcæ destinauerit: iam multò antea Dominus prodigiis ac miraculis exornauit: siquidem Procopius Cæsariensis Oratione v. de Edificiis Iustiniani, hæc refert: *Insuper in Sina monte in quo degebant monachi vita sanctissimi, ad radicem eius erexit nobilem Ecclesiam Deiparæ Mariæ nomine nuncupatam. Nam in vertice Sina homo pernoctare non potest propter assiduos strepitus, & fragores, aliæque terribilia quædam diuiniora, quæ nocturnis horis illic exaudiuntur, humanam mentem, & sensum percellentia.]*

Ergo Arcam à Ieremia in spelunca absconditam, nunquā deinceps cõparuisse, neque in Zorobabelico, neque in Herodiano Templo visam: sed manifestandam tēporibus Antichristi docuere præter Patres superius citatos S. Epiphanius, Dorotheus, S. Thomæ, etiam Richardus de S. Victore l. 4. Exceptionum, c. 11. Ansel. in Elucidario, Melchior Canus l. 2. de locis, c. 11. & ipse tadè Ribera in Aggei l. 1. n. 19. Bellarminus l. 1. de verbo Dei, c. 15. Gretzerus in Defensione eiusdem l. & capituli Bellarmini, colū. 775. 783. Serarius in 2. Machabæorū 2. Quest. 19. Villalpandus Tom. 2. in Ezechiel: Parte 2. lib. 5. Disp. 4. c. 70. Castrus in Ieremiæ 3. Numero 20.

Nec ab his abludit Iosephus Ben Gorion lib. 1. de Bello Iudaico, cap. 17. vbi de secundo templo: *Arca non aderat, quia abstulerat eam Ieremias propheta, una cum omnibus cortinis, quas fecerat Moyses seruus Domini in deserto, & posuit eas in monte Nebo, ubi inuenit speluncam in cuius concauitatem posuit eas. Cumque sequerentur Sacerdotes, qui fuerunt in diebus illis, Prophetam, ut aduerterent locum, respi-*

ciens Ieremias post se, & videns, iratus, iuravit, dicens: non sciet homo, neque cognoscetur locus, donec venero ego, & Elias (Alij legunt, Isaias) Propheta famulus Domini, tunc restituerunt Arcam in locum suum intra sancta sanctorum subter alas Cherubim.] Forsan innuit Ieremiam cum Elia, aut Isaiā venturum in fine mundi ad restituendam Arcam. Sed cæcutit Iudæus, ac falsa veris permiscet; nam certum est, quando veniet Elias, apparituram Arcam.

Hæc cum sint à nobis haud leui studio, & cura observata, Augustinus tamen Tornellius in Annalibus sacris anno Mundi 3610. Numero 14. & seqq. & anno 3885. numero 4. & seqq. proluxa disputatione probandum sibi desumpsit, post (per) reditum Iudaici populi ab exilio Babilonico, Arcam ex speluncæ latebris, vbi condita à Ieremia fuerat, comparuisse: atque in templo Zorobabelico fuisse, nec inde ab Antiocho Epiphane raptam: perdurasse quoque in templo Herodiāno usque ad supremum eius per Romanos excidium: ac tunc ablatam à Romanis, in triumpho Titi inter alia sacra spolia prælatam: ac eam esse, quam Iosephus legem appellat, nouissimum spoliolum: quod nimirum in Arca essent legis tabulæ: adhæc etiam in Arcu Titi expressam, sed temporum diuturnitate, vel exesam, vel à Iudæis abrasam. Sunt argumenta, quibus vritur, vana, futilia, nullo verisimilitudinis, colore: mihi animus non est singula refutare, nec chartis, otio, & patientia lectorum abuti: quod alij libenter facere solent: sat fuerit tot præstantium virorum auctoritate niti, qui nos eam sententiam docuere. Illud non omitam Tornellum suscepisse ingens illud & præclarum opus Annalium supra vires ingenij sui, eruditionis, & industriæ: nec patem operi se vllibi præstitisse.

Iosephus Stephanus Episcopus Oriolensis Commentariis ad 1. Machabæorum 4. v. 49. hæc scribit: *Memini me Romæ in templo S. Ioannis Lateranensis ligna quadam vetustissima conspexisse, quæ, ut fama refert, ex Arca Domini, quam Titus Imperator inter triumphandum Romam deduxerat, remanserunt. Quod certe mihi sit vero simile, cum Glaber Radulphus Historicus Gallus lib. 3. cap. 6. referat apud Gallias in Vrbe Senonensi partem virgæ Moysi repperatam, tam multa miracula edidisse, quæ Rainardi Regis animum in Moysi legem amplectendam impulerunt, ut iam non Christianorum, sed Iudæorum potius Rex appellari voluerit.]* Hæc Iosephus, qui in eam sententiam potius inclinat, ut existimet Arcam in triumpho Titi inductam: sed à Iosepho Iudæo ob pudorem triumphatæ gentis & religionis silentio prætermittam. Meræ nugæ, cum templum euersum, vibs excisa, Iudæorum maior pars internecione deleta, reliqua per mundum dispersa, abundè ignominiam suam vbique gentium latè dispergeret. Qualia autem fuerint ea miracula, & qualis virga, quæ illa ederet, facile inde colligi potest, quod iis Rainardus Rex in superstitionem Iudaicam impelleretur, quasi libri non sint oppleti eiusmodi imposturarum. De lignis Arcæ, & virgæ Aaron, quæ in Ecclesia Lateranensi Romæ ostenduntur, non semel coram interrogavi Cardinalem Baronium, & me semper risu, ac prope in risu irrisu excepit.

Ergo nobis satius fuerit tot grauissimis viris assentiri, Arcam Testamenti, ex quo à Ieremia in spelunca recondita fuit, nunquam hæcenus comparuisse: manifestandam verò, vti prædiximus, tempore Antichristi.

Sed dicet quispiam: cur Deus tam longo tempore Arcam seruat absconditam? Esto nobis causa sit in occulto, non propterea res in dubium est reuocanda, quam tot Patres & auctores sua assertione confirmant. Longiore tempore abstrusos seruat Henoch & Eliam. Rogabit aliquis ampliùs: cur Deus tempore Antichristi eam in publicum educet? in quem finem? cui vsui? Num vt eam Iudæi rapiant, & in suo templo reponant, indèque maioris perfidiæ & contumacioris obstinationis ansam attripiant? Recentiores plures probabiles sanè excogitarunt rationes, sed ea nobis potissimum probatur; Reuelandam Arcam propter conuersionem Iudæorum; atque eorum in fide Christi maiorem constantiam, cum viderint apparuisse Arcam, nec ab Antichristo potuisse in potestatem redigi, sed potiùs à Christianis seruari: quodque Deus in ipsorum gratiam, rem olim ipsis sacrosanctissimam ac religiosissimam manifestauerit: sed maximo miraculo apud Christianos, vt perspicuè cernant à quorum partibus ster Dominus, quosque charos, & placitos sibi habeat: atque ira vel relicto Iudaismo, accedant ad Christum, vel in Christianismo suscepto solidiùs roborentur: qua ratione verba illa diuini auctoris rectè capientur: *Donec congreget Deus congregationem populi, & propitius fiat.* Hoc est, donec Iudæi in fine sæculi Christo aggregentur, & Dominus eis reconcilietur: tunc reuelabitur Arca. Et facile creditum est, quando Arca à spelunca eduçta ministerio Angelorum in monte Sina collocabitur, congregatis circum eam innumeris piorum copiis: tunc nubem, gloriam, & maiestatem diuinam superfundendam circum Arcam vt olim solebat: & hoc esse, quod Auctor Machabæorum ait: *& tunc Dominus ostendet hæc, apparebit maiestas Domini, & nubes erit sicut Moysi manifestabatur: & sicut cum Salomon petiit, vt locus sanctificaretur magno Deo, manifestabat hæc.* Quo viso tanto miraculo Iudæi maximè gloriam Christi prædicabunt.

Forsan huc etiam respexit Ioannes, cum vaticinatus de temporibus Antichristi ac de fine mundi, hæc inter alia ait Apocalypsi. 11. v. 19. *Et apertum est templum Dei in cælo, & visa est Arca testamenti eius in templo eius: & facta sunt fulgura, & voces, & terra motus, & grando magna.* Nec enim est à ratione alienum existimare, apparituram tunc Arcam in cælo, idest, in media Ecclesia fidelium, super montem Sina conspicuam, cum eadem aut certè maiori gloria, quam (qua) tempore Moysi & Salomonis videri solebat, obtegente eam fulgentissima nube, cum admirandis coruscationibus, & fulgurationibus: cum fulminibus etiam & grandinibus, & terræmotibus, ad exterrandos, proterendos, & profligandos exercitus Antichristi, qui contra eam, & pios in monte Sina tunc mittentur.

Nec iis, quæ hæcenus de Arca tanta verisimilitudine perscripsimus, contraria prædixit Ieremias 3. v. 16. *Cumque multiplicati fueritis in terra in diebus illis, ait Dominus, non dicent ultra, Arca Testamenti Domini: neque ascendet super cor, neque recordabuntur illius, nec visitabitur, nec fiet ultra.* Nam vt interim omitamus ampliorem loci interpretationem, quæ non est huius loci, ferè omnes intelligunt, illud rætum velle Prophetam, Legalia, quæ præcipue per Arcam designantur, Euangelio coruscante penitus abolenda: non vltra recordabuntur Arcæ, nec Arca erit vnquam ad legalem cultum; vide S. Hieronymum. At tempore Antichristi venerabuntur Arcam ob diuinum miraculum, ob conuersionem Iudæorum in gloriam Christianæ religionis.

Sed quod attinet ad fabricam Urbis Ierusalem & Templi sub Antichristo, nullum dubitatio subeat, qui fieri poterit, ut tam breui tempore, nempe nedum Triennio exacto, tam immania & infana opera, tanta opulencia & magnificentia absoluantur: nam cogitet auctorem futurum Antichristum, immensa potentia subnixum, plurimis dæmonum legionibus succinctum, qui in id opus incumbunt: ex altera parte Iudæorum perniciem & rabiem, ex tam diuturno exilio in patriam reditum, & urbem, & Templum ipsis tantopere cupita, in consilium adhibeat, & ex templo omnem admirationem deponet.

CAPVT XIII.

Explicatur vaticinium Osee de conuersione Iudæorum ad Christum in fine mundi.

Non pauca, nec obscura licet in scriptura reperire testimonia de conuersione Iudæorum ad fidem Christi extremo mundi tempore; sed illud Osee 3, vers. 4. est cum primis illustre. Quia dies multos sedebunt filij Israel sine rege, sine Principe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine Ephod, & sine Theuraphim. Et post hæc reuertentur filij Israel, & querent Dominum Deum suum, & Dauid Regem suum, & pauebunt ad Dominum, & ad bonum eius in nouissimo dierum.

Plerique Hebræorum teste S. Hieronymo, atque ex nostris Rufinus, Theodoretus, Theophilactus, hoc vaticinium impletum interpretantur in reditu populi Iudaici ab exilio Chaldaico sub Zorobabel. Isidorus Clarius & Ioannes Drusius, exponunt de statu populi Iudaici à deportatione Chaldaica, vel Assyriaca, vsque ad Christum Dominum. Drusius propriè de decem Tribubus tantum, non de duabus Iudæa & Beniamenica, explicat. Christophorus Castus de Decem Tribubus tantum intelligit ab earum exilio & dispersione per Salmanasar, vsque ad finem sæculi, & tempora Antichristi. Absurda & incommoda harum explanationum facillè plerique expositorum demonstrarunt. Nos veriotem, receptioremque amplectemur, quæ docet Oseam hîc vaticinatum de miserando statu populi Hebræici, tam Iudæi, quàm Israëlitiici, vniuersè, quem in mundo habet post eorum cuiusque supremam cladem & dispersionem; quemque habiturus est vsque ad finem rerum humanarum, quando conuertentur ad Christum; ac præcipuè canere reductionem Iudæorum ad veram Christi religionem in fine sæculi. Quæ expositio est S. Hieronymi, S. Cyrilli Alexandrini in 3. Osee, S. Augustini de octo Dulcitij Quæstionibus Quæstione 8. & lib. 18. de Ciuitate Dei, cap. 28. S. Iuliani Episcopi Tolentani lib. 1. contra Iudæos, Ruperti, Strabi, Anselmi Laudunensis, Haimonis, Lyrani, Dionysij, Burgenfis, Varabli, Palatij, Montani, Riberæ, Sa, Figuerij, vtriusque Castri, in 3. Osee, Samuel Morrochitanus Epistola de aduentu Messie, cap. 26. Galatinus lib. 9. cap. 6. Finis libro 7, caput 28. sed duarum obscurarum Hebræicarum vocum, quæ hîc ponuntur, significata à nobis exponenda sunt.

E P H O D.

Quod de ea voce, præter ea, quæ alij obseruauerunt, nos dicere possumus, nihil habemus. Qui cu-

ram & studium in explicandis Hebræicis vocabulis posuerunt, nonnulla notarunt. Forsterus: A P H A D, Superiexit, superinduit, seu superinduxit, operuit adstringendo. Inde E P H O D, vestimenti genus, quod superinduebatur vestibus interioribus. Septuaginta vererunt Epomida, id est, superhumeralia: tegebat enim humeros, & thoracem; & interiores vestes eo tecta ad corpus constringebantur: eratque sacerdoti in spirituali sua militia, & cultu vt bellatori thorax. Erant autem duo genera: alterum erat, quo summus Sacerdos tantum induebatur, quod ita describitur Exodi 28. Et faciant Ephod ex auro, hyacintho, & purpura, cocco bis tincto & bysso retorta, factura polymita, duo humeri confociationes erunt illi in duabus extremitatibus eius etiam confociatio: & accipies duos lapides onychinos, & sculpes in eos nomina filiorum Israel: & pones duos illos lapides super humeros Ephod, &c. Et primo Samuel 2. Eligendo eum ex omnibus baculis Israel mihi in Sacerdotem, vt offerret super altare meum, & adoleret incensum, & portaret Ephod coram me. Et cap. 14. Erat Sacerdos ipsius Iehouah in Silo, portans Ephod. Et cap. 23. Et dixit ad Abiathar Sacerdotem filium Achimelech: Applica nunc mihi Ephod. Et attulit Abiathar Ephod ad Dauid: & interrogauit in Iehouah, dicens: Persequarne incursores istos? &c. Alterum Ephod ex lino factum: & illud gestabant omnes alij Sacerdotes, & Leuitæ, ac Reges, quando ministrabant, quia in militia illa sua erat illis etiam thoracis loco. 1. Samuelis, 2. Et Samuel ministrabat coram Iehoua accinctus Ephod lineo. Et cap. 22. Et interfecit in die illa octoginta quinque viros, portantes Ephod lineum. 2. Samuelis, 6. Et Dauid accinctus erat Ephod lineo: ac Dauid, totaque domus Israel adducebant Arcam Iehoua.] Hucusque Forsterus.

Mercerus: E P H O D, cinctum, quod videlicet ei accingeretur Rationale. Transferitur à D. Hieronymo superhumeralia, ex Græco Epomis, quod humeros tegeret. Superinduebatur vestibus interioribus, & adstringebatur. Erat Sacerdoti quod bellatori thorax. Sunt qui putent speciem pepli habuisse, quod à flamine Romani dixerent flaminium, quo caput ad humeros vsque cingeretur. Ego puto scapulari monachorum nostrorum, quod appellant, potius simile fuisse. Hoc duplex fuit, vnum, quo summus tantum Sacerdos indueretur, quod Exodi 29. describitur: alterum, quo etiam ceteri Sacerdotes & Leuitæ: quin & Reges, cum sacris ministrabant, vt Dauid in adducenda Arca, 2. Samuelis, 6.] Similia alij.

Aquila, superindumentum reddit, quod aliis vestibus superindueretur. Rectè. Kimchius & Sanctes interdum esse pallium putant. Haud rectè. Xistus Senensis, Mercerus, Pomarius, Auenarius, scapulari monachorum adsimilant: sed manicas habuisse testatur Iosephus lib. 3. originum, cap. 8. Maniculis ita extantibus, vt planè tunica appareat.] Græca Iosephi clarius: Cum manicisque fabricatus, & omni figurâ in modum tunice factus.] Amiculum Tremellius, Iunius, Buxtorfius & alij interpretantur. Explodendum illud de Flaminio: nam Ephod nihil ad caput pertinebat. Thoraci bellatorum simile fuisse, Philo lib. de Monarchia, & Iosephus lib. 6. Belli cap. 6. atque ex recentioribus, Forsterus, Oleastrius, Mercerus, Riberæ & alij rectè putant. Xystus ad umbilicum vsque pertinuisse vult: Iosephus cubitali longitudine tradit: alij ad cincturam vsque pertendisse: parum id discriminis.

Scribit Iosephus ibidem in textura seu temperatura Ephod summi sacerdotis plus auri, quam alterius materiæ fuisse. Rursus vtramque Ephod partem, &

quæ

quæ à tergo, & quæ in pectore erat, confutam vel fibulis connexam ab utroque humero, & sub manicis ab utroque latere fuisse, ex scriptura, & ex Philone Iosephoque colligitur: cum Ephod thoraci per simile tradunt. Aperiebatur verò in pectoris medio lacunam vacuum palmarem quadrilateram, in quam immittebatur Rationale seu oraculum, uti scribit Iosephus.

Alter vero Ephod lineus, aliis sacerdotibus, Levitis, ac regibus communis, tamen forma illum priorem referret: at planè diversus erat: neque enim pretiosa illa ac splendida textura ex auro, hyacinto, purpura, coccòque bistrincto, & bysso opere vario constabat, sed simplex, ac lineus erat, & in modum brevis cuiusdam tunice lineæ factus, sine alio ornatu, & fortasse haud ablimilis erat lineo illi indumento, quo Episcopi & Cardinales utuntur, quod Hispanicè vocant *Roquete* cum manicis, nam istud apud nos in locum illius veteris Ephod successisse videtur, ut etiam Caietanus observavit 1. Regum 2. neque tamen eidem assentimus Caietano in Regum 6.v.20. asserenti, Ephod lineum nec brachia, nec latera gestantis texisse. Et quod de David induto Ephod, ac saltante coram Arca, Michol dixit, discoopertum & nudatum fuisse: sic omnes intelligunt, quod David depositis summis vestibus, & interioribus tantum retentis, induto sibi Ephod, quo agilior & expeditior esset, saltaverit coram Arca. De Ephod vide S. Hieronymum Epist. 130.

TERAPHIM.

S. Hieronymus Epistola 130. ad Marcellam: scito TERAPHIM ab Aquila Morphomata interpretari, quas nos figuras, siue figurationes possumus dicere: in Teraphim vero, id est, figurationibus vel figuris, varia opera, quæ Teraphim vocantur intelligi. Nam & in Exodo, ceterisque locis, ubi describuntur vestes plumarum arte contextæ, opus cherubim, id est, varium atque depictum esse factum describitur. Iuxta igitur hunc sensum & Micha cum veste Sacerdotali cetera quoque, quæ ad sacerdotalia pertinent ornamenta, per Teraphim fecisse monstratur. Et in 3. Osee: Pro Teraphim Lxx. dices, id est, manifestationes interpretati sunt. Teraphim autem proprie appellantur Morphomata, id est figura, & simulachra: quæ nos possumus in presenti dumtaxat loco Cherubim & Seraphim, siue alia, quæ in templi ornamenta fieri iussa sunt, dicere. Aquila Photismos, id est, illuminationes transtulit.]

Elias Leuita in Thisbi hæc scribit: TERAPHIM Genes. 31. Et furata est Rachel imagines patris sui, Thargum Onkeli habet, Tislanata, id est, imagines. Similiter Jonathan reddidit Teraphim, quæ Michal filia Saulis posuit in lecto, 1. Samuelis 19. Fuerunt autem imagines, quæ futura annuntiabant, de quibus & Propeta Osee loquitur: Absque Ephod & Teraphim, Thargum Mechani, id est, quæ annuntiabant. Huc etiam respicit versus iste, Zacharia 10. Quoniam simulachra loquuta sunt vanitatem. Porro inveni quod in hunc modum fiebant Teraphim. Mactabant hominem primogenitum, cuius caput torquendo præscindebant, quod postea sale, & aromatibus condiebant, scribebantque super laminam auream nomen spiritus immundi, quæ supposita capiti eius, ponebant illud in pariete incendentes coram eo candelas, & adorantes coram eo. Atque cum istiusmodi loquutus fuit Laban, &c. Vide in capitulis Rabbi Eliezer, cap. 36.] Hæc Elias.

Lirani in 31. Genesis: Teraphim dicunt aliqui quod sint imagines factæ, partim per astronomiam, & partim per necromantiam quæ dant responsa. Hebræi dicunt quod est caput alicuius pueri primogeniti interse-

cti, & sacrificati demoni: & istud caput præcisum salisatur, & aromatibus conditur, ut possit diu stare: & super linguam eius in lamina aurea ponitur nomen demonis, & sic dat ibi responsa. Eadem habet in 17. Iudicum. De lingua aurea habes quædam Iosue 7.v.21. vide Andream Masium, & Nicolaum Serarium in eum locum.

Antonius Honcala in Genes. 31. Hieronymus: ubi nunc idola legimus, in Hebræo Theraphim scriptum est: quæ Aquila Morphomata, id est, figuras vel imagines interpretatur. Thargum, imagines habet. Rabbi Abraham in Commentariis: sunt, ait, qui dicant, Teraphim fuisse instrumenta quædam ærea ad cognoscendam horarum partes diuinationi obnoxias. Alij dicunt fuisse caput pueri primogeniti, demonio immolati, quod aromatibus condiebatur, ne putresceret: cuius lingua superponebatur aurea lamina in scripto in ea demonis nomine, cui esset illud dedicatum: unde & consulentibus responsa dabantur. Alij autem autumant Teraphim integram fuisse hominis statuam, domus præsidem, quam Latini auito errore imbuti larem dixere. Alij denique putant non unam tantum, sed plures fuisse imagines astronomicas, quibus diuinabatur. Quod quidem superstitiosum oraculi genus explicat abundè Philonis traditio, quam in libro Antiquitatum Hebræicarum posuit, dicens: Exclusit Mucha aurum & argentum, & fecit sibi effigies tres puerorum, & vitulorum, & leonum, & aquilam, & draconem, & columbam. Et factum est, ut omnes qui seducebantur, venirent ad eum: & si quid voluissent pro uxore interrogare, per columbam interrogabant eum: si quis autem pro filio, per effigies puerorum: qui verò pro diuitiis, per speciem aquilæ: pro fortitudine, per leonis effigiem consulebant eum: si autem pro pueris & puellis, per effigies vitulorum interrogabant: nam si pro longitudine dierum, per draconis figuram interrogabatur. Et erat iniquitas eius multiformis, & irreligiositas eius astuta.] Hactenus ex Philone Honcala. Sed exploratum est librum illum non esse Philonis, & fabulis abundare: de quo videndi Xystus, & Possevinus in Bibliothecis.

David Pomarius in Germine: Teraphim erant idola, unde prisci videbant futura. Radix vocabuli est Raphab, cessavit, quod ad inspectionem harum imaginum homines omittabant opus: erant autem imagines factæ ad similitudinem corporis humani, & erectæ certis horis, & sub certa constellatione vocem edebant, eo quod capaces essent cælestium influentiarum. Hæc Aben Ezra. Alij volunt, quod fuerint instrumenta ærea, per quæ cognoscebantur partes horarum, futurique euentus secundum iudicium astrorum: qualia Laban habuisse in scriptura memoratur: sed quæ Michal posuit in lecto David, non fuerunt talia, cum non habuerint figuram corporis humani.]

Aben Ezra in 31. Genesis: sunt qui dicant, Theraphim fuisse instrumenta quædam ærea, per quæ cognoscebantur partes horarum diuinationi obnoxie. Alij dicunt, quod erant imagines, quas faciebat Astrologi ad similitudinem corporis humani, quæ loquebantur: nam dicunt, quod sit facultas in peritis astrorum facere figurationes certis quibusdam horis, quæ loquantur. Et quod magis consentaneum videtur, est quod essent hominum imagines capaces ad suscipiendam cælestium influentiam.

Forsterus: Theraphim dicuntur à Raphab, quod in loco, ubi posita sunt, dimittantur, vel domi, vel in templo, nec aliò transferuntur, nisi nomen peregrinum & gentilitium dicere malis. Ponitur autem aliubi pro imaginibus seu simulachris sacris. Ut Genes. 31. Et furata est Rachel simulachra patris sui. Aliubi pro rebus ad diuinum cultum pertinentibus ponitur, Iudicum

17. Et fecit Ephod & Theraphim. Osea. 3. Et sine Ephod & Theraphim. Alicubi pro ipso cultu idololatriæ, seu ipsa idololatria. 1. Samuelis, 15. & iniquitas. & Theraphim relictari.]

Mercerus: Theraphim quidam deducunt à Raphal, quod in loco sunt posita, dimittantur, nec aliò transferantur. Vel, ut alij, quod ad eorum inspectionem homines opera omittant, vel suscipiant. Sed videtur potius peregrina. Singulare non inuenitur. Jonathan in Osea vertit Machani, idest, significans, alias Tzilmanai, ut hic habes. Aliquando pro ipso cultu idololatriæ, 1. Samuel. 15. 23. Quidam putant pro rebus interdum ad diuinum cultum pertinentibus sumi, ut in Iudiciis, Regibus, & Osea. Sed ubique pro simulachrorum genere, quæ responsum dabant, & in domibus etiam habebantur, ut Penates, & Lares sumpserim. Putant imagines fuisse ad hominum similitudinem, quæ certis horis erecta, & sub certa constellatione responsum ederent, quod influentiarum celestium capaces essent. Earum rationem docet Rabbi Eliezer Magnus in Opere, quod inscribitur Pirke Eliezer, idest, Capitula Rabbi Eliezer venetiis edito anno 1544. cap. 36.]

Auenarius: Teraphim sunt simulachra, siue sacra, siue idololatriæ, item pro cultu diuino, qui exhibetur vero Deo, siue idolo. Hinc Græci acceperunt θεῶν εἰκόνες, colo Deos.]

Kimchius in libro Radicum, Sanctes, Caietanus, Vatablus, Clarius, Marinus, Schindlerus, & alij, existimant Teraphim fuisse imagines quasdam, per quas diuinabant, in quibus videbantur futura, quæque responsa reddebant, demone per eas loquente.] Theodoretus in 1. Regum, Quæst. 33. Per Teraphim significantur idolorum prædictiones.] Montanus in Iudicum 17. Teraphim significat imagines quasdam, celi, astrorumque certa obseruatione confectas, & ritibus sacratas, ad auguriorum diuinandique abusum quales: ex Labani domo Rachel filia discedens, quondam abstulisse memoratur.]

Nos faciliè in eorū imus sententiam, qui Theraphim instar deorum Penatium ac larium fuisse arbitrantur, quod, existimant, Honcala, Mercerus, Buxtorfius: & qui Penatium, lariumque deorum historiam vniuersam à Lilio Gyraldo Syntagmate 15. de Diis Gentium ex variis auctoribus collectam, inspexerit, haud difficulter in eandem concedet opinionem.

Etymon quidem Chaldaicum plerique huic voci affingunt, quod essent res probrosæ, propudiosæ, putridæ, sputo dignæ, abominabiles. Noster interpretæ cum hæc vox Theraphim quindecies tantum in inscriptura ponatur, interdū eam in interpretatam relinquit: frequentius tamen idola, seu simulachra conuertit 1. Regum 19. v. 13. 16. statuam. Lxx. septies vocem Theraphim sine interpretatione relinquunt: ter idolum vertunt: bis cænotaphium: semel, declarationem: semel, loquens. Vide concordantias Græcas Bibliorum Conradi Kircheri.

Hoc autem loco Oseæ pro idolis quidam accipiunt: quasi dicat: Manebunt filij Israël longo tempore sine verò Deo, & sine Idolis: hoc est, nec verum Deum: nec idola colent. Vti certè manent post supremam suam cladem vsque ad finem mundi: qui nec verum ac legitimum Dei cultum habent: nec cultum idolorum. Ita Lyranus, Montanus, Palatius, Ribera, Vatablus, Sa, Figuerius, Mariana. S. Hieronymus, Theraphim hic pro Cherubinibus, siue aliis templi imaginibus, figuris, ornamentis accepit: siue pro rebus vniuersè ad cultum Dei pertinentibus. Ita quoque Haymo, Forsterus, Genebratdus. Lxx. Interpretes hic Manifestationes, declarationes, Demonstrationes reddiderunt. Chaldaus, significans, denuntians, Ref-

pensa dans. Intellexerunt proculdubio Oraculum vrim & Thumim, de quo Capite 11. differuimus. Theodoretus: Dilus diuinas prædictiones nominauit, & quod summus sacerdos Rationali Iudicij τῷ δὲ λογίων, idest, ostentum accipebat, & veritatem: & quod per quasdam significationes in illo factas futura prædicabat.] Interpres Theophylacti vocem, δῆλος Perspicua, reddidit: vnde Theophylactus: Neque perspicua erunt, quid vero hoc sit, iam discite. Sacerdotum Principi dependebat in pectore quadrangula spiribama longitudine texturata, siue textus panniculus logion, idest, oraculū domus, vel locus appellatus, duodecim lapides continens, per quos futura denuntiabantur summo sacerdoti, signis quibusdam diuinis in hisce factis: vnde logion hoc, seu panniculus ille Manifestationem & veritatem habere dicebatur. Proinde eos non perspicuos fore dicit, id est, non habituros diuina signa, quibus futura cognoscant.]

S. Cyrillus: Qui aut δῆλος putandi sunt, nouit, Credo, discendi studiosus: breuiter suggerere non erit absre. Quando ad sacerdotis ornatum pertinentia fieri Deus vniuersorum iussit, sancto Mosi dixit: & facies Rationale iudicij, opus textile: palmi longitudo, & palmi latitudo: quadrangulum erit. Deinde lapides artificiosè inseri huic textili cum nominibus duodecim tribuum mandauit: Inter alios autem duos, quibus nomina, Manifestatio & veritas. Deinde hoc Rationale Iudicij ex Humerali aureis catenis suspensum in pectus summi sacerdotis dependebat: erantque in typum Emmanuelis Manifestatio & veritas.] Atqui hic Theraphim, Oraculum vrim & Thumim acceperunt quoque leo Castrus, & Christophorus Castrus in Commentariis huius loci. Sic igitur miseri Iudæi per tot iam sæcula iacent sine Rege, sine Principe, sine Templo, sine Altari, sine Sacrificiis, sine Oraculo, sine Prophetis, sine Deo, sine Idolis, sine magistratibus, sine forma veræ & integræ Reipublicæ, externis regibus & principibus semper subiecti, alieno viuentes, arbitrio, in extrema miseria, ætumnis, exiliis cecitate, perfidia, opprobrio, ignominia, raptores sua ludibria & infelicitatem per vniuersas mundi regiones: vsque ad extrema mundi tempora: quando affulgente diuinæ misericordiæ radio, auferetur velamen de corde eorum, cognoscent Dominum, quærent verum Christum, repudiato Antichristo, & sanctum Iesum Christi æterni Filij Dei Euangelium amplectentur, Atque hoc est ipsissimum Oseæ vaticinium. Chaldaus Interpres locum Oseæ ita reddit: Post hac conuerterentur filij Israël, quærentque cultum & religionem Domini Dei sui, & obedient Christo filio Dauidis regi suo: & celebrabunt ac annuntiabunt cultum & religionem Domini, & magnam benignitatem ac bonitatem eius, quæ ventura est eis in fine dierum.

Sed quod Oseas ait, Pauebunt ad Dominum, & ad bonum eius, putamus Bonum illud esse, de quo Zacharias 9. v. 17. dixit Quid enim Bonum eius, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, vinum germinans Virgines.

Existimant nonnulli Oseam hoc suum vaticinium desumpsisse è 2. Paralipom 15. v. 3. Transibunt autem multi dies in Israël absque Deo vero, & absque Sacerdote, Doctore, & absque lege. Cumque reuersi fuerint in angustia sua ad Dominum Deum Israël, & quaesierint eum, reperient eum. Nam hoc quoque oraculum de conuersione Iudæorum ad fidem Christi in fine mundi esse intelligendum, & Doctores nostri apud Lyranum docent. & annotant etiam Serarius in eum locum, & Figuerius in 3. Oseæ, Sunt & alia Prophetarum Vaticinia, quæ Iudæorum sub finem sæculi ad Ecclesiam Christi aggregationem cecinerunt, quæ apud Finem lib. 7. Flagelli

Flagelli, cap. 18. & alios de his differentes videri poterunt.

CAPVT XIV.

Egregius Pauli locus de Conuersione Iudæorum ad fidem Christi, extremo mundi tempore.

Paulus Romanorum 11. v. 25. *Nolo enim vos ignorare, fratres, mysterium hoc: (ut non sitis vobis ipsis sapientes) quia cecitas ex parte contigit in Israël, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israël saluus fieret: sicut scriptum est: veniet ex Sion qui eripiat, & aueriat impietatem à Iacob. Et hoc illis a me testamentum: cum abstulero peccata eorum, secundum Evangelium quidem inimici præter vos: secundum electionem autem charissimi propter patres, sine penitentia enim sunt dona & vocatio Dei.*

Mysterium vocat Apostolus illud, de quo continenter toto eo capite sermonem instituerat, nimirum, Iudæos non omnes, nec in totum abiectos à Deo: nec propterea quod tam longo tempore in perfidia durant, prorsus repulsos: Deum singulari suo concilio ex Iudæorum incredulitate elicuisse interim ingens bonum introitus Gentium in Ecclesiam, & occasione excæcationis Iudæorum, accitos & intertos Gentiles in Evangelium: ea tamen ratione, ut postquam fuerit expletus credentium ex gentibus numerus à Deo præfinitus, quod non erit nisi prope finem rerum humanarum: tunc etiam Iudæi ingenti Dei benignitate qua id ab æterno decreuit, suo tempore fieri, accedant ad fidem Christi, & salutem consequantur. Hanc esse Pauli mentem, & sensum verborum eius, & Patres, & posteriores explanatores summo consensu docent. Cæterum diffusiori explanatione ad interpretes amandata, quæ instituto necessaria erunt, paucis attingemus.

Mysterium. De huius vocis etymo, ratione, usu, ex professo sibi differendum desumpserunt, Benedictus Iustinianus in hunc Pauli locum, Henricus Stephanus in Græco Thesaurio Tomo 2. colum. 1654. H. Ioannes Fungerus in Etymologico Trilingui, Isaacus Casaubonus Exercitatione Baroniana 17. Diatriba 43. Non dubitamus Originem vocis Hebraicam esse: à סתר. SATHAR enim abscondere occultare, dicitur סתהר. *Misthar*, abscondio, *mysterium*, res abscondita, arcana occulta, Psalm. 9. v. 8. 9. id quod etiam Auenarius, Fungerus, Casaubonus existimant. Aiunt esse rem magnam, arcanam, occultam, paucis notam, neque nisi initiatis communicandam. S. Chrysostomus hic interpretatur rem ineffabilem, mirabilem, occultam, ignotam. Plerique obseruant, capi hoc loco, pro magno, mirabili, arcano Dei consilio, prouidentia, ordinatione, iudicio.

Ut non sitis vobis ipsis sapientes. Græca, *ut non sitis apud vos ipsos prudentes*, vel, *ut non sitis apud vos ipsos elati animo*, seu arrogantes. Id est, ne sitis insolentes, & elatioris animi, quasi dicat, ne vobis nimium sumatis, quasi vos soli electi, Iudæi verò in sempiternum reiecti. Vel, Aperimus, patefacimus vobis mysterium quod vos latebat, ne putetis vos omnia scire. Mysterium hoc est.

Cecitas ex parte contigit in Israël, cecitas, possis ex Græco reddere, *obduratio, callum*, ut duriciam & obstinationem Iudæorum perstringat, *ex parte*, id est, non omnes Israëlitarum cæci & increduli: sed pars tantum eorum: multi enim crediderunt, & credent. Ita S. Augustinus Epistola 59. ad Paulinum, Origenes,

S. Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, S. Thomas, & plerique recentiorum, Soto, Gagnæus, Treius, Titelmanus, Scaynus, Toletus, Pererius, Estius Iustinianus, Cornelius à Lapide. At Ambrosiaster, Caietanus, Guillaudus illud, *ex parte*, ad tempus referunt: & pro interim positum putant: id est, non perpetuo Israël excæcatus manebit, sed aliquo tempore, nempe interim, dum plenitudo gentium intraret. Sic cap. 15. v. 24. *si vobis primum ex parte*, id est, tantisper, fructus fuero, neque enim parte illorum tantum frui cupiebat.

Donec plenitudo gentium intraret. Græca, *intret*, id est, donec plenus & integer numerus à Deo prædestinitus, eorum qui ex Gentium Christo credituri sunt, intret in Ecclesiam, nomen det in religionem Christianam, Evangelio suscepto. *Plenitudo gentium.* Hebraica phrasis, id est, abundantia, copia, multitudo, Vniuersitas gentium. Imitatus est proculdubio Paulus illud Genes. 48. v. 19. *Et semen eius crescet in gentes.* Hebraice, *Et semen erit plenitudo gentium.* Sic Galatas 4. vers. 4. *At ubi venit plenitudo temporis.* id est, plenum & totum tempus præordinatum à Deo. Itaque 31. v. 4. *multitudo pastorum.* Hebr. *plenitudo, vniuersitas, pastorum.* Ambrosiaster, *copia gentium.*

Et sic omnis Israël saluus fieret, Græca, *fiet.* Dilucidior est sensus Græcorum: *donec plenitudo gentium intret: & sic omnis vel totus, Israël saluus fiet.* Ac si dicat: Tandiu major pars Iudæorum manebit in excæcatione perfidiæ, quamdiu non fuerit prædicatum Evangelium cunctis nationibus, & quamdiu non fuerit expletus numerus eorum, quos ex Gentibus præfinitus Deus in Ecclesiam suam asciscere: quando verò numerus credentium ex gentibus fuerit completus, & omnes Gentiles, quotquot credituri sunt, in Ecclesiam intrauerint: tunc Iudæi credent & ipsi Evangelio, & saluabuntur. Interim dum Ecclesia & Religio Christiana per Omnes orbis nationes propagatur, reiectos & repulsos Deus Iudæos habet: ac cum omnes gentes, quas Deus præordinauit credituras, ad Christum accesserint: accedent & tunc quoque Iudæi. At cum certum sit, plenitudinem Gentium, non ingressuram in Ecclesiam nisi prope finem sæculi, & aduentum Antichristi, siquidem lib. 4. abundè docuimus, certissimum signum aduenientis Antichristi, & imminentis rerum finis, futuram Prædicationem Evangelij per omnes mundi gentes & regiones: ita quoque dicendum Iudæos non nisi in fine sæculi, postquam Evangelium cunctis Gentibus prædicatum fuerit, ad Christum accessuros: iuxta præclarum istud Pauli Vaticinium S. Chrysostomus: *Quando verò plenitudo gentium intrauerit, inquit, tunc Omnis Israël saluus erit: circa tempus, videlicet secundi, aduentus, Christi, mundique consummationem.* Theodoretus: postquam enim gentes prædicationem susceperint, illi Iudæi etiam credent, cum insignis ille Elias accesserit, & illis fidei doctrinam attulerit.]

Quod verò ait, *Omnis*, seu totus Israël saluus fiet. Dubitationem ingerit, num extremo mundi tempore, quotquot tunc Iudæi reperientur, sint credituri, & salutem adepturi: quod verba Pauli indicare videntur, sed de hac re disquiremus accuratè cap. 17. Modò certissimum sit ex verbis Pauli, tunc in fine mundi vberem, ingentem, plenissimam copiosissimam futuram Iudæorum ad fidem Christi accessionem.

Secundum Evangelium quidem inimici propter vos. Variè exponunt. Primo, Quod attinet ad Evangelium ab illis nunc reiectum & repudiatum, inimici sunt Deo, eos Deus interim exosos habet, propter vos, ob vestram vtilitatem, & salutem: ut vos ea occasione fidem recipiatis, & in locum eorum substituantur.

Attuamini in Ecclesia. Ita Ambrosiaster, S. Thomas, Strabus, Gagnæius, Guillaudus, Adamus, Sa, Estius, Iustinianus, Cornelius, Mariana, Toletus. Vt sit illud Actorum 13. v. 46. *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos indicatis æterna vitæ, ecce conuertimur ad gentes.* Secundo, Facti sunt Deo inimici, & contumaciores, eo quod viderint Euangelium vobis gentibus annuntiari: indignè ferunt, inuidia & rabie rumpuntur, quod vobis veri Dei cognitio proponatur. Semper enim Iudæi Gentes pro abominandis, ac Deo inuisis habuerunt: salutem enim & Messiam solis ipsis deberi. Ita S. Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, Lyranus. Eò quoque tendunt Origenes, Pelagius, qui nomine S. Hieronymi circumfertur, & Sorus.

Secundum electionem autem charissimi propter patres. q. d. Tantus fuit priscorum Hebræorum patrum apud Deum meritorum respectus, tantus amor Dei erga illos: tanta ipsorum apud Deum gratiæ commendatio: vt propter eorum excellentia benemerita voluerit Deus Iudæos in fine mundi ad Ecclesiam adducere ac saluare. Atque ita ab æterno decreuerit meritis sanctorum Patrum Iudæorum fidem & salutem consummare: meritum autem intellige rite, de congruo, vt Theologi loquuntur, non de condigno: nam S. Thomas 3. Parte, Quæst. 1. Articulo 3. ad 4. docet Deum ab æterno etiam prædestinasse salutem alicuius per alterius merita adimplendam. Melior autem sententia Interpretum docet, loqui hinc S. Paulum de ipso Iudæorum populo vniuersè, secundum varias rationes: eos consule.

Sine penitentia enim sunt dona, & vocatio Dei. Id est, non penitebit Deum sui decreti & consilij, quo statuit vocare & saluare Iudæos in fine mundi: hoc suum donum gratiam, & beneficium erga Iudæos non mutabit, aut interuertet, semel susceptum consilium numquam mutat Deus more humano, 1. Regum, 15. v. 29.

Atqui Ecclesiæ Patres & posteriores consensum suum ac traditionem, Iudæos in fine mundi conuertendos ad fidem, ex prædictis duobus Oseæ & Pauli Oraculis, quæ exposuimus, potissimum accepisse, non est dubium. S. Hieronymus in 3. Oseæ, *Subuerso enim templo, & incensa Ierusalem, nec sacrificium, nec sacerdotium Iudaica gens exercere potest. Et sine Ephod, & sine Theraphim, id est instrumentis sacerdotalis habitus. Hac est cecitas, quæ ex parte accidit Israël, vt subintraret plenitudo gentium: & tunc omnis Israël saluus fieret. Et multo post tempore reuerteretur, & quærent Dominum Deum suum, Et Dauid regem suum, qui de Dauid stirpe generatus est, &c.*] Et in Matthæi 1. *In fine mundi Iudæi fidem suscipientes illuminabuntur.*] S. Chrysostomus Homilia 19. in 11. ad Romanos, ad illa verba Pauli, *quanto magis plenitudo illorum, inquit: Perpende quid futurum sit, quando conuersi fuerint. Non enim dicit, Quamò magis conuersio ipsorum, aut immutatio ipsorum: sed, quanto magis plenitudo ipsorum. Hoc est quando vniuersi ad fidem accesserunt. Hoc verò dicens, ostendit tunc plus fore gratiæ, donique Dei, ac prope totum.*]

S. Augustinus lib. 28. de Ciuitate Dei cap. 28. *Istos carnales Israëlitas, qui nunc nolunt credere in Christum, postea credituros, id est, filios eorum, (nam vique isti in suum locum moriendo transibunt) idem Propheta Oseas testatur, dicens: Quoniam diebus multis sedebunt filij Israël sine rege, sine principe, sine sacrificio, sine altari, sine sacerdotio, sine manifestationibus. Quis non videat nunc sine istis esse Iudæos? sed quid adiungat, Videamus. Et postea, inquit, reuer-*

rentur filij Israël, & inquirent Dominum Deum suum, & Dauid regem suum: & stupefcent in Domino, & in bonis ipsius in nouissimis diebus. Nihil est ista prophetia manifestius, quæ Dauid regis nomine significatus intelligitur Christus.]

S. Gregorius Magnus lib. 2. in Iob cap. 22. *sed numquid hanc Synagogam omnino Deus deseruit? Et ubi est, quod per Prophetam dicitur: si fuerit numerus filiorum Israël quasi arena maris, reliqua salua fient? ubi est, quod scriptum est, donec plenitudo gentium intraret: & sic Omnis Israël saluus fieret? Erit ergo quandoque conspicuus, vt etiam Synagoga appareat. Erit in fine mundi proculdubio, quando gentis suæ reliquiis semetipsum sicut est, Dominus innotescet.*] Et lib. 35. in Iob cap. 9. *Sancta quippe Ecclesia etsi multos nunc percussione tentationis amittit, in fine tamen huius sæculi ea, quæ sua sunt, duplicia recipit, quando susceptis ad plenum gentibus, ad eius fidem currere Omnis, quæ tunc inuenta fuerit, etiam Iudæa consentit. Hinc namque scriptum est, Donec plenitudo gentium introierit: & sic omnis Israël saluus fieret. Hinc in Euangelio quoque veritas dicit: Elias veniet, & ille restituet omnia. Nunc enim amisit Israëlitas Ecclesia, quos conuerrere prædicando non valuit: sed tunc Elia prædicante, dum quotquot inuenerit, colligit, velut plenius recipit, quod amisit.*]

Et paulo inferius: *Tunc, in fine sæculi, quando ex plebe Iudaica, quotquot inuenti fuerint, conuertentur.*] Hæc omnia latius persequitur sequenti cap. 10. & in 4. cap. Canticorum.

Andreas Cæsariensis Episcopus in 7. Apocalypsis: *sive quod nobis verosimilius sit, ex eorum, qui sub sæculi consummationem ex Iudæi per fidem saluabuntur: quando nimirum iuxta Apostoli sententiam, post gentium multitudinem ingressam, omnis quoque Israël saluus fiet.*]

CAPVT XV.

Ostenditur ex verbo Dei, Iudæos in fine sæculi conuertendos ad Christum prædicatione Elia Propheta.

Primus locus, Ecclesiastici 48. v. 10. de Elia Propheta: *Qui scriptus es in Iudiciis temporum lenire iracundiam Domini: conciliare cor patris ad filium: & restituere tribus Iacob.* Loqui Ecclesiasticum de Elia Thesbite propheta in propria ipsius ac reali persona, lib. 10. cap. 11. palam ostendimus: nam Nouatores, qui ad Ioannem Baptistam historicè detorquent, magnificè cæcutiunt: quia nesciunt, aut credere nolunt Eliam re ipsa venturum in fine sæculi ad prædicandum contra Antichristum, & reducendum Iudæos ad fidem. Variabant olim exemplaria, quædam *in scriptis*, alia *scriptis* habebant: sed Xysti & Clementis emendatio iam scriptis præferunt. Hoc est, vt Iansenius, Franciscus Lucas, & Sa, exponunt, qui prophetis in libris scriptus es, leniturus iracundiam Domini &c. Vel, Tu, es, de quo scriptum est, quòd sis leniturus iracundiam Domini, &c. in iudiciis temporum, anceps quondam erat lectio. Franciscus Lucas octo vetustissimos ostendebat codices vulgatæ Editionis, in quibus legebatur *iudiciis*: qua ratione Henteniana & Plantiniana Biblia legebantur. Inuenta sunt alia multa, etiam antiquissima exemplaria, quibus adscripta sunt Regia, quæ *iudiciis* retinebant, quæ lectio probata est in nouissima Xysti v. & Clementis vii. editione, ac propterea præferenda. Verum hunc locum variè ex Græco reddunt. Vatablus, seu potius Robertus Stephanus, aut Leo Iudas, in Editione

Editione salmanticensi : *Qui ad reprehensiones certis temporibus designatus sis , ad pacandam iram diuini iudicii ante furorem.* In Sanctandreana verò, seu Commeliniana : *Qui ad reprehensiones temporibus certis adhibendus scriptus es : ad sedandam iram iudicii diuini, priusquam exardesceret , vel , Qui conscriptus [idest, destinatus, ac constitutus] es ad correptiones ad tempora, ad placandam iram iudicii Domini ante indignationem, idest, antequam ad vindictam progredieretur.* Sebastianus Castalio : *Reprehensionibus in certa tempora destinatus es, ad sedandam iram iudicii Domini antequam sauiatur.* Græca in Regiis Bibliis : *Qui scriptus es ad correptiones in tempora, ad leniendam iram iudicii Domini ad furorem.* Camerarius : *ad sedendam iram iudicii Domini exardescentem.* Franciscus Iunius : *ut sedares iratum iudicium Domini furore coniunctum.* Drusius : *Qui per scriptus es ad redarguendum in opportuna tempora, ad sedandam iram diuini iudicii ante furorem.* Græca mutant, de quibus consule Drusium, & Franciscum Lucam.

Ergo quod Noster habet, *qui scriptus es in iudiciis temporum lenire iracundiam Domini* : hanc iuxta Græca habet aptam interpretationem, de quo scriptum est, vel qui destinatus, per scriptus es, quod futuris temporibus, in iudiciis, redargutionibus, reprehensionibus correptionibus, admonitionibus, conuincendo Iudæos, sis eos ad veram fidem reducturus, & ea ratione iracundiam Domini aduersus eos propter incredulitatem accensam leniturus. Vnde Græca aptè reddi possunt, *ad conuersiones, ad conuincendum, scilicet, Iudæos, ad tempora suprema sæculi.* Aut, *in iudiciis temporum, hoc est, disposito, præscripto, & præfinito à diuino iudicio & consilio, tempore, nempe in fine sæculi, lenire iracundiam Domini* : quia nunc Deus Iudæis ob eorum obstinatam perfidiam iratus : tunc irasci desinet, Elia eos ad Fidem Christi conuertente, & ea ratione placante iram Dei.

Franciscus Lucas, quia verbum *ἐλέγχειν* interdum significat conuincere, certis argumentis probare, ostendere, demonstrare, manifestare : putat rectè posse reddi : *Qui scriptus es in ostensionibus, vel manifestationibus temporum &c.* Hoc est, Qui propheticis in libris scriptus es, Domini iracundiam in nouissimorum temporum ostensione leniturus. Vel, Qui destinatus es, cum manifestabuntur signa nouissimi temporis, ad leniendum iracundiam Domini.

Conciliare cor patris ad filium & restituere tribus Iacob. Non potuit sapiens Iesus clarius exprimere, vbinam hæc præclara de Elia scripta essent in Propheticiis vaticiniis : nam disertissime ipsamet verba & oraculum Malachiæ 4.v.5. de Elia, iuxta Lxx. translationem, recitauit : nec mirum, si Iesus Siracides fuit vnus de Lxx. Interpretibus, vt lib. 10. cap. 1. notabamus. Sed sublimem emphasim ea oratio habet : *restituere tribus Iacob.* Idest, Amisissas, deperditas, ablatas, collapsas à vetere, veraque patrum fide ac religione Iudaicas tribus in pristinam & auitam pietatem restituet : per cæcitatem restituet : per cæcitatem, & perfidiam fractas, distractas, dissipatas, ostensa fidei luce, redintegrabit. Verum vtrumque quod hîc Siracides de Elia pronunciat, in verbis Malachiæ, & Christi Domini, statim elucidabimus.

Secundus locus, Malachiæ 4.v.5. *Eccc ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis. Et conuertet cor patrum ad filios & cor filiorum ad patres eorum : ne forte veniam, & percutiam terram anathemate.* Vaticinari Malachiam de Elia Thesbite propheta in propria persona venturo, præcurso secundi aduentus Domini, iam lib. 10.

cap. 11. solidè demonstraui. Sed illud, *Et conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum.* Varias fert interpretationes.

Primo, cor patrum, hoc est mentem, fidem, religionem antiquorum patrum Abraham, Isaac, Iacob, Prophetarum, & sanctorum populi Israëliti, qui in verum Deum, eiusque Filium Iesum Christum, conuertet, reducet, immittet in filios, nempe Iudæos, qui ex eorum sanguine prognati sunt, quique temporibus extremis mundi existent : & conuertet vicissim cor filiorum ad patres eorum, idest, efficiet, vt Israëlita qui eo erunt tempore, consentiant, & adhærescant, menti ac fidei patrum illorum sanctorum veteris Testamenti, qui fuerunt ipsorum progenitores. Ita S. Hieronymus in 4. Malachiæ, S. Augustinus lib. 20. de Ciuitate Dei, cap. 29. S. Gregorius lib. 11. in Iob, cap. 9. Haymo, Remigius, Strabus, Rupertus, Lyranus, Vatablus, Ribera, Sa, Castrus, Mariana. Secundo, Cor patrum, idest, Iudæorum ad filios, id est, ad Apostolos & Christianos, quod ij à Iudæis tanquam à Patribus sint propagati : nam primitiæ Christianorum Apostoli ex Iudæis fuerunt, ex Apostolis cæteri Christiani religione deriuantur : & cor filiorum, nempe Christianorum ad Iudæos : nimirum vt Iudæi credant filiis suis Christianis : & Christianorum mens, animus, fides, religio illabatur in Iudæos. Ita S. Chrysostomus & Euthymius in Matthæi 17. Theodoretus in 4. Malachiæ, Victorinus in Apocalypsim, S. Damascenus lib. 4. de Fide Orthodoxa, cap. 27.

Tertio, cor Patrum ad filios idest, vt Patriarchæ ac Prophetæ, & sancti veteris Testamenti reconcilientur Iudæis, quibus modo ob incredulitatem infensi sunt : & Iudæi vicissim redeant in gratiam & beneuolentiam Patrum : nam quandò per Eliam conuertentur, eos Patres amabunt gratos & charos habebunt : eritque inter vtrosque mutua reconciliatio, & concordia animorum. Ita S. Hieronymus in 4. Malachiæ, S. Augustinus lib. 20. de Ciuitate Dei, cap. 29. S. Beda in 1. Lucæ, Palatius in 4. Malachiæ, Iansenius in 2. cap. Concordiæ Euangelicæ.

Quarto, vt coniunctim intelligatur, conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres, hoc est, vt Iudæi qui extremo mundi tempore erunt, tam patres quàm filij simul in vnum cor, mentem, & sensum, conspirent, vnam fidem & religionem Christi omnes amplectantur, & sit illis omnibus vnum cor & anima vna in Domino. Nimirum ne tunc inter patres & filios sint dissidia religionis : sed vt tam patres quàm filij, vno corde, animo, consensu vnam Christi religionem suscipiant & colant. Ita Vatablus, Montanus, Figuerius, Mariana, in 4. Malachiæ, Maldonatus in 1. Lucæ v. 17.

Hebræi quoque mirificè locum interpretantur Rabbi Scelomoh, ex sententia Rabbi Manahem, ita exponit : *Et conuertet cor patrum ad Deum sanctum benedictum, cum filiis, idest, per manus filiorum, seu opera filiorum. Dicit filiis more dilectionis & beneuolentia : venite, & loquimini ad patres vestros, vt apprehendant vias Dei. Et consimiliter, & cor filiorum cum patribus.* Additque antiquos Hebræos hunc locum de pace mundi explicasse.

Aben-Ezra hæc habet : *Et conuertet cor patrum ad filios, iuxta illud 1. Paralipom. 12. v. 17. si pacifice venistis ad me, ad auxiliandum mihi, erit mihi super vos cor in vnum, vel insimul pariter. Erunt omnes cor vnum, seu cordis vnus ad reuertendum ad Dominum, tam patres, quàm filij, antequam veniat dies ille magnus.]*

Kimchi verò ita explanat : *ipse Elias admonet, & exhortabitur patres & filios pariter, vt reuertantur in*

toto corde ad Deum : & qui reuerſi fuerint , liberabuntur à die iudicii : & id eſt quod ait : Et conuertet cor patrum ad filios , ideſt , cum filiis . Et conſimiliter : cor filiorum ad patres eorum , ideſt , cum patribus eorum , quaſi dicat , Patres & filios ſimul .]

Hebræa ex verbo habent : Et reuerſi faciet cor patrum ſuper filios , & cor filiorum ſuper patres eorum . Verbum H E S I B in Hiphil quod hîc ponitur , omnia iſta complecti poteſt , reducet , reſtituet , referet , reuocabit , reddet , conuertet . Eſt verbum interdum pœnitentiale , quod pœnitentiam reſipſcentiam , conuerſionem mentis , & contritionem ſignificat , deuteronom. 30. v. 8. & Ieremiæ 5. v. 3. quod hîc mirè congruit , de conuerſione , pœnitentia , reſipſcentia Iudæorum in fine mundi , quando reliſta perfidia , veram fidem ſuſcipient . Hebræi illud , ſuper filios , ſuper patres interpretantur , cum filiis cum patribus , ita enim particula G H A L ſumi ſolet interdum , vt Exodi 35. v. 22. viri ſuper mulieres , vel cum mulieribus , præbuerunt . Deuteronom. 22. 6. non tenebis eam ſuper filios , ideſt cum filiis .

Tertius locus , Matthæi 17. v. 11. Elias quidem venturus eſt primum , & reſtituet omnia . De vero Elia Theſbite propheta in ſua perſona venturo , præcurſore ſecundi aduentus Chriſti , loqui Dominum lib. 10. cap. 11. abundè comprobauimus . At quid illud eſt , & reſtituet omnia . S. Auguſtinus , S. Beda , Strabus exponunt , reſtituet mortem , quam huc uſque differt . Exilis ſenſus . Idem S. Auguſtinus de conſenſu Euangelistarum lib. 1. cap. 21. Reſtituet omnia , ideſt perturbatos Antichriſti perſecutione in fide ſolidabit . Maldonatus , Reſtituet omnia , quia ſignum reſtitutionis omnium , ideſt , conſummationis ſæculi futurus eſt , ſenſus alieniſſimus .

Sed non eſt dubium , his verbis Dominum nihil aliud voluiſſe dicere , niſi quod Eccleſiaſticus dixit , conciliare cor patris ad filium & Reſtituere tribus Iacob . Vt inde intelligamus etiam Chriſtum diuinam Siracidis auctoritatem ſuo quoque teſtimonio comprobafſe , Siracidem verò ſuis verbis nihil aliud expreſſiſſe , niſi ipſiſſimum Malachiæ vaticinium : & conuertet cor patrum ad filios : atque Malachiæ , Eccleſiaſtici , & Chriſti , vt ſunt eadem verba de eodem Elia , ita eundem omnino eſſe verborum intellectum : nempe Eliam venturum in fine mundi , & conuerſurum , reducturum , reuocaturum , reſtituturum Tribus Iacob , Iudæos & Iſrælitæ ad veram agnitionem , fidem religionem Chriſti . Ita hunc locum explanauere , Origenes , S. Hilarius , S. Chryſoſtomus , S. Auguſtinus , S. Beda , Zacharias Chryſopolitanus , Strabus , Theophilactus , Euthimius , Lyranus & innumeri alij recentiores : atque etiam S. Gregorius lib. 35. in Iob , cap. 9. verum notamus Chriſtum emphaticè dixiſſe , Reſtituet omnia . Vt indicaret , ingentem tunc futuram Iudæorum conuerſionem per Eliam : tuncque Eliam futurum magnū Eccleſiæ coriphæum & anteſignanū : etſi quæ in Eccleſia , loco mota , immutata , collapſa , aut quouis modo læſa fuerint , aut deprauata , in moribus , abuſibus , aut ſecius introducta , reſecturum , inſtauraturum , reſtituturum : ad hæc pacem & concordiam inter Gentilem & Iudaicum populum tantopere diſcordes conſtituturum , vt vno fœdere in eandem coëant Chriſti religionem : Apoſtolicoque ſuo illo Zelo & prudentia omnia ad auitum illum & primum genitum nitorem ac ſplendorem , qualis tempore Apoſtolorum & Apoſtolicorum fuit Eccleſia , reducturum .

* *

CAPVT XVI.

Traditio Patrum ac posteriorum , Iudæos circa finem ſæculi conuertendos ad fidem Chriſti , prædicatione Henoch & Elia .

SANCTUS Hilarius Canone 17. in Matthæum : Reſpondet Dominus , Eliam eſſe Venturum , & reſtituere vniuerſa : ideſt , reliquum quod deprehenderit ex Iſræel , ad cognitionem Dei reuocaturum .] Et canone 26. Quia pars Iudæorum , vt per Apoſtolos credidit , ita per Eliam eſt creditura , & iuſtificanda per ſidem eſt .]

Auctor nomine S. Hieronymi in Pſalm. 20. anarrans illud , In reliquis tuis præparabis vultum eorum , inquit : Per Eliam , & Henoch credituri ſunt Iudæi in fine mundi . Præparabis vultum eorum ad te credentium : vt illud , vt conuertat corda patrum in filios .]

S. Chryſoſtomus Homilia 58. in Matthæum : Malachias propheta dicebat : Mittam vobis Eliam Theſbitem , qui reſtituet cor patris ad filium . Quod dixit , vt expreſſè ſignificaret , ante illum aduentum , quo iudicium exercetur , Theſbitem eſſe Venturum : cauſam quoque cur Venturus ſit , docuit . Quanam verò cauſa eſt ? vt Iudæis credere in Chriſtum perſuadeat , ne omnes illo adueniente penitus perdantur . Quam rem ipſe in memoriam reducens , inquit : & reſtituet omnia incredulitatem ſcilicet Iudæorum , qui tunc erunt reſidui , ad fidem conuertet .] Et poſt alia : Quomodo igitur tunc credituri ſunt , inquit ? Siquidem Elias cuncta reſtituet , non modo ſanè quia notus , verum etiam quoniam uſque ad illum diem amplior magis atque amplior gloria Chriſti ſolaribus iam radiis erit fulgentior : ad qua omnia cum prædicatione illius accedat , ad Chriſti fidem impellens , facillimè ſuſcipient .]

S. Auguſtinus lib. 20. de Ciuitate Dei , cap. 29. Malachias ait : Et Ecce ego mittam vobis Eliam Theſbitem , antequam Veniat dies Domini magnus . & illuſtris : qui conuertet cor patris ad filium , & cor hominis ad proximum ſuum , ne forè veniens , percutiam terram penitus . Per hunc Eliam magnam , mirabilemque prophetam , expoſita ſibi lege ultimo tempore ante Iudicium , Iudæos in Chriſtum verum , ideſt , in Chriſtum noſtrum credituros eſſe celeberrimum eſt in ſermonibus , cordibusque fidelium . Ipſe quippe ante aduentum Iudicis Saluatoris non immerito eſſe ſperatur Venturus , qui etiam nunc viuere non immerito creditur . Curru namque igneo raptus eſt de rebus humanis , quod euidentiffimè ſancta ſcriptura teſtatur . Cum venerit ergo , exponendo legem ſpiritualiter , quam nunc Iudæi carnaliter ſapiunt , conuertet cor patrum ad filios . Et eſt ſenſus , vt & iam filij ſic intelligant legem , ideſt , Iudæi , quemadmodum Patres eam intellexerunt , ideſt , Propheta , in quibus erat & ipſe Moyses . Sic enim cor patrum conuertetur ad filios , cum intelligentia patrum perducetur ad intelligentiam filiorum : & cor filiorum ad patres eorum , dum in id quod ſenſerunt illi , conſentient & iſti .]

Theodoretus in 12. Danielis : Nam per Malachiam prophetam ad Iudæos Deus ait : Ecce ego mitto vobis Eliam Theſbitem , antequam veniat dies Domini magnus & illuſtris , qui conuertet cor patris ad filium &c. docet nos quemadmodum Antichriſto illa audente , apparebit magnus Elias Iudæis Domini prædicans aduentum : & multos conuertet : id enim ſignificat : conuertet cor patris ad filium . Ideſt , Iudæos

Judeos ad eos qui crediderint ex gentibus: hos enim vocauit patres, ut cognitione antiquiores. At qui crediderint propter magni Eliae predicationem, cum Gentibus missam sibi salutem corripientibus coniuncti, in unam censebuntur Ecclesiam. Hoc etiam hic innuit fore ut hac faciente Antichristo, sanctus Michael Archangelus omnia molietur, ut Elias adueniens Domini prænuntiet aduentum, quo Iudei, qui tunc extiterint, salutem consequantur.]

Et in 4. Malachiae: Ecce ego mittam vobis Eliam Thesbitem: qui conuertet cor patris ad filium, &c. Ne, inquit, vos omnes in infidelitate deprehensos, in perpetua supplicia relegem: prius veniet Elias, & meum aduentum vos edocebit: & vobis o Iudei inducet in animum, ut sine dubitatione cum gentium fidelibus coniungamini, & in unam redigamini meam Ecclesiam.]

S. Gregorius Homilia 12. in Ezechielem: sed quia Henoch & Elia predicante, multi ex iis qui tunc ex Iudaeis in infidelitate remanserint, ad cognitionem veritatis redeunt: sicut de eodem Elia dicitur, Elias veniet, & restituet omnia: tunc veluti in extremo os Prophetæ aperitur, cum in predicatione Henoch & Elia, Iudaeis ad fidem redeuntibus, prophetia sacri eloquii de Christo fuisse cognoscitur.]

S. Ioannes Damascenus lib. 4. de Fide Orthodoxa, cap. 27. At vero mittentur Henoch & Elias Thesbites, & patrum corda in filios, hoc est, synagogam ad Dominum Iesum Christum, & Apostolorum predicationem conuertent. Ab eoque, Antichristo, trucidabuntur.] S. Beda in 17. Matthæi: Elias omnia restituens ante diem Domini magnum venturus promittitur, ut corda patrum in filios conuertat, id est, ut Christo credant, & resistent Antichristo.] Et in 9. Marci: Traditio Phariseorum est iuxta Malachiam prophetam, quod Elias veniat ante aduentum Saluatoris, & reducat cor patrum ad filios, & filiorum ad Patres: & restituat omnia in antiquum statum. Restituet ergo omnia, primò videlicet corda hominum illius qui instituendo ad credendum Christo, ac resistendum perfidia Antichristi. Vide quæ in eandem sententiam ex eodem Beda citauimus lib. 10. cap. 14. Victorinus in Apocalypsim: Ait Dominus per Malachiam: Ecce ego mittam vobis Eliam Thesbitem conuertere corda Patrum ad filios, & cor hominis ad proximum suum: id est, ad Christum per penitentiam, conuertere corda patrum ad filios, secundum tempus vocationis, Iudeos ad sequentis populi fidem reuocare.] Ambrosius Ansbertus in 11. Apocalypsis: Tunc Iudaica plebs Antichristo adhaerebit, usquequo Henoch & Elia predicantibus, qui ex ea fuerint saluandi, reuertentur ad Christum.] Alcuinus lib. 3. de Trinitate, cap. 19. Sed ne tam immanis & crudelis Antichristi persecutio improuisa veniens, omnes minus paratos inuoluat, Eliam & Henoch maximos prophetas venturos esse, Ecclesia habet fides: per quorum doctrinam populus Israeliticus conuertetur ad fidem.] Ambrosiaster in 11. Apocalypsis: Constat Iudeos in fine mundi predicatione Eliae & Henoch ad fidem Christi esse conuertendos.]

Strabus in Romanor. 11. In fine seculi predicatione Eliae & Henoch conuertentur Iudaei. unde per Malachiam: Mittam vobis Eliam Thesbitem, qui conuertet corda patrum ad filios, & corda filiorum ad patres. Ut intelligant filij, ut patres, id est, ut Prophetæ intellexerunt.]

Theophylactus in 17. Matthæi: Dicendo Dominus, quod Elias venturus est, ostendit, quod nondum venit: in secundo autem aduentu veniens restitutus sit ad fidem Christi omnes Hebraeos, quas persuasibiles

Tom. II. de Antichristo,

inuenerit, quasi ad hereditatem paternam reducens omnes qui exciderunt.] Eadem ait in 9. Marci Euthimius in Matthæi 17. Posterioris verò Domini aduentus fiet praecursor Elias, de quo dicit Propheta Malachias Mittam vobis Eliam Thesbitem, qui restituet cor patris ad filium, hoc est, qui conuertet corda Iudeorum, qui tunc superfuerint ad Apostolos, ut obediant doctrinis eorum, credantque Christo.]

Eadem scribit in Marci 9. Ioannes Palæologus Imperator in Disputatione cum Xeno Hebræo, habita mense septembri, anno 1438. apud Georgium Phranzem in Chronico Orientalis Imperij, lib. 2. cap. 12. in hunc modum disserit: Venturum sanè Eliam Thesbitem & dicitur & creditur: non tamen ut Dominum vngat: sed quia futurum est, ut nascatur homo execrabilis ex gente Hebraeorum, ut quidam volunt, qui capiet omnem vim & operationem diaboli: & per eam signa & portenta efficiet, Deum sese, & Christum nominans: ut non solum multi tunc viuendum Christianorum, sed etiam quæ restabunt reliquia Iudaica gentis Antichristi illius imposturis transuersim abripienda sint: Venturos illo tempore aiunt Eliam & Henoch, à Deo misericordia viscera accipiente missos, ut doceant, & cum aliis, tum etiam infelicem Hebraeorum nationem ad Christum conuertant: aut quod idem est, ad sancta Trinitatis fidem redigant, ne tota à diabolo absorbeat. Quamuis enim propter necem Christo illatam, semet Dei, & Euangelij hostes fecerint: tamen propter charitatem Dei erga patres eorum, ab eo diliguntur. Quos igitur providentia diuina penitentiam plane aduersaturos nouit, eos deseruit: quos contra sacrosanctam Euangelij predicationem complexuros prouidit, eos non desepxit. Tunc ergo Isaia vaticinium implebitur, hoc scilicet, si fuerit numerus filiorum Israël super arenam maris, reliquia Israël saluabuntur. Et hanc ob causam Elias tunc à Deo mittetur, non ut vos iactatis, Messiam venturum.]

Addit his in eadem Disputatione Matthæus Hieromonachus, & magnus Protosyngelos: De secundo Christi aduentu Malachias loquitur: Ecce ego mittam vobis Eliam Thesbitem, indicans tempus, ait: antequam veniat dies Domini magnus & manifestus: alterius nimirum aduentus. Exponit præterea quid facturus sit Elias cum aduenerit. Et conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum. Quoniam enim patres Apostolorum Iudaei erant, hoc videtur dicere, conuersurum per doctrinam filiorum ipsorum, siue Apostolorum, corda patrum, id est, mentem, animumque generis Iudaici. Conuertet autem quos tunc inuenerit, ad bonam & probam Christi fidem, quasi ad paternam pietatis sortem, unde pridem per infidelitatem exciderunt.]

Nec opus est plura addere testimonia, quandoquidem hæc semper fuit constans, certa, indubitata in Ecclesia persuasio, ex diuinis scripturis, ex Patrum doctrina desumpta, Iudæos in fine mundi, per doctrinam & miracula Henoch & Eliae ad fidem Christi reducendos fore. Quod recentiores omnes, qui de Antichristi rebus perscripserunt, summo consensu docent. Vide Iosephum

Acostam lib. 3. de Nouissimis

Temporibus, cap.

10. 11. 12.

* *

Cc

NUMERUS

CAPVT XVII.

*Numerus Iudæorum qui tunc
conuertentur.*

Nonnulli Patrum & posteriorum indicare videntur, omnes quotquot tunc viuent Iudæi, nullo excepto, prædicatione Henoch & Eliæ conuertendos ad fidem Christi. S. Chrysostomus ad Romanos 11. *Vniuersi ad fidem accessuri sunt.* S. Gregorius lib. 35. in Iob, cap. 9 *In fine tamen huius sæculi ea, quæ sunt duplicia, Ecclesia recipit, quando ad eius fidem currere omnis, quæ tunc inuenta fuerit, etiam Iudæa consentit: tunc Eliæ prædicante, quotquot inuenerit, colliget.* Et paulo infra: *Tunc quando ex plebe Iudæica quotquot inuenti fuerint, conuertentur.* Primasius ad Romanos 11. *Cum plenitudo gentium crediderit, sic æstimantur in fine sæculi Iudæi, qui inuenti fuerint, credituri.*

Theophylactus in 9. Marci: *Elias enim restitutus est omnia: & non erit ultra incredulus Iudæus, sed omnes credent prædicationi, quotquot Eliam audierint.* Euthimius etiam in Marci 9. *Elias cum prius venerit, restituet omnia: hoc est veniet, & conuertet omnem Iudæum ad Christum. Itaque Elias Thesbites ante secundum Christi aduentum venturus est quando ij qui tunc erunt Iudæi, conuertentur ad ipsum.* Rabbanus Opusculo de Antichristo: *Duo propheta mittentur in mundum, Henoch scilicet & Elias qui contra impium Antichristum fideles Dei diuinis armis præmuniunt. Filios autem Israël, quicumque eo tempore fuerint inuenti, ij duo maximi Propheta & Doctores ad fidei gratiam conuertent: & à pressura tanti turbinis in parte electorum insuperabiles reddent. Tunc implebitur quod scriptura dicit: si fuerint numerus filiorum Israël quasi arena maris, reliquæ saluæ fient.*

S. Thomas in 11. ad Romanos: *Et sic omnis Israël saluus fiet: id est, non particulariter aliqui, sed vniuersaliter omnes.* Lyranus in Matthæi 17. *Elias quidem venturus est in fine mundi: & restituet omnia: quia omnes Iudæi, qui tunc inuenientur, ad Christum conuertentur.* Caietanus in Matthæi 17. *Elias quidem in propria persona venturus est prius, ut Malachias prophetauit, ante aduentum meum ad iudicium mundi: & restituet omnia. Israël, in prædam abducta ab Antichristo: quia tunc omnis Israël saluabitur reddet omnes fidei veri Messia: restituet omnia Israël, in prædam abducta ab Antichristo: quia tunc omnis Israël saluabitur: reddet omnes fidei veri Messia: restituet omnia in Israël, in regnum calorum reduciendo omnes illos.* Et in 11. Romanorum: *Et sic omnis Israël saluus fiet: non aliqui Israelite, sed omnis Israël, qui tunc inuenientur, saluus fiet.* Hanc sententiam amplectitur Viegas in 13. Apocalypf. sectione 16.

At non omnes tunc vniuersæ Iudæos credituros Euangelio, sed magnam eorum partem, plerique affirmant S. Hilarius Canone 26. in Matthæum: *Pars Iudæorum ut per Apostolos credidit: ita per Eliam est creditura.* S. Gregorius Homilia 12. in Ezechielem: *Hench & Elia prædicante, multi ex iis, qui tunc ex Iudæis in infidelitate remanserint, ad cognitionem veritatis redeunt.* Et rursum: *Erunt tunc multi ex Iudæis infidelibus, qui eosdem ipsos, qui ex Iudæis crediderint, persequentur.* Auctor Operis Imperfecti in Matthæum, Homil. 46. *Præ-*

decessores nostri exponunt, circa ipsum diem Iudicii & Resurrectionis, quosdam Iudæorum credituros in Christum. Occumenius in 11. Romanorum: *Et verè omnis Israël saluus erit: id est, plures auertentur quidem à peccatis, & conuertentur ad ipsum.*

Hanc sententiam amplectuntur plerique recentiorum, Pererius lib. 15. in Daniel. & in Romanor. 11. Ribera, in 3. Osee, Numero 26. Suarez Tomo 2. in 3. Partem, Disputatione 56. sectione 1. Acosta lib. 3. de Futuris Temporibus, cap. 12. Estius, Toletus, Iustinianus, Cornelius à Lapide in 11. Romanorum: Gaspar Sanctius in 12. Daniel. vers. primo: cui nos quoque libenter subscribimus. Maximum planè & ingentem futurum numerum Iudæorum, qui tunc Christo nomen dabunt: ac vberiore quàm retro vnquam perficiendam eorum ad Ecclesiam accessionem, propter diuina Oracula, & Patrum assertionem dubitare non possumus: at quod tunc omnes omnino sint credituri, vix sit verisimile.

Nam quod Paulus ait, *Omnis Israël saluus fiet.* Nimis est notum, vocem *omnis* in scriptura significare interdum, non Omnes simpliciter, nullo excepto, sed ingentem dumtaxat, & numerosam aliquam multitudinem: ac plerumque particulam esse hyperbolicam: vt 2. Regum, 16. 22. *ingressus est Absalom ad concubinas patris sui coram vniuerso Israël,* cap. 17. v. 11. *Congregetur ad te vniuersus Israël, à Dan vsque ad Beerfabe, quasi arena maris innumerabilis,* Ioann. 12. v. 19. *Ecce mundus totus post eum abiit: Sunt eiusmodi innumera in sacris libris exempla, vti te docebunt Kimchi, Sanctes, Forsterus in lexicis Hebraicis, in dictione 75 col, Galatinus lib. 5. cap. 4. Finis lib. 7. cap. 5. Vuesthamerus in Phrasibus scripturæ, Martinus Cantapetrensis lib. 6. Hypotyposeon, cap. 3. Sa, in Hebraïsmis.*

Deinde vocula *omnis*, aliquando non de singulis generum: sed de Generibus singulorum, dicitur: vt illud tritum, *Omne animal fuit in Arca Noë.* Sic illud Isaia 2. vers. 2. *& fluent ad eum omnes gentes.* Hoc est ex omnibus gentibus aliqui, vel plures. Sic in Paulo *Omnis Israël*, id est, ex omni Israele, ex omnibus tribubus Israël multi, vt statim dicemus. Denique cum ait Paulus, *Omnis Israël saluus fiet.* Possis rectè intelligere, omnis Israël prædestinatus, vel prædefinitus à Deo illo supremo tempore conuertendus. Nam eodem ductu ac tenore verborum præmiserat: *Donec plenitudo gentium intret: & sic omnis Israël saluus fiet.* At nullus est tam emotæ mentis, qui non cernat, plenitudinem gentium non intelligi à Paulo, omnes, nemine dempto, Gentiles: sed plenum numerum tantum eorum, quos Deus præordinauit ex Gentibus credituros, sic *Omnis Israël*, nimirum, qui scriptus est in libro vitæ. Atque sanè hic locus lucem accipit, ex alio consimili Daniel. 12. 1. vbi de Iudæis in sæculi fine, & tempore Antichristi saluandis, dicit Angelus: *In tempore illo saluabitur populus tuus omnis, qui inuentus fuerit scriptus in libro.* Vbi Theodoretus: *Hoc est, salute digni, Elia prædicationi obtemperaturi, quos Deus iam inde à principio præcognoscit. Dei quippe cognitionem librum nuncupauit.* Atque ita planè accipiendi videntur, Patres, qui scripserunt, omnes Iudæos, qui tunc viui reperientur, amplexuros fidem Christi. Omnes nimirum, præordinati à Deo.

Iam actiori studio perquirendum, quantus tunc sit

fit futurus numerus Iudæorum, qui Ecclesiæ Christi aggregabuntur. Origenes in 11. ad Romanos, latere id ait in arcanis diuini consilij, nec vllum hominum scire, nisi solum patrem, & vnigenitum eius; ac si qui fortè amici eius sunt interiores. Pererius lib. 15. in Daniele, annotauit, tantam credentium eius populi tunc futuram multitudinem, vt præ eorum, qui in impietate mansuri sunt, paucitate, rectè & verè dici possit Omnis Israël crediturus.

Sed expendendus est locus insignis Apocalypsis 7. v. 4. *Et audiui numerum signatorum, seruorum Dei nostri, centum quadraginta quatuor millia signati: Ex tribu Ruben duodecim millia signati: Ex tribu Gad duodecim millia signati.* Et sic deinceps de singulis tribubus duodecim Israëliticis: nam duodecim millia ex singulis duodecim tribubus conficiunt centum quadraginta quatuor millia. Et quamuis sciamus hunc seruorum Dei ex Iudæis sigillatorum numerum, variè ab Explanatoribus explicari, in tanta tamen Apocalypsis obscuritate, haud alienam illam interpretationem existimamus, quæ docet, Ioannem hic per numerum istum duodecim millium signatorum ex vnaquaque Israëlita tribu, intellexisse numerum Israelitarum, qui ex singulis tribubus, Danitica excepta, in fine mundi, prædicatione Henoch & Eliæ, Christianam religionem amplectentur, baptismo facto initiabuntur, & signo Crucis consignabuntur: è diametro Characteris Antichristi. Victorinus in hunc locum: *Ostendit Ioannes numerum ex Iudæis crediturum per Eliam.*] Andreas: *sine quod multò credibilis est ac nobis verisimilius sit, numerus est eorum, qui sub sæculi consummationem ex Iudæis per fidem saluabuntur: quando nimirum iuxta Apostoli sententiam, post gentium multitudinem ingressam, omnis quoque Israël saluus fiet.*] Et antea præmiserat: *Multò tamen rectius ad Antichristi aduentum locus hic refertur.*] Et mox: *Verumtamen aduentus Antichristi tempore maxime, vt ante quoque dictum est, hoc [nempe de myriadibus Iudæorum Christo creditum] Locum habebit, quando nimirum viuifica crucis signum fideles ab infidelibus decerner. Hi enim intrepide citraque vllum ruborem Christi crucis signaculum in conspectu impiorum deferent.*] Aretas: *Hac apertius tamen circa aduentum Antichristi contingent. Certe, vt dictum est tempore aduentus Antichristi signaculum Viuifica Crucis illustriores illos reddet, qui sancti Baptismatis super te notam, signumque gestarint.*]

Hanc expositionem sequuntur quoque Lyranus in cap. 12. Zachariæ, Hadrianus Finus lib. 7. Flagelli, cap. 28. Cælius Pannonius, Claudius à Monte Martyrum, Gagnæius, Ederus, Ribera, Melus, Pererius in hunc locum Apocalypsis 7. & quod potius est S. Chrysostomus, seu si quis alius est auctor, vetustus sanè ac eruditus, Homilia 12. in Marcum, elucidans locum Pauli Romanor. 11. hanc ipsam, quam diximus verborum Apocalypsis 7. interpretationem, comprobare videtur, cum ait: *Vbi hoc lectum est, quia in nouissimo saluabitur omnis Israël? Primum quidem ipse dicit Apostolus. Cum intraverit plenitudo gentium, tunc omnis Israël saluus fiet. Deinde dicit & Ioannes in Apocalypsi sua, de tribu Iuda credituri duodecim millia, de tribu Ruben credituri duodecim millia, & de reliquis tribubus eadem loquitur. Et sunt omnia, quæ credunt, centum quadraginta quatuor millia. Credituri ergo sunt Iudæi, sed in fine mundi credituri sunt.*] Sic ergo ex vaticinio Ioannis affirmare possumus, Iudæos, qui in fine sæculi ex duodecim tribubus Christo Credent, futuros

centum quadraginta quatuor millia signatorum, seu baptisatorum, ex vnaquaque tribu duodecim millia.

Plerique hic certum hunc numerum Centum quadraginta quatuor millium, pro incerto à Ioanne positum volunt, nimirum maximam aliquam Iudæorum multitudinem tunc ad Christum accessuram. Sed postquam certus & præfixus numerus hic verè & aptè subsistere potest, nihil opus est ad tropos confugere. Ribera, Melus, & alij dixerunt, hunc numerum præfixè futuram Iudæorum, qui eo tempore conuertentur ad Christum: nempe centum quadraginta quatuor millia. Nec paruus, inquit, hic numerus censi debet: si enim recordemur Israelitas Antichristum sectaturos esse, & adoraturos vt Messiam, potius mirabimur tot conuertere posse. Verum illud magis existimamus, Ioannem hic non descripsisse numerum omnium Iudæorum, vniuersè, qui tunc credituri sunt, quoniam is multò maior erit: sed eorum dumtaxat, qui post fidem Christi susceptam, pro ea ab Antichristo trucidabuntur, & nobile pro Christo martyrium consummabunt: nam ij certè illustres & præ cæteris nobiliores martyres erunt, quos Antichristus per omnia genera cruciatuum excarnificatos interficiet. Solos igitur Martyres Iudæos sub Antichristo prædixit Ioannes futuros centum quadraginta quatuor millia. Hanc fuisse sententiam Methodij Lyrani in 12. Zachariæ his verbis affirmat: *Sciendum, quod sicut dicit S. Methodius martyr, detecta falsitate Antichristi per Henoch & Eliam, Iudæi, qui prius adhaeserunt sibi, conuertentur ad Christum, fideliter parati pro eius fide mori, ita quod centum quadraginta quatuor millia coronabuntur martyrio ex omni tribu filiorum Israel, vt dicitur Apocalypsis 7.*] Eadem habet Hadrianus Finus lib. 7. Flagelli contra Iudæos, cap. 28.

Observantur insuper Ribera & Melus in 14. Apocalypsis, illos centum quadraginta quatuor millia Israelitas descriptos à Ioanne, futuros tantum eos, qui virgines & integri erunt ex vtroque sexu, tam ex gentibus quàm ex Iudæis, atque ab Antichristo propter confessionem nominis Dei mactabuntur: nempe descripsisse Ioannem certum & præfixum numerum cum Gentilium, tum Iudæorum fidelium, virginum & martyrum sub Antichristo: siquidem de eisdem ait Apocalyp. 14. v. 3. *Centum quadraginta quatuor millia: ij sunt qui cum mulieribus non sunt coniuncti Virgines enim sunt.* At cum Ioannes disertè dicat hos centum quadraginta quatuor millia futuros ex duodecim Tribubus Israel, determinatè recensens ex vnaquaque tribu duodecim millia signatorum: nescio quid opus est iis miscere Gentiles? vnde non absurdè forsan suspicabimur, illos centum quadraginta quatuor millia signatos, futuros pueros & puellas Israelitas, virgines, innocentes, baptisatos, & martyres, quos recens à piis parentibus baptisatos, sæua Antichristi persecutio crudeliter propter Christum interficiet. Nec planè quispiam mirabitur, tantum posse tunc numerum infantium ac puerorum Israelitarum baptisatorum & martyrum, reperi, si considerauerit, quàm immensa & immani colluie Iudæi tempore Antichristi ex variis mundi regionibus in Iudæam sint confluxuri. Atque hoc sanè vnum erit ex atrocioribus Antichristi sceleribus tot myriades innocentum trucidare. Nec tamen certum hunc numerum ita præstituimus, vt non plures paucioresue quam duodecim mille ex vnaquaque tribu Virgines & Martyres futuros

existimemus: nam facile putamus Ioannem maiores summas & iustas expressisse, minoribus prætermis.

Et rationi quoque consentaneum est, præter istos virgines & martyres futuros quoque alios innumeros Israëlitas, qui tunc ad Ecclesiam aggregabuntur: ex quibus etiam multi pro Christo sub Antichristo martyrium subibunt.

Sed cum Ioannes in enumeratione tribuum Israëlitis in fine sæculi saluandarum, omiserit tribum Dan, Ribera, & Melus in 7. Apocalypsis, nullum ex ea tribu tunc Christo crediturum, sed integram tribum Antichristo tanquam cognato & consanguineo adhæsuram. At nihil minus tunc aut credent, aut reputabunt Iudæi quàm illum, quem ipsi Messiam recipient, ex tribu Dan esse: cum ipsi certissimè Antichristum non ex ea tribu, sed ex tribu Iudæ expectent: nam si Antichristum ex tribu Dan ortum sciuisent, nequaquam ipsum pro Messia recepissent. Quo circa non dubitamus, multos quoque ex tribu Dan tunc Christi fidei adiungendos: cum hæc tribus etiam Israëlita chara & dilecta Deo sit propter Patres: sed Ioannem certo consilio inter saluandas eam non recensuisse, ut silentio suo indicaret, ex ea oriturum Antichristum, ut lib. 3. cap. 9. copiosè demonstrauimus.

Quamuis autem innumeri Iudæi Henoch & Elia prædicantibus & ingentia miracula patrantibus ad fidem conuertentur: plures tamen, sanctissimis illis viris ab Antichristo interfectis, cum viderint prodigia resurrectionis & glorificationis eorum, proculdubio credent, iuxta illud Apocalyp. 11. v. 13. *Reliqui dederunt gloriam Deo celi.* Hoc est conuersi sunt ad Dominum, uti annotauimus lib. 10. cap. 20. extremo. Denique interfecto, & in infernum fulminibus demerso Antichristo, plenissimè peragendam Iudæorum ad Christum conuersionem, facile arbitramur: siquidem viso exitio exercituum Gog & Magog, & horrendissimo Antichristi interitu, quæ lib. 12. & 13. describimus, Christi tunc gloria immensum coruscante: plures Iudæorum, qui illuc usque vel Antichristo credentes, vel in vetusta impietate obstinati durauerant, tandem Christo victori manus dabunt: uti annotatum est in Compendio Theologiæ, lib. 7. cap. 14. & à plerisque recentiorum, ut ab Estio in 2. Thessalon. 2. v. 8. viegas in 13. Apocalyp. sectione 16. Ista si minus placuerint, poterit quis haud incommode dicere, omnes Iudæos, qui digni salute diuino decreto erunt, conuertendos per Henoch & Eliam: nam eo tempore, quo se Antichristus Deum verum palam affirmabit, nomen Messie Iudæosque repudiabit: ipse spe delusi, monitis Henoch & Eliæ resipiscet.

At si curiosus aliquis roget, num plures Iudæi tunc sint conuertendi, quàm vnquam retrò: idest, an sit futurus maior numerus Iudæorum, qui tunc credent, quàm omnium qui à fundato Christianismo ad illud usque tempus Christo adhæserunt: haud facile rem expedierim. Nam alioqui scimus tempore Apostolorum dixisse Iacobum Actorum 21. v. 20. *Vides, frater, quot millia sunt in Iudæa, qui crediderunt.* Græcè, *quot myriades sunt Iudæorum, qui crediderunt.* Et quis nescit vnā myriadem decem millium numerum continere? Re tamen probè versata probabili coniectura non formidamus dicere, plus Iudæorum seu Israëlitarum, sub Henoch & Elia Christo aggregandum, quàm omnibus retrò temporibus ab exorto in terris Christiano nomine, ad illum usque diem. Nam cum scripturæ, Patrèsque clament, & rerum exitus doceat, Iudæos ob detestabile facinus

occisi ac repudiari Christi, atque ob alia eorum scelera, iusto Dei iudicio in perfidia & cæcitate manere, & in ea perseueraturos usque ad finem rerum humanarum: paucissimòsque intermedio tempore ad Christum accedere: sed tamen in fine mundi conuertendos, proculdubio de illa suprema ad fidem reductione quiddam præclarius ac magnificentius polliceri videntur: ut multo maiorem quàm vnquam antea eorum tunc futuram ad Ecclesiam aggregationem intelligamus.

CAPVT XVIII.

De statu decem Tribuum Israël à tempore earum vltimæ per Salmanasarem deportationis ad finem usque sæculi.

STatum duarum Tribuum Iudaicæ, ac Beniaminicæ, ut etiam leuiticæ lib. 3. cap. 11. & lib. 11. cap. 3. abundè descripsimus: nunc quia de istarum, & aliarum decem Israëlitarum in fine mundi ad Christum conuersione disseruimus, difficultatem ingerit, quod Ioannes distinctè ac seorsim enumeratis singulis Duodecim Tribubus, ex vnaquaque earum duodecim millia ad Christum in fine mundi conuertenda prædixit. Nam cum decem illæ Tribus Israëliticæ sempiterna captiuitate in Medos abactæ ac deperditæ fuerint, ut nihil de illis certi aut comperti tradi possit: difficile intellectu videtur, vnde illæ decem vel nouem Israëliticæ tribus exorientur, ut ex singulis millia duodecim Christo credant in fine sæculi. Proindè de his accuratè disquirendum.

Ante omnia, quàm primum schismate dissectum fuit regnum decem Tribuum à regno duarum, nempe à Iuda & Benjamin, quæ solæ manserant sub Roboam, reliquis in partes Ieroboam concedentibus: Leuiticam tribum statim transisse ad Iudaicam, 2. Paralipomenon, 11. v. 13. ita scribitur: *Sacerdotes autem & Leuitæ, qui erant in vniuerso Israël, venerunt ad eum [Roboam] de cunctis sedibus suis relinquentes suburbana, & possessiones suas, & transiuerunt ad Iudam & Ierusalem eo quod abieciisset eos Ieroboam & posterì eius, ne Sacerdotio Domini fungerentur.*

Ad hæc, multos etiam ex aliis tribubus se tunc ad duas contulisse, atque inter eas sedes suas fixisse, eodem cap. 11. v. 16. ita refertur: *Sed & de cunctis tribubus Israël quicumque dederant cor suum, ut quærent Dominum Deum Israël, venerunt in Ierusalem ad immolandum victimas suas coram Domino Deo patrum suorum Et roborauerunt regnum Iuda, & confirmauerunt Roboam filium Salomonis per tres annos: ambulauerunt enim in viis David Salomonis, annis tantum tribus. Sanè hoc asserit, sedes quidem potuisse in regno Roboami: sed non nisi tres annos, quibus pij fuerunt, Roboam regnum roborasse, & auxisse: nam postea à Deo cum Roboamo desciscientes attriti sunt cladibus à Sesac Egyptio Rege.] Et Iosephus 8. Originum, cap. 3. Ad hunc Roboam Ierosolymis degentem è tota Israëlitarum ditioe confluxerunt Sacerdotes & Leuitæ, quotquot è reliqua plebe erant, boni ac iusti, patrias suas relinquebant, ut Ierosolymis Deum colere liceret, offensi Ieroboami tyrannide, qui eos ad suarum vitularum adorationem vi adigere volebat. Quo factum est, ut Roboami regnum integro triennio talibus accessionibus cresceret.]*

Genebrardus lib. 1. Chronographiæ, pag. 155. Alij qui

qui pura religionis mutationem ferre non poterant secesserunt à Ieroboam, seque in nouas sedes trans Æthiopiam contulerunt: fortasse allecti veteri Æthiopum & regina Saba, cum suis maioribus federe & commercio. Vbi eos circumlui fluuio Sabbatico tanquam manibus, narrat Eldad Danius Hebraeus Historicus. Multi etiam ad duas tribus se receperunt, alij aliò.] De fluuio Sabbatico dicemus statim.

Insuper tempore Asæ regis Iudæ, nepotis, Roboam, plures ex decem tribubus, ad eum se recepisse, & duabus adhæsisse, 2. Paralipomenon, 15. vers. 9. ita narratur: Congregauitque Asa uniuersum Iudam & Benjamin, & aduenas cum eis de Ephraim & Manasse, & de Simeon: plures enim ad eum confugerant ex Israël, videntes quod Dominus Deus illius esset cum eo. Præterea regnante Ezechia, sub initia regni eius, cum ad Phasæ decem tribus inuitallet, & plerique ex tribubus Aser, Manasse, & Zabulon venissent in Ierusalem, ait scriptura 2. Paralipom. 30. vers. 25. Et hilaritate perfusa omnis turba Iudæ, tam sacerdotum & leuitarum, quam uniuersa frequentia, quæ venerat ex Israël: profelytorum quoque de terra Israël, & habitantium in Iudæ.

Verum Rex Assyriorum Salmanassar omnes tribus Israël euerso regno Samariæ, captiuas in Assyriam, & Mediam transtulit, vt latè scribitur 4. Regum, 17. v. 3. cap. 18. v. 9. Sed ante istam captiuitatem, multos è decem tribubus metu ingruentium bellorum solum vertisse, & ad duas alias profectos, Lyranus in 1. Paralipomen. 9. initio, Ribera in 1. Osee, Numero 105. & alij annotarunt. Non tamen est dubium, Israelitas, qui inter duas Tribus sedes habebant, simul etiam cum illis in exilium Babilonicum adsportatos à Nabuchodonosor, quando destructa vrbe & templo, tribum Iudæ, & Beniamim, atque Leuiticam in Babiloniam transtulit. At quando sub Zorobabel redierunt duæ tribus cum leuitica, reductos quoque plures ex præfatis Israëlitis, qui cum illis abducti fuerant, affirmant Rabbi Seelomoh in Nehemiam, & plerique Hebræorum, atque ex nostris S. Beda, & Lirani in Esdram, Vatablus in 1. Paralipomen. 9. v. 1. Genebrardus lib. 2. Chronographiæ, pag. 187. quod ex his locis scripturæ colligunt, 1. Paralipom. 9. v. 2. Qui autem habitauerunt primi in possessionibus & in urbibus suis, Israël, & sacerdotes, & Leuitæ, & Nathirai. Commorati sunt in Ierusalem de filiis Iudæ, & de filiis Benjamin, de filiis quoque Ephraim & Manasse. Nam loqui auctorem de prima habitatione post reditum ab exilio Babilonico, tametsi inficietur Caietanus: at consentiunt alij ferè omnes, & seorsim Theodoretus in hunc locum, Rursus Esdræ 2. v. 70. Habitaueruntque sacerdotes & Leuitæ, & Nathirai in Urbibus suis, uniuersusque Israël in ciuitatibus suis. Hoc est, aliarum tribuum Israëlitarum, qui cum ei de exilio ascenderant.

At quid actum sit de decem illis, vel potius nouem Tribubus Israël, quas Salmanassar captiuas duxit, scriptura 4. Regum, 17. v. 6. ita memorat: Anno autem nono Osee, cepit rex Assyriorum Samariam, & transtulit Israël in Assyrios: posuitque eos in Hala & in Habor, iuxta fluuium Gozan, in ciuitatibus Medorum. Eadem habentur cap. 18. v. 11. Iosephus atque Eusebius nihil amplius dicunt, quàm eas tribus in Mediam & Persiam, seu Medorum montes translatis. Scaliger libro 5. de Emendationibus Temporum, caput 8. hæc annotat. Constat autem ex sacris libris decem tribus à Salmanassare Assy-

riorum Imperatore in Cholchos & Iberos traditas. Colchi enim totidem & iisdem litteris חלח: chalach: Iberi autem חבור Chabor à scriptura vocantur: quibus in partibus cum ea colonia circumuisionem ad ætatem usque Herodoti retinissent, hinc ille scriptor atque, alij Greci ariolantur, eos ab Ægyptiis originem ducere.] Idem putat Drausus in Notis ad lib. 2. Historiæ sacre Seueri. Diximus nos multa de his decem tribubus (tribus) deperditis lib. 4. cap. 18. & lib. 6. cap. 30. in X. opinione, & cap. 32. in Mediam abductas & in ciuitatibus Medorum positas scriptura disertè affirmat: in Montes Medorum abductas Iosephus & Eusebius, atque alij veteres tradunt: cur igitur Scaliger hic & sono vocum Calchos & Iberos ariolatur? Immanuel Tremellius & Franciscus Iunius Chalach existimant Chalchitidem Mesopotamiæ: Chabor fluuium & oppidum in Acrabene Mesopotamiæ: Gozan Gauzanitidem, quam fluuius Chabores ab Acrabene determinat. Ptolemæo lib. 5. cap. 18. sed quam suauiter delirant! cum scriptura ea loca in Media collocet. Sed ij postea mutarunt & Chalach Calcinem Assyriæ supra Adiabensem sitam: & Chaboram regionem montanam Assyriæ, & Medis conterminam, de quibus Ptolemæus lib. 6. cap. 1. exposuerunt. Nehar-Gozan, quod Vulgatus dixit, Fluuium Gozan, volunt esse nomen regionis Mediæ Gelois, siue Gelonis conterminam, Vbi Margafos constituit Ptolemæus lib. 6. cap. 2. vnde & Gauzania oppido nomen fuit. Montes Mediæ insignes enumerat Ptolemæus lib. 6. cap. 2. Zagrum, Oruntem, Ianfonium. Fluuios, Cambylen, Cyrum, Mardum, Staonem, Charindam: inter vrbes, Zalacem, Aluacam, Gaalâ, Cluacam, quæ aliquam nominis similitudinem habent cum Hala, seu Chalach: item Gabrim, quæ vtrumque consonat cum Habor, seu Chabor. rursus Gauzaniam, quæ vox, alludit ad Gozan. Sed sunt meræ coniecturæ in profunda antiquitate.

Beniamin Tudelensis est qui horum locorum, & tribuum Israëlitarum in his degentium, seu exulantium maiorem notitiam, sed obscuram nihilominus attulit. Pag. 57. Itinerarij ait: Illuc [nempe à Chartis Mesopotamiæ, Abrahæ patria] profectis duorum dierum iter peragitur, usque ad locum, vnde fluuius erumpit, ab accolis Alchabor dictus, idem olim Habor appellatus, qui in Prouinciâ Madai, siue Mediam procurrit, inciditque in montem Gozen. Ibidem verò Iudæi circiter bis mille sunt. Hinc duo post iuina Nefibin siue Nisibis est magna vrbs, (vrbs) aquarum fluminibus abundans, in qua sunt Iudæi ferè mille.] Pag. 79. de rege Persarum: Extenditur verò huius ditio ab ostio fluminis Sumra usque ad Semarchoth [Semarchandam] Urbem, & fluuium Gozan. & ad regionem Ghisor, & ad vrbes Media, & montes Haphithon, & ad regiones illas optimas, vbi animalia aluntur, ex quibus myrrha soluta remittitur.] Et pag. 80. de vrbe Susis: Hinc ad Robad-Bar via itinera sunt, vbi etiam Israëlitarum viginti ferè millia habitant.] Pag. 81. de vrbe Ghaaria: vbi Israëlitarum quinque & viginti millia sunt. Estque initium uniuersitatum habitantium in montibus Haphithon, quas numero plusquam centum esse constat. Incipit verò his locis Media regio. Suntque ij ex prima captiuitate à Salmanassaro rege abducti: loquuntur autem Chaldaicè.] Et pag. 83. Gozen fluuium maximum propè urbem Dabasthan Ditionis Persicæ fuisse ait.

Et pag. 85. Ab hoc autem, quem descripsimus, monte Haphithon, decem itinera sunt ad Hbandam magnam, & Media regionis principem urbem: In qua Israëlitarum circiter quinquaginta millia sunt. Hinc quatuor

itineribus De Barzethaan distat, Vbi Iudæi quater mille secundum Gozen fluvium habitant. Inde vero septem dierum iter conficitur usque ad Asbahan metropolim Urbem maximam, duodecim milliarum spatium complexam, in qua Israhæitarum circiter quindecim milia sunt: quibus præest magnus Salom, à Capite Captivitatis huic universitati, & ceteris omnibus, quæ in Persidis Castellis habitant, Israhæitis præfectus. Hinc profectus quatuor itinera ad Siaphaz confecti urbem Persidis metropolim, atque adeo ipsam antiquissimam Persidæ dictam. Unde nomen toti regioni factum, in qua Iudæi decies mille ferè sunt. Ex Siaphaz itineribus septem Ginah urbs petitur, amplissimo loco sita, secundum Gozen fluvium ripam: in qua Iudæi circiter octo mille sunt. Huius regni extrema urbs Samarcheueh magna & celebris, à Ginah quinque dierum itinere seposita: ubi Israhæitarum quinquaginta milia sunt: quibus præest Magister Abdias Hanassi, in his multi sapientes, & divites sunt. Illinc in montes Nisbon Veni, qui fluviio Gozen defluenti imminet, atque Persidis regno adscribuntur: ubi multi ex Israhæitis sunt. Aiunt verò in illis Urbibus montium Nisbor quatuor tribus Israhæitarum habitare, à prima Captivitate, à Salmanassar Assyriorum rege abductas, videlicet, Dan, Zabulon, Asser, & Nephthali: sicut scriptum est: Et abduxit eos in Hbalabb, & Hbabor montes Gozen, montes Media. Horum regio ad viginti dierum iter protenditur, multis urbibus & castellis habitata: montana ferè omnis, quam ex altero latere Gozen fluvius alluit. Cultores autem ipsi nulli gentium ingo subsunt: sed à præfecto quodam reguntur, cui nomen nunc est Ioseph Armacala Levites. Sunt verò inter eos Discipuli sapientum: agros colunt, atque bella cum finitimis filiis Chus gerunt.] Sequitur narrare longam historiam seu fabulam de Israhæitis montium Nisbon, quam tu per otium vide. Atqui Benjamin, qui Pontificatu Alexandri III. & Imperio Friderici Aenobarbi, regiones illas inuist, multa eo Itinerario de Iudæis seu Israhæitis dispersis per orientem, præsertim in Persia & in Media describit: ex his etiam, quæ ex eodem hic retulimus, facile quis inuestigare queat fluvium Gozan, & urbes Hala & Habor, in quas scriptura memorat decem tribus eiectas.

Rabbi Scelomoh in 27. Isaia, scribit Decem tribus intra fluvium sabbaticum inclusas contineri. De fluviio sabbatico multa mentiuntur Iudæi, in Media plerique eorum collocant, eundemque cum fluviio Gozan faciunt, quo decem tribus cingi, & ne inde exeant, magno miraculo coerceri, fabulantur. Elias in Thisbi hæc habet: Sambation nomen est fluviij, de quo dicunt, quod per singulos dies hebdomadis tanto impetu currat, dempto sabbato, ut lapides magnos moueat, neque possibile, ut quis transeat, Cuius hanc ferunt esse causam, decem tribus illic captivitas detineri, ut non possint exire inde, nec sabbato, ne violent illud. Et Rambam, idest, Rabbi Mosch Ben Maïmoni scripsit hunc esse fluvium Gozan, quem sic appellatum esse volunt à verbo Goz, quod celerrimam translationem & ablationem significat. Cæterum sapientes eum vocarunt Sabbathon, ab eo quod cessat, siue quiescat in sabbato.] Hæc Elias.

Eldad Danus Iudæus circiter annum Domini 1238. libellum fabulosissimum scripsit de decem tribubus perditis partem earum collocat in Media & Perside: partim in Aethiopia: & eas, quæ sunt in Aethiopia, sabbatico fluviio circumflui scribit: Fluvius autem sabbaticus eas circumluit: quod scribitur de illis in Isaia: Dicite vinctis, Egredimini. Porro apud eas magna est auri & argenti copia, se-

runt linum, educant vermes sericos, conficiunt speciosissimas Vestes & tunicas, instar Egypticarum duplices, & semel atque iterum duplicatas, absque numero. Latitudo fluviij Sabbatici ducentorum est cubitorum circiter iactum arcus. Fluvius ille plenus est arena, & lapidibus absque aquis, sonitusque lapidum illorum perinde stridet, atque tonitru ingens, aut fluctus maris, & spiritus procellosus, noctu auditur sonus eius ad iter dimidiari die (dici.) Fluvius ille ex lapidibus & arena stridet totis sex diebus profectis: sabbatis autem quiescit, atque tranquillius est: statimque ascendit ignis per fluviij circuitum à vespere sabbati ad exitum usque: & tantam emitit flammam, ut nullus ad illum accedere possit, vel à semisse milliaris, quocumque tandem à latere. Ignis lambit quidquid circum radices egit, illud cum terra extrahens.]

Sunt hæc fabulis ipsis fabulosiora. De Fluviio Sabbatico vide Galatinum lib. 11. cap. 9. Fluvius Sabbaticus non in Media, non in Aethiopia, sed in Syria fuit. De quo Iosephus lib. 7. Belli cap. 24. Conspicit autem in itinere Titus fluvium cognitione dignissimum. Is fuit medius inter Arcas & Raphaneas Agrippæ regni civitates. Habet autem quoddam peculiare miraculum: nam cum sit, quando fluit, plurimus, neque meatu segnis; tamen interpositis sex diebus à fontibus deficiens, siccam exhibet locum videre: Deinde quasi nulla mutatione facta, septimo die similis exoritur: atque hunc ordinem semper eum observare pro certo compertum est: vnde etiam Sabbaticus appellatus est: à sacro Iudeorum septimo die sic denominatus.] Hunc locum mihi semper de mendo suspectum, reperi postmodum Casaubonum, qui eum paucorum verborum traiectione & nonnullorum adiectione emendaret. Sanè in verbis Iosephi, quæ descripsimus, satis aperte dicitur fluvium Sabbaticum totis sex hebdomadæ diebus deficere, cessare, exsiccari, non fluere: sabbato tamen, idest, septimo fluere, vnde dictum Sabbaticum: qua ratione verba Iosephi capit Iacobus Vitriacus in Ierosolymitana Historia, cap. 84. & omnes: quod sanè contra naturam vocis est: nam certè non sabbatizat, nec sabbatum agit, cum eo die non cesset. Atqui Plinius, & Hebræi omnes consentiunt, totis sex Hebdomadæ diebus fluere, septimo, idest, sabbato, deficere, & cessare: vnde merito dictus sit Sabbaticus, idest, septimo die cessans. Vnde Casaubonus in Baronianis Exercitationibus, Diatriba 20. Exercitationis 15. in hunc modum Iosephi locum restituebat: Nam cum sit magnus, quando fluit, feratque impetu non leni per spatium sex dierum: postea totus ab ipsis fontibus deficit, & die septima cessat, præbente alius locum oculis spectandum, qui est sicus: deinde quasi nulla facta esset mutatio, post diem septimam erumpit: atque hunc ordinem exactè semper ab eo servari, observatum est.] Plinius lib. 31. cap. 2. In Iudæa riuus sabbatis omnibus siccatur.] & de sabbati siccatione consentiunt omnes Hebræi.

Seuerus sulpitius libro 2. sacrae Historiæ, de decem tribubus à Salmanassare abductis: Decem vero tribus prius ductæ, per Parthos, Medos, Iudos, atque Aethiopes dispersæ, nunquam in solum patrum sunt regressæ, hodieque Barbararum gentium imperiis continentur.]

Eusebius in Chronico, Numero M D C L V I I I. Artaxerxes Ochus Apodasmo Iudeorum capta in Hircaniam accolæ translatos iuxta mare Caspium collocavit.] Hæc quidem in Eusebiano Chronico ex interpretatione S. Hieronymi ita leguntur: ut etiam in Chronicis Adonis, Freculphi, Mariani, Scoti: videtur existimasse.

stimasse S. Hieronymus, & alij cum illo *Apodasmōn* proprium nomen alicuius urbis ab Ocho captæ fuisse, unde captiuos Iudæos in Hircaniam transfulerit, sed errorem non primus animaduertit Scaliger, siquidem ante eum Pontacus aliquos id iam indicasse, docet. Scaliger Græca Eusebiana ita reddit: *Ochus Artaxerxes in Egyptum expeditionem suscipiens, partem quandam Iudæorum cepit, quibus in Hircania ad Caspium Mare sedes assignauit*.] De Apodasmō Suidas: *Apodasmōn, partem aliquam*.] Orosius lib. 3. cap. 7. transcribens Eusebium: *Tunc etiam Ochus, & Artaxerxes, post translatum in Egypto maximum, diuturnumque bellum, plurimos Iudæorum in transmigrationem egit, atque in Hircania ad Caspium mare habitare præcepit: quos ibi usque in hodiernum diem amplissimis generis sui incrementis consistere, atque exinde quandoque erupturos opinio est*.] Græcam vocem Eusebij Apodasmōn, plurimos, idest, partem quandam reddidit. Eos Iudæos, quos Ochus ex Egypto in Hircaniam transtulit, fuisse ex eorum genere, qui ad Egyptum post Cladem Ierosolymitanam sub Nabuchodonosoro, transmigrarunt, Ieremiæ 43. plerique existimant. Hos eosdem fuisse, quos Hebræi vocant Diasporam Mediæ, idest, Dispersionem Mediæ, Scaliger lib. 3. Isagogicorum Canonum, pag. 278. & in Eusebianis arbitratur. Ridiculè: nam Dispota Mediæ, sunt ex deportatione salmanassarica: quod poterat discere ex Beniamini Itinerario.

Recentissimus Hebræorum, qui de decem tribubus deperditis scripsit, David Pomarius, hæc de illis in Germine Davidis: *Proximis annis senex quidam Christianus sat bonæ mentis & fidei, ut apparebat, dicebat mihi, fuisse se in Media, & vidisse flumen illud Sambation, quod magno impetu fluit, ac vera esse, quæ de illo narrantur, ibique habitare innumerabile multitudinem Iudæorum. Atqui præter dicta, & ab illo quoque sene narrata, variis deinde modis habitasse alia non parua indicia de Iudæis intra flumen Sambation habitantibus. Venit mihi sapiens in animum, num Isachici & Zuthi, qui Caramaniam incolant desertam, corruptis vocabulis, sint Isachici ab Isaac, & Iudæi: verum abiici hanc opinionem quod bonus ille senex affirmaret, regionem illam, in qua habitant Iudæi, esse fertilissimam: & Paulus Orosius, scribat, Iudæos plurimos esse in Hircania ad Caspium mare. Porro Geographi tradunt, Hircaniam esse pro maiori parte plenam, solo vberem, quæ inter alias urbes habeat quandam nomine Samariam, cognominem illi, quæ quondam in Palestina decem tribuum metropolis fuit: ut sit verisimile Israëlitas amore antiquæ & nativæ patriæ, eius nomen in dispersione instaurare voluisse.*] Hæc miser Pomarius, solans suam captiuitatem.

Existit tamen hoc loco difficultas, num aliqui ex deportatione illa decem tribuum per Salmanassar, redierint aliquando in Ierusalem & Iudæam, antequam excinderetur à Romanis S. Beda in Nehemiam, Lyranus in 1. Paralipom. 2. Ribera in 1. Osee, Numero 98. existimant nullum ex illis abductis tribubus fuisse reuersum: sed eos omnes, hodièque in perpetuo exilio manere. Alij verò, quibus magis assentimur, cum Zorobabele nonnullos rediisse putant, ut Lyranus in Tobie ultimum, Palatius in Abdiām, Isidorus Clarius, Maldonatus, Castrus, Sancius, Cornelius à Lapide, Capella in Ierem. 50. v. 4. Et verò neque omnes vniuersè impios existimare debemus: extant siquidem mirifica pietatis exempla in Tobia, Raguele, sacra, & alijs neque arbitrari par est, eiusmodi pios viros, patriæ, templique Dominici desiderio, vnquam cum

possent, de reditu cogitasse. Equidem S. Cyrillus in 11. Osee 1. Zachariæ, & 2. Malachiæ, Theodoretus, & Theophylactus in Osee 3. & alij haud obscure tradunt, multos eorum in natale solum cum Zorobabele reuertisse, quod sanè satis significare videtur Ieremias cap. 50. v. 4. Vide Notas nostras in eum locum. Neque his aduersatur Iosephus Antiquitatum 11. cap. 5. vel Origenes Epistola ad Iulium Africanum de Historia Susannæ, aut alij, cum aiunt, duas tantum tribus per Asiam & Europam sub Romano degere Imperio: nam id sanè intelligendum est, integrè & pro maiori parte.

Qui res tamen attentè perpexerit, facilè assentietur, etiam ante captiuitatem salmanassaricam, Israëlitas plurimos decem tribuum sparsos per diuersas, mundi regiones fuisse. Nam gens inquieta, fecunda, extra patrios terminos exuberans, iam ab antiquo in more habuit in exteris nationes se se longè latèque diffundere. Philo de Iudæis iam à priscis temporibus per vniuersum orbem diffusis, ita Legatione ad Caium, perorat: *Ierosolima est metropolis non vnius regionis Iudææ, sed & multarum, propter colonias inde olim deductas, vel propius in finitimam Egyptum, Phanicem, Syriam, tum Ceteram, tum eam, quæ Cale cognominatur: vel longius in Pamphiliam, Ciliciam, plerasque Asia partes usque Bithyniam & Ponti sinus intimos. Parimodo in Europa Thessaliam, Bæotiam, Macedoniam, Ætholiam, Atticam Argos, Corinthumque, Peloponnesi partes præcipuas. Nec tantum continentis prouincia plena sunt coloniis Iudæicis, sed & insularum celeberrima, Eubæa, Cyprus, Creta: ne quid dicam de Transcyphratensibus: excepta enim parte Babylonis, & aliarum Præfecturarum, omnes urbes, quæ bonum agrum habent, à Iudæis incoluntur: itaque se exorat mea patria tuam clementiam, præter ipsam alias ciuitates demereberis plurimas, sitas in diuersis orbis tractibus, Asia, Europa, Africa, insulares, maritimas, mediterraneas.*]

Hæc mirè consonant cum illis, quæ scribit Lucas Actorum 2. Erant autem in Ierusalem habitantes Iudæi viri religiosi ex omni natione, quæ sub calo est, Parthi, & Medi, & Aclamita, & qui habitant Mesopotamiam, Iudæam, & Cappadociam, Pontum & Asiam, Phrygiam & Pamphiliam, Egyptum & partes Libiæ, quæ est circa Cyrenem, & aduenæ Romani, Iudæi quoque & Prosolyti, Cretes, & Arabes. De quo loco S. Gregorius Nazianzenus Oratione 44. ita dissertat: *Operapretium fuerit videre, tum quinam y erant, tum cuius captiuitatis. Nam illa Egyptiaca & Babylonica, præterquam quod circumscripta, & certo loco diffinita erat, iam etiam olim per captiuorum reditum soluta fuerat. Illa autem Romana, quæ temeritatis & audaciæ aduersus salutis auctorem pœna expetebatur, nondum acciderat, sed imminabat. Relinquitur igitur, ut hanc captiuitatem Antiochicam esse censuimus, iis temporibus non multò antiquiorem. Quod si cui hæc expositio minus probatur, ut curiosius alienis quæ petita, (neque enim captiuitatem hanc veterem esse, neque in multas orbis partes diffusam) ac probabiliori queris: illud forte esse rectius fuerit existimare, quod cum sæpe, atque à multis hæc natio exiliij causa solum vertere coacta sint, quemadmodum Esdras litterarum monumentis prodidit, alia quidem tribus in patriam restituta fuerint alia verò in exilio relictæ: quibus ut verisimile est, in multas nationes dispersis, tunc temporis quidam adfuerint, Apostolicæque miraculi participes extiterint.*]

Iacobus Apostolus Epistolam suam scribit duodecim Tribubus, quæ sunt in dispersione: & Petrus Apostolus epistolam quoque suam mittit electis aduenis dispersionis

dispersionis Ponti, Galatia Cappadocia, Asia & Bythynia. Harum Diaspararum seu Dispersionum frequens est mentio in Thalmud. Et in Epistola Con-
fistorij Ierosolomitani nominantur, *Diaspora Baby-
lonie*, quæ erat caput & matrix Diasporarum, *item
Diaspora Media*, *Diaspora alie Israël.* Vide Iose-
phum Scaligerum lib. 3. Isagogicorum Canonum,
pag. 278. 279. Nimirum erant Israëlita dispersi per
varias mundi regiones, siue ex violentis, siue ex vo-
luntariis exiliis & sedium mutationibus iam inde ab
antiquo. Et verò post reditum duarum tribuum ab
exilio Chaldaico, fuisse in Ierusalem & in Iudæa
Israëlitas ex decem tribubus, apertè nimis constat
ex historia septuaginta duorum interpretum ab Ari-
stæa Ptolomæi Philadelphi Hyperaspiste conscripta,
in qua refertur LXXII. Interpretes fuisse senos ex
singulis tribubus electos. Si tamen liber ille Ari-
stææ non sit adulterinus: de qua re diximus lib. 2.
cap. 6.

Tempore Christi Domini vivebat Anna de tribu
Asser, Lucæ 2. vers. 36. Paulus se ex tribu Benjamin

fuisse affirmat. Plerique Apostolorum putantur
fuisse ex tribu Zabulon & Nephthali è Psalm. 67. v.
28. vti S. Hieronymus in 9. Isaia, S. Augustinus,
Theodoretus, Cassiodorus, Euthimius, & alij in
eum Psalmi locum annotarunt.

Iam decem, seu novem tribus, quas Salmanassar
translulit in Medos, & Assyrios, redituras in Iu-
dæam tempore Antichristi: aut certè innumerabiles
decem tribuum copias, cum aliis duabus Iudaica &
Beniaminica, ex variis mundi regionibus, in quas
iam Olim, vel casu, vel exilio, vel voluntate disper-
sæ fuerant aduolaturas ad Antichristum in Iudæam,
fama Messia excitatas, (excitas) iam lib. 6. cap. 32.
fusè docuimus. Atqui ex his Henoch & Elia præ-
dicantibus in Christum plurimos credituros, ex his,
quæ toto hoc libro II. tractamus, facile intelligitur:
& Paulus Burgensis in 18. Isaia, Hadrianus Finus
lib. 7. Flagelli, cap. 28. annotarunt. Atque tunc im-
plenda plenissimè vaticinia Ezechielis 37. v. 16. &
Osæ 1. v. 11. de saluandis pariter filiis Iuda & Israël,
plerique obseruarunt,



D E ANTICHRISTO, LIBER DVODECIMVS.

DE REGNO CHRISTI MILLE ANNORVM,
DE SOLVTIONE DIABOLI IN FINE MVNDI,
de Balio Gog & Magog.

CAPVT I.

Error Chiliaſtarum ſeu Millenariorum de Regno Chriſti mille annorum in terris poſt generalem hominum reſurrectionem: quorum principis auctor Cerinthus.



NSIGNIS quoque hæc tractatio in rebus Antichriſti habetur: nec enim ſupremum Gog & Magog prælium, & Antichriſti interitus facile intelligi poterunt, niſi ardua primùm iſta diſſertatio de regno Chriſti mille annorum explicata fuerit.

Igitur Cerinthus veruſtiſſimus hæreſiarcha, Apoſtoliſ iſtis coæuus docuit, Chriſtum mille annis ante vniuerſale iudicium venturum in terras: & omnes tunc iuſtos mortuos reſurrecturos in carne: Chriſtūque vnā cum illis hīc regnaturum in terris mille integris annis, forma quadam regni corporea & terrena, in ſumma rerum omnium temporalium opulentia, diuitiis, copia, luxu, ciborum ac eduliorum omnifariis voluptatibus, modo Sybaritico, Item carnalibus laſciuiis, ac rerum venerearum, libidinūque cum mulieribus fædis oblectamentis, ad hæc inſtaurandam tunc urbem Ieruſalem, ac templum, magnificentiſſimo ornatu: omnia futura ibi aurea, ac gemmata: reſtituenda cuncta Legalia, & omnes Iudaicas cæremonias, & ſacrificia: atque plenè tunc adimplendas omnes promiſſiones, quæ Iudæis factæ leguntur in ſacris litteris de innumera prole, de imperio in omnes gentes, de congregatione diſperſorum Iudæorum in Ieruſalem, de rerum omnium abundantia atque omnimoda felicitate terrena.

Hanc quidem fuiſſe Cerinthis hæreſim de Chriſti in terris regno mille annorum, Caius ſcriptor Eccleſiaſticus, qui ſub S. Zepherino Romano Pontifice, & Antonino Caracalla Imperatore floruit, in diſputatione aduerſus Proclum, apud Euſebium lib. 3. Hiſtoriæ, cap. 22. teſtatur dicens: *Cerinthus, qui per adumbratas reuelationum tanquam à magno quodam Apoſtolo conſcriptarum ſpecies, abſurda portenta, præſtigiasque, quaſi per Angelos ipſi oſtentatas, nobis falſò comminiſcebatur, hæc aſſeueranter introducit: Poſt reſurrectionem carnis humana, regnum Chriſti terreſtre futurum: & apud Ieruſalem homines in carne cupiditatum & voluptatum blanditiis inſeruituros. Qui cum ſacro-*

ſanctis Dei eloquiis hoſtis eſſet inſenſus, numerum mille annorum (habuit enim in animo homines in fraudem illucere) in nuptiarum feſtis & celebratibus dicebat conſumptum iri.]

S. Dionyſius Alexandrinus Episcopus lib. 2. de Promiſſionibus Dei, apud Euſebium lib. 3. Hiſtoriæ cap. 22. hæc de Cherintho refert: *Cerinthum quidem, qui Cerentianam hæreſim ab ipſius nomine ſic dictam, proſeminauit, hoc diſciplinæ decretum tenuiſſe conſtat. Regnum Chriſti terreſtre deinceps futurum. Et quarum rerum cupiditate ipſe ducebatur, (quippe qui inuitamentis corporis & carnis cum primis obſequeretur illecebris) in eiſdem beatam vitam fore ſomniauit, ut in ventris, & earum partium, quæ ad ventrem ſpectant expletionem: hoc eſt non in eſculentis ſolū, poculentis & nuptiis, verum etiam in feſtis, ſacrificiis, hoſtiarum cade, & aliis denique rebus, quibus iſta putaret aſſluentius poſſe ſuppeditari.]*

Idem Dionyſius eodem libro, apud Euſebium lib. 7. Hiſtoriæ, cap. 20. *Peruerſam autem iſtius Cerinthis doctrinam talem fuiſſe memorant: Regnum Chriſti terreſtre fore: eūque ut pote corporis voluptatibus, & carnis illecebris penitus deditum, in illis rebus, quarum cupiditate incendeſcebat, regnum Chriſti futurum ſomniaſſe: hoc eſt, non in illis ſolū, quæ ventri & partibus, quæ ad venerem explendam pertinent, inſeruiunt, ut in eſculentis & poculentis, & nuptiis: verum etiam in iis, quibus illa facilius & procliuſius ſuppeditari putabat, hoc eſt, in feſtis, victimis, & hoſtiis mactatis.]* De eodem Cerinthis errore agunt Theodoretus lib. 2. Hæreticarum Fabularum, cap. 4. Nicephorus lib. 3. Hiſtoriæ, cap. 14. & lib. 6. cap. 22. Nec mirum Cherinthum Templum Ieroſolymitanum Sabbata, victimas, feſta, & cæteros Iudaicos ritus in Chriſti millenario regno ſomniaſſe: cum ipſe Iudæus, infelicitè Chriſtiana religione tinctus, eorum coryphæus extiterit, qui tempore Apoſtolorum, ſimul cum Euangelio Legalia obſeruanda, tumultuoſiſſimè contendebant, Actorum 15. vti S. Epiphanius Hæreſi 28. teſtatur: forſan quæ tunc obtinere nequiuic, in futuro Chriſti, quod ſibi conſinxit, millenario regno ſperauit. At de Cerintho, eiſque hæreſibus plura, S. Irenæus lib. 3. cap. 3. lib. 1. cap. 25. & lib. 3. cap. 25. Tertullianus de Præſcriptionibus, cap. 48. S. Philaſtrius libro de Hæreſibus, S. Epiphanius Hæreſi 28. S. Hieronymus Dialogo aduerſus Luciferanos, S. Auguſtinus libro aduerſus Hæreſes, cap. 8. Theodoretus Hæreticarum Fabularum, cap. 4. lib. 2.

Et verò Cerinthum errorem illum de millenario in

in terris regno Christi, partim ex veteribus in scriptura Iudæis factis promissionibus, præcipue Isaia 65. v. 17. partim ex oraculis Apocalypsis 20. 21. 22. perperam intellectis hausisse, non est dubium, & affirmant omnes, & ex his, quæ hoc libro differemus, facile intelligetur.

CAPVT II.

Sententia plurium Ecclesiæ Patrum de Millennario in terris Christi regno.

Est profecto magnopere mirandum, inoleuisse apud sanctissimos & vetustissimos aliquor Ecclesiæ Patres, quandam persuasionem ac spem de futuro Christi in terris mille annorum regno. Et quia res est equidem magni momenti, & eiusmodi, ut vix alteram eiusce generis, in qua Patres tam perspicue sint hallucinati, reperiatis: omni studio & cura est à nobis explicanda. S. Hieronymus de scriptoribus Ecclesiasticis in Papia Hieropolitano Episcopo: *Hic Papias dicitur mille annorum Iudaicam edidisse δωδεκάωρον, id est, traditionem: quem sequuti sunt Irenæus & Apollinarius, & ceteri, qui post resurrectionem aiunt in carne cum sanctis Dominum regnaturum. Tertullianus quoque in libro de spe Fidelium, & Victorinus Pictaviensis, & Lactantius hac opinione ducuntur.* Et in Præfatione lib. 18. Commentariorum in Isaiam: *Apocalypsim Ioannis si iuxta litteram accipimus, Iudaizandum est: si spiritualiter, ut scripta est, differimus, multorum veterum videbimur opinioni contraire, Latinorum, Tertulliani, Victorini, Lactantij: Græcorum, ut ceteros prætermittam, Irenæi tantum Lugdunensis Episcopi faciam mentionem: aduersus quem vir eloquentissimus Dionysius Alexandria Ecclesiæ Pontifex elegantem scribit librum, irridens mille annorum fabulam, & auream atque gemmatam in terris Ierusalem, instaurationem templi, hostiarum sanguinem, otium Sabbati, circumcisionis iniuriam, nuptias, partus, liberorum educationem, epularum delicias, & cunctarum gentium seruitutem: rursusque bella, exercitus, ac triumphos, & superatorum neces, mortemque centenarij peccatoris. Cui duobus voluminibus respondit Apollinarius: quem non solum sue sectæ homines, sed & nostrorum in hac parte dumtaxat, plurima sequitur multitudo: ut præfagamente iam cernam quantorum in me rabies concitanda sit. Quibus non inuideo, si tantum amant terram, ut in regno Christi terrena desiderent, & post ciborum abundantiam, gulaque ac ventris ingluuiem, & ea, quæ sub ventre sunt, querant.*

Et 19. Ieremiæ: *Quamquam sibi Iudæi auream atque gemmatam Ierusalem restituendam putent: rursusque victimas, & sacrificia, & coniugia Sanctorum, & regnum in terris Domini Saluatoris: quæ licet non sequamur, tamen damnare non possumus: quia multi Ecclesiasticorum virorum, & Martyres ista dixerunt: ut unusquisque in suo sensu abundet, & Domini cuncta iudicio referuentur.* Et in 36. Ezechielis: *Neque enim iuxta Iudaicas fabulas, quas illi Deuterose, id est, traditiones appellant, gemmatam & auream de celo expectamus Ierusalem, nec rursus passuri circumcisionis iniuriam, nec oblaturi taurorum & arietum victimas, nec Sabbati otio dormiemus: quod & multi nostrorum & præcipue Tertulliani liber, qui inscribitur de spe fidelium, & Lactantij institutionum volumen septimum pollicetur: & Victorini Pictaviensis Episcopi crebra expositiones, & nuper Seuerus Noster in Dialogo, cui Gallo nomen imposuit, & ut Græcos nominem, primum extremumque coniungam, Irenæus & Apollinarius.* Iam Patres Milenatios recenseamus. Primus, Sanctus Papias Hie-

rapolis in Phrygia Episcopus, Ioannis Senioris, seu Presbyteri discipulus, S. Polycarpi Smyrnenfis Episcopi & martyris, familiaris: de quo Eusebius lib. 3. Historiæ cap. 33. *Alia præterea idem auctor Papias quasi traditione non scripta ad se peruenisse commonstrat, quæ peregrinas quasdam seruatoris parabolas, & nouas eius doctrinas, aliæque nonnulla commentitiis fabulis referta continent. In quibus asserit regnum Christi, post vniuersa carnis à mortuis resurrectionem, mille annos humano & corporeo more in terra hac continuatum & stabilitum fore. Quæ quidem dogmata credo eum propterea excepiisse, quod Apostolicas interpretationes, quæ ab illis essent arcanis figuris, & parabolis subobscuris expositæ, malè intellexisset. Nam homo erat, (sicut ex eius scriptis facile licet coniecturam capere) ingenij pertenuis. Ceterum plerisque Ecclesiasticis viris, qui hominis antiquitatem pro suarum partium defensione citabant, persimilis erroris auctor extitit: ut Irenæo, & si quisquam alius eadem cum illo sentire videbatur.* Eadem etiam S. Hieronymus de scriptoribus Ecclesiasticis, in Papia, Nicephorus lib. 3. Historiæ cap. 20. & alij ex Eusebio, de errore Papiæ referunt.

Præter hæc, quæ Eusebius de Papia scribit, Casaubonus Exercitatione 16. Diatriba 69. Papiam vanum & fabulosum scriptorem appellat: additque: *Narrat Eusebius in tertia Historia, Papiam hunc scriptorem fuisse futilissimum, qui omnes traditionum fabellas mirifice amplecteretur.* Sed vanior & futilior ipse Casaubonus, & mentitur planè, nam Eusebius nunquam dixit Papiam scriptorem futilissimum fuisse: sed malè intellexisse Apostolicas interpretationes, quod esset vir ingenij pertenuis. Quod miror dictum ab Eusebio, cum hæc de eodem Papia lib. 3. Historiæ, cap. 30. præmisisset: *Polycarpi ætate Papias Ecclesiæ, quæ est Hierapoli Episcopus, magna fama & celebritate fuit, vir planè cum omnium aliarum artium scientia disertissimus, tum cognitionis sacrarum litterarum non ignarus.* Et planè futiliter Eusebius, quem prius tantis laudibus tulerat, postea virum ingenij pertenuis appellat. Et quæ prudentia est, ob vnum aut alterum, aut etiam plura errata, ingenia magnorum virorum traducere? Neque id de Papia existimauerunt Iustinus, Irenæus, Tertullianus, & alij, qui eius auctoritate moti, in errorem pertracti sunt. Colit Ecclesiæ Papiæ memoriam inter sanctos, 22. Februarij, & S. Hieronymus Epistola 28. ad Lucinum: *Sanctorum Papiæ & Polycarpi volumina falsus ad te rumor pertulit à me esse translata: quia nec otij mei, nec virium est, tantas res eadem in alteram linguam exprimere venustate.* Nunquam S. Hieronymus ita de Papia loqueretur, si ille vir ingenij tenuis fuit.

Secundus, S. Iustinus Philosophus & martyr in Dialogo aduersus Thryphonem Iudæum, ubi Thryphon rogat S. Iustinum: *Dic autem mihi verum: fatemini vos, denuò instaurationem locum hunc Ierusalem, & populum vestrum congregatum atque lætitia euectum iri, cum Christo simul & Patriarchis, & Prophetis, & his, qui generis nostri sunt, aut etiam qui ad nos accesserunt proselytis, priusquam Christum aduenturum expectatis: an ut videare nos superare in questionibus, eò decurris, ut ista non inficere?* Hæc Tryphon: ad quæ ista respondet S. Iustinus: *Non eò sum miseria redactus, inquam, o Trypho, ut alia, quam sentio loquar, Confessus sum tibi & antea, me quidem & alios plures eadem mecum sentientes arbitrari, id sicut planè scitis, futurum: multos verò etiam qui pura, præque sunt Christianorum sententia, hoc non agnoscere, tibi significavi.* Et post alia: *Ego autem, & si qui recte per omnia sententia Christiani sum, & carnis resurrectionem futuram nouimus, & mille annos in Ierusalem instaurata, &*

exornata

exornata, & dilatata, sicut propheta Ezechiel, & Isaias, & alij promulgant, sic namque Isaias de mille istorum annorum tempore loquutus est: Erit enim calum nouum & terra noua: & non recordabuntur priorum, neque eorum illa venient in corda: sed letitiam & exultationem inuenient in ipsa qua ego creo. Quia ecce ego facio Ierusalem exultationem, & populum meum letitiam: & exultabo in Ierusalem, & letabor in populo meo: & ulterius in ea non audietur vox ploratus, neque vox clamoris. Et non erit amplius ibi immatura aliquis etate, infans dierum & senex qui non implebit tempus suum. Erit namque adolescens filius centum annorum: moriens vero peccator filius centum annorum, & maledictus erit. Et edificabunt domos, & ipsi incolent, & conferent vineas, & ipsi comedent germina earum, & vinum bibent: non edificabunt, & alij inhabitabunt: & non plantabunt, & alij edent: nam secundum dies ligni vite, dies populi mei erunt. Opera laborum eorum multiplicabuntur. Electi mei non laborabunt in vanum, neque liberis operam dabunt in execrationem: quoniam semen iustum, & benedictum à Domino erunt, & nepotes eorum cum eis. Et erit priusquam ipsi clamauerint, ego exaudiam eos: adhuc loquentibus ipsis, dicam. Quid est? Tunc lupi & agni simul pascentur, & leo sicut bos comedet paleas: serpens autem terram velut panem. Non inique agent, neque derimentum capient in monte sancto, dicit Dominus. In his verbis, inquam, eo quod dictum est: Nam secundum dies ligni vite, dies populi mei erunt: opera laborum eorum multiplicabuntur: mille annos in mysterio arcane designari intelliimus. Vt enim Ada dictum est, Quo die de ligno edisset, eo die moriturum etiam esse, scimus illum mille annos non impleuisse. Nouimus quoque dictum illud, quod dies Domini sit sicut mille anni, huc pertinere. Et vir apud nos quidam, cui nomen erat Ioannes, è duodecim Apostolis Christi vnus, in ea, qua illi exhibita est, Reuelatione, Christi fideles nostros, annos mille Ierosolymis peracturos esse prae locutus est: ac postea vniuersalem, & vt semel dicam, sempiternam omnium vniuersimul resurrectionem & iudicium futurum.] Haecenus S. Iustinus.

Tertius S. Irenaeus, qui acerrimum se praestitit huius opinionis patronum, productis innumeris pro sua sententia scripturae testimoniis: sed quia longum nimis esset, omnia, quae ille de his differit, huc inserere, pauca tantum decerpere satis fuerit, cetera lector per otium, si voluerit, apud eundem S. Patrem perlegat, lib. 5. cap. 42. Quoniam igitur transferuntur quorundam sententia ab haereticis sermonibus, & sunt ignorantes dispositiones Dei, & mysterium iustorum resurrectionis & regni, quod est principium incorruptelae, per quod regnum qui digni fuerint, paulatim assuescunt capere Deum: necessarium est autem dicere de illis, quoniam oportet iustos primos in conditione hac, qua renouatur ad apparitionem Dei resurgentes recipere promissionem hereditatis, quam Deus promisit patribus: & regnare in ea: post deinde fieri iudicium. In qua enim conditione laborauerunt, siue afflicti sunt, omnibus modis probati per sufferentiam: iustum est in ipsa recipere eos. fructus sufferentiae: & qua conditione interfecti sunt propter Dei dilectionem, in ipsa viuificari: & in qua conditione seruitutem sustinuerunt, in ipsa regnare eos.] Sequitur multis ex scriptura probare, hereditatem iustorum primum hic in terris ab ipsis capessendam. Deinde cap. 33. subiungit, diuinas promissiones iustis in scriptura factas, carnaliter de felicitate terrena in Chiliastico Christi regno esse adimplendas, & post multa in eam sententiam congesta subdit: Praedicta itaque benedictio ad tempora regni sine contradictione pertinet, quando regnabunt iusti surgentes à mortuis: quando & creatura renouata & liberata, multitudinem fructificabit vniuersa

esca: quemadmodum Presbyteri meminerunt, qui Ioannem discipulum Domini viderunt, audisse se ab eo, quemadmodum de temporibus illis docebat Dominus, & dicebat: venient dies, in quibus vinea nascentur singula decem millia palmitum habentes, & in vno palmitate dena millia brachiorum, & in vno vero palmitate dena millia flagellorum, & in vno quoque flagello dena millia botrum, & in vnoquoque botro dena millia acinorum, & vnumquodque acinum expressum dabit vigintiquinque metretas vini. Et cum eorum apprehenderit aliquis sanctorum botrum, alius clamabit, Botrus ego melior sum, me sume, per me Dominum benedic. Similiter & granum tritici decem millia spicarum generaturum, & vnamquamque spicam habituram decem millia granorum, & vnumquodque granum quinque bilibres simile clara munda: & reliqua autem poma & semina & herbam secundum congruentiam eis consequentem. Et omnia animalia iis cibus vtenia, quae à terra accipiuntur, pacifica & consentanea inuicem fieri, subiecta hominibus cum omni subiectione. Haec autem & Papias Ioannis auditor Polycarpi autem contubernalis, vetus homo per scripturam testimonium perhibet in Quarto librorum suorum: sunt enim illi quinque libri conscripti. Et adiecit, dicens: Haec autem credibilia sunt credentibus. Et Iuda, inquit, proditore non credente, & interrogante: Quomodo ergo tales gentitura à Domino perficiuntur? dixisse Dominum: videbant qui venient in illa. Haec ergo tempora prophetans Isaias, ait: Et comescetur lupus cum agno, & pardus conuiescet cum hodo, & virulus, & taurus, & leo simul pascentur, & puer pusillus ducet eos, & bos & ursus simul pascentur & simul infantes eorum erunt: & leo & bos manducabunt paleas. Et puer infans in cauernam aspidum, & in cubile filiorum aspidum manum mittet: & non malefacient, nec poterunt perdere aliquem in monte sancto meo.] Haecenus S. Irenaeus: qui pergit multa testimonia Isaias, Ezechielis, Apocalypsis, de terreno mille annorum Christi regno coaceruare & crasse, carnaliterque interpretari: sed quis ferat de vineis, botris, & spicis tam fabulosam absurditatem?

Perpicue fatetur S. Irenaeus millenariam fabulam se à S. Papias accepisse, vt Eusebius lib. 1. Historiae, cap. 33. S. Hieronymus in Catalogo etiam id ipsum, testantur: nec mirum, nam Papias fuisse discipulum, S. Hieronymus Epistola 29. ad Theodorum ita scribit: Refert Irenaeus vir Apostolicorum temporum, & Papias auditoris Ioannis Euangelistae discipulus, Ecclesiae Lugdunensis Episcopus, &c.] Sed lapsus memoria est S. Hieronymus, cum Papiam Ioannis Euangelistae auditorem facit, nam de eo ista Eusebius lib. 3. cap. 33. Idem ipse Papias in exordio sui operis declarat, se minime quidem sanctorum Apostolorum vel auditorem fuisse, vel eosdem suis oculis aspexisse, &c.] docet Ioannis cuiusdam Presbyteri fuisse discipulum, diuersi à Ioanne Euangelista. Facile quoque suspicamus S. Irenaeum à S. Iustino martyre, cuius scriptis egregie delectabatur, eandem opinionem hausisse: nam Eusebius lib. 4. Historiae, cap. 17, inquit: Iustini scripta tanti aestimabantur à veteribus, tamque videbantur probata, vt Irenaeus eius libenter citet testimonia.]

Quartus, Tertullianus qui etsi inter Patres Ecclesiae non sit numerandus, cum nec homo Ecclesiae fuerit, teste S. Hieronymo, propter antiquitatem tamen & eruditionem in pretio habetur. Is lib. 3. aduersus Marcionem, cap. 24. Nam & confitemur in terra nobis regnum repromissum, sed ante calum, sed alio statu, vt pote post resurrectionem in mille annos, in ciuitate diuini operis Ierusalem calo delata, quam & Apostolus matrem nostram sursum designat. Hanc dicimus excipiendis resurrectione sanctis, & resonandis o niam

bonorum utique spiritualium copia, in compensationem eorum quæ in sæculo vel despeximus, vel amisimus, à Deo prospectam. Siquidem & iustum, & Deo dignum, illic quoque exultare famulos eius, ubi sunt & afflicti in nomine ipsius. Hæc ratio regni celestis: post cuius mille annos, intra quam etatem concluditur sanctorum resurrectionis, pro meritis maturius vel tardius resurgentium, tunc & mundi destructione, & iudicii conflagratione commissa, demutati in atomum in Angelicam substantiam, scilicet per illud incorruptelæ superindumentum transferemur in celeste regnum.] Sequitur pluribus ostendere promissiones iustis in scriptura factas, carnaliter & hic in terra, in regno Christi mille annorum esse complendas. Eadem clarius & plenius de regno Christi millenario docuit idem Tertullianus peculiari libro De Spe Fidelium, uti auctor est S. Hieronymus, De Scriptoris Ecclesiasticis in Papia. Sed eius libri, quem etiam ipse Tertullianus eodem loco laudat, nihil hæcenus extat, nisi breue fragmentum à Pamelio editum. Nec dubitamus, Tertullianum ipsam Millenariam opinionem à S. Irenæo mutuatum, cuius ferme verba transcribit: quem omnium doctrinarum curiosissimum exploratorem appellat, libro aduersus Valentinianos, cap. 5. Illud peculiare in sententia Tertulliani annotauit Pamelius: quod affirmet doctissimus Afer, in Millenario Christi regno, non omnes simul sanctos initio resurrecturos: sed intra illos mille regni annos consummandam omnium resurrectionem, aliis maturius, aliis tardius pro meritis cuiusque resurgentibus. Insuper quod adstruat delicias illius regni terreni futuras spirituales: nisi fortè quis illam vocem, spiritualium adiecerit: aut delicias corporeas, sed castas & moderatas intelligit.

Quintus, Nepos incertæ vrbis in Ægypto Episcopus, qui etsi orthodoxus & pius in Millenariorum errorem delapsus, eum peculiari libro propugnauit: & viuens ac mortuus plures in sententiam traxit, Ægyptumque turbis ingentibus miscuit. De quo Eusebius lib. 7. Historiæ, cap. 19. talem orditur narrationem: Præter ista omnia Dionysii Episcopi Alexandrini opera, alij duo libri de Promissis, erant ab eo elaborati. Causa cur hos scripsit, erat Episcopus Ægypti, nomine Nepos: qui promissa in sacris scripturis, sanctis viris factitata, in hoc sæculo, sicuti Iudei somniant præstanda fore docuit, hominibusque persuadere laborauit: eos certo quodam millenario annorum numero in delitiis corporeis & voluptate in terra victuros. Qui cum putaret se ex Ioannis Apocalypsi suam opinionem posse obtinere librumque *ἐλεγχον ἀλλυγοῦσθαι*, id est, Reprehensionem eorum qui allegorias componunt, inscriberet, de hoc argumento edidit. Cui Dionysius in duobus illis libris quos de Promissis contexuit, acriter contradicit. In priore suam ipsius sententiam de eo dogmate exponit: in posteriore autem de Ioannis disputat Apocalypsin. In cuius initio de Nepote mentionem faciens, ita scribit: Quoniam librum quendam Nepotis pro se afferunt, quo quidem perinde ac si in illo certis, indubitatisque argumentis Christi regnum in terra futurum probatum esset, magnopere niti & credere videntur: dicam equidem quod sentio. Quamquam non modo pro multis aliis rebus Nepotem amplector & diligo, ut pro fide, pro studio in doctrina posito, pro assidua in scripturis exercitatione, pro nonnullis quoque ac variis Psalmis, Hymnisque ab eo compositis, quibus hucusque nonnulli fratres libenter vtuntur: verum etiam propterea quod ex hac vita migravit, hominem multo magis reuereor: veritas tamen multo amicissima est, & omnibus rebus merito anteponi debet. Ac si quid rectè dicatur, laudandum illud quidem sine inuidia: sin quicquam parum syncrè & integrè sit scriptis, mandatum, hoc cum diligentia & disquiren-

dum, & coarguendum. Contra aduersarium qui coram adest, & verbis solum ac sermone opinionem suam tueri laborat, colloquium absque scripto, quod partim interrogando partim respondendo iis qui nobiscum ex aduerso pugnant, persuadere, eosque in nostram sententiam pertrahere solet, satis profecto momenti habebit & ponderis. Verum cum opus scriptum nobis obiectum sit, illudque, ut quibusdam placet, ad persuadendum valentissimum: cumque Doctores eius sectæ legem & Prophetas pro nihilo putent, Evangelia sequi negligant, Apostolorum Epistolas deprauent: huius tamen operis, quod dixi, doctrinam, tanquam magnum aliquod & abstrusum mysterium complectentem assenerent: cumque fratres nostros aliquanto simpliciores, & magis imperitos de sublimi & admirando opere vel gloriosi, veròque diuini Domini nostri aduentus, vel nostræ à mortuis resurrectionis, vel cum Domino coniunctionis, consociationisque, & ad eius immortalem naturam assimilationis non aliquando cogitare sinant: sed illis persuadere conentur, in regno Dei abiecta & mortalia præmia, qualia ab hominibus in hac vita expectare solemus, tandem futura nobis certè necessarium arbitror, aduersus istum fratrem, quem dico Nepotem perinde, ac si præsto adesset, acuta ratione disceptare. Deinde quibusdam adiectis, sic loquitur:

Cum essem in loco quodam qui Arsenoites dicitur, ibi, uti nostis, iam pridem hoc dogma prodit in lucem, sic ut non modo schismata nascerentur, sed integra Ecclesiæ à fide deficerent: presbyteros eius sectæ, qui fratribus in singulis pagis undique prædicabant verbum Dei, conuocari eosque magnopere cohortatus sum, ut palam presentibus fratribus, audireque cupientibus illorum doctrina exquisitè discenteretur. Atque cum librum, qui illis erat tanquam quoddam propugnaculum & murus inexpugnabilis, ad me attulissent, confidens in vno loco cum illis toto triduo, à primo mane usque ad vesperam, quæ in eo scripta erant, studiosè refutare conabar. Ibi tum quidem certè fratrum constantiam, studium veritatis, facile obsequium, & prudentiam ideo supra modum admirabar, quod tam præclaro ordine & tanta cum modestia rogabant, disceptabant, nobisque assentiebantur: atque etiam tam diligenter præcauebant, ne illis quæ fuerant antea ab ipsis decreta, si quidquam in eis veritati repugnare videretur, mordicus adhererent: quin etiam contrarias rationes minime omittebant nobis opponere: sed quo ad eorum fieri poterat ea, quæ erant ab ipsis proposita munire & defendere tentabant: & contra ubi poscebat ratio sententiam mutare & nostro assentire iudicio, eos nequiquam omnino pudebat. Denique conscientia integra, sincera cogitatione, & puris erga Deum ac simplicibus animis, ea quæ erant firmis rationibus & testimoniis à sacris litteris depromptis confirmata, admodum approbant. Ad extremum huius doctrine princeps & dux Cracion, omnibus fratribus qui aderant audientibus, palam confessus est, nobisque attestatus, neque se velle deinceps, quandoquidem aduersariis rationibus se putabat satis abundè conuictum, illi dogmati animum adhibere, neque de eo differere, neque mentionem facere, neque aliquando illud usquam docere. Vnde alij fratres qui aderant, pro ista disceptatione in publico Ecclesiæ conuentu habita, proque omnium conciliatione & concordia maximam lætitiā animis perceperunt.] Hæcenus Eusebius: qui omnia ex Eusebio Nicephorus exscripsit lib. 6. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 21.

Sextus, S. Victorinus Pictauiensis Episcopus & Martyr: quem in eadem Chiliastarum fuisse opinione ex S. Hieronymo De scriptoribus Ecclesiasticis, in Papia & in 36. Ezechielis superius initio huius capituli vidimus. Huius Patris nunc Operum nihil superest, nisi breuis tantum Commentarius in Apocalypsim, cui præfixa est nomine S. Hieronymi ad Anac-

solium Epistola: in qua inter alia hæc scribuntur: *Et periculosum & obrectatorum latratibus patens de egregij viri Victorini opusculis iudicare. Nam & anterior Papias Hieropolites Episcopus, & Nepos in Egypti partibus Episcopus de mille annorum regno, ita ut Victorinus senserunt.* At in commentario quod nomine S. Victorini in Apocalypsim circumfertur; nihil de millenario terreno Christi regno scriptum habetur: imo contrarium prorsus asseritur: nam extrema libelli verba hæc sunt: *Ergo audiendi non sunt, qui mille annorum regnum terrenum esse confirmant.* Suspiciantur nonnulli, errorem Chiliaisticum à Commentariolo S. Victorini deraſum. Sed utrum opus illud genuinum sit S. Victorini Episcopi Pictaviensis & Martyris, fusè dissertauimus lib. 1. cap. 4. Vt cumque sit, S. Gelasius Romanus Pontifex in Romano Concilio opuscula Victorini in Apocryphorum classem reiecit: forsan ob Millenarium errorem.

CAPVT III.

Alie Patrum Chiliaſtarum
ſententiæ.

Septimus inter Millenarios recensetur Lactantius Firmianus: is fuſiſſimè atque clariſſimè, cum quid ipſe, tum quid alij ante ſe ſcriptores de Regno Chriſti mille annorum in terris ſenſerit, exponens lib. 7. cap. 24. ita orditur: *Veniet igitur ſummi & maximi Dei Filius, ut viuos ac mortuos iudicet, teſtante, atque dicente Sibylla:*

*Totius enim terra mortalium confuſio tunc erit,
Et ipſe omnipotens cum venerit tribunali iudicare
Viuorum, mortuorumque animas, & mundum
vniuerſum.*

Verum ille cum deleuerit iniuſtitiam, iudiciumque maximum fecerit, ac iuſtos qui à principio fuerunt, ad uitam reſtaurauerit, mille annis inter homines verſabitur, eoſque iuſtiſſimo imperio reget. Quod alibi Sibylla variſſimè, furensque proclamat:

*Audite me homines, Rex ſempiternus dominatur.
Tum qui erunt in corporibus viuũ, non morientur, ſed per eoſdem mille annos inſinitam multitudinem generabunt, & erit ſoboles eorum ſancta, & Deo Chara: Qui autem ab inferis ſuſcitabuntur, ij præerunt viuentibus veluti Iudices. Gentes vero non extinguentur omnino, ſed quadam relinquuntur in victoriam Dei, ut triumphent à luſtis, ac ſubiungentur perpetua ſeruituti. Sub idem tempus etiam princeps demonum, qui eſt machinator omnium malorum, cathenis vincietur, & erit in cuſtodia mille annis celeſtis imperij, quo iuſtitia in orbe regnabit, ne quod malum aduerſus populum Dei molitur. Poſt cuius aduentum congregabuntur iuſti ex omni terra: peractoque iudicio ciuitas ſancta conſtituetur in medio terre: in qua ipſe conditor Deus cum iuſtis dominantibus commoretur: quam ciuitatem Sibylla deſignat, cum dicit:*

*Vrbem quam fecit Deus, eam fecit
Clariorem, atque ſole, lunaque.*

Tunc auferentur à mundo tenebra illa, quibus offundetur, atque obſcurebitur calum, & luna claritatem Solis accipiet, nec minuetur ulterius. Sol autem ſepties tanto, quam nunc eſt, clarior fiet. Terra verò aperiet ſacunditatem ſuam, & vberriſſimas fruges ſua ſponte germi-

Tom. II. de Antichriſto,

nabit: rupes montium mella ſudabunt: per riuos vina decurrent: & flumina lacte inundabunt. Mundus denique ipſe gaudebit, & omnis rerum natura latabitur, erepta & liberata Dominio mali, & impietatis & ſceleris, & erroris. Non beſtia per hoc tempus ſanguine alentur, non aues prada: ſed quieta & placida erunt omnia: leones & vituli ad præſepe ſimul ſtabunt: lupus ouem non rapiet: canis non venabitur: accipitres & aquila non nocebunt: infans cum ſerpentibus ludet. Denique tunc ſient illa, quæ poëta aureis temporibus facta eſſe iam Saturno regnante dixerunt. Quorum error hinc ortus eſt, quod Propheta futurorum pleraque ſic proferunt, & enunciant, quaſi iam peracta. Viſiones enim diuino ſpiritu offerebantur oculis eorum: & videbant illa in conſpectu ſuo quaſi fieri ac terminari. Quæ vaticinia eorum cum paulatim fama vulgaſſet, quoniam profani à ſacramento, ignorabant, quatenus dicerentur, completaque iam eſſe veteribus ſæculis illa omnia putauerunt, quæ vtiq; fieri complectique non poterant homine regnante. Cum vero deleſis religionibus impiis, & ſcelere compreſſo, ſubiecta erit Deo terra:

*Cedet & ipſe mari Vector, nec nautica pinus
Mutabit merces, omnis feret omnia tellus.
Non raſtros parietur humus, non vinea ſalcem.
Robuſtus quoque iam tauris inga ſoluet arator.
Tunc etiam molli ſuaſcet campus ariſta:
Incultiſque rubens pendebit ſentibus vna,
Et dura quercus ſudabunt roſcida mella,
Nec varios diſcet mentiri lana colores.
Ipſe ſed in pratis aries iam ſuaue rubenti
Maurice, iam croceo mutabit vellera luto.
Sponte ſua ſandix paſcentes veſtiet agnos.
Ipſe lacte domum referent diſtenta capellæ
Vbera: nec magnos metuent armenta leones.*

Quæ Poëta Secundum Cumeæ Sibyllæ Carmina proloquutus eſt. Erythraea vero ſic ait:

*Et tunc lupi cum agnis in montibus verſabuntur:
Herbamque Lynceſ pariter cum hadis paſcentur:
Vrſi cum vitulis, ſimul omnibuſque pecoribus,
Carniuorans leo comedet paleas ad præſepia
Cum infantibus dracones matrum orbis dormient.*

Et alio loco de vbertate rerum:

*Tum gaudium magnum Deus dabit hominibus:
Nam & terra, & arbores, & innumerabilia terra pecora
Dabunt fructum verum hominibus
Vini & mellis dulciſſimi, & candidi lactis,
Atque tritici, quod ex hominibus optimum omnium.*

Et alio modo:

*Piorum autem ſolum ſancta terra omnia hæc feret
Fluentium mellis de petra atque de fonte,
Et lac immortalitatis manabit omnibus iuſtis.*

Vient itaque homines tranquilliffimam vitam & copioſiſſimam, & regnabunt cum Deo pariter: & reges gentium venient à finibus terra cum donis ac muneribus, ut adorent, & honorificent regem magnum, cuius nomen erit præclarum, ac venerabile vniuerſis nationibus, quæ ſub calo erunt, & regibus qui dominabuntur in terra. Hæc ſunt quæ à Prophetis futura dicuntur: quorum teſtimonia & verba ponere opus non eſſe duxi, quoniam eſſet inſinitum: nec tantam rerum multitudinem meſſura libri caperet, tam multis vno ſpiritu ſimilia dicentibus.] Huc uſque Lactantius.

Et caput 26. ſubdit: Diximus paulo ante, in

¶

principio

principio regni sancti fore, ut à Deo princeps demonum vincatur. Sed idem cum mille anni regni, hoc est, septem millia caperint terminari, soluetur denuo, & custodia emissus exibat: atque omnes gentes, quæ tunc erunt sub ditione iustorum, concitabit, ut inferant bellum sanctæ civitati: colligetur ex omni orbe terra innumerabilis populus nationum, & obsidebit & circumdabit civitatem. Tunc veniet nouissima ira Dei super gentes, & debellabit eas usque ad unum, ac primum concutiet terram quam validissime, & à motu eius scindentur montes Syria, & subsident colles in abruptum, & muri omnium civitatum corruent. Et statuet Deus solem triduo, ne occidat, & inflammabit eum, & descendet æstus nimius & adustio magna supra perduellos, & impios populos, & imbres sulphuris & grandines lapidum, & gutta ignis: & liquefcent spiritus eorum in calore, & corpora conterentur in grandine: & ipsi se invicem gladio ferient: & replebuntur montes cadaueribus, & campi operientur ossibus. Populus autem Dei tribus illis diebus sub concavis terre occultabitur, donec ira Dei adversus gentes extremum iudicium terminet. Tunc exibunt iusti de latebris suis, & invenient omnia cadaueribus atque ossibus tecta. Sed & genus omne impiorum radicibus interibit: nec erit in hoc mundo vlla iam natio amplius præpter solam gentem Dei. Tum per annos septem perpetes, in tacta erunt silvæ: nec excidetur de montibus lignum. Sed arma gentium comburentur: & iam non erit bellum, sed pax, & requies sempiterna. Cum vero completi fuerint mille anni, renouabitur, terra mutabitur, & transformabit Deus homines in similitudinem Angelorum, & erunt candidi sicut nix, & versabuntur semper in conspectu omnipotentis, & Domino suo sacrificabunt, & servient in æternum. Eodem tempore fiet secunda illa, & publica omnium resurrectio, etiam in qua excitabuntur iniusti ad cruciatus sempiternos. Hi sunt qui manu facta coluerunt, qui Dominum mundi ac parentem vel nescierunt, vel abnegaverunt. Sed & Dominus illorum cum ministris suis comprehendetur ad panemque damnabitur, cum quo omni turba impiorum pro suis facinoribus in conspectu angelorum, atque iustorum perpetuo igni cremabitur in æternum. Hæc est doctrina Sanctorum Prophetarum, quam Christiani sequimur, hæc nostra sapientia.] Hæc tenus Lactantius.

Quem profecto dubium non est, accuratè explicare voluisse, tum quid ipse, tum quid alij ante se veteres Chiliastæ de toto 20. capite Apocalypsis, de 38. & 39. Capite Ezechielis de prælio Gog & Magog: de 65. Capite Isaia, & aliis eiusmodi oraculis de felicitate sanctorum, & supplicio impiorum existimaverint: qualiter quæ ex iis vaticiniis regnum Christi millenarium stabilite conati sunt. Sed quas tenebras Lactantius sua disputatione insignibus Scripturæ locis offudit? Rectè eum S. Hieronymus in 4. ad Galatas imperitum scripturarum affirmat. Cæterum propter hunc, aliosque non paucos errores, quos Lactantius suis operibus inseruit, ea S. Gelasius in Apocryphorum angulum ablegavit.

Octavius, Severus Sulpitius, qui à S. Hieronymo in 36. Ezechielis inter Chiliastas numeratur, illis verbis: *Et nuper Severus noster in Dialogo, cui Gallo nomen imposuit.*

Extant nunc Dialogi tres Galli & Posthumiani nomine editi à Sulpitio Severo, in quibus tamen error millenarius non habetur: forsan ab aliquo sublatus: at S. Gelasius Opuscula Posthumiani & Galli in ordine apocryphorum recensuit: nec du-

bium cum propter alia, tum propter Chiliasticum errorem.

Nonus, Quintus Iulius Hilarion libello de mundi duratione Tomo 7. Bibliothecæ veterum Scriptorum: Superato igitur, & interfecto Antichristo, summa completa annorum sex millium fiet resurrectio omnium sanctorum adhuc superstitum mundo, decurrentibus etiam annis mille, in quibus Draco ille antiquus diabolus & satanas ligatus in abyssu, sequestratus erit, ne seducat quemquam, donec consummentur anni tres: qui anni tres: his annumerabuntur, qui sub signo Antichristi remanebunt: & ij omnes nubent, & nubentur, & morientur: super hos & plaga ille descripta in Apocalypsi adveniet: & partibus subinde ceditur hic mundus. Nam sanctis Dei in resurrectione unus erit Dies: & tantum erit prolongatus in lucem dies iste sanctorum, quantum impiis illis in mundo cum pæna viventibus, mille numerabuntur anni. Post septimum & millesimum annum soluetur satanas de carcere suo, & exiet seducere gentes Gog & Magog, & congregans eas ad Castra Sanctorum, quasi pugnaturas: & descendet ignis de calo & consummabuntur omnes homines: & tunc erit secunda resurrectio omni carni &c.]

Decimus, Commodianus, de quo Gennadius in Catalogo ait: *Vnde & de divinis repromissionibus adversus Paganos agens, vili satis & crasso, ut ita dixerim, sensu differuit: illis stuporem, nobis desperationem incutens: Tertullianum, & Lactantium, & Papiam auctores sequutus.*

Vndecimus, Thiconius Afex, de Donatione Sectæ, de quo idem Gennadius: *Exposuit & Apocalypsim Joannis ex integro, nihil in ea carnale, sed totum intelligens spirituale. In qua expositione mille annorum quoque regni in terra iustorum post resurrectionem futuri suspensionem intulit.*

Duodecimus, Stephanus Tricheita cognomento Gobarus, apud Phorium in Bibliotheca, Numero CCXXXII. qui ait: *Primo resurgent iusti, & cum iis omnia animalia: & mille annos vivent laute, comedentes, bibentes, generantes: & post hæc universalis fiet resurrectio.*

Inter omnes vero Chiliastas, Apollinarium Laodicenum insignem hæresiarcham huius dogmatis millenarij acerrimum fuisse propugnatorem, qui ea de re duo volumina adversus S. Dionysium Episcopum Alexandrinum condiderit, superius cap. 2. ex S. Hieronymo Præfatione in 18. librum, in Isaia, vidimus: de quo S. Basilius Magnus Epistola 74. ad Occidentales: *Apollinarius scripsit & de resurrectione quadam fabulosè, imo Iudaicè composita, in quibus dicit, nos iterum ad cultum à lege præscriptum reuersuros: ita ut iterum & circumcidamur, & sublatum observemus & à cibis à lege prohibitis abstinemus, sacrificiaque Deo offeramus, & in templo Ierosolymis adoremus. Quibus quidnam poterit ridiculum magis, magisque alienum ab Evangelico dogmate dici?*

C A P V T IV.

Quid intersit inter dogma Cherinthi de millenario Regno Christi, & Patrum Chiliastrarum opinionem: & quid de Vtrisque censendum.

S Hieronymus Patrum opinionem de Regno Christi mille annorum, nihil ferme ab errore Cherinthi distinguit

distinguit: ex quibus verbis à nobis initio capitis 2. descriptis, liquido constat ipsum S. Hieronymum existimasse Patres Chiliaſtas in ſua ſententia iudaizasse, atque inter alia ipſos putasse in regno illo Chriſti millenario, futurum Templi Ieroſolymitani inſtaurationem, hoſtiarum ſanguinem, otium Sabbati, Circumciſionem, & alia id genus legalia. Quin & Eſichius agens de eiſdem patribus Chiliaſtis, lib. 2. in Leuiticum, cap. 7. inquit: *Quidam poſt finem huius vite, & mortuorum reſurrectionem inducunt mille annorum ſeculum, in quo Ierusalem ſenſibilis edificabitur, Templique, & qua in eo fuerunt Sancta Sanctorum inſtaurabuntur, & ſacrificia offerentur, nuptiaeque & filiorum procreatio, & delitia quaedam cum iuſtitia ſenſibili, & longè alia conuerſatio noſtra quam ea qua nunc eſt iuſtorum, cum ex mortuis ſurrexerimus, erit. Hanc praſumptionem de animis noſtris remoueamus.*

Quod attinet ad Templi inſtaurationem, Sacrificia, Circumciſionem, & alia legalia reſtituenda, in ſententiis Patrum Millenariorum, quæ modo extant, quaſque nos præcedentibus duobus capitibus excerptimus, ne vllum quidem verbum de his poterit reperiri. S. Irenæus enim atque Lactantius, qui cæteris latius & explicatius Chiliaſticum dogma exequuntur, neque per ſomnium inſtaurationis templi, legaliumque meminere. Quo circa facile exiſtimamus, peculiarem eum fuiſſe Cherinthi errorem de reſtitutione Templi, Moſaicoꝝ rituum in regno milliariorum Chriſti: à qua dementia longè abſtulerint Patres Chiliaſtæ. Quæſo te lector Chriſtiane, ſi rationem in conſilium adhibeas, poterisne vmquam in animum inducere, Chriſtianos Patres, qui optime noſſent, Chriſtum paſſum & mortuum, vt nos de maledicto legis etiperet, iterum venturum docuiſſe, vt nos in ergaſtum legis denuo detruderet. Adde, quod cum Patres millenarij regnum Chriſti in terris mille annorum, ex Ioannis Apocalypſi ſtatuertint, atque in eo nouam, auream, gemmatam Ierusalem ſperant: quomodo poterant in ea vrbe templum inſtaurandum exiſtimare, cum Ioannes in eo vaticinio diſerte aſſerat, Apocalypſ. 21. verſ. 22. *Et templum non vidi in ea: Dominus enim Deus omnipotens templum illius eſt, & Agnus.*

Deinde Cerinthus in regno illo Chriſti mille annorum ponebat, nimias, immoderatas, improbas carnis delitias, & voluptates, vt immenſas eduliorum & epularum ingluuies, ganeas, popinas, ventris omnem ſaginem, & helluonatus altiſſimos gurgites: ad hæc eorum quæ ſub ventre ſunt, omnes laſciuia, & nequitia turpitudines, fæditates, obſcenitates, & libidines omnifariaſ. Id quod ſenſiſſe Cerinthus, Caius & Dionyſius, quorum verba cap. 1. deſcripſimus, annotauere. Caius enim inquit: *Apud Ierusalem, abiebat Cerinthus, homines in carne cupiditatum & voluptatum blanditiis inſeruituros. Vel vt Ruſinus vertit: In Ierusalem homines in carne iterum concupiſcentiis & vitiis ſubiectam conuerſationem habituros.* Eadem ac pleniora S. Dionyſius. At quid mirum hæc docuiſſe Cerinthus, qui familiaris ac ſocius Carpocratis Gnoſticorum principis fuit? Carpocras autem ac Gnoſtici per omnia libidinum ac fæditatum genera ſuam hæreſim raptabant: vti latius diſces ex S. Epiphania Hæreſi 26. 27. 30. Cæterum Patres Chiliaſtæ longiſſimè aberant ab eo Cerinthi furore: nam corporeas delitias illi Chriſti regno tribuerunt, ſed iuſtas moderatas, honeſtas, omni procul prophani-

tate: vt ſanctorum populū decebat. Quo circa Cerinthi & Appollinarij eadem cum Cerintho ſentientis de regno Chriſti mille annorum dediria tamquam manifeſtam & deteſtandam hæreſim ſemper exhorruit atque execrata eſt Eccleſia.

De Patrum verò Chiliaſtarum ſententia, quoniam in his Sancti & Martyres fuere, mitius ac temperatius cenſum eſt à magnis auctoribus. De illa S. Hieronymus in 19. Ieremiæ: *Qua licet non ſequamur, tamen damnare non poſſumus, quia multi Eccleſiaſticorum virorum, & Martyres iſta dixerunt, & vnusquisque in ſuo ſenſu abundet: & Domini cuncta iudicio reſeruentur.* S. Auguſtinus lib. 20. de Ciuitate Dei, cap. 7. de eadem Millenariorum ſententia: *Qua opinio eſſet vtrūque tolerabilis, ſi aliqua delitia ſpirituales in illo Sabbato, [nempe in ſeptimo millenario annorum mundi] affuturæ ſanctis per Domini præſentiam crederentur: nam etiam nos hoc opinari fuiſſimus aliquando. Sed cum eos qui tunc reſurrexerint dicant immoderatiſſimis carnalibus epulis vacaturos, in quibus cibis ſit tantus ac potus, vt non ſolum nullam modetiā teneant, ſed modum quoque ipſius incredulitatis excedant: nullo modo poſſunt iſta niſi à carnalibus credi. Hi autem qui ſpirituales ſunt, iſtos iſta credentes Chiliaſtas appellant Græco vocabulo, quod verbum è verbo exprimentes nos poſſumus Millenarios nuncupare. Eos autem longum eſt reſellere ad ſingula: ſed potius quemadmodum Scriptura hæc [Apocalypſ. 20. de regno Chriſti mille annorum] accipienda ſit, iam debemus oſtendere.*

Ludouicus Viues in 20. lib. Auguſtini de Ciuitate Dei, cap. 7. Xiſtus Senenſis lib. Annotatione 233. annotarunt, ſanctos Patres Hieronymum & Auguſtinum, non id circo cenſuram ſuam ita temperaſſe, quod putarent eam opinionem non eſſe reuera erroris damnandam: ſed vt ſolum oſtenderent, à magnis viris non eſſe niſi cum modetiā diſſentiendum. Ribera in 20. Apocalypſis arbitratur, haud facile eam ſententiam hæreſis conuinci poſſe: nam neque generalis alicuius Concilij, aut Eccleſiæ aduerſus illam vlla extat definitio: nec tam promptè, vt quidam volunt, Scripturæ testimoniis redargui poteſt. Xiſtus errorem continere alienum ab Euangelica doctrina cenſet. Feuadentius in Notis lib. 5. S. Irenæi, cap. 32. Baronius in Notis ad Romanum Martyrologium, 21. Februarij, Obſeruarunt, eam Chiliaſtarum opinionem diu ab Eccleſia diſſimulatam & toleratam fuiſſe propter Papiæ, Iuſtini Irenæi, Viſtorini, tantorum Patrum auctoritatem: ac poſtquam Appollinaris Laodiceus hæreſiarcha eandem mordicus arreptam pertinaciſſimè libris de eo argumento editis, propugnare conatus fuit, à S. Damaso Papa Romæ in Concilio, vna cum cæteris Apollinaris hæreſibus, hoc etiam eius de Millenario Chriſti regno abſurdum dogma pariter proſcriptum, ac penitus anathematizatum: vt iam deinceps pro manifeſta hæreſi ſit ab omnibus habitum ac reiectum. Nam Romæ à S. Damaso damnatum & anathematizatum publicè in Concilio cum omnium ſuarum hæreſum capitibus Apollinarium fuiſſe, Sanctus Gregorius Nazianzenus Epistoſa 2. ad Hellennium, Theodoretus lib. 5. Histoꝝ Eccleſiaſtica, cap. 10. & 11. Sozomenus lib. 6. cap. 25. reſtantur: de quo Concilio, tamenſi eius acta non extent, vide Baronium Annali 4. Anno Domini 373. à Numero 1. ad 14. & Binium Tomo 1. Conciliorum, pag. 514. qui etiam annotat eo in Concilio damnatum fuiſſe errorem Chiliaſticum Apollinarij.

Sed hæc sunt penitus extra rem : nam etsi demus dogma Apollinarij de Milliario regno eo in Concilio damnatum : quod tamen non nisi leui & incerta coniectura diuinari potest : cum sanè nonnisi de aliis eius hæresibus actum tum fuisset appareat : nihil hoc ad Patrum Chiliastrarum opinionem pertinebat : quam quidem à dogmate Appollinarij , quod ipsissimum Cherinthi erat , longè diuersissimam fuisse , & affirmant omnes & nos paulo antea perspicuè ostendebamus. Nos quæ de ea opinione censeamus, pauca reponemus. Primum Millenariam sententiam quam primum ab aliquibus Patribus spargi cæpta est, statim à reliquo cætu Scriptorum Ecclesiasticorum explosam : validè ei contradicendum , & assertores notatos , & designatos singularis & peregrini dogmatis in Ecclesia , & à communi reliquorum consensu alieni. Huius rei abundè testes sunt , Sanctus Dionysius Alexandrinus , Eusebius , Sanctus Hieronymus , S. Augustinus , & omnes alij Ecclesiæ tractatores, qui exoticam & notabilem opinionem auersati sunt.

Deinde præter citatos Chiliastras , neminem ex hominibus Ecclesiæ hætenus reperimus qui eam opinionem amplecteretur. Impurissimos Anabaptistas eam credidisse Fridericus Staphylus & Xyftus Senensis annotarunt : Franciscum Puccium eidem adhæsisse, Iodocus Coccius Thesauri Catholici Tomo 2. lib. 10. Art. 9. refert : Sed ij sunt palam hæretici , atque hæreticorum fæces. Videmus eam inter Catholicos penitus exoleuisse, atque euanuisse , vt nullus omnino ex Orthodoxis eam prober aut recipiat. Sanctus Dionysius Alexandrinus sectam , & defectionem à fide vocauit. Eusebius peregrinam & nouam doctrinam, commentitiam fabulam , atque errorem Iudaicum, Andreasin 20. Apocalypsis , ab Ecclesia non recepi dicit.

Recentiores innumeri , non dubitant , si res ad tribunal Ecclesiæ deferatur , hæresis indicium subituram. De quo iudicio viderit Ecclesia : nobis sat nunc sit , sententiam esse falsam , fabulosam , absurdam , alienam ab Euangelica & Christiana doctrina : nemo tamen propter eam sanctissimos Patres & Martyres in crimen , vel suspicionem hæreseos arcessat : quod simpliciter, ingenuè , bono animo , citra vllam contumaciæ notam ei inhæserint : cum eis semper mens integra & orthodoxa constiterit. Sed pauca scripturarum loca carptim annoremus, quibus Millenarius error apertè satis redarguatur.

Primus locus , Matthæi 22. vers. 30. inquit Christus : *In resurrectione , neque nubent neque nubentur : sed erunt sicut Angeli Dei.* Respondent Chiliastræ , loqui Dominum de resurrectione secunda. Sed adhuc remanet integra Sadducæorum quæstio , In prima resurrectione cuiusnam erit mulier illa septem maritorum ? Lactantius ait, eos , qui tunc nubent , non futuros ex iis qui resurgent : sed ex iis qui viui tunc reperientur. At reclamant omnes alij Chiliastræ : & alioqui cur tunc resurgentes felicitate coniugij priuabuntur , quæ maxima est inter bona terrena ? Ergo in prima illa resurrectione ex verbis Christi nulla erunt coniugia , nullæ corporeæ delitiæ : sed erunt homines sicut Angeli.

Secundus locus , Apocalypf. 20. vers. 12. *Et vidi mortuos magnos & pusillos , stantes in conspe-*

ctu throni. Et infra : *Et dedit mare mortuos qui in eo erant : & mors & infernus dederunt mortuos suos , qui in ipsis erant : & indicatum est de singulis secundum opera ipsorum.* Et qui non inuentus est in libro vite scriptus , missus est in stagnum ignis. Loquitur S. Ioannes de resurrectione secunda , vt etiam Millenarij fatentur : iam ergo in secunda resurrectione non solum mali , sed etiam boni resurgent : nam tunc iudicabitur de singulis secundum opera eorum , & qui non fuerit inuentus pius , mittetur in infernum.

Tertius locus , Ioannis 5. vers. 28. ait Christus : *Veni hora in qua omnes , qui in monumentis sunt , audient vocem Filij Dei , & procedent , qui bona fecerunt , in resurrectionem vite : qui vero mala egerunt in resurrectionem iudicii.* Resurgent ergo omnes simul iusti & iniusti : nec iustorum resurrectio mille annos anteveret resurrectionem impiorum.

Quartus locus , Danielis 12. vers. 2. *In tempore illo euigilabunt alij in vitam æternam , alij in opprobrium.* Non ergo mille annos ante improbos , pii resurgent.

Quintus locus , Matthæi 24. v. 29. *Vbi Dominus post enarratam Antichristi persecutionem , inquit : Statim post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur , & luna non dabit lumen suum : & stella cadent de celo & virtutes celorum commouebuntur. Et tunc parebit signum filij hominis in calo : & videbunt filium hominis venientem in nubibus celi cum virtute multa & maiestate ; Si statim post Antichristi persecutionem venturus est Dominus ad iudicium , quomodo mille annis post extinctum Antichristum , ante iudicium regnaturus est Christus in terris ?*

Sextus locus , 1. Thessalonicens. 4. v. 14. vbi apertissimè docet Paulus Christo veniente ad iudicium , & non mille antea annos resurrekturos ex mortuis cunctos iustos & pios : *Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini , quia nos viuimus , qui residui sumus in aduentum Domini , non praueniemus eos , qui dormierunt. Quoniam ipse Dominus in iussu , & in voce Archangeli , & in tuba Dei descendet de celo : & mortui qui in Christo sunt , resurgent primi. Deinde nos qui viuimus , qui relinquimur , simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo in aëra , & sic semper cum Domino erimus.* Non pauca alia eiusmodi Scripturæ testimonia , quæ illum Chiliastrarum errorem euertant , facile reperientur : nec enim opus est aduersus ymbra potius erroris , qui dudum extinctus est , denuo certamen instaurare.

Auctor est Trithemius Gennadium Massiliensem singulare volumen aduersus Chiliastras conscripisse.

C A P V T V.

Oraculum Apocalypsis obscurissimum de alligatione diaboli per mille annos , & de solutione eiusdem : item de regno Christi mille annorum : & de resurrectione prima & secunda.

VAticinium Ioannis mira inuolutum obscuritate , quod Chiliastris scandali petra fuit , in quod

quod male intellectum impegerunt, habetur Apocalypsis 20. vers. 1. *Et vidi Angelum descendentem de celo, habentem clauem abyssi, & catenam magnam in manu sua. Et apprehendit draconem, serpentem antiquum, qui est diabolus & satanas, & ligauit eum per annos mille: & misit eum in abyssum, & clausit & signauit super illum, ut non seducat amplius gentes, donec consummentur mille anni: & post hac oportet illum solui modico tempore. Et vidi sedes & sederunt super eas, & iudicium datum est illis: & animas decollatorum propter testimonium Iesu & propter verbum Dei, & qui non adorauerunt Bestiam, neque imaginem eius, nec acceperunt characterem eius in frontibus, aut in manibus suis, & vixerunt, & regnauerunt cum Christo mille annis. Cateri mortuorum non vixerunt, donec consummentur mille anni: Hac est resurrectio prima. Beatus & sanctus qui habet partem in resurrectione prima: in his secunda mors non habet potestatem: sed erunt sacerdotes Dei & Christi, & regnabunt cum illo mille annis. Et cum consummati fuerint mille anni, soluetur Satanas de carcere suo & exibit & seducet Gentes, quae sunt super quatuor angulos terra, Gog & magog: & congregabit eos in praelium, quorum numerus est sicut arena maris, &c.*

Satis cuiquam intuenti conspicuum fiet, Chiliastas ex hoc potissimum Ioannis oraculo suam accepisse opinionem. Quapropter cum cernerent aliqui Millenarios hoc maximè loco niti, qui ipsis in speciem fauere videretur, in aliud prolapsi sunt absurdum, ut asserere ausi fuerint, Apocalypsim non esse sacram & canonicam scripturam à Ioanne Euangelista conscriptam: sed opus esse Cherinthi primi Chiliastici erroris inuentoris. S. Dionysius Alexandrinus apud Eusebium lib. 7. Historiae, cap. 20. *Quidam ante nos librum Apocalypsis omnino antiquare irritumque facere, cum singula eius capita coguardando, tum ipsum totum, nec probabilitate roboratum, nec ratione conclusum ostendendo, magnopere studuerunt, ut falso titulo (nam dixerunt non esse Ioannis librum, imo neque eam posse esse reuelationem, quae tam crasso ignorantis involucre esset obiecta) inscriptum affirmarunt. Et non fieri posse, ut Apostolus aliquis, imo verò neque ex sanctis viris, aut ex aliis, qui sunt Ecclesiae membra, quispiam: sed Cerinthus quidam, unde haeresis Cerinthiana primum orta, inuectaque est, eius libri auctor existeret, qui operi suo tam commentitio, tamque pleno Vanitatis nomen celebre & dignum approbatione voluit imponere.] Et explicata haeresi Cherinthi, subdit: Verum ego librum ipsum Apocalypsis, nullo modo audeo abrogare, praesertim cum adeo multi fratres eum tam magno aestiment: sed hanc mecum de eo opinionem concipio, longe abstrusorem esse in illo materiam, quam mens mea facile consequi queat. Et in singulis prope sententiis sensum quendam mysteriis inuolutum, & valde admirabilem deliuescere plane existimo. Et quamquam eum ipse non intelligo suspicor tamen intellectum quendam reconditiorem verbis ipsis inclusum. Atque istas res non propria ratione metior, ac pondero, sed fidei potius tribuo, & altiores, diuinioreque profecto arbitror, quam quas ipse villo pacto cogitatione comprehendere valeam. Atque non eas improbo quas non intelligo, sed ideo potius admiror quod mentis acie lustrare non queo.] Hac Sanctus Dionysius sanè piè ac prudenter.*

Sed quod ad diuinam Apocalypsis auctoritatem spectat librum esse diuinum ac Canonicum, Spiritu Sancto dictante à S. Ioanne Euangelista conscrip-

tum, ex consensu SS. Patrum, Ecclesiaeque decreto clarissimè demonstratum est à compluribus recentioribus, Francisco Titelmano peculiari tractatu, Michaële Medina de Recta in Deum Fide lib. 6. cap. 26. Xisto Senensi lib. 7. Bibliothecae, Heresi 10. Roberto Bellarmino lib. 1. de Verbo Dei, cap. 19. Francisco Feuardentio in Notis ad lib. 5. Sancti Irenaei, cap. 30. Baronio Annali 1. Anno Christi 97. Iodocco Cocchio Tomo 1. lib. 6. Articulo 28. Francisco Ribera, Blasio Viegas, Ludouico Alcafare in Prolegomenis Apocalypsis.

Neque vero quia Ioannis praefata verba Chiliastis in speciem fauere videntur, propterea periclitari diuinam Apocalypsis auctoritatem existimare debemus: quod equidem longè alio sensu, quam à Chiliastis sunt accepta, dicta fuisse constet. S. Epiphanius Haeresi 77. Porro alij dixerunt Senem [Ioannem] dixisse, quod in prima resurrectione millenarium quendam amorum absoluerunt, in iisdem versantes, in quibus etiam nunc, nimirum & legem & alia seruantes, & omnia quae in usu sunt in mundo, nuptiisque ac circumcissione, & aliis participant: id quod valde de ipso credidimus. Verum sicut quidam affirmarunt, hoc dixisse ipsum asseruerunt. Et quod quidem scriptum est de Millenaria hac secta in Apocalypsi Ioannis: & quod apud plerosque liber receptus est, etiam apud ipsos manifestum est. Plurimi vero & pijs de spiritualibus edocti, & quae spiritualiter in ipsa se habent, cognoscentes, vera quidem esse, in profunditate autem declarata esse credunt. Non solum enim hoc illic profunde dictum est, sed etiam alia multa. Verum in praesens compendij gratia mentionem solum facio, quo sciant pijs, quod quisquis voluerit transgredi terminos Sanctae Dei Ecclesiae, & rem traditionis Propheticae & Apostolicae fidei ac doctrinae, ab uno argumento exiguo, ac brevis sermonis vel exigui temporis momento in sapientia transgressione constitutus, ei de cetero ad multa vaniloquia, & periculosas opiniones, & ad inconuenientes & peregrinas quaestiones & numquam finiendas genealogias, iuxta Apostoli dicta, ratiocinatio conuertetur.] Peregit refellere Millenariam fabulam.

Sed ut ad abstrusissimi oraculi explanationem accedamus, primum monemus S. Augustinum latissime illud exposuisse lib. 20. de Ciuit. Dei, cap. 7. 8. 9. 13. & de Vigilio Episcopo Africano haec refert Casiodorus libro diuinorum Lectionum, cap. 9. *Vigilijs quoque Afer Antistes de mille annorum intelligentia, quae in praedicta Apocalypsi continetur, unde magna quaestio nonnullis oboritur, plenissima & diligenti narratione differtur.] Verum opus illud Vigilijs later haecenus.*

Genebrardus lib. 4. Chronographiae, pag. 688. saeculo 13. extremo, annotat, mille annos alligationis diaboli capiendos à pace Ecclesijs reddita per Magnum Constantinum, ad annum Christi 1300. quando solutus diabolus excitauerit Gog & Magog, idest, Turcicum Othomanicum Imperium, (nam sub ea tempora extortum Othomanicum nomen in mundo satis constat:) quod dirissime vexat Ecclesiam. Eandem expositionem amplexus est Ferdinandus Castillus Parte 2. Historiae Praedicatorum, cap. 1. Tentauimus nos Annales eius Ordinis condere: eosque iam ad annum Christi 1274. (imo transpositis duobus ultimis numeri notis 1247) promoueamus: sed graui causa coacti sumus remittere. Sis quis eos nomine nostro edat, sicut nec à me pro meis, quidem agnoscit, nec ab aliis haberi velle. Sed ad nostra.

Huic interpretationi non satis congruit, cum quod tempore Iuliani Apostatae diabolus ample solutus in Ecclesiam debachatus sit: tum quod dicat Ioannes: & post mille annos oportet Satanam solui modico tempore. At quale modicum tempus existimari potest trecentorum & amplius annorum, quibus Othomani rerum potiuntur, & Christianos premunt. Denique solutionem illam diaboli omnes intelligunt futuram in fine mundi, tempore Antichristi. Verba iam ipsa Ioannis expendamus.

Et vidi Angelum descendentem de caelo. Angelum hunc quidam Christum Filium Dei intelligunt, qui dicitur sit *Magni consilij Angelus*, & *Angelus Testamenti*, qui per mysterium Incarnationis de caelo descendit. Ita Primasius, S. Beda, Ansbertus, Ambrosiaster, Anselmus Laudunensis, Richardus, S. Thomas, Lyranus, Gagnæus, Bulengerus, Viegas, Mariana. Alij verò malunt intelligi, singularem aliquem quempiam Angelum ex spiritibus Dei ministris. Ita Andreas, Aretas, Ribera, Pannonius, & Bulengerus etiam: quæ expositio præferenda est, tum quod ista Christus ministerio Angelorum exequi soleat: tum quod aliàs in Scriptura non reperitur Christus simpliciter Angelus dictus: nisi cum adiuncto aliquo, ut *Angelus Consilij*, *Angelus testamenti*. Forfan is Angelus erit Michaël, Ecclesiæ præses.

Habentem clauem abyssi. Prosopopæia est, vel metaphora, hoc est firmissimam & inuitabilem inferni seu damnatorum clausuram, qua tenebris & carcere cæco, vndique clausi manent, æternis vectibus obferati. Ita Aretas ex S. Iustino Martyre. At potestatem in infernum, ut illum claudat & recludat, illucque diabolus detrudat & alliget. Ita Gagnæus, Pannonius, Bulengerus, Ribera.

Et catenam magnam. Hoc est validam & efficacem vim coercendi, & vincendi. Nam Angelus diabolus vinciet, eiusque tyrannidem impedit. S. Ephraem Syrus, Tomo 3. Sermone de Pœnitentia: *Serpens demonstratur esse diabolus, & catena eius Dei increpatio & vinculum, quo non amplius potestatem adversus humanum genus habeat.* Andreas: *Per catenam virtutem nequitiam illius coercentem designat.* Ita enim Aretas & alij.

Et apprehendit draconem, serpentem antiquum qui, est diabolus & Satanas. Græca articulos apponunt emphaticos, illum draconem, illum serpentem, illum antiquum, quæ etiam ratione legit latinè S. Prosper in Dimidio Temporis, cap. 4. ut intelligamus quem nobis antonomasticè designet. Disquirunt aliqui, num hic diabolus collectiue sumatur, pro toto cætu immundorum spirituum, in perniciem humanam coatmato: an singulariter pro Lucifero seu principe dæmoniorum. Hoc posterius volunt plerique. Lactantius lib. 7. cap. 26. *In principio regni sancti fore, ut à Deo princeps dæmoniorum vinciatur.* Idem ait S. Gregorius lib. 4. in Iob, cap. 13. Pannonius, Bulengerus, Ribera, Sa: qui notat eum ipsum fore qui Heuam seduxit, & Christum tentauit. Sed parum refert: nam tam Princeps quam reliqui eius ministri, qui ligati tenentur, tunc in fine sæculi soluentur.

Et ligauit eum per annos mille. Hic nodus & cardo difficultatis. Et ne lectorem per ambages & anfractus interpretationum circumuoluamus, illa certior & receptior probatur intelligentia, annos mille hic accipi vniuersum tempus à morte & Ascensione Christi, ad aduentum vsque Antichristi, seu sæculi finem. S. Augustinus lib. 20. de Ciuitate Dei, cap. 7. *Certe mille annos pro annis omnibus huius sæculi posuit, ut*

perfecto numero notaretur ipsa temporis plenitudo. Eadē omnino Primasius. S. Prosper in Dimidio Temporis, cap. 4. *Isti anni qui excurrunt ab aduentu Saluatoris vsque ad solutionem eiusdem diaboli, concludunt mille annos, in quibus ligatus est diabolus.* nempe vsque ad aduentum Antichristi: ut mox subiungit. Addit idem S. Augustinus cap. 8. *Totum hoc tempus, à primo scilicet aduentu Christi vsque in sæculi finem, quod mille annorum numero appellat, diabolus alligatur.* S. Gregorius lib. 18. in Iob, cap. 25. *Millenario etenim numero, non quantitatem temporis, sed vniuersitatem, qua regnat Ecclesia, designauit.* Idem omnino ait lib. 4. cap. 13. & lib. 32. cap. 12. Voctorinus in Apocalipsim: *Sed quia completis mille annis dicit enim solui, completo perfectorum sanctorum numero, adueniente abominandi aduentu, &c.* Andreas: *Mille igitur anni complectuntur totum illud tempus, quod interfuit inter Christi incarnationem, & Antichristi aduentum.* Aretas: *Mille itaque annos eos intelligit, qui inter Christi & Antichristi aduentum intercedunt.* Ansbertus: *Millenario annorum numero, quo diabolus religatus dicitur, vniuersum pro perfectione sua hoc quantumlibet sit, sanctæ Ecclesiæ tempus exprimitur.*

Accipit verba S. Gregorij lib. 32. in Iob, cap. 12. Ambrosiaster: *Per annos autem mille omne tempus ab aduentu Domini, vsque ad finem mundi debemus intelligere vel accipere.* Eodem quoque modo interpretantur, Strabus, Anselmus Laudunensis, Rupertus, S. Anselmus, Gagnæus, Bulengerus, Ribera, Melus, Sa, Viegas, in hunc locum: Leonardus Coquæus in lib. 20. S. Augustini de Ciuitate Dei, cap. 7.

Sed cur Ioannes totum tempus à fundata Ecclesia ad Antichristum mille annos appellauit: cum iam fluxerunt mille ferme sexcenti, & fluxuri proculdubio sint adhuc plures? Fortasse, quia millenarius numerus in scripturis maximam quandam & indefinitam multitudinem significare solet, ut Psalm, 104. v. 8. *Verbi quod mandauit in mille generationes.* Id est, in plurimas. Iob 9. v. 3. *Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere vnum pro mille.* Ecclesiastici 16. v. 1. *Melior est vnus timens Deum quam multi filij impij.* Nec ab hoc more loquendi abluunt latini Scriptores, Persius Satyra 5. *Mille hominum species, & rerum discolor vsus, Velle suum cuique est.* Ergo hic à Ioanne numerum finitum pro indefinito & maximo positum, omnes illi Patres & Explanatores paulo ante citati obseruant. Et sanè oportuit Ioannem annorum numerum à Christo ad Antichristum obscuro aliquo ænigmate obuelare, ne certo numero expresso, præfixum tempus aduentus Antichristi sciremus, quem Deus hominibus incognitum esse voluit. Sic solent vaticinia de magnis rebus, magnis quoque obscuritatibus offundi.

Ante Euangelium latè diabolus per idololatriam regnabat in orbe: quem Christus per sanguinem suum ac crucem è culmine rerum detraxit, atque in imum inferni demersit, alligauit, coercuit, ne cursum Euangelij, propagationemque Ecclesiæ, quantum ipse cuperet, impediatur: neque suis, suorumque viribus pro libidine aduersus pios grassetur: sicut scriptum est, Ioann. 12. v. 31. *Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eiicietur foras.* S. Prosper in Dimidio Temporis, cap. 4. *Mille annos, in quibus ligatus est diabolus, ne ultra seduceret nationes, quas antea possederat in idololatriis.* Andreas: *Quod autem vires illius sint ligatæ id testatur nobis faciunt idololatria interitus, & abolitio, & templorum idololatriarum demolitio, sacrificiorum quæ artis imponi solita erant*

erant, defectio, & diuina voluntatis passim per terrarum orbem cognitio atque expletio.] Eadem Aretas, & alij. Sed & S. Ephrem Tomo 3. Sermonem de Pœnitentia explanans hunc locum ait: *De duplici aduentu loquutus est, in quorum altero ligatur draco: in altero soluitur: ligatur in priore aduentu, dicente Christo: Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici.*

Et clausit & signauit super illum. Metaphoræ sunt, validissimæ atque inuitabiliter compressæ ferociæ satanæ.

Ut non seducat amplius gentes. Nimirum tam effrenatè vt ante aduentum Christi facere consueuerat, per late diffusam idololatriam tyrannidem exercens, in mundo: neque enim post exortum Euangelij lumen idolorum cultus viguit: & quamuis diabolus sapius pacem Ecclesiæ lacessat, multosque perdat: at non tot quot ipse vellet & potest, cohibitus & victus à Deo.

Donec consummentur mille anni, idest, vsque ad aduentum & manifestationem Antichristi.

Et post hæc oportet illum solui modico tempore. Nempe, quam primum exurget Antichristus, & truculentissimam in Ecclesiam persecutionem excitabit: quæ modico tempore, nempe tres annos cum semisse duratura est, vt lib. 13. cap. 8. docebimus. Tunc enim soluetur Satanas, hoc est, ei laxissime à Deo effundentur habenæ, vt totis suis, suorumque viribus in orbe debacchetur: nec vnquam scuior aut atrocior exitit rerum perturbatio, aut oppressio Ecclesiæ, quam erit eo tempore: quo Satanas supremam suam vim omnem in euerrenda, si possit, Ecclesia consumet. S. Ephrem Syrus sermone de Pœnitentia: *Dissoluetur igitur diabolus, quando in Antichristo veniet: vt ostendat Deus illum premere humanum genus, vel ab ipso recedere, non dans ei potestatem aduersus illud.*] Et post pauca: *Rursus draco soluitur ad breue tempus dicente Paulo: eo quod non crediderunt veritati impij, mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio: vt indicentur omnes qui non crediderunt veritati: ideo & saluator dixit solutionem serpentis: quoniam vsque adeo erit efficax, vt si fieri inquit, possit, etiam scandalizentur electi mei.*] S. Augustinus lib. 20. de Ciuitate Dei cap. 8. *Tunc autem soluetur, quando & breue tempus erit. Nam tribus annis & sex mensibus legitur totis suis, suorumque viribus saturus.*] Eadem omnino Primasius, & S. Beda. Andreas: *At verò post spatium illud temporis elapsum, statim Antichristus vniversum orbem conrurbabit, auctoris omnis mali Belialis virtutem in se continens, virulentaque illius malitia facies hominibus infundens.*] Aretas: *Modico tempore. Quodnam illud est? Tempus aduentus Antichristi, quod ad breue contraxit ob vehementiam, quæ penè intolerabilis iis erit, qui propter Christum affligentur.*] Ambrosiaster: *Tempus modicum, quo post mille annos soluendus esse dicitur, tempus Antichristi est. Tum etiam peccatis hominum facientibus dabitur potestas diabolo tota virtute contra genus humanum dimicandi.*] Eodem modo locum intelligunt Victorinus, Ansbertus, Lyranus, & omnes alij posteriores.

Et vidi sedes, & sederunt super eas, & iudicium datum est illis. Simplicius existimamus significari hic sedes beatorum, qui post mortem in cælum euolantes, iam Deo fruantes, potestate iudiciaria à Deo ornantur, sapientiæ 3. v. 8. *Iudicabunt sancti nationes & dominabuntur populis.* Andreas & Aretas singulariter exponunt de sedibus & thronis Apostolorum in iudicio, Matthæi 19. v. 28. Tempore enim quo ista præuidebat Ioannes, iam omnes Apostoli, præter ipsum in cælum recepti fuerant, suo tempore mun-

dum iudicaturi.

Et animas decollatorum propter testimonium Iesu, & propter verbum Dei, subaudi, vidi. Vniuersè capio animas martyrum à Christo vsque ad generalem hominum resurrectionem. Ioannes enim spiritu has omnes præuidebat in cælo cum Christo regnante.

Et qui non adorauerunt Bestiam, neque imaginem eius, nec acceperunt characterem eius, in frontibus, aut in manibus suis. Nimirum omnes sanctos, qui sub Antichristo pro Christi nominis confessione martyrium subierunt: vel alioqui citra martyrium, fidem inconcussam & illibatam conseruauerunt, eius professione clari in extrema illa rerum necessitate. Horum singularem & honorificam mentionem sibi faciundam Ioannes existimauit: quod ii omnium retro sanctorum fuisse præstantissimi. Et quia hic agebat de Antichristi persecutione, voluit amplissima spe proposita regni cælestis, Fideles consolari. Andreas: *Hic magistrales cathedra data fuerunt sanctis Apostolis per quos gentes fidei lumen acceperunt: ibi autem nempe in futuro seculo iuxta diuinam promissionem, alia aliis assignabuntur sedes, in eorum iudicium & condemnationem, qui Euangelicam prædicationem repudiauerunt. Quin reliquis quoque sanctis martyribus, qui pro Christo mortem perpeffi sunt, indicandi potestas data est.*] Eadem Aretas.

CAPVT VI.

Perducitur explanatio eiusdem oraculi.

ET Vixerunt & regnauerunt cum Christo mille annis. Plerique hic mille annos exponunt gloriæ perpetuitatem, qua Beati in cælo fruuntur. S. Ephrem sermone de Pœnitentia: *Sic ergo & in mille annis incomprehensibilitas vitæ æternæ significata est. Nam si dies vna apud Dominum sicut mille anni: quis poterit enumerare quot sint dies mille annorum & tantorum dierum millia millium, & decies millena millia? Propter infinitatem igitur annorum mille annos dixit in resurrectionis sanctorum requie.*] Et infra: *& mille annos posuit pro incircumscripito, & innumerabili, atque immenso tempore, vt antea dixi.*] At simplex & genuina contextus ratio potius exposcit, vt hic mille annis haud aliter accipiantur, quam vt paulo antea exposuimus, & inferius quoque intelligemus, nimirum pro toto illo tempore, quod excurret à Christo ad sæculi finem: quo qui in Christo vita functi sunt, viuent & regnabunt cum Christo interim in Cælo. Andreas: *Cum Christo vsque ad secundum illius aduentum regnabunt: post illum autem diuinis promissionibus abundantius poterunt.*] Aretas: *Cum Christo & vixerunt & regnarunt vsque ad consummationem.*]

Cæterum vt occurramus quibusdam scrupulis & modis, qui alios malè torserunt, ita distinguimus, hos mille annos vniuersè intelligimus totum tempus à primo Christi aduentu, seu ascensione ad Antichristum, & finem mundi, seu generalem resurrectionem: nam regnum Antichristi, finem rerum & vniuersalem redintegrationem, pro vna & eadem censi periodo, non est dubium, quod tria hæc paruo inter se temporum spatio coniungantur. Propriè verò diaboli alligatio explebitur initio regni Antichristi, quia tunc solutus exibat, Gloria verò & beatitudo sanctorum secundum animas tantum, per eosdem mille annos perducitur, ad punctum vsque illud, in quo fiet omnium resurrectio, iudicium & glorificatio corporum sanctorum: atque ea ratione sancti, qui sub Antichristo vel martyrio, vel sua morte occumbent

egnaturi quoque dicuntur mille annos, hoc est, intra illud tempus, quod est à Christi resurrectione & ascensione, ad generalem resurrectionem omnium.

Cum vero Ioannes de diabolo ait: *Et post hæc, id est, post expletos mille annos.* Siue: *Et cum consummati fuerint mille anni, oportet illum solui modico tempore: & soluetur satanas de carcere suo, & exhibit, & seducet gentes.* Intelligendum id futurum initio statim regni seu tyrannidis Antichristi, cum consummati incipient præfati mille anni, hoc est totum illud tempus, quod est à Christi ascensione ad finem sæculi, quod fiet sub initia regni Antichristi. Neque enim nouum aut insolens in scriptura est, consummati dici aliquod tempus, non tantum quando penitus expletum est, ac præterit: sed etiam quando consummati cæptum: vt Luca 2.v. 21. *Postquam consummati sunt dies octo, vt circumcideretur puer.* Cum tamen non exactis omnino octo diebus, sed ipso currente octauo die circumcissus fuerit. Et Matthæi 27.v. 3. *post tres dies resurgam*, id est, initio tertiæ diei. Sic etiam cum Ioannes terminum extremum mille annorum, finem sæculi intelligat qui finis & regnum Antichristi, & vniuersalem resurrectionem seu iudicium complectitur: indistinctè & vniuersè de fine ultimo loquitur: vt interdum initium eius, nempe Antichristi regnum: interdum extrema eiusdem finis, nempe generalem Redintegrationem designet. Qua ratione cuncta huius Oraculi mitè inter se coherent; si tamen meminerimus Ioannem esse prophetam, & in his præsertim, quæ de supremis mundi temporibus vaticinatur, ingentes tenebras circumuoluere.

Cæterum si Beati qui iam Deo perfruuntur, victuri & regnaturi cum Christo in æternum sunt inoffensa beatitudine: cur Ioannes regnum eorum non nisi mille annorum spatio, hoc est, vt exposuimus à morte Christi ad finem vsque mundi definiuit? Responso est in promptu: Quia Ioannes solam gloriam animarum sine corporibus exposuit: (nam nunc solarum animarum est gloria) quæ isto tantum spatio à morte Christi ad corporum resurrectionem includitur: nam ante mortem Christi, nulla anima fuit beata, nisi ipsius: post vniuersalem resurrectionem, & iudicium, non solæ animæ, sed & corpora iustorum beatitudine perfruentur. A Christo ad finem mundi regnant sancti cum Christo in solis animabus, quæ est resurrectio prima, vt mox dicemus: à fine sæculi in æternum, regnabunt etiam in corporibus, quando corpora assumuntur ad gloriam, noua specie & forma regnandi, quum tota ipsa composita regnabunt.

Cæteri mortuorum non vixerunt, donec consummentur mille anni. Facile intelligitur loqui Ioannem de impiis qui Christo non adhæserunt, sed in peccatis suis mortui sunt. Constituit istos è diametro Sanctorum: Pij qui in Christo obierunt, ad vitam cælestem & beatam perducti sunt, eorumque animæ in cælum sublatae, & quasi prima resurrectione suscitati, in cælo cum Christo regnant: intra hoc tempus à passione Domini ad iudicium: cæteri verò mortuorum, qui in peccatis obierunt, nullam hæctenus vitam adepti sunt, ad nullam huc vsque vitam resurrexerunt: neque enim consequuti sunt vitam animarum, hoc est, gratiam & gloriam, cum eorum animæ crucientur in inferno: neque vitam corporum, quia nondum resurgere debent in corporibus, quousque cōsummentur mille anni, id est, quousque prætereat vniuersum hoc tempus à morte Christi ad vniuersalem resurrectionem, quando impij etiam cum corporibus resurgent. Vides vt millenarius annorum hic ad ipsam vsque generalem resurrectionem pertingat.

Hæc est resurrectio prima. Nimirum, vt omnes

iam summo consensu interpretantur, animarum solarum sine corporibus ad gloriam: vt Resurrectio prima nihil aliud sit, quam id quod antea dixerat, *Et vixerunt & regnauerunt cum Christo mille annis.* Gagnæius annotauit, seriem & coagmentationem prophetici sermonis hanc esse: Et vixerunt & regnauerunt cum Christo mille annis: Hæc est resurrectio prima, vt illa alia verba: (*Cæteri mortuorum non vixerunt, donec consummentur mille anni,*) parenthesi fuerint interiecta. Subtilius Sa dispungit: *Et vixerunt & regnauerunt cum Christo mille annis. Donec consummentur mille anni, hæc est resurrectio prima,* & illud, *cæteri mortuorum non vixerunt.* Scilicet, vita beata, sine parenthesis, vt sit sensus: Interim dum excurrunt, & consummantur mille anni regni sanctorum, continenter peragitur resurrectio prima, dum semper nouæ, & nudæ corporibus animæ cælo inferuntur toto hoc spatio à morte Christi, ad vniuersale iudicium.

Beatus & sanctus qui habet partem in resurrectione prima: in his secunda mors non habet potestatem. Gagnæius, Pannonius, Ribera, Melus, Viegas, secundam mortem damnationem æternam animæ, & separationem sempiternam à gloria intelligunt: vt mors prima, sit corporis. Idque acceperunt ab Andrea, Arera, Ambrosiastro, Aptius Bulengerus, Sa & Mariana, secundam mortem accipiunt, damnationem illam, qua in iudicio impij simul cum corporibus in sempiternos inferni cruciatus præcipitabuntur. Ac si dicat: Quorum animæ post corporum mortem adeptæ fuerint cælestem gloriam: damnatio illa suprema iudicis, *ite maledicti in ignem æternum*, nullum in illis habebit locum. Equidem recta partium orationis analogia illud exposcit, vt sicut resurrectio prima est animæ solius, sine corpore ad gloriam: & resurrectio secunda, animæ cum corpore ad gloriam in vniuersali hominum resurrectione; ita mors prima sit solius animæ ad infernum damnatio: mors vera secunda, damnatio animæ & corporis in extremo Dei iudicio.

Expositiones Alcasaris de resurrectione prima, & morte secunda: nec referre, nec refutare liber, quod iis nugacissimis nugis per omnem otij abusum exco-gitatis, nostras scriptiones implere nullum opere præ-tium ducamus. Nos quæ pluribus eruditis ac pijs annotata sunt, tantum inferuimus.

Sed erunt sacerdotes Dei & Christi. Id nomen sacerdos Hebraicè COHEN, proprie non significat in scriptura, nisi eum qui ad sacra peragenda initiatus est, qui in sacris ministrat, & sacerdotio fungitur: interdum tamen abusive non est Ecclesiastici officij, sed honoris & dignitatis, iisque tribuitur qui erant intimi regum: quia enim reges pro diis habentur in terris, quo nomine eos aliquando scriptura insignit, inde factum est, vt eorum sacratiores ministri, quibus sacra & arcana regni commissa erant, COHANIM, sacerdotes, id est, sacratissimi regum dicantur. Sic 2. Reg. 20. v. 26. *Ira autem Iairites erat sacerdos David.* Chaldæus princeps Davidi. Et cap. 3.v. 18. *Filij autem David sacerdotes erant.* Chaldæus, Magnares, Lxx. *aule principes*: sed pro eo, Primo, Paralipom. 18.v. 17. exponitur. Porro filij David primi ad maius regis. RASONIM, primi, primores, principes: alioqui enim non erant verè sacerdotes, cum essent è tribu Iuda, in qua sacerdotes non erant, Hebræi 7. v. 14. & 15. Atqui hanc esse vocis COHEN, sacerdos, rationem & vsum, annotarunt Forsterus, Merceus, Marinus, Schindlerus, Buxtorfius in Lexicis, Forerius in Isaia 24. v. 2. & cap. 61. vers. 1, & plerique alij: & nos plenè in Hebraicis Notis ad Genes. 14. vers. 18.

Ergo:

Ergo ait Ioannes, Sanctos cum Christo in cælo regnantes sacerdotes Dei esse, id est, intimos amicos, familiares, primates, ac principes regni cælestis, diuinorum Dei operationum administratores, quasi sacrificios Dei: vel quod iugiter Deo sacrificia laudum & gratiarum actionum immolent: aut quod membra sint vnus veri & summi Sacerdotis Christi, vt S. Augustinus, lib. 20. de Ciuitate Dei cap. 10. Primasius, S. Beda, Ambrosiaster, Ansbertus interpretantur. Et Petrus 1. 2. v. 9. Christianos regale sacerdotium appellat. S. Beda obseruat, quædam exemplaria non habere sacerdotes, sed ita: *Erunt sancti Dei, & Christi.* At Græca & Latina constanter sacerdotes legunt. Illud, *Dei & Christi.* Vel Patris & Filij; aut, Dei qui est Christus.

Et cum consummati fuerint mille anni, id est, cum consummari cæperint, instante iam fine rerum, & Antichristo suam auspicante tyrannidem, vt Andreas, Aretas, & omnes intelligunt. Eruditè S. Beda: consummatus dixit, à toto partem: nam sic soluetur diabolus, vt supersint annis tres, & menses sex supremi certaminis.]

Soluetur satanas de carcere suo, de solutione diaboli tunc tempore Antichristi pluribus disputat S. Augustinus lib. 20. de Ciuitate Dei, cap. 8. & sequentibus, & cap. 11. inquit: Hæc enimerit nouissima persecutio, nouissimo imminente iudicio, quam sancta Ecclesia toto terrarum orbe patietur: vniuersa scilicet ciuitas Christi ab vniuersa diaboli ciuitate, quantacumque erit vtraque super terram.] Et cap. 13. Hæc persecutio nouissima quæ futura est ab Antichristo, sicut iam diximus.] Eadem Primasius: sed & Andreas: Postquam filius perditionis. homo ille iniquitatis veniet: tunc satanas è carcere solutus, seducet omnes gentes.] Eodem modo hæc de tempore Antichristi omnes alij interpretantur. Toto hoc opere, ac præsertim lib. 9. fuscè demonstrauimus, tempore Antichristi diabolus solutus, toris inferni viribus in Ecclesiam & orbem debacchaturum per immanissimum illum latronem.

Et exibit, & seducet gentes, quæ sunt super quatuor angulos terra, Gog & Magog. sunt in accusandi voces Gog & Magog: duplicemque sensum verba Ioannis ferre possunt: primo per asyndeton, subaudita coniunctione: seducet gentes ex toto orbe, & inter eas precipuas Gog & Magog: secundo, seducet gentes ex quatuor plagis terræ, nempe Gogum & Magogum: non quod hi, sint in quatuor angulis terræ: sed quia cum eis ventura sit ad Antichristum infinita barbararum gentium multitudo ex quatuor plagis orbis: nimirum ab Oriente Persæ, à Meridie Æthiopes, ab Occidente Libyes, ab Aquilone Gomer, Thogorma, Magog &c. Quæ vero gentes aut nationes sint Gog & Magog, quæ temporibus Antichristi mundum nominis sui terrore complebunt, abundè lib. 6. cap. 30. & sequentibus differuimus.

Equidem sub initia regni Antichristi confluentes ad eum in Iudæam innumerabiles immanium, ac ferarum gentium copias ex omnibus mundi regionibus, vel pretio conductas à Iudæis, vel fama tanti regis excitatas ad militandum in exercitibus eius copiose docuimus lib. 6. cap. 20. vsque ad 30. intra has vero precipuas ac fortissimas futuras gentes Gog & Magog, eodem lib. 6. cap. 30. & sequentibus abundè demonstrauimus: Atqui Ioannem hoc loco de eisdem nationibus, ac præsertim de Gog & Magog venturis ad militandum Antichristo vaticinatum, ex consensu omnium, eodem lib. 6. cap. 31. confirmauimus: & sane res est compertissima, nec vllus Orthodoxorum Interpretum inficias iuit. Andreas: Postquam filius

perditionis, homo ille iniquitatis veniet: tunc satanas è carcere solutus seducet omnes gentes: & Gog præterea & Magog ad totius orbis vastitatem & desolationem concitabit in prælium.] Et infra: In præsentie Apocalypsi quæ de futuris vaticinatur, docetur ad sæculi huius finem Gogum & Magogum in medium prodituros.] Eadem Aretas, & reliqui omnes. Adito recentiores Apocalypsis Interpretes.

Iam quæ de fine, strage supremoque exitio tam immanium exercituum ac gentium Antichristo militantium, ac præsertim, de extrema clade Gog & Magog, quæ diuini Prophetæ Ezechiel & Ioannes prædixere, ex instituti ratione, & rerum serie aperiamus.

CAPVT VII.

Apparatus supremi prælij Antichristi, seu Gog & Magog aduersus Ecclesiam, ex oraculis Ezechielis & Ioannis,

Diuinus Vates Ezechiel, cap. 38. v. 8. de Gog & Magog ita scribit: *In nouissimo annorum venies Gog ad terram quæ reuera est à gladio, & congregata est de populis multis, ad montes Israël, qui fuerunt deserti iugiter: hæc de populis educta est, & habitabunt in ea confidenter vniuersi. Ascendens autem quasi tempestas veniens, & quasi nubes, vt operias terram tu, & omnia agmina tua, & populi multi tecum. Et vers. 11. & dices: Ascendam ad terram absque muro: veniam ad quiescentes habitantesque securè: hi omnes habitant sine muro, & vestes, & porte non sunt eis: vt arripias spolia, & innadas prædam, & inferas manum tuam super eos, qui deserti fuerant, & postea restituti: & super populum, qui est congregatus ex gentibus, qui possidere capit, & esse habitator vmbilici terræ. Et vers. 15. Et veniens de loco tuo à lateribus Aquilonis tu, & populi multi tecum, ascensores equorum vniuersi, catus magnus, & exercitus vehemens. Et ascendes super populum meum Israël quasi nubes, vt operias terram. In nouissimis diebus eris: & adducam te super terram meam: vt sciant gentes me, cum sanctificatus fuero in te in oculis eorum, & Gog. Hæc dicit Dominus Deus: Tu ergo ille es, de quo loquutus sum in diebus antiquis, in manu seruorum meorum Prophetarum Israël, qui prophetauerunt in diebus illorum temporum, vt adducerem te super eos.*

*Integrum Ezechielis de Gog & Magog vaticinium cap. 38. & 39. descriptum, ad tempora Antichristi proprie pertinere, in quibus plene complebitur, lib. 6. cap. 31. satis superque firmavimus. Franciscus Ribera in 20. Apocalypsi. Num 68. existimat Ezechielem præfatis verbis loquutum de Iudæis, quum tempore Antichristi congregandi sunt ex omnibus mundi regionibus, & reuersuri in solum patrium, urbemque Ierusalem, ac templum instauraturi, & Antichristum pro Messia recepturi; deinde autem per Henoch & Eliam ad fidem Christi conuertendi: contra quos Iudæos iam Christianos factos, armandi sunt ab Antichristo exercitus Gog & Magog: atque in eos tunc Israëlitas Christianos exactè competere quæcumque Ezechiel de exercitibus Gog & Magog contra populum Israël pugnaturis vaticinatus est. Hæc quidem ex parte vera sunt: sed non plene attingunt, aut explicant mentem Ezechielis. Primo, Quia non prius Israëlita terram sanctam obtinebunt, quam illuc perueniant exercitus. Gog & Magog, & aliarum gentium Antichristo militantium, vti superius lib. 6. cap. 29. & 34. Secundo, Quia Ezechiel ait: *Et habitabunt**

in ea confidenter, seu tuto, ut est Hebraicè: quod in Iudæos tunc conuersos ad fidem, neuiquam conuenire posse videtur: qui non nisi in summa rerum difficultate, angustia, mærore, metu persecutionis Antichristi agent: in quos sæuius quam in alios furorem suum Draco effunderet. Tertio, cum prælium Gog & Magog ineundum sit aduersus Ecclesiam Christi, idest, omnes Christianos tam ex Gentibus, quam ex Iudæis: nulla est ratio ut verba Ezechielis singulariter ad solos Iudæos Christianos arctemus.

Igitur cum primis verisimile existimamus, paulo ante tempora Antichristi, Terram sanctam, & urbem Ierosolymam abundaturam Christianis, qui eam provinciam magna frequentia incolent: ac maxime ibi Christianam religionem tunc propagatum iri, ædificatis multis Ecclesiis in regionibus illis Orientalibus, ac latè sparsa per ea loca veri Dei cognitione. Quod equidem mirè esse vero consentaneum multæ rationes euincunt. Primo, Nam cum abundè in superioribus ostenderimus, Antichristum præcipuam Imperij sedem in Iudæa ac Ierosolymis fixurum: illisque locis atrociorē quam alibi persecutionem aduersus Christianos excitaturum. Secundo, Henoch & Eliam præcipuos Ecclesiæ antesignanos in ea vrbe interfecurum. Tertio, Christianos innumeros, metu Antichristianæ persecutionis in proxima Arabiæ deserta fugituros: quis ex istiusmodi non illico dispicit, complures, tunc in illis locis Christianos futuros: seu Dominos antea terræ, seu si mauis aliis gentibus subiectos.

Suspicati sunt quidam impuram Mahometis sectam, & imperium quod nunc terram Sanctam sub iugo tenet, post mille annos quam in mundo vigerit, extinctum iri. Florimundus Remundus libro de Antichristo, cap. 8. ex Annalibus Turcicis Ioannis Leunclauij refert Mahometem vltimum iam spiritum trahentem, interrogatum ab assidentibus lecto discipulis, quādiu eis religio & dogma in mundo victura essent: cum iam vocem in verba formare non posset, extensa manu, digitis decem annorum centurias expressisse. At si iuxta nebulonis vaticinium mille annos mansura tantum est eius secta: initium eius quam Hegiram, idest, Fugam, seu Expeditionem vocant, Ioannes Leo anno Christi 592. figit: Alfonso rex, Ioannes Lucidus, Gerardus Mercator, Gilbertus, Genebrardus, Henricus Buntingus anno 621. Annales Toletani apud Marianam de Rebus Hispaniæ lib. 6. cap. 26. Iosephus Scaliger, Iacobus Gordonus, Vbbo Emmius, anno 622. nos hæc nostra nunc scribimus v. vrbis, anni 1621. quare iam vel hoc anno, vel sequenti Mille Hegiræ complentur anni: sed ipsa exitialis superstitio viget adhuc, & Orientem, Meridiemque valide occupat, vel irā Dei, vel ignauia Christianorum Principum, qui vires iungere detrectant, quibus Turca impar. Mahometani, ut est apud eundem Florimundum, pro comperto habent, suam sectam à Christianis penitus profligandam.

Christianos quidem iterum recuperaturos Terram Sanctam ante aduentum Antichristi, Lyranus & Pintus in 38. Ezechielis annotarunt: & certè verba Prophetæ eo ducunt: tametsi S. Vincentius Ferrerius Epistola 13. ad Benedictum Pseudo-pontificem refragetur. Sed sunt hæc obscura & incerta. Illud pro certo tradiderim, tempore Antichristi innumeros Christianos terram Sanctam inhabitaturos: in quos verba Ezechielis apte competere haud difficilè ostendimus.

Ierosalem quidem & terram Sanctam, tunc reuersum à gladio, & congregatam è populis multis appellat:

quia nulla terra plures gladios pertulit, aut maiores clades passa est: mente repete Allyriacas, Chaldaicas, Vespasianicas, Hadrianicas, Persicas, Saracenicis, Turcicas, captiuitates & excidia: & si diuinare licet ante aduentum Antichristi, non sine gladiis, & multo sanguine obtinebitur à Christianis: vel Ecclesiam intelligit, quæ tum è gladiis & captiuitate Mahometica tantisper respirabit. Ad hæc quia tum forsitan Christiani illuc ex multis nationibus, amore & deuotione sanctorum locorum, congregabuntur. Nam semper ab ipsis Ecclesiæ primordiis ad hæc vsque nostra tempora, soliti sunt Christiani ad ea sancta loca peregrinari ex variis mundi regionibus: & multis retro annis diuersæ nationes Christianæ Terram Sanctam incolebant. Iacobus Vitriacus in Historia Ierosolymitana fusè agit cap. 74. & sequentibus, de Surianis, Iacobinis, Nestorianis, Maronitis, Armeniis, Georgianis, & aliis nationibus Christianis, quæ in terra Sancta habitabant. Et Brocardus in descriptione Terræ Sanctæ: *sunt quoque in hac terra Syriani, Græci Armeni, Georgiani, Nestoriani, Nubeani, Iabeani, Maronita, Ethiopes, Aegyptij, & multa alia gentes, quæ quidem omnes consitentur Christum, & habent suos Patriarchas.* Eadem & fusiora de his habet alter Burchardus de Monte Sion, in descriptione Terræ Sanctæ ad finem: quam edidit Henricus Canisius. *mnos Israel desertos iugiter vocat: quod variis temporibus & à nostra ætate multis retro annis, inculti, horridi, deserti manserunt.*

Habitabunt autem Christiani ante aduentum Antichristi in vrbibus aut oppidis Terræ Sanctæ sine muris, sine portis, aut vrbibus: nimirum tuto, quierè, securè, nihil ab vllō magno hoste sibi metuentes: ut nunc viuunt in Mediterraneis Hispaniæ vrbibus. Forsan hæc est tropica periphtasis, indicans summam tunc pacem & securitatem futuram.

Populus habitator umbilici terræ, dicitur populus Christianus, qui tum Ierosolymis, & in Iudæa habitabit. Sed cur Ierosalem, aut Iudæam *umbilicum terræ* dicat, disquiramus. Plerique veterum Patrum existimasse videntur, Ierosalem sitam in medio olim cogniti & habitati orbis. S. Irenæus lib. 1. cap. 3. de Ecclesiis quæ erant in Iudæa: *Neque hæc quæ in medio mundi sunt constituta.* Tertullianus lib. 2. contra Marcionem cap. 4.

Golgotha locus est capitis, Caluaria quondam.

Lingua paterna prior, sic illum nomine dixit.

Hic medium terræ, hic est victoriæ signum.

S. Beda libello de locis sanctis, cap. 3. *In medio autem Ierosalem columna celsa stat, quæ æstiuo solstitio umbram non facit: unde putant ibi mediam esse terram, & historicè dictum: Deus autem ante sæcula operatus est salutem in medio terræ. Qua ductus opinione Victorinus Pictauiensis Antistes Ecclesiæ, de Golgotha scribens, ita inchoat.*

Est locus ex omni medium quem credimus orbe,

Golgotha Iudæi patrio cognomine dicunt.

S. Hieronymus in Ezechiel 5. v. 5. elucidans verba illa: *Ista est Ierosalem: in medio gentium posui eam, & in circuitu eius terras, inquit: Ierosalem in medio mundi sitam hic idem Propheta testatur umbilicum terræ esse demonstrans.* Et paulo inferius: *Operatus est salutem in medio terræ: à parte enim Orientis cingitur plaga, quæ appellatur Asia: à partibus occidentis eius quæ appellatur Europa: à meridie & Austro Lybia & Africa: à Septentrione Scythia, Armenia, atque Perside, & cunctis Ponti nationibus: in medio igitur gentium posita est.* S. Hilarius Canone 33. in Matthæum: *Locus deinde crucis talis est, ut positus in medio terræ, & tanquam in vertice huius vniuersitatis insistent, ad capescendam Dei*

Dei cognitionem vniuersis gentibus esset aequalis.] S. Cyrillus Ierosolymitanus Catechesi 13. *Medium enim terra est hic Golgotha: non meus est hic sermo, Propheta dicit, Operatus est salutem in medio terra.*] Theodoretus in 5. cap. Ezechielis: *Ierusalem locum orbis terrarum umbilicum, ad Orientem & Aquilonem Asiam habentem, ad Occidentem Europam ad se per mare pertinentem: Ab Austro Lybiam.*] S. Germanus Constantinopolitanus Episcopus in Theoria Rerum Ecclesiasticarum: *Omnibus consentibus in Ierosolymis circumscriptum esse ipsissimum medium terra.*] Marinus Sanutus in secretis Fidelium Crucis lib. 3. Parte 14. cap. 8. de Caluarie monte: *Ibi prope ostenditur locus, ubi Ioseph ab Arimathia, & Nicodemus lauerunt Iesum, quando deposuerunt eum de Cruce: quem aiunt Dominum Iesum ostendendo dixisse, ibi esse medium mundi: & est in medio Chori.*

Iosephus tamen aliter intellexit Ierusalem esse medio terræ: non quidem totius orbis, sed terræ Iudææ dumtaxat lib. 3. Belli cap. 2. ait: *Media vero eius [Inempe Iudææ Prouinciæ] est Ierosolyma: unde quidam non sine ratione, umbilicum eius terræ eam vocauerunt.*

Scripturæ loca, quæ Ierosolymam in medio terræ constituere videntur, sunt, Psalm. 73. v. 12. *Deus autem rex noster ante secula operatus est salutem in medio terra.* Ezechiel 5. v. 5. *Ista est Ierusalem, in medio gentium posui eam, & in circuitu eius nationes.* Et locus hic, quem modo illustramus: quo eam vocat Ezechiel, *umbilicum terra.*

Notum est apud Gentiles scriptores, loca quædam appellari *umbilicos*, quod essent vn medio regionis, vt umbilicus est in medio corporis. Cicero Oratio 9. in Verrem, de Ennensium nemore: *Qui locus, quod in media est insula situs, umbilicus Sicilia nominatur.*] Diodorus Siculus lib. 5. num. 199. de eodem Ennensium nemore: *Estque partum illud in summo dorso planum, & irriguum, circum vero circa altum & undique præarptum. At in medio totius insula situm esse putatur: unde Sicilia umbilicus à quibusdam vocatur.*] Locus vbi Templum & Oraculum Delphici Apollinis est, umbilicus quoque nuncupatus fuit. Plato lib. 4. de Republica: *Hic nimirum Deus rerum huiusmodi patrius omnibus hominibus interpres, in medio terræ ipso umbilico sedens edit oracula.*] Æschylus in chois: *Adibo delubrum Apollinis umbilicum terræ tenentis,*] Cicero lib. 2. de diuinatione, veteris Poetæ versum laudat: *O sancte Apollo, qui umbilicum terrarum certum obsides.*] Varro lib. 6. de lingua Latina cap. 2. Manilius scribit: *O sancte Apollo, qui umbilicum certum terrarum obrines. Umbilicum dictum aiunt ab umbilico nostro: quod is medius locus sit terrarum, vt umbilicus in nobis. Quod verumque est falsum: neque hic locus est terrarum medius: neque noster umbilicus est hominis medius.*] Vide notas Iosephi Scaligeri & Dionysij Gothofredi in hunc locum varronis.

Strabo lib. 9. *Sunt enim Delphi fere in medio siti totius Græciæ, quæ & extra Isthmum & intra est: quin etiam in medio totius terrarum orbis iacere quidam senserunt, terræque Umbilicum dixerunt. Monstratur etiam Umbilicus quidam in eo templo fasciis velatus.*] Liuius lib. 38. cap. 47. in Oratione Cn. Manlij: *Etiam Delphos quondam commune humani generis oraculum, Umbilicum orbis terrarum Galli spoliauerunt.*] Plutarchus de Oraculorum defectu, initio: *Aquilas quasdam, antea fabulantur ab extremis terræ partibus ad medium eius volatu tendentes Pythia eodem conuenisse, ad locum, cui Omphalo, idest, Umbilico nomen est.*] Pausanias in Phocicis, seu lib. 10. numero 131. *Iam qui à Delphis Umbilicus vocatur, è candido marmore, esse cum aiunt*

medium terra vniuersa punctum. Congruunt cum hac opinione, quæ in quodam carmine cecinit Pindarus.] Auctor obscæni catminis: *Delphi Pythius orbis umbilicus.* Nonnus lib. 27. Dinyfiakon: *Axis umbilici vates persuasionis rex.* Consule Notas Isaaci Casauboni in 9. Strabonis, & VVilhelmi Godeleuari in 38. Liuij.

De Ætolis Libius lib. 35. cap. 18. *Iam primum Ætolos qui umbilicum Græciæ incolerent &c.*] Pausanias in Corinthiacis, seu lib. 2. Num. 56. *Non longe locus est, qui umbilicus dicitur, medietatem totius Peloponnesi, si modo ita se habet res, vt ipsi dicunt.*] Ex his intelliges quam apto, & vsitato more loquendi Ezechiel Ierosolymam appellauerit umbilicum terræ.

Verum nec illud omittimus, Hebræis nomine THABVR, idest, *Umbilicus* appellari etiam loca, quæ eminent vel extuberant in circumiecta planitie instar umbilici aut ventris, quæ Græci *μασους*, hoc est, *mammæ* appellant. Sic iudicium 9. v. 37. *Ecce populus de umbilico terræ descendit.* Inde dictum volunt montem Thabor, quod in medio Galilææ campo mira rotunditate sublimis exurgat, vt Iosephus lib. 4. Belli cap. 2. Eusebius & S. Hieronymus in locis Hebræicis annotarunt. Sed Thabor mons cum Thau: TABOR, *Umbilicus*, cum *Tet* scribitur. Vnde Ierusalem, quod in loco celso & sublimi esset, rectè potuit *Umbilicus terra* appellari. Egit etiam de his Casaubonus Exercitationis Baronianæ 16. Diatriba 83.

At docti quique Ierusalem in medio, vel umbilico terræ, seu orbis tunc cogniti sitam ita commodè quo ad latitudinem accipiunt: quod cum prisca Geographi terram in vii. climata diuiserint: Ierusalem collocant initio quarti climatis. Alioqui enim compertum est, Ierusalem non esse in medio orbis terræ simpliciter, cum non sit sub Æquatore sed eis Cancri tropicum quatuordecim gradibus eleuetur ab Æquinoctiali. Vide Genebrardum & Bochium in Psalm. 73. ad vers. 12. Sed ad institutum redeamus.

Ergo Christianis vt prædiximus Ierosolymis & in Iudæa, atque in aliis circumiectis Orientis regionibus summa in pace & securitate degentibus, ceu atrox tempestas Antichristus è Babylonia cum validis copiis mouebit: atque eodem tempore Gog & Magog cum immensis Barbararum gentium agminibus è Septentrionalibus regionibus erumpentes, & cuncta inundantes, in Iudæam ac Ierusalem contendunt: atque ibi se Antichristo ex Ægypto, Libya, & Æthiopia cum magnis victoriis redeunti adiungunt: vt libro 6. cap. 20. fusè docuimus. Tunc etiam ad Antichristum confluent innumeræ gentes feræ & immanes ex Oriente & Meridie, & ex Aliis mundi regionibus, sub signis eius stipendia merituræ: nimirum omnes illæ, quas lib. 6. cap. 21. & sequentibus largè recensuimus, & explicauimus. Seorsim vide cap. 34. eius 6. libri. Ex quibus omnibus fortissimos & numerosissimos exercitus constabit Antichristus, quibus mundum vniuersum opprimeret & sub iugum mitteret.

Hæc cum viderint Christiani Ierosolymis & in Iudæa inhabitantes metu tantarum virium attoniti, consilij in opes circumspectabunt, quo tandem euasuri sint tam immanes bellorum apparatus, quibus ipsi impares omnino se cernent: sed Antichristus tunc omnia occupabit, pijs tacentibus & nequiquam resistentibus: sed facile coniectantibus ex scripturis, ex doctrina Patrum, & concionibus & monitis Doctorum, iam Antichristum adesse. Quæ omnia sunt notis plenè lib. 6. obseruata, vnde initiis regni Antichristi est actum. Post hæc Antichristus, cuncta illa horrenda, infanda perpetrabit, quæ à nobis toto hoc

hoc opere sunt accuratissime prodita : ac præsertim crudelissimum bellum illud in Christianos excitabit, ut eos funditus extirpet, quod libro 9. descripsimus. Sed postquam diuinam illam Xynoridem Henochum & Eliam trucidauerit : tunc Christiani maiori mentis ardore, & alacritate, viso præsertim tanto miraculo resurrectionis & glorificationis eorum, fidem Christianam fortius & constantius palam, publicèque profitebuntur : & qui latebras eousque quaesierant, tunc omni penitus metu pectore discusso, prodibunt in apertum, diuinam Religionem acerrimè propugnaturi. Nec à vero abludit, quod obseruatum est à Francisco Ribera in 20. Apocalyps. Numero 69. Cornelio à Lapide in 2. Thessalonicens. 2. Numero 78. tunc reperiendos in Ierusalem plurimos Christianos, qui non sine Dei nutu ex variis orbis partibus, sub initia prædicationis Henoch, & Eliæ, eo certatim confluent, ut tantos Prophetas videre & audire possint : & fortasse amore profitendæ & iuandæ Christianæ fidei, quæ tum maximè in illis locis periclitabitur. Annotauimus insuper lib. 10. cap. 20. visis tam stupendis prodigiis, quæ in Resurrectione & Assumptione Henoch & Eliæ euenient, plurimos de Antichristianis fidem amplexuros Christianam.

Quæ omnia cum viderit Antichristus, ac præsertim celeberrimam illam innumerabilem Iudæorum ad Fidem Christi accessionem, mirabilem etiam ac planè diuinam Arctæ Testamenti manifestationem, & gaudium ingens Christianorum : quæ cuncta copiosè descripsimus lib. 12. dolore ac rabie rumpetur, cernens se hæcenus tam atroci persecutione nihil effecisse : sed potius cuncta sua in deterius labi, Christianos augeri, eorum res magnis incrementis illustrari, nouis miraculis clariores reddi : decernet eos supremo & acerrimo prælio aggredi, ac veluti vno ictu omnes trucidare : sicque extrema phrænesi furens, congregabit cunctos suos exercitus, præsertim Gog & Magog, qui inter alias gentes & robore, & crudelitate insigniores erunt : omnesque suas vires in vnum colliget, aut cunctis simul collatis, non iam singulos aut per partes, sed omnes demum Christianos vno prælio ferro, & igni extirpet, ac penitus delet. S. Beda hæc respexisse videtur, cum Apocalyps. 11. hæc annotat : *Henoch & Elia occisis, sanctam Antichristi grassaturam : & reuoluto demum certamine, à sanctis, qui latebrarum præsidio velut mortui credebantur, esse superandam.*

Ergo ad istud acerrimum prælium, imensos Gog & Magog & aliarum gentium esse congregandos, suo vaticinio proculdubio Ezechiel prædixit, ut etiam eap. 9. opertius ostendetur.

Sed & Ioannem admirabili consensu Ezechieli concinentem, apparatus prælij Gog & Magog sub Antichristo aduersus pios descripsisse, nemo prudens poterit dubitare. Apocalyps. 16. v. 12. inquit : *Et sextus Angelus effudit phialam suam in flumen illud magnum Euphratem, & siccauit aquam eius, ut prepararetur via regibus ab ortu solis. Et vidi de ore draconis, & de ore bestie, & de ore pseudoprophetae spiritus tres immundos in modum ranarum : Sunt enim spiritus demoniorum facientes signa, & procedunt ad reges totius terre congregare illos in prælium ad diem magnum Omnipotentis Dei. Hunc locum explicatum dedimus lib. 6. cap. 34. illic vise.*

Sed & se magis explicans Ioannes cap. 20. v. 7. addit : *Et cum consummati fuerint mille anni, soluetur sathanæ de carcere suo, & exibit, & seducet gentes, quæ sunt super quatuor angulos terre, Gog & Magog : & congregabit eos in prælium, quorum numerus est sicut arena maris. Vaticinati hinc Ioannem de temporibus An-*

tichristi, & ostendimus præcedenti capite, & nullum vnquam orthodoxus dubitauit. Et vero qui diligenter attenderit præclaram concordiam eorum inter se quæ Ezechiel & Ioannes de ultimo prælio Gog & Magog, & suprema Clade tradidere ; ac planè perspectum habuerit, Ioannem non nisi de temporibus Antichristi fuisse loquutum : haud opus habebit multo probationum genere ad assentiendum iis quæ de supremo prælio & exitio Gog & Magog, & capimus iam, & deinceps dicere perficiemus.

CAPVT VIII.

De loco Armagedon, in quo congregandi sunt exercitus Gog & Magog, & aliarum gentium in prælium in die magno omnipotentis Dei.

Singulariter etiam Spiritus sanctus locum, ubi congregandi sunt exercitus Gog & Magog ad supremum orbis conflictum designauit. Apocalyps. 16. v. 16. *Et congregabit illos in locum, qui vocatur Hebraice Armagedon.* Illud congregabit refertur ad Antichristum, seu diabolum quod idem omnino est : diserte Ioannes diabolo tribuit cap. 20. v. 7. *& congregabit eos in prælium.* De etymo & ratione nominis Armagedon hostes Romanæ Ecclesiæ, quo nominis eius inuidiam in eam Ecclesiam deriuarent : multa blasphemæ & imperitæ confinxerunt, quæ facile irrita & refutata reperies apud Florimundum Remundum de Antichristo, cap. 26. & apud Ieremiam Ferrerium libro de Antichristo, cap. 10, si constaret quibus litteris Hebraicis ea vox scribenda esset, & quibus intellecta est à Ioanne, facile significatus illius erui posset : at nunc meris coniecturis agendum, postquam Hebraica nominis scriptura nescitur. S. Hieronymus in Nominibus Hebraicis, Harmagedon, exponit, *mons è larrunculis*, haud absurde, quod Hebræis H A R sit mons, Ghedud, Turma, cuneus, globus. Vulgatus larrones, seu larrunculos reddere solet, latrones enim olim milites vocatos scimus : vide quæ de his notauimus lib. 6. cap. 6. & in Genes. 49. v. 19. Ribera putat compositum ex GHARAM cum Aiin, dolosè, astutè, & callidè agere, & ex GADAD, exercitum congregare, quasi Deus astutè & callidè tantos exercitus sit congregaturus ad eorum internecionem. Drusius in vocibus Hebraicis Noui Testamenti, & in Præteritis, conflatur CHORMAH, excidium, delerio, internecio, seu deuotio, anathema, excommunicatio : & GHEDON, exercitus eorum, ab euentu prælij sic locum appellatum, quod exercitus eorum ibi internecione deleretur sit, existimatque eum esse locum qui Numeror. 23. v. 3. dicitur Horma prope montem Hor, ubi Israëlitarum Chananeos interfecerunt.

Neque displicet eorum sententia qui volunt Armagedon idem omnino esse quod Magedon : nam cum Ioannes locum quendam notum ac celebratum indicasse videatur : sanè Armagedon neque in scriptura, neque apud vllum auctorem reperitur. Tichonius Homilia 13. in Apocalypsim, non Armagedon, sed Magedon in Ioanne legit. Mageddo verò vel Hebraicè Meghido, & semel Zachariæ 12. v. 11. addito nun Meghiddon, celebris est in scriptura vrbs, tribus Manasse, Iosue 17. v. 11. prope torrentem Cisson, Iudicum 5. v. 19. posita in campo Magno Galilææ, qui Iudith 1. v. 8. vocatur campus magnus Esdrelon : vnde aliquoties dicitur campus Mageddo, clarus Iosæ regis

regis pientissimi nece, 2. Paralipom. 35. v. 22. & 4. Reg. 23. v. 29. Magdolum appellat Herodotus lib. 2. cap. 159. ubi de clade Iosias seu Sycorum mirè factis libris contentientia tradit.

Brocardus: *Mageddo* quod hodie subimbre vocatur, ubi rex Iosias occisus fuit a Pharaone rege Egypti. Et aduerte quod campus iste *Mageddo*, *Esdrelon*, & planities *Galilæa* sunt fere unus & idem campus: sed nomina illa hodie omnia in oblivione abierunt, vocaturque campus *Saba*, à quodam castello quod *Saba* nuncupatur, distans à ciuitate *Aphec* quantus est iactus arcus. Cingitur Campus ille ab Oriente mari *Galilæa* & *Iordane*, ab Austro monte *Ephraim* & *Samaria*: ab Occidente partim monte *Ephraim*, & partim monte *Carmelo*: Ab Aquilone montibus planities, (forfan *Phanicia*) & *Libano*: videturque iuxta longitudinem habere decem leucas, & iuxta latitudinem sex. Alter Burchardus de Monte *Sion*: *Mageddo* mōs ubi mortuus est *Ochozias* rex *Iuda*, ubi occisus est etiam *Iosias* rex *Iuda*, à rege *Egypti*. Huic loco adiacet cāpus magnus qui *Mageddo* dicebatur: in *Iudith* autē cāpus magnus *Esdrelon*. Est autē in rei veritate Cāpus iste planities *Galilæa* quæ cingitur ab Oriente mari *Galilæa*, & *Iordane*: ab Austro monte *Ephraim* & *Samaria*: ab Occidente partim monte *Carmelo*: Ab Aquilone montibus *Phanicia*, qui *Phaniciam* diuidunt & *Galilaam*: & habet in longitudine quinque miliaria plenè *Theutonica*, vel amplius. His assentiuntur sacri alij Topographi, scilicet *Adrichomius*: item *Mafius* in *Iosue* 17. v. 11.

Sciendum urbem hanc, de qua loquimur *Mageddo*, diuersam prorsus esse ab illa *Matthæi* 15. v. 39. & venit in fines *Mageddan*. Græca *Magdala*. *Marcus* 8. v. 10. *Dalmanutha* Siquidem *Matthæi* *Magedan* fuit ultra mare *Galilææ*, prope *Gerasam*, & *Gadaram*. *Eusebius* & *S. Hieronymus* de locis Hebraicis: *Magedan*, ad cuius fines *Matthæus* Euangelista scribit Dominum peruenisse nunc autem regio dicitur *Magedena*, circa *Gerasam*. Vide *Iansenium* in eum locum *Matthæi*, & *Adrichomium* in tribu *Manasse*, Numero 66. At *Mageddo* vrbs cis stagnum in campo *Galilææ* erat, longe à *Gerasa* remota. *Franciscus* *Lucas* lapsus est, qui vnā & eandē urbem putauit. Errat quoque *Brocardus*, qui existimat *Matthæi* *Magedan* esse locum illum, qui à plerisque vocatur *Magedan*, vel *Medan*, idest, aquæ *Dan*: nam *Medan* est fons *Iordanis*, quem *Iosephus* lib. 3. Belli cap. 18. *Phialam* nuncupauit, ni *Trachonitide* regione, Cxxv. stadiis supra *Cæsaream* *Philippi*, longè à *Magedena* *Matthæi* regione.

Com ergo iuxta urbem *Mageddo* tam amplus ac late diffusus campus extendatur, decem leucarum longitudinis, & sex quoque latitudinis, accommodatissimus erit locus capiendis tot exercitibus *Antichristi*: vnde nihil mirum si ab eo locus certamini deligatur, ubi & acies explicare, & equitatum fundere possit, Equidem *Mageddon*, & *Armageddon* vnum & eundem esse locum, *Ribera* hic, & *Scaliger* lib. 3. *Isagogicorum Canonum*, pag. 287. annotarunt. Neque assentior *Riberæ* existimanti *Armageddon* esse vocem corruptam, & restituendum in *Ioanne* *Mageddon*: sed potius putarim *Hermageddon* Hebraice esse Montem *Mageddon*: Nā *Mageddon* montem fuisse cum subiecta planitie, nuper ex *Burchardo* vidimus. *Mageddo* Hebræis, vel est à *MAGAD*, & tunc significat locum delitiis plenum, ac optimis pretiosisque fructibus opulentum *Burchardus* de Monte *Sion*: *Fertilis supra modum vini & frumētī & omnium bonorum, quæ gignere solet humus, & aëre saluberrimo*. Aut est à *GADAD*, & tunc denotat locum exercituum, copiarum, turmarum &c.

Et quia in rebus obscurissimis latior datur coniectandi licentia, non reor absurdum suspicari, *Ioannem* nomine *Armageddon* contractè indicare voluisse locū

Tom. I. de Antichristo.

illum, de quo *Zachariæ* 12. v. 11. *Sicut plañtus Adadremōn in Campo Magedolon*. vt ex duobus vocibus *Adadremōn* *Mageddon*, *Ioannes* vnā contraxerit ac conflauerit, At *Mageddon*. Quem locum nunc non vacat longius explanare: adito explanatores: nobis sat sit annotare ex *S. Hieronymo* *Adadremōn* urbē fuisse in campo *Mageddon*, propè *Iezrahel*, quæ suo tempore vocabatur *Mazianopolis*. A copia malorū punitorū, *Remon* dicta videtur. Putamus itaque in amplissimo illo campo *Mageddo*, nobili *Iosias* regis interitu, congregaturum *Antichristum* omnes suos exercitus ad contrucidandos omnes *Christianos*, qui in illis partibus erūt. Quas omnes copias, belli apparatus, instructas acies & in armis ad prælium positas, *Ioan.* tamquam præsentes intuens, ita describit *Apocalypf.* 19. v. 19. Et vidi bestiam [*Antichristum*] & reges terræ, & exercitus eorum. [nimirum *Gog* & *Magog*, & aliarum gentium] congregatos ad faciendum prælium cum illo qui sedebat in equo. hoc est, cum *Christo*, vt sequenti capite ponemus: & cum exercitu eius: scilicet, inuisibili Angelorum, visibili *Christianorum*, aduersus *Ecclesiæ* militantis copias.

Et c. 20. v. 8. addit *Ioan.* Et ascenderunt exercitus *Gog* & *Magog*, super latitudinem terræ, & circueverunt castra sanctorum, & ciuitatem dilectam. Castra sanctorum & ciuitatem dilectam vocat. cætum *Christianorū*, *Ecclesiā*, quæ tunc *Ierosolymis* & in *Iudæa* erit: nam *Ecclesiā* militans, dicitur terribili vt castrorum acies ordinata, *Canticorum* 6. v. 3. Eam tum *Antichristus* cum exercitibus *Gog* & *Magog* circuebit, quia omni opum vi nitentur eam ita cingere, concludere, circumvallare, vt ne vllus *Christianus* euadere possit: sed omnes excindantur. Et fit cum primis verisimile, vt etiam annotauit *Ribera*, *Antichristianos* qui tum *Christianis* permisti erunt in *Terra sancta*, longe recessuros ab eis, ac pios solos discrimini & periculo relicturos, vt ipsi soli tanto belli turbine obruantur. Iam quisque prudens animo secum reputet, quantus tunc erit metus & consternatio *Fidelium*, quando se viderint cunctis *Antichristi* & *diaboli* viribus infestari. Tunc lacrymæ, preces, clamores opem diuinam implorantium.

CAPVT IX.

Exercituum Gog & Magog exitialis Strages è vaticiniis Ezechielis & Ioannis.

MOnemus lectorem, *Lactantium Firmianum*, vt ceteros quoque *Chiliasistas*, in sua illa præpostera opinione persistētes de *Millenario* in terris *Christi* regno, diuersum existimasse supremum *Antichristi* prælium contra *Ecclesiā* ab illo *Gog* & *Magog* postremo certamine: quod putarunt futurum post mille annos à morte *Antichristi*, vt initio huius libri pluribus retulimus: at sunt iam *Millenarij* à nobis superius refutati, & totius *Christiani* orbis consensu explosi ac reiecti idem citra controuersiam erit nouissimum certamen *Gog* & *Magog* atque *Antichristi*, vt omnes *Orthodoxi* perpetuo intellexerunt: & nos ex ductu filoque rerum *Antichristi* in hoc opere abunde demonstrauimus. Verum *Lactantius* agens de vltimo *Antichristi* aduersus *Ecclesiā* cōflictū, nec satis probè tenens sacrorum Prophetarum mentem, multa fabulosa, & à vero abhorrentia prodidit: nam post descriptam *Antichristi* persecutionis truculentiam, hæc l. 7. c. 17. subiungit: Cum hæc facta erunt, tunc iusti & sectatores veritatis segregabunt se à malis, & fugient in solitudines. Quo audito impius Rex, *Antichristus*, inflamatus ira veniet cum exercitu magno, & admotis omnibus copiis circumdabit montē, in quo iusti morabuntur, vt eos comprehendat. Illi verovbi se clausorundique atque obsessos viderint,

E

exclama

exclamabunt ad Deum voce magna, & auxilium celeste implorabunt. Et exaudiet eos Deus, emittet regem magnum de calo, qui eos eripiat, ac liberet, omnesque impios ferro ignique disperdat.] Et quidem satis apte verba Ioannis, & circueunt castra Sanctorum, & civitatem dilectam. Lactantius interpretatus videtur. Pergit vero cap. 18.

Hæc ita futura esse, cum Propheta omnes ex Dei spiritu, tum etiam vates ex instinctu demonum cecinerunt. Hydaspes enim quem superius nominavi, descripta iniquitate sæculi huius extrema pios ac fideles à nocentibus segregatos, ait; cum flutu & gemitu extensuros esse ad calum manus, & imploratos fidem Iouis: Iouem respecturum ad terram, & auditurum voces hominum, atque impios extincturum. Quæ omnia vera sunt præter unum quod Iouem dixit illa facturum, quæ Deus faciet. Sed & illud non sine demonum fraude subtractum est, missum iri à Patre tunc Filium Dei, deletis omnibus malis, pios liberet. Quod Hermes tamen non dissimulavit: in libro qui sermo finalis inscribitur, post enumerationem malorum, de quibus diximus, subiicit hæc: Cum hæc ita facta fuerint. O Asclepi, tunc Domini, & Pater & Deus, & primi & vniuersi Dei creator, respiciens quæ facta sunt, & suam voluntatem in huiusmodi bonum præponens temeriti, & errorem reuocans malitiam purgabit, partim quidem aqua nimia dissoluens, partim igne rapido cremans interdum bellis, ac pestilentis percussis ad statum pristinum perduxit, suumque restituit mundum.

Sibylla quoque non aliter fore ostendunt, quam ut Dei Filius à summo Patre mittatur, qui & iustos liberet de manibus impiorum, & iniustos cum tyrannis sciuentibus delectat: è quibus una sic tradidit:

Veniet & beatorum volens urbem expugnare:
Et quidem à Deo missus rex ad suos,
Omnes perdet reges magnos, & viros optimos:
Et sic iudicabitur ab immortalibus hominibus.

Item alia Sybilla:

Tunc ex sole Deus mittet regem,
Qui omnem terram placabit à bello malo.

Et rursus alia:

— nostra seruitutis
Iugum intolerabile in collo positum tollet,

Et leges impias soluet, vinculaque violenta. Oppresso igitur orbe terra, cum ad destruendam immensarum virium tyrannidem humana opes defecerint: siquidem capto mundo cum magnis latronum exercitibus incubabit: [Antichristus] diuino auxilio tanta illa calamitas indigebit. Commotus igitur Deus & periculo accipiti, & miseranda comploratione iustorum: mittet proximus liberatorem. Tunc aperietur calum medium interpestis, & tenebrosa nocte, ut in orbe toto lumen descendens Dei tamquam fulgur appareat: quod Sybilla his versibus loquuta est:

— cum veniet

Ignis erit, tenebræque in media nocte obscura. Et hæc est nox, quæ à nobis propter aduentum regis, ac Dei nostri pervigilio celebratur. Cuius noctis duplex ratio est: quod in ea & vitam tum recepit, cum passus est: & postea orbis terre regnum recepturus est. Hic est enim liberator & iudex, & ultor & rex, & Deus, quem nos Christum vocamus. Qui prius quam descendat, hoc signum dabit. Cadet repente gladius è calo, ut sciant iusti ducem sanctæ militiæ descendurum: & descendet comitantibus Angelis in medium terræ, & antecedit eum flamma inextinguibilis: & virtus Angelorum tradet in manus iustorum multitudinem illam, quæ montem circumfederat: & concidetur ab hora tertia usque ad vespertinam, & flet sanguis more torrentis: deletisque omnibus copiis, impius solus effugiet, & peribit ab eo virtus sua. Hic est autem qui appellatur

Antichristus: sed se ipse Christum mentietur, & contra verum dimicabit, & victus effugiet, & bellum sæpe renouabit & sæpe vincetur, donec quarto prælio confectis omnibus impiis, debellatus, & captus, tandem scelerum suorum luat penas. Sed & ceteri principes ac tyranni qui contriuerunt orbem, simul cum eo victi adducentur ad Regem, & increpabit eos, & coarguet, & exprobrabit his facinora ipsorum, & damnabit eos, ac meritis cruciatibus tradet. Sic extincta malitia, & impietate compressa, requiescet orbis, qui per tot sæcula subiectus errori ac sceleris, nefandam pertulit seruitutem.] Huc usque Lactantius, perperam in quibusdam sententiis Ezechielis & Ioannis de prælio Antichristi, Gog & Magog exponens. Quas nos iam integre ac genuine recitemus.

Ioannes Apocalypsi, 19. v. 11. Et vidi calum apertum, & ecce equus albus, & qui sedebat super eum vocabatur Fidelis, & verax, & cum iustitia iudicat & pugnat. Oculi autem eius sicut flamma ignis. & in capite eius diademata multa, habens nomen scriptum quod nemo nouit nisi ipse. Et vestitus erat veste aspersa sanguine: & vocatur nomen eius, verbum Dei. Et exercitus qui sunt in calo, sequebantur eum in equis albis, vestiti byssino albo & mundo. Et de ore eius procedit gladius ex utraque parte acutus, ut in ipso percutiat gentes. Et ipse reget eas in virga ferrea: ipse caleat torcular vini furoris ira Dei omnipotentis. Et habet in vestimento, & in femore suo scriptum: Rex regum, & Dominus dominantium.

Et vidi unum Angelum stantem in sole, & clamauit voce magna, dicens omnibus auiibus quæ volabant per medium celi: Venite, & congregamini ad cenam magnam Dei: ut manducetis carnes regum, & carnes tribunorum, & carnes fortium, & carnes equorum, & sedentium in ipsis, & carnes omnium liberorum, & seruorum, & pusillorum, & magnorum. Et vidi Bestiam [Antichristum] & reges terræ, & exercitus eorum [Gog & Magog] congregatos ad faciendum prælium cum illo qui sedebat in equo, & cum exercitu eius. Et apprehensa est Bestia & cum ea pseudo propheta, qui fecit signa coram ipso, quibus seduxit eos, qui acceperunt Characterem Bestiæ, & qui adorauerunt imaginem eius. Vni missi sunt in duo in stagnum ignis ardentis sulphure. Et ceteri occisi sunt in gladio sedentis super equum, qui procedit de ore ipsius: & omnes aues saturate sunt carnibus eorum. Hactenus S. Ioannes.

Nec opus est pluribus verbis ostendere, locum hunc intelligi de Antichristo, & de extremo prælio Gog & Magog, quando suprema internecione exercitus Antichristi concidentur à Christo. Nam & Bestia & Pseudo propheta, & Imago Bestiæ, & Character Bestiæ: & mirus consensus cum vaticinio Ezechielis quod post modum elucidabimus, ex ductu rerum Antichristi, quas toto hoc opere exponimus, non aliam sane aptiorem patiuntur interpretationem.

Ambrosij nomine auctor sane vetustus & eruditus exponens istud oraculum, inquit: Et vidi Bestiam & reges terræ, & exercitus eorum congregatos, &c. Hic demonstrat non ad aduentum Domini secundum ea quæ superius dicta sunt pertinere, sed potius ad illud tempus in quo per sanctos suos contra Antichristum præliaturus est, sicut iam diximus. Congregabuntur namque Bestia, & reges terræ, & exercitus eorum, ut pugnent contra Christum, & sanctos eius, quando Antichristus & innumerabilis multitudo gentium, quæ ab eo decipietur, ad persequendam Ecclesiam Dei exurgent, ut nomen Christi de mundo funditus extinguant.] Vide Gagnæum, Riberam, Melum, Viegam in hunc locum.

Sed quæ Ioan. hic de apertione cæli, de descensu Christi & Angelorum in equis, & in vestibus albis, atque de gladio utrinque acuto scribit, metaphorā ac prosopopœiā esse

esse fere omnes intelligunt : quam interpretes aprè & concinnè enucleant : nos quia res facilis, non iis distinebimur. Lactantius forsan haud absurdè sensit, ea omnia verè & ad spectabiliter euentura : nimirum ut tunc magnificentissimo & fulgentissimo apparatu, cum Angelorum exercitu, discisso cælo, Christus in æthere conspiciatur coruscus in gloria, qui verbo prosternet exercitus Antichristi. Sed hæc quisque, ut libuerit, æstimet.

Pergit Ioannes describere exitum prælij Gog & Magog, cum enim prædixisset, copias Gog & Magog circumfedissee castra Sanctorum, & ciuitatem dilectam: adiungit Apoc. 20. v. 9. *Et descendit ignis à Deo de cælo, & deuorauit eos: & diabolus qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis & sulphuris: ubi & Bestia, & Pseudo propheta cruciabuntur die ac nocte in secula seculorum.* Ezechiel vero miro cōsensu cum Ioanne conueniens, de supremo excidio exercituū Gog, & Magog & aliarum gentium Antichristo militantium, cap. 38. v. 18. ita vaticinatur: *Et erit in die illa, in die aduentus Gog & super terram Israël, ait Dominus Deus, ascendet indignatio mea in furore meo. Et in cælo meo, in igne ira mea loquutus sum. Quia indie illa erit commotio magna super terram Israël: & commouebuntur à facie mea pisces maris, & volucres cæli, & bestia agri, & omne reptile quod mouetur super humum, cunctique homines, qui sunt super faciem terra: & subuertentur montes, & cadent sepes, & omnis murus corruet in terram. Et cōuocabo aduersus eum in cunctis montibus meis gladium, ait Dominus Deus: gladius uniuscuiusque in fratrem suum dirigitur. Et iudicabo eum peste, & sanguine & imbre vehemēti, & lapidibus immensis: ignem & sulphur pluam super eum, & super exercitum eius, & super populo multo, qui sunt cum eo.*

Hæc sane cur vere & realiter implenda, non tantum figurate, non accipiamus, nulla est ratio: nec profecto ostendi poterit hæc vniquam hæc in bellis Israëliti populi contigisse. In quo vaticinio nonnulla obseruanda sunt. Primum, in clade Gog & Magog futurum ingentem terræ motum, illudque esse quod Propheta ait: *Erit commotio magna super terram Israël: & subuertentur montes &c.* Secundò in montibus Israël nam est terra montuosa, nimirum in montibus Tabor, Hermon, Gelboë, Mageddo, qui sunt in planitie illa Galilææ, ubi congregandi sunt exercitus Gog, & Magog, mutuis cædibus sese concissuros Antichristianos: & id esse quod ait Vates: *gladius unius cuiusque in fratrem suum dirigitur.* Simili clade sese confecisse Palæstinos, habes 1. Reg. 14. 20. & ecce versus fuerat gladius uniuscuiusque ad proximum suum, & cades magna nimis. Tertiò. Peste quoque ac repentina tæbe magnā partem exercitus Gog & Magog & aliarum gentium consummandos. Quarta, vehementibus imbris ac nimbis, ingenti grandine, fulminibus sulphureis proterendos ac delendos vastissimos illos exercitus, ut sub Marco Aurelio Imperatore exercitus Quadorum & Marcomannorum, atque aliarum gentium in Germania, notissima historia Gentilibus, & Ecclesiasticis Auctoribus celebrata.

Addit Ezechiel cap. 39. v. 4. de Gog & Magog: *Super montes Israël cades tu & omnia agmina tua, & populi tui, qui sunt tecum. feris auibus, omni que volatili, & bestiis terre dedi te ad deuorandum.* Et v. 11. *Et erit in die illa: dabo Gog locū nominatum sepulchrū in Israël: Vallē viatorum ad orientem maris, quæ obstupescere faciet prætereuntes: & sepelient ibi Gog, & omnem multitudinem eius: & vocabitur vallis multitudinis Gog.* Et sepelient eos domus Israël, ut mudent terram septem mensibus. Nomen autem Ciuitatis Amona, & mundabunt terram.

Vallem viatorum ad Orientem maris, illam in-

telligimus quæ Genes. 12. v. 6. dicitur *Conuallis Illustris*: de qua Brocardus: *Cæterum in planitie quæ est inter montes Hermon & Gelboë incipit Conualles, quæ ob sui amenitatem dicitur Illustris: extenditurque in longum per totum descensum Iordanis usque ad mare mortuum, seu lacum Asphaltitem.* Eadem Adrichomius, & alij. Diximus nos plura de eadem in Hebraicis Notis ad Genes. 12. v. 6. cap. 13. v. 10. cap. 14. v. 17. *Orientem maris.* Lyranus, Pintus, Maldonatus, Sanctius, mare mortuum, seu Asphaltitem intelligunt: ego potius Mare Galilææ, seu stagnum Genesariti, cum: quod illi valli Illostri est ad Orientem: nam Asphaltites à meridie terminat eam vallem: quæ viatorum dicitur, quod ea mercatores ex Galaad in Ægyptum cum suis carauanis olim transirent, Genes. 37. vers. 25.

Quæ obstupescere faciet prætereuntes. Hebraicè, *Obruant, occidens, ipsa transeunt.* Rabbini, Menahem & Kimchi, Sanctes, Varabius, Leo Iudas, Forsterus, Mercerus Marinus, Auenarius, Schindlerus, Buxtorfius, Maldonatus, exponunt, præ fatore & horrore cadauerum obturans ora & nares prætereuntium, Appositius, claudens obstruens transeuntes, tanta congeries, iam immensi cadauerum acerui iacebunt, ut via prætereuntibus claudatur, cum alioqui illac via publica esset. Sed nemo melius Nostro, stupore defigens prætereuntes, cum viderim tam immanem coporum stragem totis campis fufam.

Et vocabitur vallis multitudinis Gog: Hebraicè, *Vallis Hamon Gog*: nomen autem ciuitatis *Hamonah*. Quidam simpliciter Hamonah multitudinem exponunt: alij, quod *He* affixum putent, *Multitudinem eius*. Cæterum HAMON, ne dum, multitudinem, turbam: sed strepitum & tumultum quem turba edit significat, ut Græcis *ἔχλη*: quod huic loco recte conuenit: Siquidem innumera illa exercituum turba vastissimum reddet strepitum ac tumultum. Lxx reddiderunt hic, Polyandriū, hoc est, Cæmeterium, vel multitudo cadauerum. Sequitur Ezechiel vers. 17. *Tu ergo fili hominis, hæc dicit Dominus Deus: Dic omni volucris, & vniuersis auibus, cunctisque bestiis agri: Conuenite, properate, concurrite undique ad victimā grandem super montes Israël: ut comedatis carnem, & bibatis sanguinem. Carnes fortium comedetis, & sanguinem principum terra bibetis: arietum & agnorum, & hircorum, taurorumque & altilium & pinguum omnium.* Erunt hæc omnia in exercitibus Gog & Magog, nedum ad comitatus, sed ad lautitias etiam & saginas ac delitias, ut in exercitu Pœpeiano Pharfalico. *Et comedetis adipem in saturitatem, & bibetis sanguinem in ebrietate de victima, quam ego immolabo vobis: & saturabimini super mensam meā de equo, & de equite forti, & de vniuersis viris bellatoribus, ait Dominus Deus.* Et ponam gloriam meam in gentibus & videbunt omnes gentes iudicium meum quod fecerim, & manum meam quam posuerim super eos.

Hæc omnia quæ hæcenus ex Ezechiele descripsimus, quam adamussim consentiant, cum illis quæ ex Apocalypsi antea recitauimus: & quam sit vtriusque Prophetæ, ut idem sermo, & oratio, ita etiam sensus & mens vna & eadem, facile quisque etiam nobis tacentibus animaduertet.

Non sumus nescij, ea quæ de strage exercituum Gog & Magog, & aliarum copiarum Antichristi Sancti Prophetæ Ezechiel & Ioannes prænuiciauerunt, à quibusdam rerum difficultate perterritis, tropicè tantū ac figurate intelligi, ut videre est apud S. August. lib. 20. de Ciuit. Dei, c. 12. at verè, realiter, ac corporaliter omnia illa esse adimplenda, melior iam sententia docet, in quam recentiores multo consensu eunt, Bellarminus lib. 3. de Romano Pontifice, cap. 17. Ribera, Melus,

Viegas in loca Apocalypsis, laudata, Suarez, Tomo 2. in 3. Partem, Disputatione 5. sectione.

Acosta lib. 2. de Nouissimis Temporibus, cap. 14. Florimundus De Antichristo, cap. 18. Lessius Demonstratione 76. de Antichristo, Coquæus in 20. de Ciuitate Dei, cap. 12. Cornelius à lapide in Thessalonicensi. 2. Num. 78. & alij. Et profecto qui seriem, ac tenorem rerum ab Antichristo gerendarum, quas integro hoc opere explicamus, attente considerauerit, aliud sentire non poterit.

In Pseudosibyllinis lib. 3. nonnulla habentur de suprema clade Gog & Magog, atque aliarum gentium exercituum Antichristi, quæ hîc non omittere visum.

Hæu tibi Gog, tractusque Magog, qui diuidis amnes

Æthiopum medius: quantas tu sanguinis undas Accipies, panæque domus diceris in Orbe:

Potabitque nigrum tuaroscida terra cruorem.

Et postea:

Hæu tibi Gogque, Magogque, aliisque ex ordine cunctis

Marfog atque Angon, tibi quot mala fata propinquant.

Multa etiam Lycia natis, Mysæque Phrygumque Pamphyliaque cadent gentis, Lydique frequentes, Maurique, Æthiopesque, & quorum barbara lingua est,

Cappadoces, Arabesque. Quid autem singula pando? Quotquot enim gentes versantur in orbe, tremendam

Omnibus immetet cladem Deus ille supremus.

Nec est sine consideratione prætereundum, quod Lactantius superius dicebat, interuentionem exercituum Antichristi futuram esse in nocte ipsa, quæ Christianis sacra est in honorem resurrectionis Christi Domini: neque enim vnde id acceperit scimus nisi si suo tempore id ferebatur inter Christianos: aut inde forsan quod nox illa perpetuo Fidelibus magno cum honore culta, iam inde à principio nascentis Ecclesiæ, quam olim totam in precibus & Missis traducere consueuerant, vt ex Romano Ordine, aliisque vetustis monumentis constat: eamque Apostoli celebrandum statuerunt non anniuersario reuoluto tantum duodecim mensium spatio: Sed cuiuslibet hebdomadæ eadem prima recurrente die, quam proinde in honorem Domini Dominicam dixerunt, apparet ex Apocalypsi. 1. v. 10. & cunctis veteribus Patribus.

Forfan Lactantius non intellexit de Annuersario Resurrectionis Christi die: sed de Octonaria singulis hebdomadis interueniente, nimirum de Dominica. Hanc enim peruigilio quoque à Christianis celebrari solitam, constat è Concilio II. Matisconensi Canone I. & ex Appendice ad VI. Synodum, Canone 8. quam S. Ignatius Epistola ad Magnesianos, Reginam & principem omnium dierum appellat: cuius dotes, virtutes, laudes sacra Concilia, sanctique Patres mirificè prædicant. Fabulosa quædam in commendationem diei Dominicæ ex Epistola Ierosolymis de cælo delapsa non pigebit legere apud Rogerium Houedonium in Anglicanis Annalibus, Anno Christi 1201.





D E ANTICHRISTO, LIBER TERTIVSDECIMVS.

D E M O R T E A N T I C H R I S T I.

CAP V T I.

*Antichristum futurum caput omnium
Impiorum.*



I Antichristum conferamus cum quouis alio seorsim improbo homine, certum est futurum ipsum nequissimum omnium mortaliū: tam quia nullus eo, animo corruptior ac deprauatior, ac æque pròptus in scelera: tum quia nemo à condito orbe tot, ac tanta flagitia perpetrabit, vt Antichristus. Et peccatum illud quod se publicè Deū faciet, erit omniū tā ex prauitate, quam ex obiecto grauissimum. Adami certè peccatum magnum fuit, tum ratione detrimenti quod humano generi intulit, tum ex aliis circumstantiis: at non maiorem in se habuit malitiam & animi perversitatem, quam ordinariam, quæ in aliis peccatis repetiri solet: & fortè minorem, cum maior illi iniecta fuerit occasio labendi, amor vxoris. Insuper Iudæ, & Iudæorum Deicidarum scelus immane plane fuit ex obiecto, nempe occisio Dei: at neutiquam cum Antichristi blasphemia conferendum: cum longè peius sit se Deum cōstituere, vero Deo abnegato, quam Deū in aliena natura vendere aut interficere, præsertim ex ignorantia, affirmante Paulo 1. Corinth. 2. v. 8. *Si cognouissent, nunquam Dominum gloria crucifixissent.*

Et vt demus peccatum Adami, aut Iudæ, aut Iudæorum ex obiecto, vel ex improbitate fuisse maius quam Antichristi se pro Deo adorari iubentis, quod tamen haud facile euinci poterit: nihilominus vt rectè monui Dominicus Soto 4. Sentent. Dist. 46. Quæst. 1. Art. 2. tot scelera, flagitia, vitia in vnus humani animi cloacam confluere possunt, vt eū longè deteriore reddant Adamo, Iudæ, ac Iudæi Christi interfectores: eiusmodi futurū Antichristum, nemo dubitat. Immensum opus esset Patrum sententias de Antichristi supra cæteros mortales improbitate transcribere. De vitiis eius seorsim disputauimus lib. 7. integro: sed nihil magis tanto opere demonstramus, quam extremam hominis peruersitatem. Diuine Paulus 2. Thessalonicens. 2. v. 3. eum vocat ipsam *Apostasiam*, *Hominem peccati*, *Filium perditionis*. quibus elogiis summam & incredibilem hominis peruersitatem ac nequitiam graphicè depinxit. *Apostasiam* appellat, quod nedum Apostata, sed ipsa apostasia futurus sit. Vide lib. 5. cap. 32. *Hominem peccati*. quasi ex peccato ipso conflatum & coagmentatum: ac si diceret, Totus totus quantus erit, nihil nisi peccatum erit: Hominem insigniter & extremè peccatorem. S. Hieronymus Quæstione 11. ad Algasiam: *Homo peccati, idest, in quo omnium peccatorum fons est. Filium perditionis*. Virum perditissimum, velut ex ipsa perditione progenitum, qui omni scelerum genere coopertus, se & innume-

ros alios in perditionis barathrum demerget.

Verum disquireret aliquis, num Antichristus futurus sit quibusuis cacodæmonibus peior ac sceleratior. Caietanus negat in 3. Partem S. Thomæ, Quæst. 8. Art. 8. imo affirmat, quemuis dæmonum scelestiorem esse Antichristo, quod mirum diabolus in malitia obstinatus, sit iam extra statum omnem benefaciendi, & omnis facultas recte agendi sit in illo penitus extincta, voluntate ad omnem perversitatem prorsus obfirmata: porro Antichristus dum viuet, erit viator ac nō dum in illo extremo obstipationis profundo constitutus: habebitque proculdubio vim bene operandi, si velit: cum sit futurus liberi arbitrij: alioqui enim non peccaret.

Franciscus Suarez existimat, Antichristum nequitia superaturum quosuis homines, etiam diabolos, præter Luciferum: hancque putat esse mentem S. Thomæ. Id quod nos etiam probabile cum primis arbitramur. Nec iis obstat obiectio Caietani: non enim hīc status, sed improbitates & personas comparamus: peior est citra controuersiam status damnatorum, quam improborum hominum viuentium: sed tot scelera, tanta animi deprauatio, tam ingens malitia in vno homine esse possunt, vt vincant cum damnatorum, tum dæmonum prauitatem. Sicuti gratia & charitas vnus alicuius viatoris, longè maior esse potest ac perfectior, quam alicuius Beati. De B. Dei Genetrice existimant plerique Theologi, gratia, dum adhuc viueret, supergressam cunctos beatos homines, & Angelos.

Sed nū vnus solius Antichristi improbitas, superatura est omnium hominum simul conglobatam malitiam: vt ipse solus sit peior quam omnes homines iunctim: vel vltra, an vna Antichristi malitia maior sit futura quam omnium hominum & dæmonum simul, excepto Lucifero? Scimus quidem Theologos tradere Christi Domini creatam gratiam maiorem esse quam omnium hominum, & Angelorum in vnum corpus collatam gratiam: quod etiam de Virgine Deipara ausi sunt affirmare nonnulli. Vnde è diametro Christi non videbitur mirum, Antichristum malitia & improbitate omnes simul homines & dæmones exsuperaturum. Nec ab iis abludere videtur S. Irenæus lib. 5. cap. 25. cum ait: *Antichristum recapitulaturum in se omnem diaboli apostasiam.* Et cap. 19. *Et propter hoc in Bestia veniente recapitulatio fit vniuersæ iniquitatis, & omnis doli, in ea confluens & conclusa omnis virtus apostatica in caminum mittatur ignis.* Verum ea in re æstimet quisque vt libuerit.

Verum facile credimus Antichristum quamdiu sui compos erit, ac libero rationis vtetur iudicio, (vt infantiam interim & somnum seponamus) futurū forsitan per totam vitam in continuo actu peccandi: cuncta siquidem opera sua, alioquin interdum ex se,

vel bona, vel indifferentia, actuali & presenti praua intentione corrumpet, & malis circumstantiis, ac in prauos fines auerter: tanta erit eius animi impietas, & attentio ad peccandum. Benedictus Pererius lib. 14. in Daniele, hæc scribit: *Antichristus totus à demone obsessus, atque possessus, quamquam non ob id vsu liberi arbitrij priuatus, eius incitatu ad omnia flagitia impellitur, adeo vniuersum, quod vel moraliter bonum sit, acturum esse eum, non temere liceat existimare.* Nec ab ea sententia multum abest Blasius Viegas in 13. Apocalyp. Sectione 4. Quid possint in malo aduersus bonum, vis, & consuetudo peccandi, atque voluntatis cuiusdam deprauatissimæ, extrema nequitia, edocuit S. Thomas 1. Parte, Quæst. 48. Art. 4.

Quanam autem ratione Antichristus caput omnium improborum rectè dici queat, idem S. Thomas 3. Parte, Quæst. 8. Art. 8. ita explicat: *In capite naturali tria inueniuntur, scilicet, ordo, perfectio, & virtus influendi. Quantum igitur ad ordinem temporis, non dicitur Antichristus esse malorum caput, quasi eius peccatum præcesserit, sicut præcessit peccatum diaboli. Similiter non dicitur esse caput malorum propter virtutem influendi: est enim aliquos sui temporis ad malum sit conuersurus, exterius inducendo: non tamen illi qui ante eum fuerunt, ab ipso sunt in malitiam industi, nec etiam eius malitiam sunt imitati: unde secundum hoc non posset dici caput omnium malorum, sed aliquorum. Relinquitur ergo quod dicatur caput omnium malorum propter malitiam perfectionem.] Et quidem hæc tanta malitiæ exuberantia & consummatio facile efficit, ut in Antichristo proposita sit absoluta & plena omnis improbitatis forma & effigies, ad quam omnium, qui ante eum & post eum fuerunt, improborum nequitia, tamquam ad viuum exemplar seu amissim rectè exigi & conformari possit. Nec absurdè Antichristus caput omnium impiorum hominum & dæmonum diceretur, quos omnes malitia anteibit, præter Luciferum, cuius ipse præ ceteris insigne ac præcipuum membrum erit. Vide Suarez ad eum locum S. Thomæ.*

Antichristum vero malorum omnium caput appellant S. Gregorius lib. 15. in Iob, cap. 36. Strabus Monachus in 21. Iob, & Scholastici omnes Theologi summo consensu vide Interpretes S. Thomæ in 3. Part. Quæst. 8. Art. 8. Huc nonnulli ducunt illud Habacuc 3. v. 13. *Percussisti caput de domo impij.* Quæ verba variè interpretantur. Primò, Balthasarem regem Babylonis, de domo impij Nabuchodonosor. Ita Lyranus, Mariana. Secundò, Pharaonem de domo & regno impiorum Ægyptiorum. Ita Iansenius, Palatius, Agellius, Castrus. Tertiò, Primo-genitum Pharaonis, per Angelum exterminatorem, de domo impij Pharaonis. Ita Albertus, Vatablus, Agellius, Castrus. Quartò, diabolum principem huius mundi, de hoc sæculo, quod est impietatis domus & prouincia, vel de anima hominis peccatoris quæ est domus impij diaboli, Luca 11. v. 24. 25. Ita S. Hieronymus, Strabus Burgenfis, Titelmanus, Montanus. Quintò, Antichristum impiorum caput, de domo impij, id est, de familia ac cætu diaboli. Ita S. Hieronymus, Ribera, Sa, Figuerius, Castrus ut vaticinetur infamem Antichristi interitum, & perditionem. Kimchius aptè ad institutum: *Perforabis seu transfigis caput de exercitu Gog & Magog.* Et sane erit Antichristus caput & princeps exercituum Gog & Magog. Lxx. *fecisti, misisti, in caput impiorum mortem*, qua ratione legunt etiam S. Cyrillus, Theodoretus, Theophylactus, quod etiam possit exponi, *Misisti mortem in Antichristum impiorum caput.*

Cur permissurus sit Deus Antichristum in mundo.

Huius rei genuinæ ac iustæ causæ latent in arcano diuini pectoris, quò subire ac penetrare nulli unquam mortalium licuit: Sed dubitare non possumus quin diuinum consilium altissimis & inconcussis causis nitatur. Nec tamen nefas est, quæ pia & modesta humana mens excogitauit, verècundè & demissè in medium promere.

Primò, Ad arguendam, conuincendam, & traducendam vniuerso mundo perduellium Iudæorum perfidiam & contumaciam, qui Christum verum, Iesum æterni & vini Dei Filium recipere noluerunt: in manifestam impietatis & perniciæ pænam excipiant Antichristum: Ioann. 5. v. 43. 2. Thessalonicens. 2. v. 10.

Secundò, Ut ostendat Deus diuitias gratiæ & gloriæ suæ, ac immensam suæ benignitatis vim. In Antichristo palam demonstrabitur quid quantumque diabolus aduersus homines possit: & quanta sit humanarum virium imbecillitas, ad resistendum tam potenti hosti sine gratia Dei. Cum verò aduersus omne robur inferni & Antichristi, Ecclesiam suam sit Deus illo tempore omni ope propugnaturus, ac seruaturus, numquam clariorem suæ virtutis specimen declarabit. Constituet tunc Deus palæstram ac veluti publicum orbis terræ amphitheatrum, in quod solutum diabolum immittet, ut suis, suorumque viribus omni effusa feritate, in Ecclesiam quasi vincam & impeditam debachetur: quo cernat mundus quam præclaro Dei beneficio nunc Satanas vincus teneatur, qui sub Antichristo solutus tam ingentia mala est importaturus in orbem: tunc Ecclesia libidini furentis diaboli & Antichristi permissa; extrema detrimenta patietur: sed eam proteget, ac conseruabit clarissima opis suæ præsentia, ut victoria sit pulchrior, & triumphus splendidior, consule quæ in hanc rem scire differit. S. Augustinus lib. 20. de Ciuitate Dei cap. 8.

Tertiò, Profligatissimus illorum temporum status, cum hominum flagitia ad supremum impietatis cumulū accreuerint, nihil magis merebitur quam Antichristum. Nimirum secundum illud Iob 34. v. 30. *Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.* Vide lib. 9. cap. 8.

Quartò, Summus bonorum artifex Deus ex tantis quæ fient per Antichristum, maxima bona eliciet: nam tunc acerrime exercebit constantiam, patientiam, fortitudinem fidem sanctorum: & quanto truculentiores ac sæuiores erunt cruce, tanto fulgentiores virtutes & præstantiores coronæ martyrum & confessorum. Sic permisit Adami peccatum, ut Christum mitteret innumerabilium fontem bonorum: unde Ecclesia in admirationem rapta cogatur pene exclamare: *O necessarium Adæ peccatum, quod Christi morte deletum est! ô felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere redemptorem!* Sic hæreses permittit, ut fidem & doctrinam Ecclesiæ acuat.

Quintò, In Antichristo voluit Deus omnium hominum, & omnium sæculorum improbitatem, nequitiam, scelera, flagitia velut in vnum acervum congesta, in æternum ignem detrudere. Vnde pulchrè S. Irenæus, cuius verba præcedenti capite posuimus, annotauit, in Antichristo recapitulatam, & conclusam, ac quasi conglobatam vniuersam iniquitatem, & omnem vim apostaticā, in caminū ignis mittendam. Hinc Isaias Antichristum vinculū seu inuolucrū colligatum appellauit, ut c. videbimus. Atque satis de his: consulat nihilominus lector Sotū in 4. Sæt. Dist. 46. Quæ. 1. Art. 1. Pererius in

in Daniele lib. 14. Suarez Tomo 2. in 3. Partem, Disputatione 54. Sectione 3. ad finem.

CAPVT III.

Horrendi quorundam Antichristi præcursorum interitus.

Acturi iam de Antichristi horribili, & tantis sceleribus digno exitio, haud ab instituto alienum existimamus, si aliquot exempla infelicitum & horrendarum mortium quorundam perditissimorum hominum, qui insignes Antichristi exitere prodromi, describamus: ut omnes Ecclesiæ hostes, qui unquam existent, certissime sciant sibi nihilo feliciores exitus expectandos.

ANTIOCHI EPIPHANIS.

De isto 2. Machabæor 9. v. 5. Apprehendit eum dolor dirus viscerum & amara internorum. Et vers. 9. ita ut de corpore impij vermes scaturirent, ac viuentis in doloribus carnes eius effluerent odore etiam illius, & fatore exercitus grauaretur. Et vers. 10. eum nemo poterat propter intolerantiam fatoris portare. Vers. 11. per momenta singula doloribus suis augmenta capientibus: & cum nec ipse iam factorem suum ferre posset. Et vers. 18. Igitur homicida & blasphemus pessimè percussus, peregrè in montibus miserabili obitu vita functus est.]

HERODIS MAGNI.

Iosephus lib. 17. Originum, cap. 8. Regi verò morbus factus est grauior, panam impietatis exigente numine: lento enim calore torrebatur, qui non tam externo tactu deprehenderetur, quam intus popularetur viscera. Aderat & vehemens voracitas, cui necesse esset continuo cibos suggerere: simulque vexabatur intestinorum exulceratione, & colicis passionibus: pedes tumebant phlegmate humido & pellucido, similiterque inguina: ipsa quoque verenda putrefacta scatebant vermiculis, accedente fæda, nec minus molesta rentigine, non sine fatore grauissimo, super hac omnia nervorum contractione laborabat, & difficultate anhelitus. Quamobrem constans erat inter viros diuinos & fatidicos opinio regem læsa tot modis pietatis Deo penas expendere. Egesippus lib. 1. Excidij cap. 45. Grauioris agriuidinis vis diuersis totum corpus eius passionibus depascebatur. Febris erat vehemens, prurigo intolerabilis, continui, ac sine ulla intermissione interiorum dolores viscerum, colo medius vexabatur, hydropè grauabantur vestigia, abscondita corporis scatebant vermibus, spasmi totius corporis, anhelitus grauis, & suspiria perniciofa. Res indicio erat, quod iniusti parricidij, & sacrilega damnationis penas reposeretur.]

SIMONIS MAGI.

Arnobius, lib. 2. aduersus Gentes: Viderant enim Romani cursum Simonis Magi, & quadrigas igneas Petri ore diffusas, & nominato Christo euauisse. Viderant, inquam, fidentem diis falsis, & ab eisdem metuentibus proditum, pondere præcipitatum suo, cruribus iacuisse præfractis: post deinde perlaturum Brundam cruciatibus & pudore defessum, ex altissimi culminis, se rursum præcipitasse fastigio. At de Simonis volatu, deque eius casu precibus SS. Apostolorum Petri & Pauli, & fædo Simonis interitu, cum sit res omnibus, notissima, abstinemus plura addere: eam fusè descri-

ptam reperies apud S. Clementem lib. 6. Apostolica- rum Constitutionum, cap. 9. S. Cyrillum Ierosolymitanum Catechesi 6. S. Epiphanium Heræsi 21. S. Philastrinum libro de Hæresibus, Sulpitium Seuerum lib. 2. Sacræ Historiæ, S. Augustinum de Hæresibus, cap. 1. S. Ildorum Pelusiotam lib. 1. Epistola 13. S. Maximum Sermonem 5. de Petro & Paulo, Theodoretum lib. 1. Hæreticarum Fabularum cap. 1. & alios posteriores.

NERONIS IMPERATORIS.

Huius turpem interitum ex magnis auctoribus fusè descriptimus lib. 1. cap. 21. ibi reuise.

IULIANI APOSTATÆ.

S. Ioannes Damascenus Oratione 1. de Imaginibus: Quod autem imaginum institutio, non noua, sed prisca sit, & apud sanctos & eximios Patres nota & visitata, discere ex his, quæ in vita Beati Basilij ab Heladio eius discipulo in Pontificatusque successore conscripta sunt. Pius enim vir, ut ipse narrat, Domina nostra adstabat imagini, in qua Mercurij etiam celebris martyris figura descripta erat: adstabat autem supplicans, ut impius Iulianus Apostata tolleretur: ex qua quidem imagine, didicit, quid esset euenturum. Vidit enim martyrem exiguum ad tempus obscurum [Græce ὀφθαλμῶν, idest, immanifestum, disparentem, ab oculis euanescentem] non autem multo post hastam cruentam tenentem. Sed quoniam Iuliani mors varie ab auctoribus tradita est, hinc eam exactè exponamus.

Aurelius Victor: Igitur Iulianus redacta ad unum se orbis Romani curatione, gloria nimis cupidus in Persas proficiscitur. Illic à transfuga quodam in insidias deductus cum eum hinc inde Parthi urgerent, & castris iam positis, arrepto tantum clypeo procurrit. Cumque inconsulto ardore nititur ordines ad prælium componere, ab uno ex hostibus, & quidem fugiente, conto percutitur: relatusque in tabernaculum: rursusque ad hortandos suos egressus, paulatim sanguine vacuatus, circa noctis fere medium defecit.]

Ammianus Marcellinus, qui in exercitu tum Iuliani militabat aduersus Persas, cum narrasset, qualiter Romanos in insidias præcipitatos Iulianus oblitus Lorice, scuto inter tumultum arrepto, restituere conaretur, hæc habet lib. 25. cap. 8. Verum Principe volitante inter prima discrimina præliorum, exsiliuit nostra succinctior armatura, auersorumque Persarum, & belluarum suffragines concidebat & dorsa. Quos cum Iulianus cauendi inmemor, disfluxisse trepidos, elatis vociferando manibus aperte demonstrans, irasque sequentium excitans, audenter effunderet semet in pugnam, clamabant hinc inde candidati, quos discererat terra, ut fugentium molem tanquam ruinam male compositi culminis declinaret: & incertum subita equestris hasta, cute brachij eius præstricta, costis perfoffis hæsit in iecoris fibra: quam dum auellere dextera manu conatur, acuto utrimque ferro, digitorum nervos sensit excisos: & prouolutus iumento, presentiumque veloci concursu, relatus in castra, medicinæ ministerijs fouebatur. Moxque ubi lenio paulisper dolore, timere desit, magno spiritu contra exitum certans arma poscebat, & quum, ut renisso prælio suorum fiduciam repararet. Et post alia, ipse cum Maximo & Prisco Philosopho super animorum sublimitate perplexius disputans, hiante latius suffossi lateris vulnere & spiritum tumore cobibente venarum epoca gelida aqua, quam petit, medio noctis horrore, vita facilis est absolutus, anno ætatis altero & tricesimo.]

Hæc Ammianus plus nimio affectus in Iulianum. Plures opiniones de nece Iuliani recenset S. Gregorius Nazianzenus Oratione 4. quæ est Inuectiua 2. in Iulianum.

Sozomenus lib. 6. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 1. de supremo illo Iuliani aduersus Persas certamine hæc narrat: *At gravi prælio factò, de repente violentus exci-
tatus ventus, celum, solemque nubibus obduxit, ærrique
immiscuit puluerem. Ac cum tenebræ undique & crassa
caligo circumfusa esset, eques quidam incitato cursu,
hasta Imperatorem percussit, lethaleque ei infixit vul-
nus: quem cum ex equo deiecisset, abiit penitus ab omni-
bus ignotus. Quem Persam nonnulli, alij Sarracenum
fuisse prædicant. Sunt etiam qui militem Romanum eum
fuisse affirmant. Hancque ei plagam ideo imposuisse,
quod iniquo animo ferret, illum temeritate & audacia
exercitum Romanum in tanta pericula coniecisse.] Et
post descripta Libanij Syrisophistæ verba, quibus per-
suadere conabatur, Iuliani interfectorem Christia-
num aliquem fuisse, subdit cap. 2. Equidem quisnam
huius cædis administrer fuerit, nihil certi possum dicere
præter ea, quæ modo dicta sunt: Sed tamen vii y, qui ea de
re consentientibus sententiis differant, affirmant, vera
sane est ea opinio, quæ est ad nos perlata: quæ tradit, eum
vltione diuina è medio sublatum esse. Cuius rei certissi-
mum argumentum est diuina visio, quam cuidam ex ne-
cessariis eius oblatam accepi. Nam dicitur, cum ad
Iulianum, qui iam erat in Perside, ire maturaret, in lo-
co quodam, qui erat in via publica situs, diuersatum, &
adiu penuria coactum in Ecclesia, qua ibi erat, dormi-
nisse: & secundam quietem, vel rem gestam vidisse, vel
saltem somniasse, complures ex Apostolis, & Prophetis
in vnum coactis, grauiter de Imperatoris contumelia
aduersus Ecclesias facta conquestos esse: iniussisseque con-
siliū, quid in hac causa faciendum esset. Ac cum diu de
ea re esset deliberatum, & adhuc eorum animi, velut in
dubio versari viderentur, duos è medio surgentes, cohor-
tatos reliquos, ut bono animo essent: properaque tamquam
ad delendum Iuliani Imperium è concilio egressos. Ho-
minemque illum qui has res tam admirabiles contempla-
tus fuerat, iter de cætero neglexisse. Atque dum metu
perculsus hæsitaret, quis huius visionis exitus futurus esset,
secundo eodem in loco somnum cepisse, vidisseque eundem
Apostolorum & Prophetarum conuentum: atque ex im-
proviso velut è via in conciliū ingressos illos, qui supæ-
rioris nocte ad Iulianum expugnandum abierant, cæte-
risque nuntiasse eum occisum esse.] Hæc Sozomenus:
eadem habet Nicephorus lib. 10. cap. 35. qui etiam
duos illos sanctos Iuliani interfectores, tradit
fuisse Mercurium & Artemium, ambos inelytos
martyres.*

Verum de Iuliani morte plura leges apud Eutro-
pium lib. 10. qui se ei expeditioni in qua Iulianus
occubuit, interfuisse dicit, S. Gregorium Nazian-
zenum Inuectiua 2. in Iulianum, S. Hieronymum in
Chronico, Orosium lib. 7. cap. 30. Socratem lib. 3.
Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 18. Theodoretum lib. 3.
Historiæ cap. 20. Paulum Diaconum lib. 11. Miscel-
læ cap. 42. Suidam in Iuliano, Glycam, Cedrenum,
Zonaram, Manassem in Annalibus, Iornandem de
Regnorum Successionibus, cap. 89. Nicephorum lib.
10. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 34. 35. 36. & alios
posteriores.

Socrates addit: *Verum Callistus Satelles Imperato-
ris, qui eius res gestas carmine heroico conscribit, bellum-
que id tempus confectum narrat, illum à demone trans-
fixum interiisse commemorat.] Theodoretus: Ex im-
proviso eum vulneratum offendunt, rabie contra condito-
rem suum furentem. Ferunt porro ipsum Tyrannum
simul ac plagam acceperat, manum protinus sanguine*

*impleuisse, illumque proiecisse in ærem, ac dixisse: V-
icisti Galilæe.] Eadem Sozomenus, Cedrenus, Zonaras,
Nicephorus: qui etiam addunt: Iulianum moribun-
dum vidisse ante se Christum Dominum adstantem,
& subridentem: atque proiecto manu sanguine dixisse:
Saturare Nazarenæ.*

S. Hieronymus in 3. Habacuc: *Dum adhuc esset
puer, & in Grammatica ludo exerceret, omnesque vrbes
victimarum sanguine polluerentur: ac subito in ipso per-
secutionis ardore Iuliani nunciatus esset interitus: ele-
ganter vnus de Ethnicis: Quomodo inquit, Christiani
dicunt, Deum suum esse patientem, & Anexicacōn?
Nihil iracundius, nihil hoc furore presentius, ne modico,
quidem spatio indignationem suam differre potuit.]*

S. Gregorius Nazianzenus Oratione de Laudibus
S. Athanasij, quæ est 2. de corpore Iuliani hæc refert:
*Immo, ut mihi quispiam narravit, nec ad sepulcrum
assumptum, sed à terra qua propter ipsius scelus tremore
affecta fuerat, excussum, æstuque vehemēti proiectum,
insequentis, ut opinor, supplicij præludium.] Con-
stantinus Manasses in Annalibus: Hoc modo cum vir
impius gladio vulneratus occubisset, nec ipsa quidem
terra corpus hominis profani admittere voluit, sed succus-
sione ac motu quodam expulit eum, qui concussionē impiet-
atis vniuersam creaturam turbauerat.]*

VALENTIS IMPERATORIS.

Magnus hic Atianæ hæresis fautor, & orthodo-
xorum oppressor, digno fine sublati est. S. Hiero-
nymus Epistola 3. *Valens Gothico bello victus in Thra-
cia, eundem locum mortis habuit & sepulchri.] Et in
Chronico: Lacrymabile bellum in Thracia, in quo de-
serente equitum præsidio, Romane legiones à Gothis cin-
ctæ, usque ad internecionem cæse sunt. Ipse Imperator
Valens cum sagitta saucius fugeret, & ob dolorem ni-
mium sepe equo laboraretur, ad cuiusdam villula casam de-
portatus est. Quò persequentibus Barbaris, & insensa
domo sepultura quoque caruit.] S. Chrysostomus ad
Viduam Iuniorē: Vnà cum omnibus quos secum ha-
bebat, combustus est.] Eadem de morte Valentis Oro-
sius lib. 7. cap. 33. Socrates lib. 4. cap. 31. Theodoretus
lib. 4. cap. 31. Sozomenus lib. 6. cap. 40. Paulus Dia-
conus lib. 12. Miscellæ cap. 16. Iornandes de Re-
gnorum Successione, cap. 92. Glycas, Cedrenus,
Zonaras, Manasses in Annalibus, Nicephorus lib.
11. Historiæ cap. 59.*

ZENONIS IMPERATORIS.

Perfidum hunc Euthychianæ hæresis patronum
diuina vltio mirabiliter sustulit: de quo Cedrenus:
*Fertur fama ei à quadam diuina potestate ita fuisse caput
abscissum, ut ea res conspectum hominum fugeret, sola-
que cure caput cum cernicibus iungeretur. Itaque vxo-
rem & cubicularios propriæ saluti consulentes, mortuum
in assere iacentem reliquisse: diluculo tandem, quendam
nulla eum necessitudine attingentium, sindorem cadaueri
iniecissee. Satellites porro, qui ad sepulchrum, in quo re-
positus fuerat, custodiendum erant collocari, retulerunt,
se per duas noctes lamentabilem vocem audiuisse, ex se-
pulchro elatam: Miseremini, & aperite mihi cum dice-
rent, alium iam imperare nihil, inquit, curo, in mona-
sterium me abducite. Sed cum illi non aperirent, ferunt
aliquanto post monumentum fuisse reclusum, inuentum-
que in eo Zenonem, qui præ fame suos ipse lacertos man-
deret, & caligas quas gestabat. Quia crebro comitali
corripiebatur morbo, & ipso adhuc viuente Ariadna
Anastasium amabat: itaque ea mandauerat custodibus
regij sepulchri, ne aperirent.] Eadem Zonaras, & Ni-
cephorus*

cephorns lib. 16. cap. 24. Eiusmodi exitum Anastasio successori tribuit Manasses: addit tamen: Sunt tamen nonnulli qui hac Zenoni accidisse tradant.]

HUNNERICI REGIS VVANDALORUM in Africa.

De hoc rege Ariano, crudelissimo Orthodoxorum persecutore, S. Victor Vicensis lib. 4. de Persecutione Vuandalica: extremo: Tenuit sceleratissimus Hunnericus dominationem regni annis septem, mensibus decem, meritorum suorum mortem consummans. Nam putrefactum & ebulliens vermibus, non corpus, sed partes corporis eius videntur esse sepulta.] Simili morte alios impios consumptos, constat: Maximum Imperatorem atrocem Christianorum oppressorem apud Eusebium lib. 8. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 28. Iulianum auunculum Iuliani Apostatæ, apud Theodoretum lib. 3. Historiæ cap. 12. Sozomenum lib. 5. cap. 7. De aliis vide Nicephorum lib. 10. Historiæ, cap. 29. Claudius Herminianus qui Christianos insectabatur eo quoque genere exitij periit, apud Tertullianum, in Scapulam cap. 5.

ANASTASII IMPERATORIS.

Magnus hic Eutychianus fulmine conflagrauit, Paulus Diaconus in Miscella lib. 15. cap. 15. Vicesimo deinde, & septimo Imperij Anastasij anno vidit idem Imperator in visu virum terribilem portantem codicem, qui hunc aperiens, & inueniens nomen Imperatoris, dicit ei: Ecce propter malam fidem tuam deleo quatuordecim, & deleuit eos. Quidam autem aiunt, quod diuino fulmine percussus Anastasius, à fulgore perierit.]

Cedrenus: Anno vigesimo septimo apparuit Anastasio per insomnium vir terribilis, codicem gestans: quem is cum aperuisset, & nomen Imperatoris in eo inuenisset, ait illi: Ecce ob peruersitatem fidei tuæ, de vita tua annos quatuordecim deleo. Simulque eos expunxit. Sed Anastasius cum oraculo edoctus esset, igne sibi pereundum fore, Cisternam in Palatio, quæ Frigida dicitur, multis meatibus aperuit, quorum cuique cadus appositus esset: conans hoc pacto oraculum irritum reddere. Verum id abs re fuit: fulmine enim diuinitus est ictus.]

Zonaras: Denno aliud vidisse somnium memoratur virum terribilem, qui librum manu gestans, diceret: Ecce ob peruersitatem fidei tuæ, annos quatuordecim vita tua deleo. Et quia fatale sibi ex oraculo didicerat, ut fulmine interiret, Tholoum adificium construxit, in eoque degit, sed frustra. Nam cum aliquando tonitrua horrendum in modum resonarent, & fulgura multa eliderentur, atque ipse perterritus à canaculo in canaculum descenderet, & alios, atque alios thalamos subiret, in quadam regio cubiculo mortuus est inuentus.] Hæc eadem narrantur in Prato Spirituali, cap. 38.

THEODERICI REGIS ITALIÆ Ariani.

Procopius Cæsariensis lib. 1. de Bello Gothico, cap. 2. Nam his delatoribus Theodoricus rex persuasus, Symmachum, Boëtiumque perinde ac res nouantes occidit, eorumque bona omnia publicauit. Sed paucis post diebus, cenanti sibi cum mira magnitudinis piscis ministri decoctum caput apposuisent, Symmachi nuper occisi caput illi est visum, prefixis & extantibus inferiore in labro dentibus, & torue intuentibus oculis furibunde sibi, & acerbius comminari. Vnde monstri nouitate territus,

membrisque præter modum tremebundus & rigens, in cubiculum statim citato gradu secessit: idemque iubendo, togarum ut sibi vim magnam ingererent, lecto decubuit, & parumper quieuit. Elpidio deinde medico, omnibus quemadmodum accidissent, diligentiùs explicatis, in Symmachum atque Boëtium paratum à se scelus deflebat: quo denique deplorato, ex accepta calamitate dolore ingenti affectus, haud longe post moritur.] At qualiter ea die qua Theodericus defunctus est, anima eius humana specie visa sit cuidam Solitario insulæ Lyparis, inter Ioannem Papam, & Symmachum Patritium, quos ipse interfecerat, discincta, & discalceata, vinctisque manibus trahi, & in Ollam Vulcani præcipitari, S. Gregorius lib. 4. Dialogorum cap. 30. Paulus Diaconus lib. 15. Miscellæ, cap. 20. & alij narrant.

PHOCÆ IMPERATORIS.

S. Nicephorus Constantinopolitanus Episcopus in Breuiario Historico: Igitur Phocam è vestigio, cum adhuc in navi esset, gladio plecti iubet Heraclius: deinde mutilari, & dextram manum ab humeris amputari, tum virilia excidi, atque è contus suspendi: itaque cadauer per urbem tractum in foro, quod Bonis dicitur, igne cremari.] Eadem Cedrenus, & Zonaras, item Nicephorus lib. 18. Historiæ, cap. 56.

CONSTANTINI COPRONIMI.

Landulphus Sagax lib. 22. Miscellæ, cap. 58. Atrociter in cruribus diuinitus est plaga percussus, quæ Grace Antrax, idest Carbunculus appellatur, & hinc febre validissima, & medicis propter nimium incendium ignota miserabiliter in Chelendio moritur, clamans & dicens: viuis adhuc igni sum inextinguibili traditus; Sanctamque Virginem & Dei Genitricem laudari exostulans, cum sine fadere eius fuerit inimicus.] Eadem Cedrenus, & Zonaras.

CAPVT IV.

Aliorum impiorum Antichristi ante ambulonum horribiles exitus.

ARIi HERESIARCHÆ.

Huius sceleratissimi hominis turpissimum interitum S. Athanasius Epistola ad Seraphionem ita describit, Arius autem Eusebianis fretus multa blaterans in secessum abiit, quasi ad usum alui, & de repente iuxta quod scriptum est, pronus factus, medius crepuit, humique expirauit, viroque & vita, & communione fraudatus. Hic finis Arii.] S. Gregorius Nazianzenus Oratione 21. Arius quidem à furore nomen habens petulantis, & effrenata lingue penas expendit, in obscenis & impuris locis extinctus, atque orationis non morbi viribus oppressus, ac Iude instar ob eandem verbi prodicionem disruptus.] Sed de Arii fædissima morte plura S. Ambrosius lib. 1. de Fide ad Gratianum, cap. 9. Rufinus lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 13. Socrates lib. 1. cap. 25. Theodoretus lib. 1. cap. 14. Sozomenus lib. 2. cap. 28. Nicephorus lib. 8. cap. 51. & multi alij.

NESTORII HERESIARCHÆ.

Euagrius lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 7. Ipse equidem accepi à scriptore quodam, modum quo decessit

decessit è vita, talem fuisse: nimirum eius linguam ver-
mibus exesam esse: sicque eum ex huius vite miseriis ad
graviora supplicia iusto Dei iudicio infligenda, eaque
sempiterna migrasse.] Theodorus Lector lib. 2. Colle-
ctaneorum: Nestorius corpus iam puere sine confectum
habens, cum ab Oasi ad hoc reuocaretur, ut in alium lo-
cum transponeretur, morte reuocationem eam praeuenit.
] Cedrenus: Nestorius autem Oasim est relegatus, aut
ut alij tradunt, Thassum: ibi eum diuina vindicta arri-
puit, nam putrefactio omnia eius membra inuasit, ma-
xime linguam eius scelestam.] Eadem Nicephorus lib.
64. cap. 36.

LUTHERI HAERESARCHÆ.

Notissima est huius infamis mors. Laurentius
Surius in Commentatio Rerum Gestarum Anni 1546.
Itaque die XVII. Februarij cum laute & splendide ca-
natus esset, & facetis suo more hilariter lusisset, eadem
nocte sublatu est è medio. Eius obitus non eodem modo
à Catholicis & Euangelicis id temporibus referebatur.
Jonas Coccius, qui se iustum Ionam vocat, eius mortis in-
terfuit, sed ita eam describit, ut apud cordatos maiori
eum contumelia quam laude affectisse videatur. Inter
alia scribit, eum ipsi Iona & Celio, & aliis circumstan-
tibus dixisse: Orate pro Domino nostro Deo, & eius
Euangelio, ut ei bene succedat, quia Concilium Triden-
ti & abominabilis Papa graniter ei aduersatur.] Potuit-
ne vlla magis fanatica & absurda precatio con-
cipi?

Tilemannus Bredembachius lib. 7. Sacrarum col-
lationum, cap. 39. nimirum quippiam de Luthero
in hunc modum scribit: Narravit mihi venerabilis
Dominus N. atate, doctrina, & vita sanctissima com-
mendatissimus, atque etiam non superstes, eo ipso die,
quo nouus Euangelista Martinus Lutherus defunctus
est, vniuersos demoniacos, qui id temporis ad Gheelam
Brabantia spe liberationis, quam apud corpus S. Dym-
na, diuino beneficio plurimi istie iam inde à multis retro
annis consequi solent, aduencti erant, à terribilibus illis
& horrendis demonibus hospitibus suis liberatos: po-
st die vero ab iisdem rursus obsessos, & discruciatos
fuisse. Demone vero cum interrogarentur, ubi pridie
delitissent, respondisse, Principem ipsorum, & archi-
demonem precepisse, ut vniuersi spiritus maligni ad sui
propheta & fidelis cooperarij D. Martini Lutheri exe-
quias confluerent: congruere enim, ut qui quam plurimos
ad inferos seduxisset, à quamplurimis ad eodem solem-
niter deduceretur. Hanc historiam cum in praesentia
quorundam honoratorum virorum referrem, quidam
magni Principis consiliarius subiunxit, se fuisse Isebij
in adibus paternis Lutheri, in quibus & defunctus est:
ibidemque paulo ante mortem Lutheri, quendam Luthero
à multis annis seruientem forte è fenestra cubiculi, in
quo id temporis erat Lutherus, fontem riuulos suos grato
murmure emanantem voluisse conspicer: in cuius mar-
gine mox ille videret plurimos terribilissimos cacodamones,
huc illuc saltitantes: quo viso cum ille vehementer percel-
leretur, animoque & vultu totus mutaretur: rogasse,
Lutherum palloris istius & subita mutationis causam.
Quam cum ille celaret, tandem resumpto spiritu, rursus
paululum è fenestra prospexit, ac denovo demones terribi-
lissimos terribilissimarum bestiarum formis aspiciens, maiori
horrore ac trepidatione concussus sit. Cumque rursus
Lutherus instaret, ut quid vidisset, ediceret: tandem
ille rem visam Luthero aperuisse. Qui cum paulo post
defungeretur, & cadauer Isebio Vuittembergam vehere-
tur toto illo itinere innumerabilem cornuorum horren-
dum in modum crocitantium multitudinem funus super-
uolasse, ac Vuittembergam vsque comitatum suum pra-

stuisse. Atque ij proculdubio fuerunt isti, (aciebat idem
ille consiliarius) qui mandato principis & archidemonis
sui, vasa quae prius occupauerant, dimittentes, ad exe-
quias Martini Lutheri confluerant, ne quisquam isto-
rum tantis videretur deesse solemnibus.] Haec tenus Bre-
dembachius. Sat scio dicent Nouantes à Pontificiis
conficta: sed auctores sunt probi, probatae & inte-
grae fidei.

Nec grauabor adiungere quae Thomas Bozius lib.
23. de signis Ecclesiae, cap. 3. in litteras misit: Luthero
cum vespere laute canisset, ac letus somno se dedisset,
ea nocte suffocatus interiit. Audini haud ita pridem
comperit testimonio sui familiaris, qui tum puer illi
seruiebat, & superioribus annis ad nostros se recepit,
Lutherum sibi ipse laqueo iniecto necem miserrimam
attulisse: sed datum protinus cunctis domesticis insuran-
dum, ne factum divulgarent, ob honorem, adiecere,
Euangelij. Oecolampadius ante Lutheri interitum,
nocti dum dormiret, improuisa morte est strangulatus.
Id cum percepisset Lutherus Oecolampadio infensissimus,
quod ab ipso discessisset, haeremque nouam protulisset,
editis scriptis exclamabat, sibi esse exploratissimum,
Oecolampadium igneis diaboli telis confossum. Eundem
casum subiit Carostadius, ut affirmat minister quidam
Lutheranus in Epistola excusa. Bucero dicunt, animam
penè agenti adstisse demonem horrendum, qui cunctos
adstantes timore examinaret, à quo ut animam auheret
secum, fuerit percussus: nam lecto deturbatus, effusus
per cubiculum passim huc illuc visceribus, multisque cru-
ciatibus exanimatus expirauit.] Sed Oecolampadij &
Buceri horrendi interitus nimis sunt peruulgati.

IOANNIS CALVINI Haeriarcha.

Hieronymus Bolsecus in vita Caluini, cap. 22.
Ad extremos Caluini annos veniamus, videamusque,
quam variis ante obitum morbis afflictus consumptusque
fuerit. Scribit Beza pthysi, colica, asthma, seu re-
spirandi difficultate, calculo, podraga, hemorrhoidibus
vexatum fuisse, praeter sibi familiarem hemocranium, &
acres capitis dolores, quibus plerumque torquebatur. En-
tibi graua & diuersa quae simul in ipsum ingruerunt mor-
borum genera, & cum quibus valde misere permultos
annos, immo verò vsque dum spiritum exhalaret, con-
flictatus fuit, certum & expressum diuina aduersus eum
ire iudicium ac testimonium.] Et post alia.

Sed ad Caluinum nostrum, & ad grauissimos eius,
variosque morbos, quibus misere ad extremum vsque spi-
ritum excruciatu fuit, reuertamur: quem praeter eos,
quos Beza referente commemoramus, eo quoque morbi ge-
nere afflictum constat, quo iuste Dei hostes, qui diuinum
honorem atque gloriam inuasent, sibiue usurpant,
vexatos, punitosque legimus: is est pedicularis: nam
& hi vermes totum eius corpus peruasent, & fetidissi-
mo, ac virulentissimo ulcere circa verenda, vermibus has-
sic fade ulceratas partes miserrime corrodentibus, per-
cussus est. Sic quondam Hunericus secundus Vuan-
dalorum rex postquam Ecclesiam Orthodoxam annos
octo persequutus fuerat, pediculari tandem morbo con-
sumptus est. Sic Arnulphus Imperator Caroli Crassi
successor, magnus templorum violator vastatorque. Sic
Maximus immanissimus Christianorum hostis. Sic
Antiochus Epiphanes homo summe nefarius, impius &
magnus veterator, qui templo Ierosolymitano nefarie ex-
pilato, ad veri Dei contemptum, Iouis in illo simula-
chrum statuit, & erexit. Sic crudelis Herodes, qui
Innocentes pueros sustulit: sic, inquam, homines nefarij
& scelerati à vermibus corrosi, expincti sunt.] Et in-
ferius.

Verissimum

Verissimum tamen est, quod gravissimos dolores, & asperissimos cruciatus, quibus Dei in illum seuera, gravissimaque manu ingruente ex cruciatur, non ferens, demonibus invocatis, iurans, execrans, & blasphemans, miser expiravit. Cuius illi testimonium perhibere, qui decumbenti ad extremum usque halitum ministrarunt. Idcirco neget, quantum, volet, Beza, negentque alij: satis sic se rem habere, exploratum est. Immo hoc etiam quod diem atque horam detestatus sit, & execratus, quam unquam studiis vel descriptionibus impendisset: cum ex ulceribus totoque corpore gravissimi fautores emanarent, ob quorum graveolentiam, & sibi gravis, & quæ eum circumstabat familia erat.] Huc usque Rolfeus.

Verba Bezae in Iconibus sunt: Tam variis eum & multiplicibus morbis cruciatum fuisse, ut plane sit incredibile: hemicranea scilicet, hemorrhoidibus ulcerosis, sanguine excrementitio, quartana, podagra, calculo & cholica] Eadem de morte Calvini tradunt Surius anno 1567. Genebrardus lib. 4. Chronographiæ, & innumeri alij.

CAPVT V.

Quæ Patres & posteriores Theologi de morte Antichristi tradiderunt.

Lactantius lib. 7. Divinarum institutionum, cap. 19. cuius verba recitauimus lib. 12. cap. 9. scripsit, Antichristum, deletis omnibus suis exercitiis supremo illo prælio Gog, & Magog, victum & profligatum tanta clade fugitum, & bellum sæpe renovaturum, & sæpe quoque vincendum, donec quarto prælio confectis omnibus impiis debellatus & captus, tandem scelerum suorum luat pœnas, traditus meritis cruciatibus, & exustioni. Sed nescimus unde hæc Lactantius hauserit: quæ nec cum sacris vaticiniis, neque cum placitis Patrum de nece Antichristi consentiunt: uti ex his, quæ post modum differemus, palam fiet.

S. Hieronymus elucidans illud Danielis 11. Et figet tabernaculum suum Apadano inter maria super montem inclitum & sanctum: & veniet usque ad summitatem eius, & nemo auxiliabitur ei: in hunc modum scribit: Nostri autem extremum visionis huius Capitulum super Antichristo sic exponunt: Tunc veniet Antichristus usque ad summitatem montis eius, hoc est montana provincia, idest, verticem montis Oliueti, qui inclitus vocatur, quia ex eo Dominus atque Saluator ascendit ad Patrem: & nullus Antichristo poterit auxiliari contra se Domino sciente. Et asserunt ibi Antichristum esse peritum unde Dominus ascendit ad celos.]

Theodoretus in eundem Danielis locum: Apadannum vocat locum quendam ita nominatum, nec procul ab Ierosolymis positum. ubi Antichristus exitio perdetur.] Et in Thessalonicens. 2. Cum enim de calo apparuerit, Dominus, loquetur tantum, & scelerato isti omnino afferet interitum.]

S. Beda libro de Ratione Temporum, cap. 68. Percusso autem illo perditionis filio, siue ab ipso Domino siue Michaele Archangelo, ut quidam docent, & æterna ultione damnato, &c.] S. Ioannes Damascenus lib. 4. de Fide Orthodoxa, cap. 27. At cum Dominus, quemadmodum sancti Apostoli in calum euntem, hoc est, Deus perfectus & homo perfectus cum gloria & potentia veniet peccati hominem perditionisque filium oris sui spiritu interficiet.]

Haimo in 11. Isaia: Antichristum Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, hoc est, potentia infusionis suæ:

nam licet à Michaele, ut quidam asserunt, interficiamur, Domini tamen nutu totum hoc implebitur. Occidetur autem, sicut Doctores tradunt, in monte Oliueti, in papilionem, ac solio suo, illo in loco circa quem Dominus ascendit.] Eadem omnino habet Strabus in 11. Isaia.

S. Bruno Carthusianorum Pater in 2. Thessalonicens. 1. Dicit beatus Ambrosius Iesum se ostensurum Antichristo: & clamante Iesu, interficietur hic impius: sed quid clamaturus, nescimus. Alij dicunt, quod Michaele solo terrore suo interficietur hic Antichristum. Iesus quidem interficiet eum, & postea destruet eum damnatum & in corpore & in anima.]

S. Anselmi nomine auctor in 2. Thessalonicens. 2. Occidetur Christus, sicut è volumine Danielis intelligimus, in monte Oliueti in papilionem in solio suo, illo videlicet loco quo Dominus in calum ascendit.] Eadem habet S. Thomas in 2. Thessalonicens. 2. & plurimi alij.

S. Bernardinus Senensis de Iudicio vniuersali, sermone 11. Antichristus de mandato Christi fulminabitur per ministerium Archangeli Michaelis: qui etiam interficiet exercitum eius secundum Methodium.]

Petrus Comestor in Historia Danielis, cap. 12. Veniet Antichristus usque ad summitatem eius, idest, ad locum unde Dominus ascendit, & nemo auxiliabitur ei: quia audietur vox in aëre dicens, Morere, & statim fulminabitur.]

Henricus Salmuth in Notis ad Nouoreperta Guidonis Pancitoli, scribit extare Sybillinum carmen, quo prædicitur Antichristum lino periturum. Quod ipse ad artem Typographicam regulit, quæ chartis & papyro constat, quæ sunt è lino quasi præcinuerit, editis libris orthodoxorum, iugulandum Antichristum, eiusque diabolicam doctrinam. Fusius hæc explicantur in Etymologico Trilingui Ioannis Fungeri, verbo, Antichristus: & in Theatro Vitæ humanæ Theodori Zuingeri.

CAPVT VI.

Explicatur loca quedam ex veteri Testamento de morte Antichristi.

Primus locus. Isaia 11. v. 4. Et percutiet terram virga oris sui: & spiritu labiorum suorum interficiet impium. Hunc terræ percussorem, & interfectorem impij, esse Christum Dominum, asserunt Patres summo consensu, S. Iustinus Martyr Dialogo cum Thyphone, pag. 314. S. Irenæus lib. 3. aduersus Hæreses, cap. 10. Tertullianus lib. 3. contra Marcionem, cap. 17. & contra Iudæos, cap. 9. Origenes Homilia 6. in Numeros S. Cyprianus lib. 2. contra Iudæos, cap. 11. S. Athanasius de incarnatione verbi S. Basilus lib. 5. contra Eunomium, S. Gregorius Nazianzenus Oratione 24. quæst. in S. Pentecostem, S. Ambrosius Posteriore Davidis Apologia, cap. 8. S. Hilarius Canone 15. in Matthæum, S. Hieronymus, S. Cyrillus in 11. Isaia: & omnes recentiores, Chaldaeus quoque Paraphrastes, & Hebræi de Messia exponunt, apud Galatinum lib. 2. cap. 6. & Finum lib. 2. Flagelli cap. 11. Virga oris sui. Lxx. & Chaldaeus, verbo oris sui. Virgam oris, interpretantur, imperium, robur, efficacitatem verborum, quod virga sit imperij symbolum. q. d. potenti & ineluctabili verbo suo.

Et spiritu labiorum. Chaldaeus, eloquio: Non aliene, flatu, seu impulsu labiorum, ut etiam in Paulo, cap. sequenti.

Impium

Impium S. Cyrillus, Procopius, diabolus. Plerique, collectiue impios omnes. Peculiariter Antichristum intelligit S. Hieronymus, dicens: *Et spiritus labiorum suorum interficiet impium, de quo Paulus Apostolus scribit: Quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui.* Theodoretus in 2. Thessalonicens. 2. *Quem diuinus Iesus interficiet spiritu oris sui.* Hoc enim diuinus etiam prædixit Iosias: *Et spiritum per labia de medio tollet impium.* De Antichristo quoque exponunt, Haimo, Strabus, Anselmus Laudunensis, Lyranus, Adamus, Gabriel Aluares in Isaia 11. Ribera & Melus in 19. Apocalyp. Guillaudus, Estius, Iustinianus, Cornelius à Lapide in Thessalonicens. 2. Acofta lib. 3. de Nouissimis temporibus, cap. 17. Suarez, Valentia, Florimundus in morte Antichristi. In vulgatis Bibliis Xisti v. & Clementis VIII. ad marginem huius Isaia loci, affigitur ille 2. Thessalon. 2. v. 8. vt indicetur, de vno & eodem Antichristo loqui Isaia, & Paulum. Certe Paulum illis verbis: *Quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui.* Vel hunc locum Isaia propriè interpretatum de Antichristo, aut certe ad illum vsurpatis eisdem verbis alluisse vel respexisse, præfati ferme omnes auctores annotarunt. Vox Hebraica RASAGH, insigniter improbum, turbatorem, seditiosum significat, quod mirè Antichristo congruit. Chaldaeus hic pro RASAGH, impio, ARMILOS habet. *Et videtur mihi,* inquit Pomarius, *quod sit impius vir ille, qui à Christianis Antichristus vocatur.* Quo circa omnino speranda sunt quæ Alcasar disserit de hoc loco in 14. Apocalyp. v. 8. Notatione 3. & refelluntur à suis, vt Gabriele Aluares in 11. Isaia,

II.

Isaia 25. v. 7. *Præcipitabit Dominus in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos: & telam quam orditus est super omnes gentes.* S. Hieronymus in 11. Daniel ad finem: *Quod autem Antichristus veniat vsque ad summum montem sancti & incluti, & ibi pereat, Isaias plenius loquitur: præcipitabit Dominus in monte sancto faciem dominatoris tenebrarum super omnes gentes, & eum qui dominatur cunctis populis, & vñtionem, quæ vñcta est contra vniuersas nationes.* Expresit Isaia locum ex coagmèratione translationum Aquilæ, Symmachi, ac Theodotionis. Qui rursus in Isaia 25. ipsum locum exponens, ait: *Dominatorum omnium populorum, siue faciem tenebrarum super omnes populos, & telam, quæ ordita est super omnes gentes, quidam Antichristum intelligi volunt, qui in monte Oliueti consumendus sit: quod in Danielis vltima diximus visione.* De Antichristo quoque interpretantur Anselmus Laudunensis, Lyranus, & alij.

Præcipitabit. BALAGH, propriè, Deglutiet, deuorabit, absorbebit: & dicitur de præcipitationibus & deiectionibus, quæ fiunt absorbendo, & deuorando: quod neci Antichristi rectè conuenit, quem terra deglutiet, & dehiscens tellus absorbebit, vti postea ostendemus.

In monte isto. Oliueti, qui est propriè Ierusalem, vt ex loco Daniel 11. 45. quem inferius explicabimus, colligitur. *Faciem.* Hebraice, pluraliter, facies, quod Antichristus ob ingenium versutissimum, plures facies dicatur habere: aut hic facies sumatur pro personis, laruis, spectris, phasmatibus, vt sapientiæ 17. v. 4. *& personæ vñctæ illis occurrebant,* quasi Antichristum indicet personatum ac larualem, seu phantasticum & falsum Deum: spectum ac phantasma, idolum Dei. Aut quoddam illi Vaferrimo homini multæ inerunt pessimæ personæ ac laruæ, tam desultoriam

& versipellem naturam habebit.

Vinculi colligati. HALOT HALOT. Idem vocabulum LOT geminatum, sed quod primum pro nomine, secundum pro participio, quasi esset LVTE, plerique capiunt. Sed locum integre diuersimode conuertunt. Quidam: *& perdet in monte isto faciem inuoluentis, inuoluentis aut, colligantis colligantis super omnes populos.* Carpit id Sanctes: Sed immerito, nam Hebræa id patiuntur, maximè si puncta negligas. Kimchius, & Sanctes: *& perdet in monte hoc facies operimenti operiti.* Forsterus: *& deuorabit in monte isto faciem inuolucris inuolucris super omnibus populis.* Leo Iudas: *Tollet quoque in monte isto faciem inuolucris, quod inuolucrum est super omnes populos.* Isidorus Clarius: *& detegit in monte isto faciem cuiuslibet velaminis super omnes populos.* Auenarius: *Et absorbebit in monte isto faciem inuolucris, quod inuolucrum est super omnes populos,* idest, tollet latebras errorum. Schindlerus: *& deuorabit in monte isto faciem inuolucris inuoluti super omnes populos.* Buxtorfius: *& absorbebit in monte isto facies operimenti istius obducti super omnes populos.* Tremellius & Iunius: *Et absorbebit in monte hoc speciem istius veli obuolantis omnes populos.* Marinus: *& deglutiet facies inuoluti inuoluentis, seu inuoluentis qui inuoluit, super omnes populos.* Forerius: *Et præcipitabit in monte hoc faciem inuolucris, inuolucris super omnes populos.* Vel *Præcipitantes auferet* [absuget.] *faciem inuolucris* [velaminis] *inuolucris,* [velaminis] *super omnes populos.* Montanus: *& absorbebit in monte isto faciem inuoluti inuoluti super omnes populos.* HALOT HALOT, vitumque pro nomine, vel participio acceperunt, Forsterus, Leo Iudas, Clarius, Forerius, Auenarius, Marinus. Id quod minus rectum & frigidum censet Mercerus. Frigidior ipse qui non animaduertit duplicatum nomen, aut participium vim significatus intendere. Alij, primum nomen, secundum, participium esse volunt, vt Kimchi, Sanctes, Mercerus, Schindlerus, Buxtorfius, Iunius. Equidem omnes istæ translationes aptè conueniunt Antichristo, ipse enim erit Operimentum opertum, inuolucrum inuolucrum, idest maximum inuolucrum, seu inuolutus inuoluens: quia in ipso quasi in inuolucro quodam inuoluetur, & conglomerabitur omnis impietas & nequitia, animumque habebit vaferrimum, versutissimum mille plicis, sinibus, spiris inuolutissimum, quo secum innumeros inuoluet ad perditionem. Notant quoque, LOT significare arcanum, secretum, abditum, occultum, inuolutum, absconditum: & sanè Antichristus futurus est mysterium & arcanum iniquitatis, vt eum Paulus appellat.

Antiqui Interpretes quoque apposite in Antichristum locum reddidere. Aquila & Theodotion, *Faciem tenebrarum super omnes populos* Symmachus: *Faciem dominatoris qui dominatur super omnes populos.*

Sed noster aptissime, *Faciem vinculi colligati super omnes populos.* Nimirum quo vincti, adstricti, colligati oppressi, innexi tenebantur omnes populi: quia Antichristus innumeros decipiet, irretitos, & nexos habebit: aut opprimer. Vinculum colligatum, mirabile elogium! quo scilicet elidentur, & strangulantur infelices mortales. Hispanicè, Lazo, & Dogal del mundo.

Et telam quam orditus est super omnes gentes. Variè quoque vertunt. Aben-Ezra, Kimchi, Sanctes, Schindlerus: *Operimentum* [tegmen] *opertum super omnes gentes.* Clarius, singula operimenta. Forsterus, & Forerius: *& tegumentum quod expansum est super &c.* Vel *& operimentum quod opertum est.* Leo Iudas & Auenarius: *& operimentum oppansum* [Mercerus, ex pansum]

expansum super &c. Montanus & velamen obiectum. Alij, diffusum. Tremellius, Iunius, Buxtorfius: & operimenti istius expansi, obducti. Marinus, & fusionem qua fusa est. Symmachus, Vnctionem qua vncta est contra universas nationes. Possis reddere: & principatum, qui fusus, aut inauguratus est super omnes gentes. Et hæc quoque Antichristo conveniunt. Notabis hic elegantem paronomasiam Hebraicè, & Latine, Mesuchab, Ne-sucab, Fusionem fusam, Tectorem tectam.

Proximè ante ista verba quæ hic elucidauimus, præmiserat Isaias de conuiuio quodam maximo in monte illo omnibus gentibus & populis apparando: quod Kimchi & alij Hebræi de strage Gog & Magog, idest, exercituum Antichristi, de qua superiore diximus libro, interpretantur: quam etiam Ezechiel figuratè conuiuium appellauit, vt eodem libro, cap. 9. notabamus. At hæc plenius excutere modo non vacat.

III.

Danielis 7. v. 26. de casu Antichristi: *Et iudicium sedebit vt auferatur potentia, & conteratur, & disperseat vsque in finem.* Loquitur de Cornu paruulo, idest Antichristo, vt lib. 5. cap. 24. & lib. 6. cap. 10. docuimus. Chaldaea ad verbum ita exprimuntur: *Et iudicium sedebit & dominatum [imperium] eius transire facient ad abolere, & ad disperdere vsque ad finem.* Verba sunt omnia ex *biphil*, quæ maxime significationem augent. Sed verbum illud plurale, *transire facient* forsitan mysterium sacrae Trinitatis innuit, nimirum Pater, Filius & Spiritus Sanctus Antichristo Imperium, & dominatum auferent, eumque conterent, ac funditus perdent.

IV.

Danielis 8. v. 25. *Et sine manu conteretur.* Istud Rabbini de Tito Imperatore exponunt, in cuius cerebrum musca per nates intrauerit, & perdiderit eum. Tradunt id Hebræi in Thalmud, in capite de Læsionibus, seu damnis: eamque muscam vocant *IA THVS*, quæ cerebrum Titi depasta fuerit. Sed in Baal Aruc, *IATHVS*, exponitur, reptile quod in aquis degit: Vide Eliam Leuitam in Thisbi, & Pomarium in Germinè. Mentiuntur plane verpifærentes, & in odium sui Excisoris confinxerunt eum à musca nimirum fuisse peremptum: cum longè diuersè Suetonius, Dio, Aurelius, Victor, Eutropius, & alij rerum Romanarum scriptores mortem Titi describant. Hunc locum de Antichristo esse intelligendum ostendimus lib. 6. cap. 36. lib. 7. cap. 3. lib. 8. cap. 5. & lib. 9. cap. 3. Illud, *sine manu*, aliqui exponunt, facile, nullo negotio, solo spiritu, seu flatu oris & illustratione Christi præsentia, vt Paulus ait. Vel sine manu hominum, non vi humana, sed Dei manu, & potentia extinguetur. Alij, modo quodam insolito, & stupendo. Possis reddere: *& in sine manu confringetur.* Hoc est, tandem perspicua Dei percussione destruetur. Aliter, *& in vanum manu conteretur.* Idest, manu Dei ita Antichristus funditus corruet, vt tota eius potentia & magnitudo euanescat, ac subito vertatur in nihilum.

V.

Daniel. 11. v. 45. *Et figet tabernaculum tuum Apadno inter maria, super montem inclytum & sanctum Et veniet vsque ad summitatem eius: & nemo auxiliabitur ei.* Hoc oraculum magna ex parte iam explanauimus lib. 6. cap. 38. nunc quæ proprie ad præsens institutum pertinent elucidemus. Iam superiore capite vidimus Patres omnes, qui Antichristum in monte Oliuarum, in tabernaculo seu papillione suo perimendum à Christo, prodiderunt, non aliunde quam ex

Tom. II. de Antichristo,

isto Danielis vaticinio accepisse. Atqui professi quoque nos eodem lib. 6. cap. 33. sumus montem inclytum & sanctum, & Sion, & Moria, & Oliueti posse rectè intelligi, qui tempore Antichristi excitato aggere, & complanata valle Iosaphath, quæ iacet inter urbem & montem Oliueti, vbi coniungetur: vt lib. 11. cap. 9. dicebamus.

Et veniet vsque ad summitatem eius. Hebræa: *Et veniet vsque ad finem suum*, vel eius: affixum vtroque modo reddi potest. Si eius legas, potest facilius ad montem referri: *Et veniet ad extremitatem*, seu finem, aut terminum eius. Nempe, montis Oliueti. Symmachus: *Et veniet vsque ad verticem montis.* Theodotion: *Et veniet vsque ad partem eius.* Aquila, *Et veniet vsque ad finem eius.* Ac si dicat, Ascendet ad cacumen, seu ad summum verticem montis Oliueti, vbi habebit tentorium seu palatium suum. Suspiciamur celsiorem palatij, seu regiae Antichristi partem futuram in monte Oliuarum, cum alioqui reliqua domus, & Templum montem Moria & Sion sit occupatura: neque enim mirum aut incredibile videri debet, Antichristum tanta amplitudine & magnificentia ædificaturum sibi domum, quanta Caligulam & Neronem. Tunc autem existimamus Antichristum venturum ad summitatem montis Oliueti, cum fugiens ab strage suorum exercituum, in regiam suam se recipiet: vt superiori libro copiosè diximus. Si verò affixo reciproco exponamus: *Et veniet ad finem*, seu terminum suum. Sic accipiemus: cum attigerit finem vitæ suæ, rerumque suarum. Lxx. *Et veniet hora consummationis eius.* Hoc sequuti sunt Apollinarius apud S. Hieronymum, Leo Iudas, & alij. Propius ad Hebræa: *Et veniet vsque ad præcisionem suam.* Qua præscindatur de mundo: nam ultra triennium & semis, non sinetur sæuire & grassari, sed præscindetur ei potestas & tyrannis.

Et nemo auxiliabitur ei. Hebræa: *& non auxilians ei.* Omni ope, & auxilio destitutus, diuina Christi manu cadet Antichristus. Vti omnes summo consensu interpretantur. Alienissime Maldonatus, ei refert ad montem. Inuadet Antiochus Epiphanius montem inclytum & Sanctum, vbi Templum, nemine monti ferente opem.

CAPVT VII.

Elucidantur loca alia ex Novo Testamento de nece Antichristi.

PAulus, patrum omnium communi interpretatione describens turpem Antichristi interitum. 2. Thessalonicens. 2. v. 8. ait, *Quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui: & destruet illustratione aduentus sui.* Græca *Quem Dominus consumet, conficiet, spiritu oris sui, & abolebit claritate, vel apparitione, aduentus sui.* S. Augustinus & Ambrosiaster, illuminatione præsentia sua. S. Hieronymus Quæstione 111. ad Algasiam: *Quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, diuina videlicet potestate, & sua maiestatis imperio, cuius iussisse fecisse est: non in exercitus multitudine, non in robore militum, non in Angelorum auxilio: sed statim vt ille aduenerit, interficietur Antichristus: & quomodo tenebra solis fugantur aduentu, sic illustratione aduentus sui eum Dominus destruet atque delebit.*

Sanctus Chrysostomus, Theophylactus, Oecumenius annotant: *Quemadmodum enim ignis irruens passim minuta animalcula etiam antequam*

Ff

plane

plane adueniat, procul adhuc diffusus torpescit, & consumit: ita & Christus vel solo imperio, sine afflatu Spiritus sancti plane delebit, & obscurabit ipsum, soloque aduentu suo abolebit ipsum, hoc est omnino torpescit faciet. Sufficiet autem solum inbere, & adesse illum atque ista omnia peribunt. Seductionem sistet, quam primum dumtaxat comparuerit.]

Est sanè ingens ostensio potentissimæ & ineuitabilis Christi virtutis, qui formidabilem illum ac tremendum orbis incubitorem, ac tyrannum, eiusque tanta mole fundatum imperium, facillime, nullo negotio, vel solo oris flatu, & splendore præsentia, suæ, momento dispeller, atque consumer. Et quemadmodum ad odorem tantum ignis lina leuissima, seu palea, ac tenues stupæ concepto igne statim consumuntur: haud secus Antichristus ad fulgentem Christi præsentiam subito extinguetur. Spiritus Hebraica phrasi pro flatu, aëre, odore, qui spirare solet, plerumque, ut hic accipitur: atque hoc loco facillimum Christi imperium ac iussione desig-
gnat.

Destruet. Verbum καταργέω, vel καταργήσω, frequens Paulo, hic ei omnia ista subsunt, reddet inefficacem, cessare à vi, virtute, opere faciet, tollet, abolebit, franger, debilitabit, antiquabit, abrogabit: quæ omnia recte congruunt neci Antichristi.

Hic aduentum, seu præsentiam Domini, intelligunt ipsum Christi ad Iudicium aduentum: non quod præfixe in ipso aduentu Christi ad Iudicium sit Antichristus interficiendus à Christo, cum reuera plures dies intercessuri sunt à morte Antichristi ad diem Iudicii, uti cap. 10. ostendimus: sed late & extensè dicatur aduentus Domini totum illud tempus, quod erit à fine Antichristi, usque ad Iudicium, quod in proximo erit. Vide Estium in 2. Thessalonicens. 2. v. 8. Alij aduentum hic efficacitatem dumtaxat virtutis Christi, quæ ad interficiendum Antichristum præsens aderit, intelligunt. Verum si quis verba Pauli attentius consideret, simulque cum illis conferat, quæ cap. 5. ex Patribus de morte Antichristi descripsimus: non abs re existimabit, Christum per Michaëlem Archangelum in specie visibili atque aspectabili immenso circumdatum lumine descensurum in aëra cunctis conspicuum, ad interficiendum Antichristum: quod Lactantium edocuisse lib. 12. cap. 9. annotauimus: atque hanc appellare Paulum illustrationem aduentus, seu præsentia Christi.

II.

Apocalypf. 19. v. 20. *Et apprehensa est Bestia, & cum ea Pseudopropheta, qui fecit signa coram ipso, quibus seduxit eos, qui acceperunt characterem Bestia, & qui adorauerunt imaginem eius. Viui missi sunt ij duo in stagnum ignis ardentis sulphure.* Loqui hic Ioannem de Antichristo, eiusque Armigero, seu Præcurso-
re, præterquam quod clarè affirmant, Andreas, Aretas, Primasius, S. Beda, Ansbertus, Ambrosiaster, S. Anselmus, S. Thomas: ex recentioribus Pannonius, Gagnæus, Bulengerus, Ribera, Melus, Sà, Viegas in 19. Apocalypf. Iustinianus & Cornelius à Lapide in 2. Thessalonicens. 2. v. 8. Lessius Demonstratione 16. de Antichristo: nos in hoc opere centies inculcauimus: nam ænigmata sua sibi habeat Alcasar, & ii qui eiusmodi nugis interpretationū delectantur.

Iam videntur Ioannis & Pauli verba de interitu Antichristi non satis inter se congruere. Si enim Antichristus à Christo interficiendus est, ut Paulus affirmat, quomodo Ioannes nunc adstruit viuum mittendum in stagnum ignis ardentis sulphure, in infernum? Interpretes varia excogitarunt ut diaphoniam horum duorum locorum dispellerent. S. Beda, Anselmus &

alij, Ioannis locutionem putant esse figuratam, non quod ii, Antichristus & Armiger eius reuera non sint morituri: sed dici viuos missos in infernum, ad significandum grauissimum eorum supplicium, quanto grauius est viuente flammis concremari sulphureis, quam citò moriturum istu gladij trucidari. Nec defuere qui existimarint, Antichristum, eiusque Præcurso-
rē re ipsa non esse morituros, per separationem animæ à corpore: sed viuum vtrumque detrudendum in infernum: ut de illis qui tempore aduentus Domini ad Iudicium, non morituros, ex verbis Pauli 1. Corinth. 15. v. 51. nonnulli existimarunt. Quod Andreas Cæsariensis Episcopus indicasse videtur, dicens: *Forsan ij duo communem mortem non oppetent: verum in momento, istius oculi extincti, morteque secunda condemnati, ad ardentis ignis lacum abripientur: quemadmodum Apostolus de quibusdam loquitur, qui non sunt dormituri, sed temporis quasi puncto, & oculi nicti sunt immutandi.* Quod si cui ob id aliud videatur, quod Apostolus Antichristum diuini oris spiritu perimendum asserat: nonnullique ex Doctoribus tradant, quosdam post Antichristum à medio sublatum, superstites à Daniele beatos predicari: respondebimus, hosce in corpore immortali & incorrupto viuentes, post euersam eneruatamque ipsorum à Christo potestatem, in gehenna ignem abiectum iri: quæ quidem gehenna illis, & mors & interemptio erit, diuino Christi mandato perfecta.]

Nos potius in eam sententiam imus, Antichristum cum suo hyperaspiste, dirumpente se terra viuos detrudendos in infernum: sed antequam illuc perueniat, morituros, & in visceribus terræ relinquenda eorum cadauera: nimirum viuos capturos descendere: sed in ipso descensu morituros: ne à communi morientium & resurgentium lege eximantur. Quod etiam de Dathan, & Abiron, ac Core, sociisque sacrilegæ coniurationis dicitur Numerorum 16. v. 33. *descenderuntque viui in infernum, operi humo.* Hos enim viuos capisse descendere, sed in ipso descensu antequam ad locum inferni peruenirent, extinctos, & corpora in ima terra deposita, Lyranus, Tostatus, Hugo, Dionysius, Sà, Cornelius à Lapide in eum Numerorum locum probabilius arbitrantur. Idem de Antichristo & eius Prodromo sentiunt, Ribera, Sà, Viegas, Barradius, Iustinianus, Cornelius à Lapide, Lessius, & alij. Vide Viegam in 13. Apocalypf. Sectione 14. Ac tunc Ioannes & Paulus facile conueniant: Siquidem Paulus dixit Antichristum occidendum à Christo: sed Ioannes exposuit modum quo interficiendus est, nimirum quod iussu Christi, ingenti motu dehiscet terra, & in id barathrum deiicietur Antichristus, ubi absorptus ab humo extinguetur, eiusque anima rapietur in infernum.

At quod Ioannes describens stragem exercituum Gog & Magog, & aliarum gentium cum ipsis, de qua præcedenti libro plenius egimus: simul quoque narret necem Antichristi eiusque Satellitis: arbitrati sunt aliqui, ac inter eos Ribera, manifestè redargui eorum opinionem, qui dixerunt, Antichristum in monte Oliueti in suo papillione, seu tétorio trucidandū à Michaële Archangelo: cum ex verbis ipsius Ioannis perspicuè habeatur, nefarium ardelionem potius in Campo seu monte Mageddon, viuum deglutendum à terra, eodem tempore quo exercitus eius extrema clade concidetur. Verum res est impendio dura, tantum Patrum, recentiorūque consensum afferentium Antichristum in monte Oliueti à Michaële interficiendam paruifacere.

Quocirca ut Patrum, posteriorumque auctoritas subsistat, nec verbis Ioannis aduersa reputetur, rationi maximè consentaneū ducimus: nō id circo quod Ioan. mortem Antichristi simul cū clade suorum exercituum narrauerit: simul, eademque hora euenturam nos existimare

existimare oportere: cum soleant interdum Prophetæ res diuerſorum temporum in vna narratione coniungere. Quia enim Ioanni propositum fuerat, stragē copiarum Gog & Magog & interitum Antichristi describere, simul vtrumque coniunxit: tamen si non simul, sed paruo post tempore Antichristus sit perimendus.

Igitur vt omnia à Sacris vatibus, de morte Antichristi prædicta, aptè & concinnè cohæreant, facile existimamus, Antichristum, visa tanta suorum exercituum ruina ac cæde in cæpo Mageddon, & circumiacentibus montibus, fuga se à castris cum suo Alastore eieciurū: & Ierosolymam in palatium suum ac Regiam sese recepturū, atque in editiora & munitiora loca aulæ, quæ erunt in monte Oliueti, se abditurū: vel forſan in castra, quæ ad montem oliueti habebit, in tentorium suum confugiturū, vt desperatis seu perditis rebus, de salute sua consilium capiat: sed altero, vel paucissimis diebus postquam illuc peruenerit, destitutus omni hominum, dæmonumque præsidio, interficiendum à S. Michaële Archangelo: quod in hunc modum futurum putamus: Nimirum descensurum Christum in aëra, corporea & adſpectabili, adhæc fulgentissima specie conspicuum, Angelorum cinctum agminibus; super montem Oliueti, vnde in cælum primum conſcendit: atque ibi imperaturum Michaëli Archangelo Ecclesiæ tutelari Præsidi, vt Antichristum interficiat: tum Michaëlem ingenti tonitru & fragore, accerrimisque fulminibus totum illud palatium Apadno, & tentoria Antichristi in fauillas & cinerē redacturum: & Antichristum cum suo Pseudo propheta clare & patenter appariturū, & cunctis Christianis, Iudæis, aliisque gentibus, quæ tunc Ierosolymis erunt, cernentibus, montem Oliueti dehiscere tellure, apperendum: & Antichristum cum suo Achate fulmine raptatum, & turbine inuolurum, viuum deglutiendum & deuorandum à terra: indeque impetu detrudendum & demergendum in profundissimum Infernum ardentem igne & sulphure. Hæc nobis videtur simpliciter, ac vero similior ex Paulo & Ioanne contexta de morte Antichristi narratio: si alius meliora attulerit, promptè excipiemus.

Huc forſan pertinere possint verba Zachariæ 14. v. 3. *Et egredietur Dominus, & præliabitur contra gentes illas, sicut præliatus est in die certaminis. Et stabunt pedes eius in die illa super montem oliuarum, qui est contra Ierusalem ad orientem; & scindetur Mons Oliuarum ex media parte sui ad orientem, & ad occidentem prærupto grandi valde: & separabitur medium montis ad Aquilonem, & medium eius ad meridiem. Quem locū Hebræos de clade Gog & Magog interpretari, annotat S. Hieronymus, & ex Kimchi Commentariis perspicuum est. Nostrorū plerique de strage copiarum Gog & Magog sub Antichristo, & de nece ipsius Antichristi, absorbendi à terra, Scindendo se mōte Oliueti, exponunt. vt Hugo Carenſis, Lyranus, Dionysius, Meſſana, Figuerius, & alij: quos tu conſulas; quamuis alij aliter intelligant. Nobis non est otium hæc preſſus excutere.*

De Antichristi exitio in Pseudo sibyllinis lib 3. sub initium hæc canuntur:

*Verum quando Dei prædicta minacia magni
Aduenient, terrasque petet flammata potestas
Inflata exuret Belier, hominesque superbos,
Omnes quotquot ei fuerint per fadera iuncti.*

Mira sunt quæ S. Epiphanius in vita Danielis refert, prænuſſiſſe hunc sacrum vatē de nece Antichristi, sic scribens: *Ille Propheta Daniel in celsis montibus Babylonis monstrum annuntiavit, & exhibuit, dicens: Vbi cernetis montem ex parte Borea fumo denigratum, pro foribus Babylonis terminus imminet.*

Quando verò istum flagrantem igni videbitis, aderit totius orbis terrarum finis. Sed cum ad Meridiem mons aquas propellet, remeabit populus in patrium solium: & condetur Ierusalem late, campoque capaci, perinde atque factum est etiam per Iesum Pontificem pariter, & Zorobabel filium Salathiel. Quod si denique mons iste cruentus sanguine manat, stragem portendit ipsius Beliar in vniuerso terrarum orbe. Aderit autem Dominus humana natura indutus.] Beliar, seu Belial intelligi Antichristum, lib. 1. c. 7. docuimus. Grauiſſimus auctor est S. Epiphanius. Sed hæc haud aliunde sibi fidem vendicant.

Aurelius Prudentius in Cathemerinon, Hymno 6. ante somnum de Christo interfectore Antichristi canit:

*Hic præpotens cruenti
Extinctor Antichristi
Qui de furente monstro
Pulchrum refert trophæum.
Quam Bestiam rapacem,
Populosque deuorantem,
Quam sanguinis Charybdim
Ioannes execratur.
Hæc nempe qua sacratum
Præferre nomen ausa,
Imam petit gehennam,
Christo precepta vero.*

Sed de morte Antichristi, cum innumeri perscripserint, accuratius Ribera, Suarez, Henríquez, Pererius, Valentia, Acolta, Florimundus, Viegas, Lessius, Cornelius à Lapide, Barradius.

CAPVT VIII.

*Antichristum tres annos & sex menses
regnaturum.*

Patres, & Ecclesiastici omnes tractatores, ex verbo Dei, & perenni traditione perpetuo docuerunt, Antichristum non nisi triennio & sex mensibus Imperio potiturum. Sunt ea de re perspicua sacre scripturæ testimonia. Danielis 7. v. 25. de Antichristi tyrannide: *Tradentur in manu eius vsque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis.* Et cap. 12. vers. 7. Angelus de eadem Tyrannide inquit: *Quia in tempus, & tempora, & dimidium temporis.* Et Apocalyp. 12. vers. 14. de Ecclesia fugiente tyrannidem Antichristi: *Vbi alitur per tempus & tempora, & dimidium temporis.* Nec est dubium, quin Ioannes & mentem & verba Danielis mutuatus fuerit.

Sectarij vt genuinam de Antichristo doctrinam ubique elucidant, aiunt, his locis poni tempus certum pro incerto, more Scripturæ, ac designari hic incertum & indefinitum tempus regni Antichristi: nam ridiculum existimant, Antichristum nonnisi tres annos & semis regnaturum. Leo Iudas, ac Robertus Stephanus locum Daniel. 7. v. 25. ita reddunt: *& tradentur in eius potestatem seu longo, seu breui temporis spatio.* Et alterum locum Daniel. 12. vers. 7. *vsque ad præfinitum tempus, siue longum siue breue.* Pudor est has interpretationes audire. Probant suam interpretationē, ex eodem 7. Daniel. vers. 12. vbi de Monarchiarum duratione dicitur: *& tempora vita constituta sunt eis, vsque ad tempus & tempus.* Vbi tamen nemo sanus duos annos intelligat, sed indefinitè sua tempora. Sed Patres & Orthodoxi Interpretes in Daniele & Ioanne, tempus, vnum annum; tempora, duos annos; dimidium temporis, semissem anni, certo & præfinito numero semper acceperunt. Equidem tempus & tempora, annum & annos & significare, constat è Danielis

4. v. 22. de tempore quo Nabuchodonosor versatus fuit inter feras: *Septem quoque tempora mutabuntur super te. Vbi Sanctus Hieronymus, Theodoretus, & alij omnes explanatores, septem annos interpretantur. Et Sanctus Epiphanius in vita Danielis: Septem porro annos, quæ illi septem tempora Daniel prædixit, supplicationibus ipse suis super eo ad Dominum, in totidem menses commutavit.*] Eadem habet Dorotheus in Synopsi.

Cæterum ut nulla possit esse dubitatio, Daniel & Ioannem præfixe tres annos & dimidium Antichristum regnatorum prædixisse, ex alijs eorumdem Sacrorum vatum oraculis manifestissime hoc ipsum intelligitur, ubi perspicue & minutatim expresserunt per menses & dies, tempus regni Antichristi futurum trium annorum & sex mensium præfinitè: unde facile cognoscitur eos, per tempus & tempora & dimidium temporis, nihil aliud quam triennium & sex menses significasse.

De ipso regno & tyrannide Antichristi Apocalypsis 11. v. 2. dicitur: *Et civitatem Sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus.* Et cap. 13. v. 5. & data est ei, Scilicet Bestiæ seu Antichristo potestas facere menses quadraginta duos. Vide hunc locum explanatum lib. 6. cap. 36. At quis nescit, Menses quadraginta duos, tres annos & dimidium iuste conficere? S. Dionysius Alexandrinus Episcopus apud Eusebium lib. 7. Historiæ, cap. 9. hunc Apocalypsis locum de Valeriano Imperatore est interpretatus, quod atrox eius in Ecclesiam bellum triennium & sex menses viguerit. Sed accommodasse potius S. Antistitem verba Ioannis præsentis instituto, quod Valerianus in ea Ecclesiæ oppressione typum gereret Antichristi: quàm verè & historicè exposuisse, facile quisque existimabit. Nisi forte reputaverit iam tum adesse Antichristi tempora: de qua re sæpius in Ecclesia trepidatum lib. 2. cap. 28. abundè docuimus: alioqui enim Ioannem de monarchia veri Antichristi loqui concors est omnium sententia. Vide lib. 6. cap. 36.

Insuper Danielis 12. vers. 11. de Antichristi tyrannide: *A tempore quo ablatum fuerit iuge sacrificium, & posita fuerit abominatio in desolationem, dies mille ducenti nonaginta* Apocalypsis 11. v. 3. *Et dabo duobus testibus meis, Henoc & Elia, & prophetabunt diebus mille ducentis, sexaginta.* Et Apocalyp. 12. v. 6. *ubi pascant eam diebus mille ducentis sexaginta.* Novatores per phrænesim dies pro annis accipiunt, atque intelligunt hic annos mille ducentos sexaginta, vel nonaginta. Verum in refutandis hisce delirijs nolumus nos otium nostrum impendere, videndi ea de re Sanderus lib. 8. de Visibili Ecclesiæ Monarchia, cap. 49. Bellarminus lib. 3. de Romano Pontifice, cap. 8. Lessius Demonstratione 13. de Antichristo, Maldonatus in 12. Daniel. vers. 7. Ieremias Ferrerius libro de Antichristo, cap. 31. Verum hæc tria loca iam superius à nobis exactè sunt explicata, simulque circa ea exorientes scrupuli detergi: & primus ille quidem ex Daniel. 12. lib. 9. cap. 11. alter vero ille ex Apocalyp. 11.2. lib. 10. cap. 20. extremo: tertius autem lib. 9. cap. 16. & 17. Et quidem notatio tam minuta per menses, & dies, & exacta dierum enumeratio, nihil aliud exprimit, quam Antichristi regnum non nisi tres annos & semis duraturum.

Quod vero Sectarij ex Daniel. 7. v. 12. obiecerant, prorsus extra rem est: consensu liquidem omnium exponitur, Monarchias suo quamque tempore duraturas: nec enim hic est illa minuta & distin-

cta partitio in tempus, & tempora, & dimidium temporis, explicata per menses quadraginta duos, atque etiam per dies mille ducentos nonaginta.

Sed iam mirificum Patrum & Posteriorum consensum de tribus annis cum dimidio durationis regni Antichristi promamus.

Sanctus Irenæus lib. 5. cap. 30. *Cum autem vastaverit Antichristus hic omnia in hoc mundo, regnans annis tribus, & mensibus sex, & sederit in templo Ierosolymis, tunc veniet Dominus de celis in nubibus, in gloria Patris.*]

S. Hippolytus Martyr Oratione de Antichristo: *Tres annos cum dimidio regnabit Antichristus super terram: post auferetur regnum illius, & gloria.*] Et post multa: *Sed dies illi celeriter transibunt, seductoris & Antichristi regnum citò tolletur.*

Lactantius libro 7. cap. 17. *Dabitur ei [Antichristo] desolare orbem terra mensibus quadraginta duobus.*]

Sanctus Cyrillus Ierosolymitanus Catechesi 15. *Regnabit autem Antichristus tribus annis, & dimidio tantum: quod non ex libris apocryphis dicimus, sed ex Daniels Propheta: dicit enim: Et tradentur in manus eius usque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis. Tempus enim est unus annus, in quo augebitur ipsius potentia: tempora autem duo reliqui anni illius iniquitatis: tribus vero his annis annumeratur dimidium temporis quod est semestris.*]

Sanctus Ephraem Syrus Sermone de Antichristo: *Postquam ergo tria tempora cum semis impleta fuerint potestatis & operationis scelesti illius Antichristi &c. tunc veniet sicut fulgur de calo coruscans &c.*] Vir eruditus, probus, & amicus Gerardus Vossius annotavit, manuscriptum vaticanum exemplar Ephraem habere: *Postquam sex menses & tres anni imperij Antichristi atque Draconis Deo adversarij fuerint impleti, &c.*

Sanctus Hieronymus in 7. Danielis, vers. 25. Sacri vatis verba elucidans, ait: *Tempus, annum significat: tempora iuxta Hebraici sermonis proprietatem, qui & ipsi dualem numerum habent, duos annos præfigurant: dimidium autem temporis, sex menses quibus Sancti potestati Antichristi permittendi sunt: ut condemnentur Iudæi, qui non credentes veritati susceperunt mendacium. De quo tempore & Saluator in Evangelio loquitur: Nisi abbreviati essent dies illi, nequaquam salva esset vlla caro. Non convenire hæc tempora Antiocho, in extrema visione dicimus.] Et in 12. Daniel. vers. 7. Sub Antichristo autem non tres anni, sed tres & semis, hoc est, mille ducenti nonaginta dies, desolationis templi sancti, & eversionis futuri esse dicuntur.] Et ad vers. 11. explicans verba illa: *Dies mille, ducenti nonaginta, inquit: Ex quo perspicuum est, tres istos & semis annos, de Antichristi dici temporibus, qui tribus & semis annis, hoc est, mille ducentis nonaginta diebus sanctos persequutus est, & postea corruiurus in monte inclito & sancto.]**

Sanctus Augustinus lib. 20. de Civitate Dei, cap. 23. *Antichristi adversus Ecclesiam semissimum regnum, licet exiguo temporis spatio sustinendum, qui vel dormitans hæc legit, dubitare non sinitur. Tempus quippe & tempora, & dimidium, ac per hos tres annos & semis sem etiam numero dierum posterius posita dilucescit, aliquando in scripturis & mensium numero declaratur. Videntur enim tempora indefinite hic dicta lingua Latina, sed per dualem numerum dicta sunt, quem Latini non habent. Sicut autem & Græci, ita hunc dicuntur habere, & Hebræi.*

Hebraei. Sic ergo dicta sunt tempora, tanquam dicerentur duo tempora.]

Auctor Operis Imperfecti Homilia 49. in Matthæum: Quoniam autem tribus annis & sex mensibus protendendum est Antichristi regnum, multa scriptura significant: maxime tamen in reuelatione sua Ioannes.]

Theodoretus in 7. Danielis, ad vers. 25. Tempus igitur & tempora, & dimidium temporis, tres annos cum dimidio dicit, quibus cornu illud Antichristus mactens imperabit.]

S. Prosper in Dimidio Temporis, cap. 16. Tribus annis & sex mensibus potestas erit Antichristo.]

Victorinus in Apocalypsim: Est ergo illorum duorum testium predicatio triennium & menses sex: & regnum Antichristi alterum tantum.]

Primalius elucidans verba Apocalypf. 11. v. 3. & ciuitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus: ait: Numerus autem mensium nouissimam persecutionem significat.] & in cap. 13. vers. 5. ad verba illa: Et data est ei potestas faciendi mensibus quadraginta duobus, inquit: His etiam mensibus tres anni cum sex mensibus adimplentur, quibus specialiter nouissima persecutionis prænunciatur asperitas.]

Andreas Cæsariensis Episcopus in 11. Apocalypsis, ad vers. 3. enarrans illud, & ciuitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus, inquit: Quod autem sancta ciuitas, siue nouam Ierusalem, siue Ecclesiam catholicam per eam accipias, menses quadraginta duos à gentibus calcanda hoc loco asseritur, illud subindicat, ni fallor, fideles, probatosque viros, tres annos cum dimidio, quibus Antichristus sauiet, magnam persecutionem perpeffuros.] Et ad cap. 12. ad illud vers. 6. ut ibi pascant eam diebus mille ducentis sexaginta. ait: Idque ad annos tres cum dimidio, per mille ducentorum sexaginta dierum numerum designatorum sexaginta dierum numerum designatos, inter quos regnum obtinebit Apostasia.] Et ad illud eiusdem capituli, vers. 14. ubi alitur per tempus, & tempora, & dimidium temporis. scribit: Antichristo vero sauiente maxime. Hunc enim trieteride cum anni semisse grassaturum, sapius iam ante indicatum est.] Et in 13. Apocalypf. vers. 5. Et data est ei potestas facere mensibus quadraginta duobus: Triennij, inquit, spatio cum anni dimidio, Deus sinet illum Antichristum conuictis, verbisque blasphemis, cæleste numen impetere, sanctosque affligere.

Atetas Cæsariensis Episcopus in 13. Apocalypf. ad illud vers. 5. Et data est ei potestas facere menses quadraginta duos, inquit: Iam diximus, quod tempus aduentus Antichristi, & impostura ipsius ac potestatis, tribus annis ac dimidio compleatur: id enim quadraginta duo menses temporis spatium præstant.] Eadem habet in 11. Apocalypsis vers. 3. & cap. 12. vers. 6.

S. Beda de Ratione Temporum, cap. 68. Et data est illi Antichristo potestas facere menses quadraginta duos, idest, annos tres & dimidium.] Et inferius: Denique Daniel Propheta, qui regnum Antichristi mille ducentis nonaginta diebus, idest, tres semis annis futurum describit, &c.

Rabbanus Opusculo de Antichristo: Hic Antichristus diaboli filius, totius malitia artifex pessimus, cum per tres annos & dimidium magna persecutione totum mundum vexauerit, ad ultimum veniet ira Dei super illum, sicut Paulus scripsit: Quem Dominus Interficiet spiritu oris sui.] Eadem de duratione regni Antichristi tradiderunt Ambrosius Ansbertus, Ambrosiaster, Haimo, Rupertus, S. Anselmus, S. Thomas,

& innumeri in 11. 12. & 13. Apocalypsis: nec vlla vmquam fuit ea de re inter Orthodoxos dubitatio.

Sed illud expendendum, quod S. Hieronymus, & illum secutus S. Augustinus affirmarunt, in locis Danielis, vocem illam, tempora iuxta Hebraici Sermonis proprietatem, qui & ipsi dualem numerum habent, significare duos annos: equidem Daniel. 7. v. 25. Chaldaicè est GHIDANIN, quod nullo pacto est duale, sed plurale: & Danielis 12. vers. 7. est MOGHADIM Hebraicè, quod similiter plurale, non duale est. Addè quod Græca LXX. utroque loco plurale, non duale habent. Ridiculum quod Ribera in 12 Apocalypf. Num. 38. annotauit, S. Hieronymum legisse se Chaldaicè GHIDANIN, & Hebraicè MOGHADIM forma duali: nam eiusmodi formæ in his nominibus non reperiuntur in scriptura. Et alioqui certum est Hebræis dualem numerum non dici nisi de rebus natura, vel arte, seu vsu binis: ut de oculis, naribus, manibus, auribus, pedibus, cornibus, &c. & si quando de pluribus, non nisi de iugatis. Vide Kimchi in Michlol, Sanctem lib. 2. Institutionum, cap. 1. Quinquaginta in Opere Grammatico, pag. 33. Ioannem Isaac lib. 1. Hebraicæ Grammaticæ, pag. 52. Martinum Cantapetrensem In Hebraicis Institutionibus, cap. 8. Suspicor S. Hieronymum in mente habuisse, Quia Hebræi in quibusdam aliis rebus uti solent duali numero, nihil esse mirum si plurale Tempora, duali sensu capiatur, ut sint duo tempora, idest, duo anni.

Verum exoritur iam haud leuis difficultas: Tres isti integri anni & sex menses regni Antichristi, unde inchoandi sint, num ab eo tempore quo primum Babylone Iudæorum fauore quaecumque regnum inuadet: an verò inde quandò deuictis, & sub iugum missis prouinciis Egypti, Libiæ, & Æthiopiæ, ac terra Sancta potitus, fultusque vastis Gog & Magog, aliarumque gentium exercitibus, Monarchiam se vniuersi orbis promulgabit: persecutionemque sæuissimam in Ecclesiam auspicabitur: nam simul utrumque futurum, & persecutionem, & initium Monarchiæ facile omnes assentiuntur.

Peterius lib. 25. in Daniele, Suarez Tomo 2. in 3. Partem, Disputatione 54. Sectione 2. & nonnulli alij, existimarunt, plenam & absolutam Antichristi Monarchiam, & promulgatam atrocem in Christianos persecutionem, spatio tantum trium annorum & sex mensium includendam: cæterum ignorari aiunt quantum temporis interfluxurum sit, à rapto primum qualicumque regno, ad partem & constitutam immanem illam & supremam monarchiam, cunctis orbis regibus vel deletis, vel subiectis: nam tam vastæ monarchiæ non nisi tempore & labore multo parantur.

Nos vero ex tam multis quælib. 6. de initiis & progressibus regni Antichristi obseruauimus, facile deducimus, Antichristum breuissimo spatio à prima regni inauguratione in Babylonia, adepturum summum monarchiæ fastigium: nam quamprimum Babylone rex à Iudæis proclamabitur, velut cæca tempestas, & rapidissimus turbo in omnia ruet, atque incredibili celeritate in potestatem reductis Egypto, Lybia, & Æthiopia, aliisque prouinciis, fama potentiae, virium, rerumque gestarum: suorum ducum & Imperatorum fortitudine, expeditionibus, præliis, terrore nominis, ac cumprimis validissima cæcæmonum ope, ac mille diabolicis artibus, conatibus, apparatibus, longe læque,

etiam absens omnia breui conficiet, vt lib. 6. cap. 35. plenius est à nobis ostensum. Dicit non potest quam breui momento vertantur Imperia! Alexander Magnus, Iulius Cæsar, Tamerlanes, & alij quam breui tempore ad summum fastigium euasere.

Cæterum triennium & sex menses, quos eius Imperio diuina Scriptura, Patres assignant, non ambigimus de plena & integra nefandi Alastoris monarchia Ierosolymis fundata ac tunc simul publicis editis in Christianos truculentissima promulgata persecutione esse propriè accipiendos. Atque ad sane Patres luculenter nobis dixisse videntur, cum disertis verbis affirmant, tres annos & dimidium futuros persecutionis Antichristi, & pressuræ Sanctorum. Id quidem apertissimè vidimus in verbis S. Irenæi, Lactantij, S. Hieronymi, Primasij, Andreæ, Rabbini, superius positis. Sed & S. Augustinus lib. 20. de Ciuitate Dei, cap. 8. inquit: *Nam tribus annis & sex mensibus legitur Antichristus totis suis, suorumque viribus Saniturus.* Ambrosiaster in 13. Apocalypsi. *Sicut mihi videtur, in tribus annis & dimidio tempus persecutionis Antichristi tantummodo comprehenditur, in quo perse, & per discipulos suos, & per ostensionem signorum mirabilium, totus laborabit, vt culturam Deitatis omnes homines sibi impendant.* Haimo in eundem Apocalypsis locum: *In tribus annis & dimidio quadraginta duo menses sunt: atque idcirco specialiter in his mensibus ultimum tempus, & persecutio Antichristi significatur.* Idem docet Ansbertus in 11. Apocalypsi ad vers. 3. Otto Frisingensis lib. 8. Chronicorum, cap. 6. & consentiunt posteriores omnes. Et sane verba Scripturæ manifesta sunt de oppressione & persecutione, seu pressura Antichristi, Danielis, 7. v. 25. *& tradentur in manu eius Sancti per tempus, & tempora, & dimidium temporis.* Et Apocalypsi 11. v. 2. *& ciuitatem Sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus.* Tradi in manibus, calcari, vim & oppressionem ostendunt.

Disquirunt curiosi, quo anno vitæ suæ Antichristus plenam Monarchiam & persecutionem in Ecclesiam aggredietur, quo ætatis anno interibit. Coniectantur, vt Christus regnum suum, idest Euangelij prædicationem exorsus est anno ætatis suæ xxx expleto: eumque absoluit, cum vita pariter xxxiv per tres menses inchoato: quæ est frequentior sententia Auctorum recentiorum Romanæ Ecclesiæ: vixitque Christus triginta tres annos & tres menses integros: ita quoque Antichristum anno xxxi vitæ suæ auspiciaturum supremam suam monarchiam, simulque bellum illud atrox in Ecclesiam; & anno ætatis suæ trigésimo quarto per sex menses inchoato perituro: vt tres menses plusquam Christus in mundo sit victurus. Verum hæc sunt obscura & incerta: nec tamen illud omiserim plerosque Protestantes Chronologos, eam mordicus tueri sententiam Christum Dominum quatuor annos & tres menses, vel sex prædicasse: & anno ætatis

suæ trigésimo quinto per tres, aut sex menses inchoato, passum: in qua sunt Iosephus Scaliger, Sethus Caluissius, Vbbo Emmius, non pauci alij.

* *

CAPVT IX.

Quæ futura sint post mortem Antichristi.

SUBLATO, & in profundissimum infernum demerso Spestilentissimo monstro, deletisque cunctis eius exercitibus in Iudæa, verisimile est, reliquos eius ministros atque Præfectos, qui in aliis terrarum partibus Christianos dirè vexabunt, cessaturos illicò ac fugituros, vel certe consimili clade consumendos: tuncque serenissima pace reddita Ecclesiis per vniuersas mundi regiones, ac potissimum in Terra Sancta, cunctos Christianos è latibris in publicum prodituros, ingenti lætitia, effusissimo gaudio, festiuissimisque demonstrationibus victori Christo laudes, grates immensas celebraturos: decretis publicis, supplicationibus ac pompis ad Ecclesias, accensis vbique luminibus epinicia victoriæ pro ritu ac more Christiano facturos. Numquam tanta causa lætitiæ, vllis retrò temporibus Ecclesiæ fuit, cum se viderit è maiori discrimine & periculo, Dei opere liberatam.

Purgabunt pij magna alacritate sacra templa, eaque Sanctificabunt, diruta instaurabunt: sed ante omnia comparatis, & conquisitis vndique vasis, ornamentis, libris, & omni facto apparatu, quanta poterunt frequentia comparato, celeberrime ac deuotissimè Sacrosanctum Missæ Sacrificium, quod iam per tres annos & sex menses ac decem forsan amplius dies, in publico cessauerit, peragent: in quo fortissimorum & inuictissimorum martyrum, qui pro Christi fide Sub Antichristo occubuerunt clarissimam memoriam instaurabunt: eorumque fidem, constantiam, victoriam, ac præsertim Henoch, & Eliæ triumphum, & magna Dei præsidia ac miracula, quæ pro Ecclesia sua potissime præstitit, frequentissimis ad populum concionibus, mirificè prædicabunt.

Adhæc Sacram Testamenti Arcam, quæ ingenti miraculo, viuentē adhuc Antichristo apparuerit, ex monte Sina in montem Sion & in Christi Ecclesiam magna celebritate & solemnissima pompa reducent: vt iam non deinceps Tabulis legis, aut vnæ manna, seu virgæ Aaron custodiendis; Sed sacre Eucharistiæ asseruandæ inseruiat: aut vt pro magna reliquia deuotè colatur.

Insuper arbitramur, Christianos Victores qui in terra Sancta erunt, omnem curam tunc adhibebunt sepeliendis cadaueribus exercituum Gog & Magog, & aliarum gentium, ne tabe & fæore aëre infecto, morbi ac pestes passim vulgentur: nam hac de re vaticinatum Ezechielem, Capite sequenti dicemus.

Lactantius Firmianus statum illius temporis post occisum Antichristum, ita describit lib. 7. cap. 19. *hic extincta malitia & impietate compressa, requiescet, orbis qui per tot sæcula subiectus errori ac sceleri nefandam pertulit seruitutem. Non coletur ulterius dij manufacti: sed à templis & puluinari-bus suis deturbata simulacra igni dabuntur, & cum donis suis mirabilibus ardebunt: quod etiam Sibylla cum Prophetis congruens, futurum esse prædixit:*

Conterent autem simulacra homines, & diuitias omnes Erythræa quoque idem spondit:

Opera

*Opera autem deorum humanis manibus facta ex-
rentur.]*

Sed Lactantius non adeo sacrarum litterarum sciens, plerumque hallucinatur: veraque falsis immiscet: iam cum nobis demonstratum lib. 8. cap. 3. Antichristum idola omnia, omnemque deorum cultum toto suo Imperio aboliturum: illa Christiani non habebunt: Turcæ & Mahometani non ferent: unde ergo templa, idola, dii post mortem Antichristi? nisi forsan de statuis, imaginibus, simulachris Antichristo ubique tanquam Deo erectis intelligat.

Sed magis illud mirum, quod lib. 3. Pseudosibyllinorum, sub initium, canitur, extincto Antichristo Imperium orbis penes mulierem quandam viduam.

Tunc autem mundus manibus mulieribus omni

In rerum, summa parebit, eisque regetur.

Cum vero vidua in totum regnauerit orbem,

*Aurumque, argentumque hominum, queis vita
caduca est,*

*Ferrumque, æque maris salsus iactavit in cundas,
&c.*

Hæc nos non intelligimus: & forsam sunt vana & futilia commenta ab impostore aliquo fabricata: an innuit deletio Antichristo, nullam amplius in mundo futuram monarchiam: sed Reipublicæ forma, sine vnius principatu regendum iri orbem: an ita vere erit: quod vidua regina toti imperitet mundo: an indicat politicum & temporale rerum dominium penes Ecclesiam futurum, quam viduam appellat, quod sponsum non in terris præsentem & adspectabilem, sed in cælis habeat.

Cæterum non est dubium, interfecto Antichristo, plenariè consummandam Iudæorum electorum conuersionem ad Christi fidem: & innumeros quoque ex aliis gentibus accessuros ad Christum: nimirum visis tot diuinis prodigiis, euidenti Dei ope erga suam Ecclesiam, stupendo ac diuinitus patrato Antichristi exitio, ubique coruscante gloria Christi: plurimos infidelium veram Dei religionem amplexuros, uti lib. 11. cap. 17. notabamus.

Illud quoque expendendum, quod Lyranus in 1. Thessalonicens. 5. scribit: *Dictum commune Doctorum & Sanctorum est, qui dicunt communiter, quod mortuo Antichristo, & falsitate eius manifeste detecta, omnes gentes conuertentur ad Christum. Et sic non remanebunt aliqui in Secta Antichristi.* Dionysius Catthosianus in eundem locum: *verum est quod Sancti affirmant, totum mundum conuertendum ad Christum, occiso Antichristo: quod non est intelligendum tam absolute, quod singuli conuertentur: sed quia tam multi conuertendi sunt, quod comparatione eorum, alij erunt paucissimi.* Et in 14. Sapientiæ: *Antichristo occiso, totum penè genus humanum conuertetur ad Christum.* Plurimos quidem tunc conuertendos ad Christum, non tamen omnes facile crediderim: nec Patres ac Theologos aliter existimasse,

vllus poterit demonstrare. Vide de his

Sebastianum Barradium Tomo 3.

Commentarior. in Historiam

Euangelicam lib. 2. cap. 6.

& lib. 9. cap. 7.

* *

CAPVT X.

*Quantum temporis effluxurum sit à morte
Antichristi, ad finem sæculi, &
vniuersale iudicium.*

Daniel cum prælixisset, Sacrum & incruentum Missæ Sacrificium cessaturum sub Antichristo dies mille ducentos nonaginta, nimirum toto tempore tyrannidis & persecutionis Antichristi, uti fusè à nobis ostensum est lib. 9. cap. 11. statim addit cap. 12. 12. *Beatus qui expectat, & peruenit ad dies mille trecentos, triginta quinque.* Quibus verbis priori summæ à se positæ, nempe diebus M c c x c. addit dies alios Quadraginta quinque: qui omnes efficiunt dies M c c c x x v. Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum, existimat vaticinari hîc Danielem de clade Ierosolymitana & Iudaica, quæ illis est inferri cæpta à Nerone ad Vespasianum vsque: ipsum vide cap. 13. Sed Patres, & omnes Catholici interpretes hoc vaticinium ad tempora Antichristi referunt. Isidorus Clarius singularem huius loci attulit interpretationem, sit enim ait: *Videtur hic sensus: Etiam si tempus sub Antichristi persecutione prolongatum fuerit, beatus ille erit, qui perseuerauerit vsque in finem. Numerus enim M c c c x x v. excedit mediam annorum hebdomadam xlv. qui numerus facit sex septenarios cum dimidio ferè quicquid accommodatur ad finem: quasi dicat: Beatus erit, cuius tanta longanimitas inuenietur, ut etiam si longissimum spatium afflictionibus illis addatur, ita ut apparere iam septimus septenarius videatur, non tamen excidat.* Cæterum longe aliter & verius Patres & explauatores hunc locum acceperunt.

S. Hieronymus: *Beatus qui interfecto Antichristo dies supra numerum præfinitum [nimirum M c c x c.] quadraginta quinque præstolatur, quibus est, Dominus atque Saluator in sua maiestate venturus, Quare autem post interfectionem Antichristi, quadraginta quinque dierum silentium sit, diuina scientia est, nisi forte dicamus, dilatio regni Sanctorum, patientia comprobatio est.*

S. Beda in 8. Apocalypf. ad verba illa vers. 1. *Factum est silentium in celo, quasi media hora, inquit, Post interitum Antichristi requies aliquantula futura creditur in Ecclesia, de qua Daniel ita prædixit Beatus qui expectat & peruenit vsque ad dies mille trecentos triginta quinque, quod Beatus Hieronymus sic exponit. &c.* subiicit verba ipsa Hieronymi, quæ paulo antea recitauimus. Eadem verba S. Hieronymi affert Strabus in 12. Danielis.

Anselmus Laudunensis in eundem Danielis locum: *dies quietis & pacis post mortem Antichristi quadraginta quinque superioribus adduntur, ad refrigerium Sanctorum, & ad pœnitentiam subuersorum.* Ergo ex Danielis oraculo intercessuros à nece Antichristi, vsque ad finem sæculi quadraginta quinque dies, præter S. Hieronymum, S. Bedam, Strabum, Anselmum Laudunensem, diserte quoque affirmarunt, auctor nomine. S. Anselmi in 2. Thessalonicens. 2. Petrus Comestor in Historia Scolastica, Daniel. 12. & Danielis explanatores, Lyranus, Vatablus, Veldius, Pერიус, Sà, Mariana, Sanctius. Nam Maldonatus

hic profecto nugatur. Quin & Theodoretus hæc habet: *Immit & declarat fore, ut Antichristo divina plaga percusso, permaneat magnus Elias reliquos quinque & quadraginta dies: tum appareat Dominus venturus in nubibus cali.*] Rectè quidem post mortem Antichristi ad iudicium futuros XLV. dies cum aliis sensu: sed illud perperam, quod Eliam ait post mortem Antichristi permanurum; cum certum sit interficiendum esse ab ipso Antichristo.

Lyranus & Pintus in 39. Ezechielis annotant, Incertum esse, nec posse ex isto Danielis oraculo statui, quantum temporis præfixe effluxurum sit ab exitu Antichristi ad iudicium: nam etsi Daniel asserat intercessuros XLV. dies: at non constat, qua ratione XLV. isti dies sint intelligendi, an nimirum sint futuri naturales ac proprii, an vero annuales, ut dies pro anno sumatur, ut Ezechiel 4. v. 6. *diem pro anno dedi tibi*: num autem mensuri, aut hebdomadarij, idest, dies pro mense, aut pro hebdomada. Sed quænam hæc sunt interpretationum portenta? Vbinam in Scriptura ostendi poterit diem poni pro anno, aut pro mense, aut pro hebdomada, cum distinctè numerus dierum exprimitur? Nonne id est omnia miscere, confundere, turbare? Nonne Daniel eodem tenore verbotum dies pro veris & naturalibus sumit, cum ait *dies mille ducenti nonaginta*? cur ergo cum iis addit, *quadraginta quinque*, dicens eodem contextu: *Beatus, qui expectat & pervenit usque ad dies mille trecentos triginta quinque*, non accipiet pro veris diebus? Illud ex Ezechiele, *diem pro anno dedi tibi*, prorsus est extra rem, nam noluit dicere diem intelligi annum, alioquin iuberetur Propheta dormire super latus suum sinistrum annos CCCXC. quod est ridiculum: sed tantum quod CCCXC. dies, quibus Ezechiel iussus est dormire super latus suum sinistrum, significabant, illos CCCXC. annos, quibus Israëlita in peccatis & captivitate veluti consopiti iacere habebant: tot enim annos esse à Phacee filio Romeliae ad extremum Assueri, S. Hieronymus membratim per tempora demonstrat.

Ribera in 20. Apocalypf. Num. 73. hunc Danielis locum elucidans, inquit: *Quis novit Daniele illis verbis, Beatus qui pervenit ad dies 1335. loqui de die Iudicii? Potest satis probabiliter intelligi dictum esse, quoniam post dies 1335. idest, intra 45. dies à rapto Antichristi, occidentur quotquot supererunt hostes Christiani nominis & persecutores Sanctorum: atque id circo beatus ille dicitur qui usque ad id tempus manet: quia tunc extinctis persecutoribus, ij qui metu à Christo recesserant, redire poterunt ad eum: & omnes qui steterant, sine ullo metu persecutionis, pietatem colere poterunt.*] At Patres, & Posteriores constanter intellexerunt loqui Daniele de diebus à morte Antichristi ad iudicium, uti superius vidimus.

Alij dixerunt, certè quidem Daniele affirmaffe, post mortem Antichristi concedi præfatos XLV. dies, ad refrigerium & quietem piorum, & ad pænitentiam subuersorum: non tamen expresse præfuisse non futuros plures dies usque ad iudicium, quam XLV. Siquidem Daniel de iudicio meminisse videtur: sed tantum adstruxisse beatum futurum illum, qui Antichristo occiso, superuixerit dies XLV. nam si pius quiescet interitum & respirabit ab immani illa Antichristi

oppressione: si impius, habebit spatium pænitendi. Quantum autem spatium maneat post XLV. illos dies usque ad iudicium clam esse, Hanc sententiam plerique tuerentur. S. Thomas Opusculo 60. Art. 25. inquit: *Quantum autem Dominus post quadraginta quinque dies venturus sit, penitus ignoratur.*] Subscribunt Auctor nomine S. Anselmi in 2. Thessalonicens. 2. S. Antoninus, Compendium Theologiæ, Viguerius: item Dionysius Carthusianus in 39. Ezechielis, & 12. Danielis, imò & Lyranus in Daniel 12. Toftatus in Matthæi 24. Quæst. 151. Burgenus in Additionibus ad 1. Thessalonicens. 5. Iansenius cap. 123. Commentariorum in Concordiam Evangelicam, Viegas in 13. Apocalypf. Sectione 15. Idem quoque sensisse videtur S. Beda de Ratione Temporum, cap. 68. cum ait: *percutso autem illa perditionis filio sine ab ipso Domino, sine à Michael Archangelo, ut quidam docent, & aeterna ultione damnato, non continuo dies iudicii sequuntur esse credendus est: aliqui scire possent homines illius cui tempus iudicii: si post tres semis annos inchoata persecutionis Antichristi confestim sequeretur.* Nunc autem quia ante consummatum tempus persecutionis illius, dies iudicii non veniat, scire omnibus licet. Post quantum vero tempus consummata eiusdem persecutionis venturus sit, nemini prorsus scire conceditur.] Iam si 40. tantum quinque dies præfixe remansissent, rectè sciri potuisset.

Sebastianus Barradius Tomo 4. in Euangelia, lib. 9. cap. 7. haud improbabile putat, post Antichristi necem usque ad iudicium, aliquot annos inter futuros, in quibus Iudæi conuersi in pace & felicitate Terra promissa fruatur: sed quot futuri sint, ignorari: ipsum vide. Nec ab hac sententia abludi Hector Pintus in Ezechielis 39.

Ego interdum illud ariolabar, forsan Daniele præter summam illam 1290. dierum, aliam distinctam & integram 1335. dierum adieciisse; ut indicare voluerit ab interfecto Antichristo, & sublata eius tyrannide, intercessuros ad iudicium usque MCCCXXXV. dies, idest tres annos integros, & septem menses, ac quindecim dies: ac si dicat Daniel: *Beatus qui post MCCCXC. dies persecutionis & tyrannidis Antichristi, superuixerit novos alios & plenos MCCCXXXV. dies à nece Antichristi, nam videbit Dominum in maiestate & gloria venientem ad iudicium.* Sicque dies 1335. non ita capiendi erunt, ut incurrant in illos 1290. ac super illos addant 45. alios dies: sed seorsim & distinctè ac perse integrè computari incipiant ab interitu Antichristi. Miratur Barradius cur interpretes hanc interpretationem nostram non adiunxerunt: at ego eam iam septennio typis mandaueram, ante quam ipse sua excuderet.

Cæterum Si verba Danielis, si interpretationem S. Hieronymi, Theodoret, & aliorum attente consideremus, multo probabilius existimabimus, à nece Antichristi ad iudicium, non nisi Quadraginta quinque dies interfluxuros. Sic quoque sentiunt præstantes quique Theologi, Belarminus lib. 3. de Romano Pontifice, cap. 9. & 17. Acolta lib. 3. de Nouissimis Temporibus, cap. 18. Valentia Tomo 4. Disputatione 11. Quæstione 2. Puncto 2. §. 4. & 5. Suarez Tomo 2. in 3. Partem, Disputatione 54. Sectione 2. & Disputatione 56. Sectione 3. & lib. 5. contra Anglicanos errores, cap. 5. Henriquez de Fine Homini

minis, cap. 23. Numero 10.

Sed huic sententiæ duo quam maximè aduersari videntur. Primum, oraculum Ezechielis 39. v. 12. de interuisione & sepultura exercituum Gog & Magog : *Et sepelient eos domus Israël, ut mudent terram septem mensibus. Et viros iugiter constituent lustrantes terram, qui sepeliant & requirant eos, qui remanserant super faciem terra, ut emundent eam. Post menses autem septem, quætere incipient, &c.* Et vers. 9. *Et egredientur habitatores de ciuitatibus Israël, & succedent, & comburent arma, clypeum, & hastam, arcum & sagittas, & baculos manuum & contos : & succendent ea igni septem annis. Et non portabunt ligna de regionibus, neque succident de saltibus, quoniam arma succendent igni.*

Ex his Ezechielis verbis duo accipimus : alterum post mortem Antichristi, & stragem Gog & Magog, quæ duo in idem fermè tempus incident, elapuros ante diem iudicii septem ad minus menses, quibus pii fideles sepelient interfectorum cadauera tantorum exercituum. Alterum, effluxuros minimum septem etiam annos, quibus fideles non alia materia ad necessaria ignis vtentur, nisi armis, clypeis, hastis, sagittis &c. Cætorum. Iam ergo à morte Antichristi ad iudicium plures erunt quam 45. dies nempe septem anni.

Lyranus in 39. Ezechielis, Ribera in 20. Apocalypsi. Numero 72. Cornelius à Lapide in 1. Thessalonicens. 5. v. 2. existimant post cladem Gog & Magog, & necem Antichristi futuros reuera saltim septem annos vsque ad iudicium : quod se putant ex prædictis Ezechielis verbis solidè firmare. Sed nos nondum à recepta multorum sententia de solis XLV. diebus, verba Ezechielis Abstrahunt : nam quod ait de septem mensibus impendendis sepulturæ occisorum : & septem annis, armis comburendis : notamus in primis, Hebraica phrasi notissima septenarium numerum quandoque ponipro pluribus indefinitè, & fortasse interdum pro minori numero quam sit iuste septenarius 1. Regum 2. vers. 5. *donec sterilis peperit plurimos.* Hebraicè *peperit septem.* Cum tamen è vers. 21. liqueat Annam non nisi quinque, aut sex liberos edidisse : sed septem hyperbolicè dixit : Isaia 4. vers. 1. *Apprehendent septem mulieres virum unum.* Hoc est, plures, etsi pauciores quam septem. Et sunt eiusmodi plura exempla collecta ab Antonio Nebrissensi Repetitione 8. de Numeris, ad finem, & in Phrasibus Vuesthameri, & Sà. Deinde videtur Ezechiel emphatice & hyperbolicè posuisse septem menses ac septem annos, quasi dicat : Tanta strages erit exercituum Gog & Magog, tot iacebunt fusa cadauera, vt si omnia sepelienda essent, multorum mensium spatio opus esset ad id præstandum : tot erunt strata arma, vt aliquot annis possint ad ignis necessarios vsus sufficere : ita locum Ezechielis capiunt. Bellarminus, Ribera, Henriquez, Suarez, Valentia, & alij : nec est dubium eiusmodi hyperbolicas locutiones adhiberi ad significandas insignes victorias, & magnas hostium strages, vt Mariana, Sanctius, & alij etiam annotarunt.

His haud absimile illud est quod de insigni illo prælio, quo Hispani anno Christi 1212. ad Nauas Tolosæ in Batica ducenta millia Maurorum conciderunt, Alphonsus VIII. Rex Castellæ, eius belli Imperator, Epistola ad Innocentium III.

Pontificem narrat : *Cum exercitus noster in castris eorum post bellum, per biduum moram fecerit, ad omnia incendia, quæ necessaria erant in coquendis cibis, & pane, & aliis, non consumpserunt alia ligna, nisi de sagittis, & lanceis eorum quæ remanserunt, & vix comburere potuerunt medietatem.*] Rodericus Toletanus Archiepiscopus, qui prælio interfuit, lib. 8. Rerum Hispanicarum, cap. 11. *Et quod vix videtur credibile, licet verum, in illis duobus diebus ad vsus omnes nulla alia ligna ambussimus, nisi hastas lancearum, & sagittarum, quas secum duxerant Agarem : vix tamen in illo biduo posuimus consumere medietatem, quamvis ex industria, non ad necessitatem ignem apponerent, sed ad eorum multitudinem consumendam.]*

Alterum quod sententiam de XLV. tantum diebus à morte Antichristi ad iudicium, euertere videtur, illud est : quod homines qui illo viuunt tempore, certissimè scire poterunt diem iudicii, nempe intra XLV. dies à morte Antichristi futurum : quem tamen hominibus incognitum & occultum, Scriptura sapius profiteretur. Hanc obiectionem plerique facile dispulerunt, scilicet Bellarminus, & Suarez. Nos pauca notabimus. Primo, iudicii diem fuisse semper, & futurum hominibus prorsus incognitum vsque ad extrema ipsa mundi tempora exclusiue : verum ingruente iam rerum exitu, & Antichristo regnante, non potest esse dubium, quin à pijs, & scripturarum peritis cognito Antichristo, intelligatur quoque finem sæculi & iudicium in proximo adesse : cum Antichristum non nisi prope finem mundi venturum, consensus Orthodoxorum pro comperto habeat : quamvis certum iudicii diem præfigere aut designare non poterunt : propinquissimum tamen esse facilè intelligent.

Secundo, visis horrendis illis signis in Sole, & Luna, & stellis, ac mari, quæ futura Dominus prædixit : nonne homines iamiam ingruentem diem iudicii formidabunt, ac planè scient in foribus adesse ? *Arescentibus*, inquit Christus Lucæ 21. vers. 26. *hominibus præ timore & expectatione, quæ superuenient vniuerso orbi.* Ad quid enim Dominus fideles suos signis præmonuit, nisi vt instantem iudicii diem intelligerent ? Nec tamen propterea certum ac præfinitum diem cognoscere poterunt.

Tertio, Quod præcisè præfigantur XLV. dies illi à nece Antichristi ad iudicium : non propterea inde dies illa suprema certò scietur : qui quod non nisi XLV. dies illi intericiendi sint, inter necem Antichristi & iudicium : non pro omnino certo & indubitato traditur : (cum ea de re varient opiniones interpretum, vt superius vidimus : & oraculum Danielis de re nondum impleta, sit obscurissimum : in variosque sensus distrahatur :) sed vt probabile & bonis coniecturis verisimile proponitur. Coniecturis autem inuestigare iudicium, nihil verat.

Quarto, Statuto præfixe numero illo XLV. dierum nihil, contra eum faciunt Scripturæ, cum aiunt, diem iudicii à nullo posse sciri : id quidem rectè & verè affirmant : quia neque sciri potest certum tempus aduentus Antichristi : nam Antichristi regnum & iudicium pro vno eodemque tempore capiuntur, quod proxime cohæreant. Atque id est quod Theologi dicere solent, diem iudicii ignotum prorsus esse sumendo illum cum ei adiunctis & annexis, nempe cum Antichristo, &

& signis proximè antecedentib. quia quando ista erunt, manet penitus in occulto : vnū autē ac præcipuum de Signis Iudicij proximè imminētis esse Antichristū, ex Paulo docēt omnes Eccl. Scriptores.

Hæc nobis annotata solidè firmatur doctrina S. Thomæ, qui Additionibus ad Tertiā Partē, Quæst. 73. Art. 1. disquirens de signis antecedentibus vniuersale iudicium, hanc sibi opponit obiectionem : *Signa ad manifestationem alicuius requiruntur : sed aduentus Domini debet esse occultus : unde 1. Thessalonicens. 3. Dies Domini sicut fieri in nocte ita veniet. [Quā in hunc modū dissoluit : Dicendum, quod dies Domini dicitur sicut sur ventre, quia ignoratur determinatum tempus, quod per signa illa cognosci non poterit. Quamuis etiā sub die Iudicij comprehēdi possint omnia illa manifestissima signa quæ immediate Iudicium præcedent, ut dictum est. Et paulo antea dixerat : Vel potest dici, quod omnia quæ circa Iudicium erunt, infra tempus Iudicij computentur, [eiusmodi est aduentus Antichristi] ut sic dies Iudicij omnia illa contineat. Vnde quamuis ex signis apparentibus circa diem Iudicij homines terreantur, ante tamen quam signa illa apparere incipiant, in pace & securitate impij se esse credent, post mortem Antichristi non statim videntes mundum consumi, ut prius existimabant.]* Hæc S. Thomas, fane prudenter.

Cæterum nos quamuis tutum existimemus sententiæ Patrum & insignium Theologorū assentiri, inter mortem Antichristi & Iudicij diem non nisi præfixē XLV. dies, iuxta Danielis vaticinium intercessuros : malumus tamen in his abstrusissimis Prophetarum oraculis, nondum impletis, ignorantiam ingenuè profiteri : ac verba Angeli ad Daniel. c. 12. v. 9. exosculari : *Vide Daniel, quia clausi sunt, Signæque sermones usque ad præfinitum tempus.*

Illud autē satis exploratum est, ab extincto Antichristo ad finem sæculi & Iudicium, non longum futurū tempus, cum constans verbi Dei auctoritas, & totius Catholice Ecclesiæ assertio sit, Antichristū circiter extrema mundi tempora regnaturum, vti accuratè li. 2. c. 3. 1. demonstrauimus. Quocirca Sæcra Christi Ecclesia, quæ eo tempore magisterio & Apostolatu Eliæ & Henoch & doctrina, & probitate, mirificisq; Sanctionibus exemplis florētissima erit cum timore Domini ad Iudicium aduentū præstolans, tota erit in sacris precibus, ieiuniis, concionibus, aliisque pietatis operibus, sat sciens ex Scripturis, & disciplina Patrum diem Iudicij non longè abesse.

De impijs verò & sceleratis, ac reliquijs forsan Antichristi, Strabus in 1. Thessalonicens. c. 5. hæc annotat : *Nam sicut in verbis Danielis inuenitur, regnabit Antichristus & ministri eius tribus annis & dimidio : & interficientur ab illo Elias & Henoch, sicut & in Apocalypsi habetur. Et tunc erit talis tribulatio, qualis ante non fuit, nec post erit. Postea interficietur à Michaële, & maxima pars suorū. Post mortem vero Antichristi Quadraginta quinque dies concedentur ad penitentiam hominibus, qui titubauerunt in persecutione illa. Sed ministri Antichristi gaudebunt illis diebus, ducentes uxores, conuiuentes, dicentes Licet Princeps noster mortuus sit modo, habemus pacē & securitatem.]* Sed & Auctor nomine S. Anselmi in 1. Thessalonicens. 5. *Post mortem Antichristi quadraginta quinque dies concedentur ad emendationem iis, qui ad vitam prædestinati sunt, & in Antichristi per-*

secutione offenderūt. Sed qui ad vitam præordinati non sunt, nec morte Principis sui corrigentur : sed toto corde mundanis inherentes, gaudebunt, uxores ducēt, conuiuiæ facient, & domos edificabunt, dicentes : Pax est nobis & securitas, licet Princeps noster sit mortuus. Et dum ita paratos, ac securos se esse putauerint, subito Iudex apparebit, omnesque tales condemnabit.] Eadem habentur in Compendio Theologiæ, li. 7. c. 14. Quæ non est dubium accepisse eos ex Auctore, qui nomen S. Ambrosij præfert in 1. Thessaloni. 5. scribit : *Subito enim & ex insperato apparebit dies Domini sicut coruscatio apparet ab oriente in Occidentem, habens secum militiam exercitus Dei Patris ad perditionem Antichristi, & satellitum eius. Cum enim securi fuerint perfidi de regno diaboli, interfecit Sanctis, id est, Henoch & Eliæ & lati de victoria inuicē sibi mutentia munera sicut dicit Apocalypsis : tūc subito illis veniet repentinus interitus. In aduentu enim suo Christus hos omnes disperdet.]*

Tunc post necē Antichristi, impijs euentura præfati auctores suspiciantur, ea quæ Dominus Mat. 24. v. 37. prædixit : *Sicut in diebus Noë, ita erit & aduentus Filij hominis, Sicut enim erant in diebus ante diluuiū comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes, usque ad eum diem, quo intrauit Noë in arcam : & non cognouerunt donec venit diluuiū, & tulit omnes : ita erit aduentus Filij hominis. Et Lucæ 17. vers. 28. Similiter sicut factum est in diebus Lot : Edebant & bibebant : emebant & vendebant : plantabant & edificabant : quæ die autem exiit Lot à Sodomis pluit ignem & sulphur de calo, & omnes perdidit : secundum hæc erit quæ die Filius hominis reuelabitur.*

Et Paulus 1. Thessalonicens. 5. vers. 1. *De temporibus autem & momentis, fratres, non indigetis ut Scribamus vobis. Ipsi enim diligenter scitis, quia dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet. Cum enim dixerint, pax & securitas : tunc repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor in utero habenti & non effugient.]*

Occurrit tamen Lyranus in 1. Thessalonicens. 5. atque contendit hæc à Christo & Paulo non dicta de Antichristianis, seu impijs post mortem Antichristi : sed de iis ipsis regnante & rerum potiente Antichristo, sub cuius potentia securi & læti vitam epicuream degent, donec repentinus eis superueniat interitus, deletis eius exercitibus Gog & Magog, & fulminato Antichristo, quæ erunt præludia Iudicij. De qua re altercantur Paulus Burgenfis & Matthias Thoringius, homo ineptissimus. Ego superfluis in his quæ obscura sunt ac recondita, non immorabor : æstimet quisque ut voluerit.

Atque hic mihi Operis de Antichristo finis esto. Ego Frater Thomas Malienda Setabitanus, Ordinis Prædicatorū, Sacræ Theologiæ Magister, post priorem Romanam editionem anni 1604. capī nouā hanc istius Operis fabricam 22. Februarij anni 1615. sed partim morbis, partim alienis occupationibus abreptus, malo genio meis studiis inuidente, maximo meo dolore, quadriennium fere coactus sum opus interrompere. Absolui tandē illud 18. Septembris anno Salutis 1621. Valentiniæ, ætatis meæ 56. cum tamen hoc ipso anno nouā Libri Geneseos ex Hebraico Translationem & Notas condiderim. Omnia iudicio S. R. Ecclesiæ subiecta sunt.

FINIS.

Ex Typographia Iacobi du Creux, 1646.



INDEX

RERVM SELECTIONVM

TOMI SECVNDI

de Antichristo.

Prior numerus operis Librum, alter caput, tertius paginam assignat.

A



BARIS Hyperboreus, eiusque sagitta notatur. l.7.c.5.p.16
Abominatio desolationis in templo sancto à Daniele vaticinata exponitur. l.8.c.8. p.64.65. & c.9.p.66. Item cap.10.p.68. & seqq.
Abominatio desolationis de futuro Antichristo prædicta. l.8.c.11.p.73.& seq.
Adolescenti fauces elisæ quodd magicum libellum legisset. l.8.c.28.p.123.
Alius fictè à Cacodæmone ad vitam reuocatus. ib.
Adriani Imperatoris miracula. l.8. c.23.p.105.
Edificiorum magnificentia miraculosa. l.7. c. 18. p.42.43.
Emilia virgo Vestalis mirè à falso sibi imposito crimine vindicata. l.8.c. 23.p.103.
Esculapij miracula lapide insculpta. l.8.c.23.p.105.
Esopi Tragædi patina sexcentis sestertiis taxata. l.7.c.24.p.57.
Agathoclis Siciliæ Tyranni crudelitas. l.9.c.12. p.158
Agnus herba Scythica sic dicta, de qua mira referuntur, l.8.c.18.p.93.
Agrippine in vestibus magnificentia. l.7.c.20.p.47
Alarici Gothorum Regis sepulchrum. l.7.c.12.p.33.
Albigensium hæreticorum miracula recensentur. l.8.c.24.p.109.110.
Alexandri Macedonis thesauri. l.7.c.17.p.40
Eius conuiuia mirifici sumptus. l.7.c.23. p.55
Eius vanitas se Deum asserentis. l.8.c.23. p.78
Anastasij Imperatoris dirus obitus. l.13.c.3.p.233
Angeli sancti pro Ecclesia duce Michaële pugnaturi temporibus Antichristi, eorumque victoria. l.9. c.20. p.181
Annebergius Dæmon sic dictus metallicæ fodinæ incubans. l.7.c.16.p.40
Annuli vsus ad signadū vetustissimus. l.9.c.24.p.197
Annulus Gygis. Vide *Gyges*.
Anthropophagia immanis exempla. l.9.c.14.f.168
Antichristus omnis nequitie plenitudo. *pref.* l.7.p.1.
Eius hypocrisis propter peccata populi. ib. & p.2
Fraudulentia & versutia tandem cuitura. c.2. p.3
Impudentia, audacia, & temeritas. c.3.p.4. & 5.
Musca caninæ ob importunitatem comparatur. c.4.p.6.
Antichristi magici & artes nefandæ enumerantur. cap. 5. pag. 12. & seqq.

Paredros & assessores multos habiturus dæmones. c. 7. p. 20.
Quales magiæ apparatus adhibebit. *ibid.* p.23.
Antichristi auaritia rapacitas, diuitiæ. l.7.c.11. toto. templa & sepulchra expilabit. c.12. toto.
Eius statuæ & colossi. l.7.c.19.p.47.
Vestes, aulæa, & peristromata. *ibid.* c.20. toto.
Vasa aurea & argentea. c.21. toto.
Conuiuia. l.7.c.24.p.58.
Eius immanes sumptus. c.25. toto.
Libidines. c.26. toto p.60.
Quod multas habiturus sit vxores, & concubinarum greges. c.27.p.63.
Antichristo Thesauri absconditi & perditī patefaciendi. l.7.c.12.p.33. & seq.
Quibus præsunt dæmones. p.35.
Quas ex aurifodinis diuitias eruet. l.7.c.15.p.35. & seqq.
Eius gemmæ, vniones & lapides pretiosi. l.7. c. 22. p. 51. 52
Antichristus se verum Deum & vniuersi conditorē adorari curabit. l.8.c.4.p.54. & qua ratione. 55
Quibus oraculis id prænuntiatum. c.5. p. 56. & seqq. & cap.6. toto. p.58. & seq.
Item c. 7. vbi ostenditur vt in templo Dei sedere debeat. p.61. & seqq.
Antichristus iudaicos ritus & legem Mosaicam Imperij sui initio restauraturus. l.8.c.1.p.66.
Antichristus se verum Messiam & Christum asseret, & Iesum abnegabit. l.8.c.2.p.68.
& personarum Trinitatem. 69.
Idolorum cultum amolietur vt suum adstruat. l. 8.c.3. p.50
Idolorum cultum amolietur vt suum adstruat. l. 8.c.3. p.50. & seqq.
Antichristus futurus est abominatio desolationis. l. 8.c.11. toto. p.73.74.
Antichristus quid de se, de Deo & religione apud se crediturus sit. l.8.c.15.p.85.86.
Ingētia miracala patraturus est. c.16. & 17.p.87. & se.
Antichristi præstigiæ. l.8.c.19.p.93
Quas edet metamorphoses c.20.p.94.95.
Antichristi miracula non vera futura. l. 8. c. 26. p. 112. & seqq.
Antichristus qua arte patrabit miracula, & quænam ex iis vera esse poterunt, quæ falsa & præstigiæ. l.8. c. 28. p. 120.121
Quibus nos aduersus ea muniat antidotis Apostolus. 123.124

Index rerum selectiorum.

Antichristus quo miraculo mortuum se ac mox resurgere simulabit l.8.c.29.p.125.126.
 Quibus fideles cruciatibus torquetur. lib.9.c.12. pag.157.
 Antichristi nomen ex Ioannis vaticinio, & patrum sententiis exponitur. l.9.c.23.p.189.
 Antichristi Character, litteræ, Epistolæ, Symbolum, signa militaria exponuntur. l.9.c.28.p.124.125.
 Cur eius præcurfor omnes compellet vt accipiant in dextera & in fronte sua characterem eius? c.30.p.128.
 Antichristo appellationes Spiritus sanctus has assignauit scilicet. *legislatoris, insipientis*, l.9.c.32.p.132.
Inimici, Apri de silua, porci siluestris, singularis feri fera agri, p.133. *Cauda Behemoth, Impudentis furie, vastatoris* &c. p.134.
 Antichristus omnium impiorum caput futurus. l.13.c.1.p.229.
 Cur permittitur eum sit in mundo Christus. c.2. pag.230.
 Eius præcurforum interitus horrendi c.3.p.231. & seqq.
 de Antichristi morte patrum & posteriorum sensus. l.13.c.5. toto p.235.
 Item loca quædam in veteri Testamento de eius morte explicantur ibid. c.6. toto.
 Alia ex Nouo Testamento de eiusdem nece exponuntur c.7. p.237. & seqq.
 Hiatus terræ in Oliueti monte viuus deglutendus pag. 239.
 Regnum eius trium annorum cum sex mensibus explicatur ex patrum doctrina ibid. & seqq.
 Quæ post Antichristi necem futura. c.9.p.242. & quantum temporis effluxurum sit ab hac morte ad vniuersale iudicium. c.10.p.243. & seqq.
Antiochus Epiphanes Antichristi typus. l.7.c.3.p.4.
Eiusdem conuiuia. l.7.c.24.p.56.
 Mors horribilis. l.13.c.3.p.231.
Antemij expensæ in cæna. l.7.c.24.p.56.
Apega supplicij genus à Nabide Lacedæmoniorum Tyranno inuentum vnde sic dictum. lib.9.c.12. pag.160.
Apicy prodigiosi gulæ sumptus: seipsum metu inopiæ interimit. l.7.c.24.p.58.
Apocalypsim apocrypham qui teneant. lib.12.c.5. pag.217.
 Eius oraculum de alligatione & solatione diaboli, deque millenario Christi regno explicatur ibid. & c.6. toto
Apollinarij Laodicensi error de millenario Christi regno. l.12.c.3.p.214.
Aque benedictæ in dæmones efficacia. l.7.c.10.p.26.
Aqueductum Romanorum structura magnifica. l.7.c.18.p.44.45.
Aquila à Romanis quanti habita. l.8.c.10.68.
 Arca Testamenti veteris an sit tempore Antichristi comparitura. l.11.c.12.p.190.191.
 vbi & de loco vbi recondita est ad id vsque temporis. p.192. & seqq.
 Arca Testamenti sacræ Eucharistiæ asseruata post Antichristi necem. l.13.c.9.p.242.
Archia Tarentini columba lignea volans. l.8.c.27.p.115.
Aristeus Proconnesius magus recensetur. lib.7.c.5. p.16.17.
Ary Hæresiarchæ turpis interitus. lib.13.cap.4. pag.233.
Armagedon locus in quo Gog & Magog congregandi sunt. Quid sonet? l.12.c.8.p.224.225.

Arob quod muscam caninam sonat variæ & exquisitæ acceptiones lib.7.c.4.p.6. & seqq.
Asbestos lapis est, qui semel accensus extingui nequit, in Arcadia nascitur. l.8.c.27.p.117.
Asclerionis Mathematici lepidum de seipso vaticinium. l.7.c.8.p.21.
Atbos miræ magnitudinis mons, quem Stasicles statuarius in Alexandri statuam efformare voluit. l.7.c.19.p.46.47.
Attius Romanus Augur artis magicæ peritus. l.7.c.5. pag.18.
Aulæorum & peristromatum luxus. l.7.c.20.p.48.
Aurifodina Hispanicæ describuntur. ibid. & p.37. & seqq.
 de *Auri* argentique venis mira narrantur. l.7.c.15. pag. 36.
 Iis interdum incubant Dæmones, quas Antichristo seruant p.40.

B

S. Babyla reliquiæ mutum efficiunt oraculum Apollinis. l.7.c.10.p.26.
Babyloni cuiusdam Magici stupendum incantamentum. l.7.c.8.p.21.
Balnearum vsus & sumptus immodici. l.7.c.23.p.55.
Basileensis sartoris in Augustanam cryptam ingressi historia mirabilis. l.7.c.14.p.35.
Basily magi aduersus Christianam virginem irritus conatus. l.7.c.10.p.25.
Beelzebub variæ appellationes & acceptiones expenduntur. l.7.c.4. p.10. & seqq.
S. Benjamin apud Persas diro supplicij genere extinctus l.9.c.13.p.164.
Bestia Apocalypsis numerus expenditur. l.9.c.23. & 24.p.189. & seqq.
Bilberna Imperatoris Emanuelis palatium magnificum. l.7.c.18.p.45.
Brachiorum acceptio in Scriptura. l.8.c.9.p.66.
Buplagus quidam Syrus in prælio occisus à mortuis excitatus. l.8.c.22.p.100.

C

Calano Indo philosopho parentat Alexander Macedo ludos 193. & conuiuia instituit. lib.7.c.24. pag.56.
Caligula infania in excolenda sacerdotibus, sacrificiis, & vestibus statua sua. l.7.c.20.p.47. l.8.c.13. pag.79.
 Caligulæ luxus portentum. l.7.c.24.p.57.
 Eius prodigalitas. c.25.p.58.
 Caluini miracula inuerso ordine vel frustra tentata. l.8.c.25.p.111.112.
 Mors dira l.13.c.4.p.234.
Candela sepulchrales quædam vix exstinguibiles. l.8.c.27.p.118.
Cantabra vexilla quædam à deuictis Cantabris sic dicta l.9.c.27.p.122.
Caput diademate ornatum in marmore repertum nulla artificis opera exsculptum. l.8.c.27.p.119.
Castitatis insigne monumentum in adolescente linguam suam in meretriculæ faciem expuente. l.9.c.14. pag.167.
Cedron torrens seu vallis vbi sita. l.11.c.8.p.184.
Cerei ardentes quale supplicij genus, hoc Christiani cremabantur vt noctu spectatoribus lucerent. l.9.c.12.p.159.
Cerinthi error de regno Christi mille annorum post generalem hominū resurrectionem l.7.c.1.p.209.
 In

Index rerum selectiorum.

In qua discrepet à Chiliaſtarum dogmate. l. 12. c. 4. p. 215
 Apocalypſim vt non canonicam reicit p. 217
Cham primus magiæ conditor. l. 7. c. 5. p. 15
Charactes beſtiæ ſignandus in fronte expenditur quis ſit. l. 9. c. 23. & 24. p. 189. & ſequent. & c. 26. 72. 8. p. 199. & ſeqq.
Character Chriſtiani Crux eſt. l. 9. c. 26. p. 120
 Antichriſti vero triplex eſt, ſcilicet eius imago, nomen, & literæ nomen eius continentes. ibid.
Chauoirhae theſaurus immanis. l. 7. c. 17. p. 41
Chēvoci Hebraicæ variæ acceptiones. l. 8. c. 14. p. 83
Chiliaſtarum & Cherinthi errois diſcrimen expenditur. l. 12. c. 4. p. 215. & ſeqq.
Chriſtiani terram ſanctam recuperaturi ſunt priuſquam adueniat Antichriſtus. l. 12. c. 7. p. 222
 Chriſtianorum deuotio poſt Antichriſti tempora. l. 13. c. 9. p. 242
Chriſti nomen in labaris, tabulis lapidibus & numiſmatis expreſſum. l. 9. c. 27. p. 123
Circumciſionis lex ab Antichriſto inſtauranda. l. 8. c. 1. pag. 66
Claudia Quintia Veſtalis qua arte pudicitiae infamiam eluit. l. 8. c. 23. p. 103
Cleopatra Aegypti regina circa cænā prodigioſi ſumptus. l. 7. c. 24. 6. 56. 57
Cloacarum Romanarum ſtructura mirabilis. l. 7. c. 18. pag. 44
Clodij Aſopi tragici filij in conuiuiis luxus. l. 7. c. 24. pag. 57
Coloſſi miræ magnitudinis. l. 7. c. 19. p. 45. 46
Colūba lignea Archite Tarētini volās. l. 8. c. 27. p. 115
Commodianus Chiliaſta notatur. l. 12. c. 3. p. 214
Commodi Imp. veſania ſe Herculem fingentis. l. 8. c. 13. p. 81
 Et erit in concupiſcentiis ſæminarum locus Danielis quo Antichriſti libido explicatur. l. 7. c. 26. tot.
Conſtantini Magni vexilla quo ex miraculo deſumpta. l. 9. c. 27. p. 123
 Conſtantini Copronymi dira mors. l. 13. c. 3. p. 253
Conuiuiorum luxus profundiffimi. l. 7. c. 24. p. 55. 56.
 promachus inſignis bibax Alexandri magni conuiua. l. 7. c. 24. p. 56
Cornelius Tacitus impiè de Deo ſentit. l. 8. c. 15. p. 86
Cornu faciens bellum aduerſus ſanctos Danielis oraculum de Antichriſti perſecutione explicatum. l. 9. c. 3. p. 137
S. Coronæ martyrium. l. 9. c. 12. p. 162
M. Craſſus Iudaici templi expilator. l. 7. 672. p. 32
Cruciatuſ quos in fideles exercebit Antichriſtus. l. 9. c. 12. p. 157. & ſeqq.
Crucifragium quod ſupplicij genus? l. 9. c. 13. p. 163
 Hoc plurimi Martyres extincti. ibid.
Crudelitatis inauditæ exemplar in Georgio Sechelo perduellionis reo exercitum. l. 9. c. 14. p. 168
Crux Dominica in magicas operationes. l. 7. c. 10. pag. 25
Curutz vocis Hebraicæ variæ acceptiones. l. 7. c. 11. p. 28. 29
Cutis detractio, vel capitis, vel totius corporis priſcum ſupplicij genus. l. 9. c. 13. p. 164
Cynoccephalica herbæ viſ mira. l. 8. c. 18. p. 92
Cynomyia, muſca canina Antichriſti appellatio. l. 7. 4. p. 6. & ſeqq.
Cyphonismus dirum ſupplicij genus. l. 9. c. 14. p. 166
Cyrola Episcopus Arianus videntis oculos inuerſo miraculo excæcat. l. 8. c. 24. p. 108.
Cyri Cambyſis filij ſepulchrum deſcribitur. l. 7. c. 12. pag. 32.

D

Dadali volantis hiſtoria non vt fabula explodenda.

l. 8. c. 27. p. 116
Dæmonibus familiaribus qui inſignius vſi ſint. l. 7. c. 7. toto. p. 19
 Dæmones aqua benediſta fugati. l. 7. c. 10. p. 26
 Dæmones quænam miranda naturæ ope artiſque viribus efficere valeant. l. 8. c. 28. p. 120. & ſeqq.
 Dæmones fodinis incubantes. l. 7. c. 16. p. 40.
Danielis vaticinia de abominatione deſolationis elucidantur. l. 8. c. 8. 9. 10 & 11. p. 64. & ſeqq.
Davidis & Salomonis diuitiæ ſepulchris eorum reconditæ. l. 7. c. 12. p. 32.
Demetrij Antigoni filij luxus. l. 7. c. 20. p. 48
Deſolationis abominatio à Daniele prædicta exponitur. l. 8. c. 8. 9. & 10. p. 64. & ſeqq.
 An & de quo exercitu Romano intelligenda. p. 69. 70
 Deus non poteſt concurrere ad miraculum efficiendum quid ſit in teſtimonium erroris & falſæ doctrinæ. l. 8. 26. p. 114.
Diaboli per mille annos alligatio, eiufque ſolutio expenditur. l. 12. c. 5. p. 217. & c. 6. toto.
Diaſphendon quale ſupplicij genus. l. 9. c. 12. p. 162
Diocletiani vanitas diuinum ſibi honorem arrogantis. l. 8. c. 13. p. 81.
Dionyſius Tyrannus tēplorū expilator. l. 7. c. 12. p. 30
Diuitiatis nomen qui ſibi ambitioſè arrogarint. l. 8. c. 13. p. 78. 79.
Diuitiæ Antichriſti, vide *Antichriſtum*.
Domitiani ferale conuiuium. l. 7. c. 24. p. 58.
 Domitiani delirium ſe Dominum & Deum vocitantis. l. 8. c. 13. p. 80.
Domitius Hurleus dirè ab Hæreticis in Hibernia cruciatus. l. 9. c. 12. p. 160
Draconis effigies in ſignis militaribus. Vnde Draconarij vexilliferi. l. 8. c. 6. p. 59.
 A Pythonis ſerpentis morte hæc ſigna inuenta. ibi.
 Dracones olim vt Dij colebantur. p. 60.
 Draco inſignis magnitudinis cui virgines in ſacrificio dabantur ibid.
Dux foederis à Daniele præuiſus qui intelligendus. l. 8. c. 1. p. 66. 67.

E

Eccleſia & templi acceptio varia. l. 8. c. 7. p. 62
 Quando Eccleſiæ templa dici cœptæ. p. 63.
 Eccleſiæ tribulatio ſub Antichriſto à Chriſto Domino prædicta. l. 9. c. 6. p. 145.
 Eccleſia quid ſub Antichriſti regno factura ſit ex Apocalypſis Ioannis vaticiniis. l. 9. c. 16. p. 173. & c. 17. p. 176.
 Exponitur Danielis locus. *Hæ autem ſola ſaluabuntur de manu eius Edom & Moab & principium filiorum Ammon*. c. 18. p. 178.
 Item alius ſuper eo ſtatu Eccleſiæ hiſ temporibus Iſaiæ locus. *Absconde fugientes, & vagos ne prodas: Moab, & c.* l. 9. p. 179.
 pro ea pugnabunt Angeli Duce Michaële, deque eorum victoria, c. 20. p. 181. & ſeqq.
Elias Theſbites propheta in carne mortali ad vltima vſque tempora ſeruatur. l. 10. c. 2. p. 139. cur dictus Theſbites. p. 140. Quis de eo Patrum conſenſus c. 3. p. 142
 Venturus tempore Antichriſti ex antiquis Patribus probatur. l. 10. c. 9. p. 151. Ex recetioribus. c. 14. p. 157
 Id à Malachia propheta vaticinatum. ib. c. 10. p. 152
 Duo oracula ſc. Eccleſiaſtici & Chriſti de eo venturo explicantur. c. 11. p. 153. 154. Vide Enoch.
 Secundo Chriſti aduentu Iudæos conuerſurus veniet. l. 11. c. 16. p. 201. & c. 17. p. 202
Empedocles Agrigentinus inſignis magus. l. 7. c. 6. p. 18
Enothea malefica. l. 8. c. 17. p. 89
Ephod quid ſonet & quale veſtimenti genus. l. 11. c. 13. p. 194

Index rerum selectiorum.

Epimenidis Cretenſis hiſtoria fabula recenſetur. l. 7. c. 5. p. 17
Equis raptari & obteri ſupplicium in SS. olim Martyres exercitum. l. 9. c. 13. p. 166
Eris pamphilius poſt duodecim dies mortuus reuixit. l. 8. c. 22. p. 100
Eudonis præſtigie. l. 8. c. 19. p. 94
Eugenius Epilcopus viſum miſero ab Epilcopo Ariano miraculi nomine excæcato reſtituit. l. 8. c. 24. p. 108
Euthymus pyæta viuus ab oraculo delphico, & ipſius Iouis iuſſu in Diis habitus. l. 8. c. 13. p. 78
Euthychium monachi Nouatiani miraculum. l. 8. c. 24. p. 107
Ezechielis vaticinium de Gog & Magog aduerſus Eccleſiam exponitur. l. 12. c. 7. p. 221

F

Faciem firmare, obfirmare, quid? l. 7. c. 3. p. 5
Facies ſtigmatiſ notatæ ſupplicij olim genus. l. 9. c. p. 130
 Hoc ſolebant affici Chriſti confeſſores. ibid.
Femina in mares mutata. l. 8. c. 21. p. 97
Flamma & mari emicantes. l. 8. c. 17. p. 90
Fluuiorum terrocedentium exempla. l. 8. c. 17. p. 90
 de Fluuiio Sabbathico quid fingant Iudæi. l. 7. c. 18. p. 206

G

Gemma inſignis magnitudinis & valoris. l. 7. c. 22. p. 52. Earum luxus. p. 53
Gentilium miracula quædam referuntur l. 8. c. 23. p. 104. & ſeqq.
Gigantis corpus mirabile Romæ repertum cum lucerna ardente. l. 8. c. 27. p. 118
Glaucia & Chryſidis præſtigie amatorie. l. 7. c. 8. p. 22.
Glyceria manans è corpore vnguentum aduerſus dæmones, eiſque artes magicas mirabile. l. 7. c. 10. p. 26. 27.
Gog & Magog aduerſus Eccleſiam pugnaturi exercitus vaticinium explicatur. l. 12. c. 7. p. 221
 Eius ſtrages item ex Ezechielis & Ioannis oraculis. c. 9. toto.
Gregorij Thaumaturgi in Dæmones crucis ſigno potentia. l. 7. c. 10. p. 26
Guaynacapa Peruani Imperatoris diuitie. l. 7. c. 21. p. 51
Guntramni Francorum Regis mira per ſomnium viſione ingentes theſauri patefacti. l. 7. c. 13. p. 34
Gygis annuli fabula è platone l. 7. c. 22. p. 31

H

Hadrianus Imperator Magicarum artium ſtudioſus, ubi & de Antinoò eiſ amaſio. l. 7. c. 9. p. 24
Hæreticorum Blaſphemie diſoluuntur quas in Rom. Pontificem & Apoſtolicam ſedem euomunt. l. 9. c. 25. p. 198
Hæreticorum veterum iactata miracula. l. 8. c. 24. p. 106. & ſeqq. Recentiorum. c. 25. p. 110. & ſeqq.
Hanno Cartaginienſis qua arte ſe Deum vulgat. l. 8. c. 13. p. 78
Helegabali ſumptus in conuiuiis. l. 7. c. 24. p. 57
Henoch ſeptimus ab Adam Patriarcha viuus hætenus conſeruatus. l. 10. c. 1. p. 137. 138
 Conſenſus Patrum ſuper ea re. c. 3. p. 142
Henoch & Elias quem in locum tranſlati. l. 10. c. 5. p. 144.
 Viuunt etiamnum in voluptatis paradifo. c. 6. pag. 145. 146
Henoch placuit Deo & tranſlatus eſt, &c. Eccleſiaſtici

locus explicatur. c. 7. p. 147
 Qualem vitam viuant Henoch & Elias in paradifo & qualis eorundem corporum ſit habitus. c. 8. p. 149
Henoch & Elias quid tempore Antichriſti facturi ſint? c. 17. p. 163. 164
 Quas Plagas in Antichriſti ſeruatoris immitterent. c. 19. p. 166. 167
Henoch & Elie martyrium, reſurrectio, & aſſumptio in cælos ex Apocalypſi. 11. v. 7. probatur. l. 10. c. 20. pag. 168.
 Tempus eorum prædicationis. ibid. p. 170
Henoch extremis temporibus Iudæos conuerſurus. l. 11. c. 16. p. 200. 201
Herais femina nature prodigio in virum mutata. l. 8. c. 21. p. 97
Hermotimi Claſomenij anima errabunda expenditur. l. 7. c. 5. p. 18.
Herodis Magni dirus interitus. l. 13. c. 3. p. 231
Hircanus è ſpoliis ſepulchri Dauidici diues. l. 7. c. 21. p. 32
Hiſpanica auri argentique venæ deſcribuntur. l. 7. c. 15. p. 36. 37. & ſeqq.
Homines ſenatus conſulto Romano immolari prohibiti. l. 7. c. 9. p. 23
 Hominis bicoloris hiſtoria. l. 8. c. 17. p. 92
 Homines in lupos conuerſi. l. 8. c. 20. p. 96.
Hummerici Vandalorum regis infelix exitus. l. 13. c. 3. p. 233
Hypocriſis Antichriſti. l. 7. c. 1. p. 12.
Hypochrita, laquei populi. ibid. p. 3. col. 1.

I

Jeremias verè obiit, non cum Elia extremis temporibus ſeruatus l. 10. c. 13. p. 156
Ieruſalem quanta amplitudine inſtauranda tempore Antichriſti. l. 11. c. 7. p. 178
 Quo circuitu. c. 9. p. 185
 Eius reſtitutio poſt communem hominum reſurrectionem, & millenarium, Chriſti regnum futurum exponitur ex patribus. l. 12. c. 2. p. 210. & ſeq.
 Ieruſalem ante aduentum Antichriſti Chriſtianis abundabit. l. 12. c. 7. p. 222
 Sita eſt in terræ vmbilico, quod explicatur p. 223
Ignis in parentes pietatem veneratur. l. 8. c. 23. p. 105
Impudentia facie firmata obfirmata, &c. notatur. l. 7. c. 3. p. 5
Infoffio olim peculiaris ſacrificij ritus apud Perſes. l. 9. c. 13. p. 165.
 Veſtaliū & quorundā Martyrum ſupplicium. ibid.
Inimicitias ponam inter te & mulierem, &c. Et ipſa conteret caput tuum, &c. Genef. 13. v. 5. explicatur l. 9. c. 15. p. 170. 171
Inſula natantes. l. 8. c. 27. p. 120
Intercifio dirum ſupplicij genus, quo S. Iacobus in Perſia extinctus. l. 9. c. 13. p. 164
Ioannis de Cruce Peruani Theologi abſurda deliria, igne tandem piata. l. 8. c. 13. p. 81
 Ioannes Euangelifta an ſit cum Henoch & Elia venturus in fine mundi, ubi & diſſeritur quod non ſit mortuus. l. 10. c. 15. p. 159. 160
 Verè mortuum aſſeritur nec tali tempore venturum c. 16. p. 161. 162
Iofeph. comitis necdum Chriſtiani in Dæmones Crucis ſigno potentia. l. 7. c. 10. p. 26.
Irenæi Lugdunenſis Epilcopi ſententia de millenario Chriſti regno & Ieruſolymorum reſtitutione poſt vniuerſalem hominum reſurrectionem. l. 12. c. 2. p. 210
Iſaias Propheta ſerra à vertice deorſum à Manaſſe ſectus. l. 9. c. 12. p. 161

Index rerum selectiorum.

Israeliticarum Tribuum status à tempore earum
ultimæ deportationis per Salmanassarem ad
finem vsque sæculi describitur l. 11. c. 18. toto.
Iudæi polygami l. 7. c. 27. p. 63. Etiam post Christi
tempora. p. 65
Iudæus in idolorum templo dormiens crucis signo
à dæmone liber euadit. l. 7. c. 10. p. 26
Iudæi in Romanos sub Adriano rebelles. l. 12. c. 6.
p. 177
Item sub Constantino Magno, ibid.
Sub Iuliano Apostata & ipsomet opitulante Tem-
plum ædificare ceperunt, sed irritò conatu. p.
178
Item tempore Heraclij ibid.
Iudæorum de conuersione nouissimis temporibus
Oseæ vaticinium explicatur l. 11. c. 13. p. 194. Pauli
c. 14. 197
Iudæi ex verbo Dei probantur ad Christum in fine
sæculi conuertendi. l. 11. c. 15. p. 198. 199
Probatur id ex Patrum traditione c. 16. p. 200. & seq.
Iudæorum numerus ante vltimum Christi aduen-
tum conuertendus perquiritur. l. 11. c. 7. 17. p. 202.
203. 204
Iudaica lex ab Antichristo instauranda imperij sui
initio. l. 8. c. 1. p. 66
Iudicij dies quamuis hominibus semper occultus,
post Antichristi tamen tempora facilè conficien-
dus l. 13. c. 9. p. 245
Iulianus Apostata Magus insignis. l. 7. c. 7. p. 20. & c.
9. p. 24
Idem magicis operationibus incumbens perter-
ritus, signo Crucis liberatur. l. 7. c. 10. p. 25
Idem Ethnico sacrificio prohibetur ob adolescen-
tis Christiani præsentiam. ibid. col. 2.
Eo idololatriæ zelo æstuebat, vt immolatio san-
guine cuncta cibaria quæ in foro prostabant in-
ficeret. l. 9. c. 31. p. 132
Mors eius horrenda. l. 13. c. 31. p. 132
Iuliani Orientis præfecti in Christianum templum
inuerecundia diuinitus punita. l. 7. c. 12. p. 31
Iulius Hilarion Chiliastarum errore infectus. l. 12.
c. 3. p. 214
Iulius Cæsar templorum expilator. l. 7. c. 12. p. 30
Iustina virgo Cyprianum magum ad fidem conuer-
tit. l. 7. c. 10. p. 25
Iustinus Philosophus inter Chiliaistos numeratur l.
12. c. 2. p. 210

K

Kallo Epidauria in virum mutata. l. 8. c. 21. p. 98

L

Labari Christianorum Imperatorum forma. l. 9. c.
27. p. 121
eandem labari formam Antichristus vsurpabit. ibid.
p. 124
Lactantiij Firmiani error de millenario Christi post
generalem resurrectionem regno exponitur. l. 12.
c. 3. p. 213
Lapidum contusio quale supplicij genus l. 9. c. 13. p.
163
Quidam Martyres eo extincti sunt. ibid.
Lectus ferreus dirum supplicij genus quo Martyres
plurimi excruciat. l. 9. c. 12. p. 158
Linum incombustibile apud Turcas quomodo fiat.
l. 8. c. 27. p. 118. 119
Lucerna ardentes in sepulchris repertæ. l. 8. c. 27. p. 118
Lucio Marcio condonante flamma è capite eius
emicat. l. 8. c. 23. p. 103
Ludorum sæcularium initium refertur. l. 8. c. 23. p. 104
Lutherus miracula tentat irritò conatu l. 8. c. 25. p. 110

Eius mors infamis. l. 13. c. 4. p. 234

M

Macedonij hæresiarchæ immanitas. l. 9. c. 14. p. 169
Machabæis & Philinnij stupenda historia. l. 8. c. 22. p.
102
Magedon locus vbi situs, Iosifæ regis morte celebris
l. 12. c. 8. p. 224
Illic congregaturus est exercitum aduersus Christia-
nos Antichristus p. 225
Magiæ apparatus horribilis. l. 7. c. 9. p. 23
Magia naturalis quæ & sympathia dicitur in quo
posita. l. 7. c. 5. p. 12
Variæ detestandæ Magiæ species enumerantur. ibid.
In quibus excelluerit Antichristus p. 13
Magi quidquid ultra vires humanas faciunt, caco-
dæmonis facultate operantur l. 7. c. 5. p. 15
Insigniores recensentur. p. 15. & seqq.
Magis carminibus quæque prodigiosa contingunt.
l. 8. c. 17. p. 89. 90.
Maleficiorum varia genera quibus se. Striges &
Lamiæ initiant. l. 7. c. 9. p. 24
Maleficia, seu magicæ operationes quibus remediis
expellantur & profligentur l. 7. c. 10. p. 25. & seq.
Manes hæresiarcha excoriatus. l. 9. c. 13. p. 164
Maosim Deus, quem colet & adorabit Antichristus,
quis ille sit? l. 8. c. 14. p. 82. 83
Marcelli Episcopi vis in dæmonem aquæ lustralis
beneficio. l. 7. c. 10. p. 26
Marcionista cur Antichristi dicti. l. 8. c. 2. p. 69
Marcus hæresiarcha Valentini Discipulus paredro
vsus. l. 7. c. 7. p. 19
Eius miracula siue fascinationes l. 8. c. 24. p. 106
Margarita Regis Calecuti. l. 7. c. 22. p. 52
Item Cæsaris & Pompei. 53.
Mauri reges suos vt Deos colebant. l. 8. c. 13. p. 81
Maxentius Imperator præstigiis magicis delusus. l.
7. c. 9. p. 24
Medea magica facinora. l. 8. c. 17. p. 89. 90
Melecheth vocis Hebraicæ variæ acceptiones. l. 7.
c. 26. p. 62. 63
Memnonis statuæ lapideæ historia. l. 8. c. 27. p. 116.
117
in *Menippo* adolescente præstigij amatorij exem-
plum notabile. l. 7. c. 8. p. 22.
Messias Iudæorum Antichristus quod plures sit
habiturus vxores, & concubinarum greges. l. 7. c. 27.
p. 63
Metamorphoseon migicarum exempla enumerantur
l. 8. c. 20. p. 95. 96
Metelli pij in Hispania proconsulis luxus. l. 7. c. 24.
pag. 56
Michaelis Siciditis præstigiæ insignes. l. 8. c. 19. p. 94
Michaelis Archangeli prælium aduersus Antichri-
stum pro Ecclesiæ defensione eiusque victoria
l. 9. c. 20. p. 181. & seqq.
Exponuntur verba Apocalypsis de prælio illo. c. 21
p. 184. & seqq.
Miles in asinum transformatus l. 8. c. 20. p. 97
Millenariorum error de regno Christi post homi-
num generalem resurrectionem. l. 12. c. 1. p. 209
Variæ patrum sententiæ de hoc Millenario regno
recensentur. cap. 2. toto.
Ex Scriptura damnatur, licet eum Sancti quidam
astruxerint. l. 12. c. 4. p. 215. 216
Quo Apocalypseos loco nitantur. p. 217
Minos Cretensis vt Iouem familiarem habuit l. 7.
c. 7. p. 19
Minotauri signum cur in militaribus signis in Le-
gionibus habitum. l. 8. c. 10. p. 68

Index rerum selectiorum.

Miraculum quid sit, & quod sola virtute diuina fieri possit. l. 8. c. 28. p. 121
Miracula quæ patraturus est Antichristus. l. 8. c. 16. & 17. p. 87. & seq.
Miracula quæ à Gentibus olim facta produntur. l. 8. c. 23. p. 103. De iis Patrum iudicium. p. 104. & alij 105
Mira fieri possunt natura, vel arte multa, quæ miracula non sint. l. 8. c. 27. p. 115
Missa sacrificium tempore Antichristi in publico cessabit. l. 9. c. 11. p. 154. 155
Muridatos quo supplicij genere interiit l. 9. c. 14. p. 166
Montes crepitu maximo assultantes.
 Item ex vno in alium translati l. 8. c. 17. p. 91.
Mortui Ethnici quidam excitati. l. 8. c. 22. pag. 100. 101
 Mortuos viuis colligare dirum supplicij genus l. 9. c. 13. p. 162
Morum humanorum status, quando Antichristus persecutionis suæ apparatus instruet. l. 9. c. 8. pag. 148
Moses an mutuus sit, an ad Antichristi tempora cum Elia seruatus. l. 10. c. 12. p. 155
Mulierum in viros conuersarum historiae varia. l. 8. c. 11. p. 97. & seqq.
Musca caninæ acceptiones varia ex scriptura & authoribus, l. 7. c. 4. p. 6. & seqq.
Musci cuiusdam peritia mirabilis. l. 8. c. 27. pag. 120
Myrto Socratis vxor vnâ cum Xantippe. l. 7. c. 27. p. 64
Mysterium quid sonet Apostolo. l. 11. cap. 14. pag. 197

N

Nabis Lacedæmoniorum Tyrannus quo supplicij genere à suis pecunias extorquebat. l. 9. c. 12. p. 160
Nabuchodonosoris delirium se Deum asserentis. l. 8. c. 13. pag. 77
Nepos in Ægypto Episcopus Chiliastarum errore infectus. l. 12. c. 2. p. 212
Nero templorum expoliator. l. 7. c. 12. p. 30
Neronis epulæ prodigiosi sumptus. l. 7. c. 24. p. 57. eius profusiones pecuniariæ. c. 25. p. 59
 In ædificiis extruendis sumptus eius immanes. l. 7. c. 18. p. 42.
 sibi templa decernit. l. 8. c. 13. p. 80
Nestori Hæresiarchæ dirus exitus. l. 13. c. 4. p. 233
Necoris Babylonie Regine sepulchrum. l. 7. c. 12. p. 31
Nominum ex numeris quid obseruarent veteres. l. 9. c. 18. c. 2. p. 197
Numa Pompilius magicis Partibus clarus l. 7. c. 5. p. Dæmonio familiari vsus. p. 29
Numerus Bestiæ seu Antichristi expenditur l. 9. c. 23. p. 189. & seqq.
 Item cap. 24. p. 193.

O

Oculus in solea insculptus quid?
 Quid item in cornu. l. 7. c. 2. p. 3.
Odorum Alexandri & Neronis luxus. l. 7. c. 23. p. 54
Olei duo filij assistentes Dominator vniuersæ terra. de quibus intelligatur illud Scripturæ vaticinium l. 10. c. 18. p. 165
Osmandue Regis Ægypti sumptuosum sepulchrum l. 7. c. 12. p. 31
Ossyris herbe vis mira contra veneficia l. 8. c. 18. p. 92. Et dæmones expellendos p. 93

P

ad *Palum* alligatio quale supplicij genus & à quo inu tum. l. 9. c. 13. p. 163
 Hoc Martyres plures extincti. ibid.
Pancratis Memphictice magi præstigia. l. 7. c. 8. pag. 21
Papia error de millenario Christi regno & Ierosolymorum restitutione proponitur l. 12. c. 2. p. 210. 211
Paradisus terrestris siue voluptatis etiamnum extat. l. 10. c. 4. p. 144. Quid sonet vox *paradisus* in scriptura. c. 7. p. 148
Pasfetes insignis præstigator. l. 8. c. 19. p. 94
Pauli Nouatiani Episcopi in veteratore Iudæo miraculum l. 8. c. 24. p. 107
 Idem ab incendio Ecclesiam liberat ibid.
Pax futura post Antichristi mortem serenissima. l. 13. c. 9. p. 242
Pecunie sepulchris reconditæ. lib. 7. c. 12. pag. 30. & seqq.
Pergameni magicis artificijs capti à Saracenis. l. 7. c. 9. p. 24
Persecutionis genus sæuissimum Antonini & Diocletiani tempore, quo nihil nec vendere, nec emere licet nisi Diis immelaretur l. 9. c. 31. p. 131
 Persecutiones quibus hætenus afflictæ est Christi Ecclesia, enumerantur lib. 9. c. 1. p. 128
 Prima à Iudæis p. 129
 2. à Nerone ibid.
 3. à Domitiano 130
 4. à Traiano 131
 5. ab Adriano ibid.
 6. à M. Aurelio Antonino ibid.
 7. à Seuer. 132.
 8. à Iulio Maximino. ibid.
 9. à Decio ibid.
 10. Galli & Volusiani 133
 11. Valeriani & Gallieni. cap. 2. ibid.
 12. Claudij. ibid.
 13. Aureliani ibid.
 14. Diocletiani & maximiani ibid.
 15. Licinij in Oriente 134
 16. Saporis Persarum Regis ibid.
 17. Constantij Ariani principis. ibid.
 18. Iuliani Apostatæ. 135
 19. Valentis Ariani ibid.
 20. Isdegerdis & Barane Regum Persarum. ibid.
 21. VVandalica in Africa ibid.
 22. Chosrois. ibid.
 23. Mahometana seu sarracenicæ ibid.
 persecutio 24. Turcarum. 136
 25. Lutheranorum & Caluinistarum. ibid.
 Danielis oracula de Antichristi persecutione expouuntur. Primum, l. 9. c. 3. p. 137
 Secundum. p. 138
 Tertium. p. 139
 Quartum. p. 140
 Quintum. p. 142
 Sextum 143
 Septimum. ibid.
 Octauum. 144
 Persecutio Antichristi Ioannis in Apocalypsi oculis prædicta l. 9. c. 7. p. 147.
 Quem humanorū morū statum excipiet c. 8 p. 148
 de Persecutionis Antichristi acerbitate quid sentiant Patres. l. 9. c. 9. p. 149. & seqq.
 Quid de persecutione spiritali. c. 10. p. 151. & seqq.
Phalaridis in hospites sous immanitas quos candēti tauro æneo comburebat. l. 9. c. 12. p. 157. 158
 Philimij

Index rerum selectiorum.

Philimij & *Macharis* prodigiosa narratio. lib. 8. c. 22. p. 102.
Philippus Macedo ut quadrigæ violentiam sibi denunciata vitare non potuit. lib. 7. c. 8. p. 20.
Philumene Apellis heretici prophetissa, eiusque miracula. l. 8. c. 24. p. 106.
Phoca Imperatoris dirus interitus. libr. 12. cap. 3. pag. 233.
Plotinus familiari dæmone usus. l. 7. c. 7. p. 19.
Plusia mirabilis Aurelij Imperatoris tempore. l. 7. c. 8. p. 23.
Polycrates gemmæ sanij quanti gemmam suam fecerit. l. 7. c. 22. p. 52.
Poligamia multis olim gentibus communis, & potissimum Iudæis. l. 7. c. 27. p. 63. cui fauent. Notuatores. p. 65.
Polichronij monaci Monothelitæ vanitas edendi miracula palam. l. 8. c. 24. p. 109.
Porci effigies cur insignis militaribus. l. 8. c. 10. p. 68.
Porta Angli à Zacharia præuisa explicatur. l. 11. c. 7. p. 180.
Portus Claudij mirabilis. l. 7. c. 18. p. 45.
Principum imagines in signis militaribus olim prælatæ. l. 8. c. 10. p. 68.
Procli insignis Mechanici specula ænea vistoria. l. 8. c. 27. p. 116.
Prudentia carnis quid Paulo? lib. 7. c. 2. p. 3.
Psaphon diuinitatis nomen affectans qua arte Græcos diluserit. l. 8. c. 13. p. 78.
Ptolemei Philadelphi tentorium. lib. 7. c. 20. p. 48.
Vasa aurea & argentea. c. 21. p. 51.
Pueri diu viridis coloris è fossis Anglicanis emergentes. l. 8. c. 17. p. 91.
Pythagoras Magicæ artis peritus. l. 7. c. 5. p. 16.

R

Regina cali quid sonet apud Ieremiam. l. 7. cap. 26. pag. 62.
Religio Christiana fidesque non omnino extinguitur furore persecutionis Antichristi. l. 9. c. 22. p. 187. vide *Ecclesia persecutio*.
Religionis Christianæ cultus post Antichristi mortem in locis Terræ sanctæ. l. 13. c. 9. p. 242.
Reliquiæ sanctorum dæmonibus obsistunt. l. 7. c. 10. pag. 26.
Remmon vicus in tribu Iuda. l. 11. c. 7. p. 179.
Resurrectio mortuorum quomodo à Dæmonibus fieri possint. l. 8. c. 28. p. 122. 123. Tales ab Antichristo fient ibid.

S

Sabbati iter vnus miliaris. l. 11. c. 9. p. 185.
Sebasmatum variæ acceptiones. l. 8. c. 3. p. 52. 53.
Sacerdotum quorundam maleficorum horribilis historia. l. 7. c. 9. p. 24.
Salmanassar Assyriorum Rex captiuas in Assyriam & Mediam Tribus Israël transportat, deque earum statu ad extrema vsque tempora. l. 11. c. 18. p. 205. & seqq.
Sanctuarium fortitudinis quid sonat. l. 8. c. 9. p. 67.
Saranapali rogos magnificus. l. 7. c. 21. p. 50.
Saturno olim infantes immolati. l. 11. c. 8. p. 182.
Scaphismus quale supplicij genus. l. 9. c. 14. p. 166.
M. Scauri in ædificiis immanes sumptus. lib. 7. c. 18. pag. 42.
Sedechia cuiusdam Iudæi præstigiæ. l. 8. c. 19. p. 94.
Sedemoth. vocis Hebraicæ variæ acceptiones. l. 11. c. 8. p. 184.

Sepulchrorum spoliatores varij enumerantur. lib. 7. c. 12. p. 30. 31.
Sepulchrum Cyri describitur. l. 7. c. 12. p. 32.
Sepulchra Dauidis & Salomonis expilata. ibid.
Sepulchra Mexicanorum & Peruanorum Imperatorum diuitiis exornata. l. 7. c. 12. p. 33.
Serræ medios homines secare supplicium olim vsitatum. l. 9. c. 12. p. 160.
Seruij Tullij è capite flamma emicat. lib. 8. cap. 23. pag. 103.
Signa Romana à Iudæis ut idola execrata, vbi & de iisdem signis differitur. l. 8. c. 10. p. 68.
Simonis Magi dirus exitus. l. 13. c. 3. p. 231.
Simulacrum ferreum magnetis in aëre libratum in Serapidis templo. l. 7. c. 18. p. 44.
Smaragdus pretiosæ magnitudinis. l. 7. c. 12. p. 52.
Snebergius Dæmon Georgianæ fodinæ incubans. l. 7. c. 16. p. 40.
Socratis eiusque dæmonium notatur. l. 7. c. 7. p. 19.
Socrates polygamus. l. 7. c. 27. p. 64.
Sorices & mures diuturnus & acerbus cruciatus quo plurimi Martyres affecti sunt. l. 9. c. 13. p. 163.
Specula ænea vistoria. l. 8. c. 27. p. 116.
Stasiscratis statuarij insania. l. 7. c. 19. p. 46.
de Statua singulis noctibus apparente. l. 7. c. 8. p. 21.
Item de alia statua inaugurata. p. 23.
Statuæ in Apulia mirabilis historia notatur. lib. 7. c. 12. p. 34.
Statuæ Antichristi. l. 7. c. 19. p. 45.
Stephanus Tritheista errore Chiliasta. libr. 2. c. 3. p. 214.
Stigmata diuersi generis, & qui olim iis notabantur. l. 9. c. 31. p. 129. 130.
Subungues dirum cruciatus genus à Locrensibus in Dionysij iunioris vxores exercitū. l. 9. c. 13. p. 164.
Hoc quidam Martyres extincti sunt ibid.
Sulpicius Severus inter Chiliastras notatur. l. 12. c. 3. pag. 214.
Supparum vel sypparum quid? l. 9. c. 27. p. 121.
Suppliciorum varia genera enumerantur. l. 9. c. 12. & 13. totis p. 157. & seqq.

T

Tabule olim appensæ in Ethnicorū templis in gratiam acceptorum beneficiorum. l. 8. c. 23. p. 105.
Tauri ænei candentis primus inuentor in ipso inclusus perit. l. 9. c. 12. p. 157. 158.
Hoc supplicij genere quidam Martyres absumpti. ibid.
Tempestas in Xerxis naui oborta magorum artibus sedata. lib. 7. ca. 8. pag. 28. Item de alia tempestate pag. 23.
Templorum expilatio Antichristi eiusque præcursorum. l. 7. c. 12. p. 30.
Templi Ephesinæ Dianæ magnificentia. lib. 7. c. 18. pag. 43.
Item Templorum Ægyptiorum. ibid.
Alia structura mirabilis 45.
Templum Ierosolymitanum cur ab Antichristo instaurandum. l. 8. c. 1. p. 68.
Templi Dei acceptiones variæ, vbi ostenditur quomodo in templo Dei sedere debeat Antichristus. l. 8. c. 7. p. 61. & seqq.
Templi Ierosolymitani profanatio & deuastatio an sit abominatio desolationis à Daniele prædicta. l. 8. c. 10. p. 71.
Templi Iudaici sacra & augusta futura, ut sperant Iudæi, tempore Antichristi lib. 11. c. 10. p. 187. & seqq.

Index rerum selectiorum.

Tentoria magnifica. lib. 7. cap. 20. p. 48.
Teraphim, quid sonet? Eius variae acceptiones l. 11.
 p. 195. 196.
Terra-motus prodigiosi lib. 8. c. 17. p. 90.
Terra-motus in Syria prodigiosus l. 8. c. 17. p. 91.
Terram sanctam ante aduentum Antichristi recuperabunt Christiani l. 12. c. 7. p. 222.
Terra sancta Christianae religioni addictissima futura post Antichristi mortem l. 13. c. 9. p. 242.
Tertullianus Chiliastarum errore inter alios infectus. l. 12. c. 2. p. 211.
Thebaeorum martyrium l. 9. c. 12. p. 162.
Thefauri Tolosae inuenti l. 7. c. 11. p. 30.
Thefauri reconditi Antichristo aperiendi l. 7. c. 13. toto.
Thesaurus ab Aesopo inuentus notatur. lib. 7. c. 13. p. 34.
Thefauris abditis daemones ut plurimum praesunt, quos Antichristo seruant. c. 14. p. 35.
Thesaurus a Daemonibus asseruatus a Cabade Persarum Rege Christianis precibus obtentus. Ibi.
Thefaurorum Antichristi vis ingens. lib. 7. c. 17. p. 40. 41.
Theodorici Italiae Regis Arriani de sepulchro a presbitero violato rationem repetit. lib. 7. c. 12. Eius infelix obitus. l. 13. c. 3. p. 233.
Traffylus Chaldaicae artis peritus, quam Tiberium docuit. l. 7. c. 8. p. 20.
Tiberij Christiani Imperatoris in pauperes & captiuos liberalitas. l. 7. c. 13. p. 33. 34.
Tiberius astrologiae & diuinandi artis peritus. l. 7. c. 8. p. 20.
Tiberij Caesaris immanitatis exempla recensentur l. 9. c. 14. p. 168.
Tichonij Aethi error de millenario Christi regno l. 12. c. 3. p. 214.
Tormentorum exquisita genera enumerantur lib. 9. c. 14. p. 168. & 169.
Torrentis Cedron vide Cedron.
Transformationes corporum duplicis generis, praestigiosae. l. 8. c. 20. p. 94. & seqq. Naturales c. 21. pag. 97.
Transmutationes viuientium in alia viuentia nulla vi humana nec daemoniaca aut Angelica fieri possunt l. 8. c. 28. p. 112.
Tucia Vestalis quomodo se a falsa suspitione purgat. l. 8. c. 23. p. 103.
Tunica molesta dirum supplicij genus, quo sancti Martyres afficiebantur l. 9. c. 12. p. 159.
Turris Hananeel quae l. 11. c. 7. p. 179.
Tiranni perditique Imperatores ac principes populorum criminibus puniendis a Deo concessi. l. 7. c. 1. p. 3.

V

Valentis Imperatoris exitialis iactatus. lib. 13.

ca. 3. p. 232.
Valerianus Imperator magicis artibus deprauatus. l. 7. c. 9. p. 24.
Vallis Cadauerum, cineris regionis, &c. exponitur l. 11. c. 8. p. 181.
Vallis viatorum ad Orientem maris quae? l. 12. c. 9. pag. 227.
Vasorum aureorum & argenteorum luxus. l. 7. c. 21. pag. 49. 50.
Vasa pastoris stulti assume tibi: exponitur is Zachariae locus de Antichristo l. 9. c. 33. p. 134.
Vedastus Atrebatensis crucis signo vasa incantata infringit l. 7. c. 10. p. 26.
Veri Imperatoris conuiuia magnifica. lib. 7. c. 24. pag. 57.
Vespasiani miracula l. 8. c. 23. p. 105.
Vestales crimine conuictae viuae defodiebantur. l. 9. c. 13. p. 164.
Vestes Neronis, Metezuma, Agrippae, Augusti, Caligulae, magnificae. l. 7. c. 20. p. 47.
Venia cuiusdam apud Heliodorum apparatus ad magiam horribilis. l. 7. c. 9. p. 23.
Victorinus Martyr Pictauiensis Episcopus a Chiliastarum errore vindicatur. l. 12. c. 2. p. 213.
Visa quaedam post mortem prodigiosa. lib. 8. c. 22. pag. 101.
Vitellij Epulae insignes. l. 7. c. 24. p. 57.
Vinicomburium cur sanctis Martyribus irrogabatur praeter aliis tormentis. l. 9. c. 12. p. 159.
Vinos mortuis colligare supplicium olim vsitatum l. 9. c. 13. p. 162.
Vmbilicus terrae pro medio explicatur. lib. 12. c. 7. pag. 222.
 vel pro eminentia, vel extuberatione. 223.
Vingentorum compositiones variae, eorumque luxus l. 7. c. 23. p. 54.
Vnionis cuiusdam pretiosissimi mirabilis historia. l. 7. c. 22. p. 53.
Vrim & Thummim quid sonent, & cui religioni ludis l. 11. c. 11. pag. 189.

X

Xantippe Socratis vxor. l. 7. c. 27. p. 64.
Xerxes luxuriae nouae inuentoribus praemia decernit. l. 7. c. 24. p. 58.

Z

Zamolxides magus insignis. l. 7. c. 5. p. 16.
Zenonis Imperatoris infelix exitus. lib. 13. p. c. 3. 232.
Ziitonis Boemi insignis magi stupendae praestigiae. l. 8. c. 19. p. 94.
Zoroastre primus apud Persas magiae inuentor. l. 7. c. 5. p. 13. 14. Non idem est qui Cham Noe nepos. pag. 14.

F I N I S.



LVGDVNI,

Claudij Prost

Petri & Claudij Rigaud fratrum

Hieronymi de la Garde

Ioann. Antonij Huguetan, Filij.

Sumptibus

in via Mercatoria.

LACDANI


Claudio Proff


Item & Claudio Rigaud natum


in via Mercatoria

Michonvini de la Garde

Joann. Antoni Huguetan, Filij







Slight "Top"

Est 27

6

19

MALVE

DE

Anti

Christo

2.

1305